40X002-305

K 703



John Carter Brown
Library
Brown University

JOHN CARTER BROWN
LIBRARY

Purchased from the
Trust Fund of
Lathrop Colgate Harper
LITT. D.

91983?

B. 2.

Heterod
Tripl: 3.

DE ORBIS TERræ concordia Libri Quatuor,

MVLTIIVGA ERVDITIONE ac pietate referti, quibus nihil hoc tam perturbato rerum ſtatu uel utilius, uel accommodatius potuiſſe in publicum edi, quiuis æquus lector iudicabit.

GVLIELMO POSTELLO BARENTONIO MATHEMATVM IN ACADE*mia Lutetiana profeſſore regio, authore.*

Adiectæ ſunt quoq; Annotationes in margine à pio atque erudito quodam uiro, ne delicatioris palati, aut iniquioris etiam iudicij aliquis, ut ſunt ferè hodie quamplurimi, offenderetur. Proinde ut pectore candido accipere, quæ in Eccleſiæ miſerè adeò afflictæ utilitatem ſcribuntur, Lector uelis, per Chriſtum & animæ tuæ ſalutem obteſtatum te uolumus.

Singulorum librorum argumenta ſequenti mox pagina, capitum uero ac rerum catalogum ad libri calcem reperies.

Cum Cæſ. Maieſt. & Chriſtianiſs. Galliarum regis priuilegijs ad quinquennium.

*LIBRORVM DE ORBIS CON*cordia, Argumenta.

Primo, religionis Chriſtianæ placita rationibus philoſophicis locentur.

Secundo, uita, educatio, moresq́ Muhamedis legislatoris Arabum, eiusq́ ſectatorum traditur: demum Alcoranum à capite ad calcem ex Arabico excutitur, & refutatur.

Tertio, quid commune totus orbis tam iure humano, quàm diuino habeat.

Quarto, qua arte ſine ſeditione falſæ de Deo, dijs'ue perſuaſiones, ad ueram pertrahi poſſint.

LECTORI CANDIDO.

Te obteſtor, quiſquis es candide Lector, ſi non uacat, ut totum hunc librum perlegas, ſaltem percurras cap. 3. 4. 7. 8. 10. 14. 20. 21. 22. aut ſi pauciora licet, lege 3. 4. 20. & 21. Id enim unum ſine temeritate affirmare non dubito, futurum, ut quiſquis diſcendi, non contradicendi animo, ea Capita attentè legerit, poſſit ratione ſibi non tantum in arduis rebus ſatisfacere, ſed & cæteris quantumuis à uero alienis, modo rationem ducem ſequantur, eadem perſuadere.

GVLIELMVS POSTELLVS PRINCIPIBVS MAGNATIBVSQVE VERAE IN DEVM *Pietatis conſeruatoribus & amplificatoribus, totiusque ſanctæ Eccleſiæ conſortio S.*

QVID tanto dignũ feret hic promiſſor hiatu? Libet hoc uerſu Horatiano, Principes, cœtusq́ integerrimi, ne præueniar, quibuſdam occurrere: quos non dubito ſtatim ab operis titulo, primiq́ libri argumento dicturos, qui tam ardua & inaudita polliceatur, aut parum prudenter, aut parum ſanctè abſoluteq́ eſſe præſtiturum: quum in rebus minimis tractandis, non raro parum perpenſæ uires ſuccumbant. Præterquam quod enim res in toto orbe ſumma, et quæ uniuerſos maximè occupare poſſit, à tenui eruditione uiro explicanda ſuſcipitur: etiam & ratio & autoritas huiuſmodi tractationi, quo minus abſolui poſſit, refragantur. Quum fidei Chriſtianę rationes à ſummo ingenio uiris & diuina & humana autoritate confirmatas, rationibus à philoſophorum præſtantiorum placitis non alienis probare et cõfirmare coner: uidebor illis D. Gregorij Ro. pont. ſententiæ cõtrauenire. Scriptũ enim reliquit: Fides nõ habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. Quamuis autem poſſet contrà hoc axioma aliquid rationi conſentaneum adferri: tamen ut probatum recipiamus, ſat fuerit docere, à uulgari, & in eccleſia Chriſti ad hanc diem recepta opinione me non recedere. Illis qui ſacris myſterijs imbuti Dei ſpiritu aguntur (quamuis id unũ ſibi imprimis perſuadere debent, autorem rationis Deum, nil quamuis arduum & obſcurum, ſine ratione præcepiſſe aut docuiſſe) non eſt rationibus confirmanda fides, quam iam ſatis perſuaſam habent. Itaq́ nec hoc operis ſuſcepi, ut apud uos philoſophum agam Chriſtianũ. Quid enim aliud eſſet hoc tam erudito ſeculo, partim excitatis partim inſtauratis diſciplinis, ingenijs tam illuſtribus, tanta doctorum hominum copia, quàm ſecundum prouerbium γλαῦκας εἰς ἀθήνας; At illis qui alieni à noſtra perſuaſione ſunt, in diuinis uero rebus ſua etiã autoritate, à noſtra diuerſa utuntur, nituntuŕq, certe ea ratio exponenda eſt, quam à ueritatis autore Deo dimanaſſe credimus. Quis enim unquam finis erit altercandi, & ſua pertinaciter ſimplici autoritate defendendi, niſi ratio ueri & falſi diſcrimẽ fecerit, et inter litigatores ueluti arbiter compoſuerit? Licet itaque mihi, quum cauſa nationum à uero felicitatis ſcopo aberrantium

ſcribam, rationibus ea tradere, quæ nobis cum lacte inſtillata, & perſuaſa ſunt. Naſcente eccleſia Chriſti, miraculis: nunc ſeneſcente, & tantum nõ afflicta pietate, rationib. eſt agẽdũ. Verum liceat apud exteras nationes ratione per noſtrorũ autoritatẽ agere. Sibi certe multi perſuaſere leuibus quibuſdam argumentis, nunquã demonſtrari poſſe ea dogmata quæ à nobis probãtur, quod elemẽta ſint et principia indemõſtrabilia, ut et geometriæ. Vt aũt pace eorũ dicã, hac in re hallucinantur, dum quæ ſibi perſuaſa habent, putant natura æquè omnibus hominib. atq; ſibi fide indubitata cognita. Si enim quæ ſunt diuinitus à nobis accepta haberent elementa naturaliter omnibus cõmunia, proculdubio in illis orbis pridẽ cõueniſſet, nec reuelatione fuiſſet opus, ut nec in mathematicis. Alia quidẽ certe lex eſt hic obſeruãda. Quemadmodum enim diuina prouidentia dedit animis noſtris quoddam rationis ſeminariũ, quo in rerum cognitionem cauſa uel effectu ueniremus: ita ſecundum ea principia quæ nullus negare poteſt, poſſumus de cauſis naturalib. et ſupernaturalibus agere, inductionibusq; & ſyllogiſmis ita ſuadere et demonſtrare, ut ab effectibus ſaltem diuinarum rerum natura apariatur: quod non pauci philoſophi fecere. Cæterum Paulus etiam illos ex ratione creaturæ in Creatoris cognitionem ueniſſe affirmat. Reſperſas itaque in philoſophis, quatenus ad uerum propius accedunt, rationes collegi, expoſui, locupletaui, & ueluti ab iniquis uendicando poſſeſſoribus, ad noſtrorum cõfirmationẽ aptaui. Refutaui in ijſdem quæ autoritate tantum, aut contendendi libidine aut hallucinacione (nam quandoq; bonus dormitat Homerus) nõ raro ab ipſis ſunt ſcripta, leuiterq; probata. Quid uero præſtiterim in toto opere, tum potiſſimũ iudicabit, quiſquis attentè legerit cap. de Trinitate, de creatione mũdi, de ſubſtantijs ſeparatis, animorũ immortalitate & reſurrectione. Sum adductus ad hanc tractationẽ duplici nomine. Quũ enim uideã literas præſtantiſſimũ huius mortalitatis ornamentũ, multis hac tempeſtate ueluti ad cæterorum hominum perniciem, aut ad oſtentationem tantum & cõtentionem datas: ſit uero huius uitæ munus feliciſſimũ, ab hominum mentibus eas tenebras diſpuliſſe, quæ immortalitatis uiã præpediunt, putaui eſſe ex officij mei ratione, ſi quibus literis ad hanc diem animum excolere ſum conatus, illis ad uerũ animis caligine falſi occupatis exponendũ & ſuadendũ utar. Suſcepti operis altera cauſa fuit huiuſmodi. Quum à plurimis inſigni & ſacrarũ & humanarũ diſciplinarũ cognitione uiris, tam uerũ affirmatũ cõfirmatumq;, quàm falſum refutatum, partim ratione, partim autoritate uideam, cæterum illa præclara opera inter noſtros qui de uero nõ ambigũt, deliteſcere cernã, conſtitui apud

me,

me, dum quæcunque & uerum probant & falſum improbant, tam ex aliorũ laborib. quàm à noſtra, licet tenui, induſtria, ratione duce, collegero, cœtuiq; ueſtro ſanctiſſimo opus excutiendum permiſero, hoc ipſum in eorum populorum linguas, contra quorum errores ſcribo, conuertere, adq; eos deferre, & aperire, ut contra ſe obiecta aut diluant & ſatisfaciant, aut reiectis falſis uera ſuſcipiãt. Puto enim Deum Opt. Max. ideo mihi hanc tam uariarum linguarum licet mediocrem peritiã, uelut talentũ cõmiſiſſe, credidiſſeq;, ut inde aliquis fructus in cæteros homines, quib. ſum natus, redũdet: utq; animos ſaltẽ faciat prouidentia, hoc meæ tenuitatis & ſuperficiariæ rerum omniũ cognitionis exemplo, magnis & abſolutis omni genere uirtutũ doctrinarumq; uiris, ut quæ in uotis ſaltem habui, ea re ipſa exequãtur. Hoc Opus quũ magnitudine animi non deiecta, opibus autẽ & magno Principũ magnatumq; adiumẽto & fauore egeat: à me tamẽ quamuis tenuiſſimo, & ab externa felicitatis parte omnino imparato, ideo poſſe ſuſcipi iudicaui, quod animo ad uerũ ſuadendũ & Remp. Chriſtianam iuuandã bene affecto, à nemine me poſſe facile uinci ſpero. Quod autem ad facultates peregrinationi neceſſarias attinet, ſi aliunde non adfuerint, à meipſo accipiam. Neceſſitatis uidelicet leges, abſtinentia reſciſo etiã utiliũ rerũ uſu, & quib. artibus potero à me depellam: fame, ſiti, nuditate, patientia certabo, ὥστε καὶ ἄβιον βίον ζῆν. Si defuerint homines, nõ eſt, qui animos ad hanc rẽ fecit, defuturus Deus. IESV Chriſti fauore fretus, prouinciã adeundarũ urbiũ, in quib. uigent Arabici eloquij ſtudia, ſuſcipiã, eiusq; linguæ quæ tota fermè in Africa et Aſia cõmunis eſt (ſi erit uita ualetudini proſperæ comes) cognitionẽ eatenus aſſequar, quoad meũ opus de Orbis cõcordia in eã transferre liceat, et cũ illis cõmunicare, & familiari colloquio exponere, qui in philoſophicis et literis humaniorib. ſunt uerſati. Vt enim uulgus Muhamedicorũ, & qui in ſuperſtitioſa perſuaſione tãtum formati ſunt, ſunt Alcorani obſeruãtiſſ. perſuaſioniq; addictiſſimi: ita q Euangeliũ, aut philoſophiã attigere, ſunt ab eo alieniſſimi. Ideo nõ pauci Chaliphę ſcholas publicas cõſtruẽtes ſanxere, ne ullus q in philoſophicis, aut Euãgelio eſſet uerſatus, in illis admittat. Secũda cura erit, ut eorũ literis et opinionib. copioſe inſtructus, in eos armari undiq;, & noſtris hominib. tela extorta ad eos impetẽdos ſuppeditare ualeã. Si uerò inter peregrinandũ forte fortuna quidã Græci autores ſe offerẽt, nõ potero autem (ad quam rem opus eſt pecunia) illos redimere, aut amanuenſibus ſatisfacere, indicabo ſaltẽ illos regi Franciſco, ut in ſuam prę clarã Fõtebellenſem bibliothecã cõuehẽdos curet. aut uiris & diuitib. & literarũ amatoribus: ne diutius ſub barbaris tanti deliteſcãt theſauri.

Ea uero etiam inſtituti operis ratio eſt, ut nõ tantum in Arabicam atq; Hebraicam linguam mea uertere uelim: ſed & ſacras literas, & ſi quid ad lucem hominibus obcæcatis reddendam facere uidebitur. Nam, quid aliud rogo eſt quàm σκιαμαχεῖν, cõtra alienas à noſtra perſuaſione & dogmatibus nationes agere, niſi proprijs ipſarum linguis, quæ contra ſe dicuntur, audiant, legant, & intelligant? Si ſcopum nõ attingam, ſternam uiam noſtris monachis & ſacrarum literarum profeſſoribus, qua ſe Chriſto probare poſſint. Falsò enim illi tempus aſſerendi uitę periculo Euangelij tranſijſſe aſſerunt, quandiu ab ulla mundi regione abeſt Chriſti uerí que cognitio. Iam pridem ab orbe exulaſſet fœda & abſurda perſuaſio, ſi ſingulis ſeculis ſinguli fuiſſent, qui eius literis inſtructi & Principes commonefeciſſent, & cũ doctis fuiſſent congreſſi. Verum uix unus aut alter, à quo receptũ eſt Alcoranũ, Arabib. ſcripſit Arabicè, contra impietatem illam & naturæ perniciem. Opus quidem certe, ut uiribus impar ſum aggredi auſus, ita abſolui uerborum & ſententiarum tam tenui apparatu & facundia, ut perfunctoria opera uideri poſſit. Si enim ſummos eloquentiæ proceres reſpicio, eorũ princeps me intemperanter abuti & ocio & literis dicet, quod quæ recte ſentio, politè eloqui nõ poſſim, nec ulla dicendi delectatione allicere lectorem atq; retinere ualeam. Sed ab eo ad uos, Principes, cœtusq; ſanctiſſimi, prouocabo, ſatisq; ſum habiturus ſi res à me tractatæ adferant orationi uel inornatæ lucem, non contrà. Humili & ad demonſtrationes accõmodato dicendi genere, quale amplector ego, & quotquot naturæ obſcuritatem tractant, nunquam uſus eſt Cicero. Ideo naturalis rerũ tractatio & explicatio, mathematum & dialectices, diſciplinarum ad demonſtrandum aptiſſimarum expoſitio, niſi ut ſparſim paucis in locis tradidit, in eo deſiderant lumen Latinarum literarum. In illis enim mòre diſciplinæ tractandis, ſeges & ubertas dicendi, amplificandi licẽtia, orbis orationis, fucus, uerborumq; lenocinium, & magnus ille eloquẽtiæ apparatus, quo nunquam non eſt uſus Cicero, non ſe ſatis aperuiſſet. Hæc eò dico, ne exibilatis cæteris quibus ætas deeſt, uelint ſuo more ſuadere quidam noſtri γεροντόπαιδες locutuleij, formularijq;, Ciceronem cum paucis alijs tantum inter Latinos habendum. Id enim ſtatim in ore habent, non eſſe bene latinum, aut legendum, quod phraſim Ciceronis, aut Cæſaris, aut Liuij non ſpiret: quum tamen maximo ætatis, rei in uita præſtãtiſſimæ, diſpendio uix illius ſimiæ fieri poſſint. Nõ ſunt ergo Latini mille aut plures autores, qui animi ſenſa ita latinè et clarè iam ante mille & quadringentos annos expreſſere, ut quæ ſcripta uoluerint, capiat poſteritas? Sunt certe. At eorum nullus eſt Ciceronianus.

nus, aut Cęſarianus. Adde, nulla arte ita fieri poſſe imitatores, ut ij dem (ſuus enim cuique ſtylus & phraſis eſt) cum primis autoribus ſint. Verum quæro inertiæ & infantiæ meæ præſidium, dum quæ aſſequi nec curo, nec poſſum, eleuare uideor. Non imminuit auri, gemmarum, aut chryſo electri æſtimationem, quicunq; & argẽto & uitro et æri Cyprio ſuum etiam eſſe in Rep. locum dicit. Quorundam damno præpoſtera iudicia, qui cum in uerborũ obſeruationibus conſeneſcant, ſemper (ut inquit Paulus) diſcentes, & nunquam ad ueritatis cognitionem peruenientes, ad hoc uidentur nati, ut aliorum labores carpant, uituperent, uellicent, eleuent. Verum ſatis latine ſcripſi, ſi ſat uere. Ea enim eſt natura ueritas, ut quo minori uerborum fuco tractatur, eo altius in hominũ animos penetret. Cæterũ maledicorum hominum de me iudicium facile contemno, ut qui nullam humanam gloriam aut famam ab hoc opere aucuper. De induſtria ſanè illis uocabula ſcripta reliqui, in quibus uellicandis occupentur: quoniam in ſacris autoribus leguntur, & rebus naſcentibus ſunt uſitata uocabula aptanda. Valete.

VERAE RELIGIONIS, ID EST CHRISTIANAE PROBATIO, EX PHILOSOPHIA DESVMPTA, LIB. I.

ETSI arduũ, & ſupra uires humanas eſt, quicquam de
ijs quæ ſub ſenſum non cadunt, tractare, quod ægrè
etiam confeſſa apud multos locũ habeant, multi aſſen-
ſum à manifeſtiſſimis cohibeant, ſenſu percipi ſolita ſu
perficie tenus cognoſcantur: ratio ſit quùm ad omnia,
tum maximè ad res diuinas, & ab hac feculenta mate-
ria ſeparatas, perpendendas inefficax: tamen & cona-
tus probandi ſtudio, & ſumma cõſequendi deſiderio,
ſatius experiri iudico, quid uires humanæ poſſint, ꝗ
deſidia, animiꝗ deiectione intentatum relinquere, quod uel ſola aſſequendi
cogitatione, non parum utilitatis huic mortalitati adferat. Dum enim in cogi-
tatione magnarum rerum animus occupatur, quamuis id non ſoleat conſequi,
quod ſibi propoſuit, aſſequendi tamen ſtudio dum tenetur, totusꝗ in con-
templando occupatur, multis moleſtijs careat neceſſe eſt. In rei enim cogitatio-
nem, cum totus adeò feratur, ut planè rapiatur ab ipſo affectu, fit, ut quibus cæ-
teri premũtur moleſtijs, illas ne ſentiat quidem: ueluti qui ſanguini & uindictæ
attentus eſt, non ſentit quæ uulnera accipiat, niſi reſederit, affectu ipſo rapien-
te: fœlicitates uerò cæteras ita per tranſennam uideat, admireturꝗ, ut qui pro-
poſito felicitatis ſcopo, nil planè cæterorum donec ad eum peruenerit, aſpiciat
curét ue. Quum itaꝗ uideam felicitatem eſſe huius uitæ ſcopum, quam natura-
liter omnia appetant, eaꝗ uario iudicio in uarias partes ſit diſſecta, dum alius
aliam eius partẽ ſibi proponit, alius multas partes conſequi ſatagit, ſolidam ne-
mo non adpetit, de ea ipſa ut ſumma abſolutaꝗ cogitari poteſt diſceptando: ſta
tui ita tractare, ut ex ijs ſenſilibus eius ueſtigijs, ſpectris, & coniecturis in cogni-
tionem ueniam, quatenus animo ergaſtulis corporis clauſo licet attingere, di-
uinitatemꝗ ſummi numinis & rerum omnium opificis demonſtrare, ut & hoc
labore, interim à cęteris rebus auocante, diſtractus, dum mihi ſatisfacere conor,
etiam ſi argumentum huic ętati traditum prodeſſe poterit, id uerò me magnum
precium operæ feciſſe uidear. Quod ut paulo altiori ſumma repetatur, à totius
naturæ contemplatione incipiendum eſſe iudico, non ſine illius quem quæri-
mus, fauore & gratia id aggredi auſus: quem ideò omnibus uotis oro & obſe-
cro, ut quam de eo cognitionem ſua miſericordia ad hanc diem nobis per ſacras
ſcripturas eiuſꝗs filiũ Ieſum Chriſtum θεάνθρωπον aperire dignatus eſt, eandem
ueluti ab eius autoritate uindicatam, in rationis poteſtatẽ aliquantiſper tranſire
permittat, faciatꝗ. Quamdiu durauit innocentia, proſcripta ambitio eſt, fucus
in ſacra loca non irrepſit, præſensꝗ adfuit ſcelerum uindex, miraculorumꝗ ef-
fectrix prouidentia, ſatis ipſa ſe mundo aperuit: quicquid eius nomine ſacra
edixit religio, receptum eſt. Tempora uerò iſthæc periculoſa, quæ prædixit Pe-
trus, nil ſanæ doctrinæ recipiunt, autoritatem rident, ad fabulas conuertuntur,
reſiliunt ab omni antiquitatis autoritate, ut ſua ſectentur ſomnia: quibus ut ſint
inexcuſabiles, & meritò ab hominũ numero, ſi ueritatem rationi iunctam non
audiant, ſeparentur, hæc propoſita uolo. Vt uerò qui falſa autoritate ad hanc
diem ſunt occupati, uerum ſuſcipiãt, hoc opus ſi alijs quàm mihi profuturũ eſt,
ſcriptum cupio. Non ita ſanè me miſeret multorũ, qui poſt agnitam ueritatem

aut uerbis & factis eandē inſectantur,aut ritu uiuendi planè explodunt:ut com
moueor errore & infelicitate tàm multorum populorum, qui quamuis à uero
omnino abſint,falſaq; ſectentur, nil tamen prætermittunt earū rerum, quas ad
ſummam felicitatem facere perſuaſum habent,ut tandem illa potiri liceat. Quis
enim non defleat tot perire labores, tot præclaros conatus admiſſo uitio & pro
uirtute recepto perire, liquores ſuauiſſimos admixtis labefactari abſinthijs, ui-
tamq; perpetuo mortis comitatu nunquam uiuere? Alius uendicat ſibi Moſis
ſententiam, Muhamedem alius autorem legis probat: non paucis dæmonis te-
traeffigies ſe colenda exhibet: territantur alij lemuribus, illisq; ſacra faciunt:
quiduis cæteris oblatum, loco Dei habetur. Et interim ipſa apud nos latet ueri-
tas, noſtra ſocordia deliteſcit, multis incognita nominibus. Verū potiſſimum
noſtro uiuendi ritu, etiam ſi qui eſſent ſponte illam ſubituri legem, quam de
ſumma felicitate pendêre probamus aſſerimusq;, in diuerſum omnino trahe-
rentur: quod iniquum uideatur, communem uitæ actionem uſq; adeò à ſancto
differre præſcripto: pręcipuaq; exempla neglectæ perſuaſionis non à plebe pe-
tantur, non in exlege militia pateant, non in aulis principum ita ſe exhibeant,
quin ſint in myſtis ipſis longè deterrima. A communi rerum humanarum ſtre
pitu uſuq; ſplendidiore ſemotos dira torquet ambitio, fumorumq; captatio:
tranſuerſos agit diuites faſtus, ſuperbiaq;: mediocres maiorum uitijs aucti, o-
mnia ſibi licere putant. In ſumma, uniuerſum ordinem inficit ignorantia, ua-
nitas, cupiditas: ut rariſſimi ſint, qui nomini tam ſancto reſpondeant, quos inta-
ctos cupio. Cæteræ nationes nullum non mouent lapidem, ut falſarum perſua-
ſionum ſeminaria ubi uis diſſeminent, captant muneribus, amicitia pelliciunt;
autoritate cogunt, ui attrahunt, perſuadendo nullos non ſibi adiungere nitun-
tur. At nos inertes & ſupini altum dormimus, ſatis habentes nobis habere rem
præclariſſimam more auarorum, ſine ullo ipſius uſu. Tertia cauſa eſt in rei diffi
cultate, quæ nō raro præſtantiſſimos homines à ſe reijcit. Quamuis enim ſimus
benè erga res ipſas affecti, fidesq; ipſa Dei donum, rationeq; deſtitutum, diuina
fultum autoritate fidem per ſe facere debeat, tamen dum ubiq; ipſa ſe offert au-
toritas, uidetur omnino ius idem omnium, niſi ratione delectū feceris. Omnes
enim aut quærunt, dum ſe habere putant, aut profitentur Deum. Iudæi, Muha-
medici, Indi creatorem unum cœli & terræ aut colunt, aut agnoſcunt: itidem &
nos facimus. Eſto aduena, nil unquam de Deo (quem tamen à natura haben-
dum cenſes) audiueris: certum eſt tibi eſſe dubium, cui omnium credas. niſi te
ratio cogat in alteram potius, quàm in alteram partem deflectere. Si ſola autori-
tas legem faciet, omnium erit par ratio, quum nulla erit. Nullus ſanè mortalium
non maximè præſcripta noſtra probaret, ſi omnia ipſo ab ingreſſu caperet. Ve-
rùm quum multos admodum ethnicorum, Iudæos uerò & Muhamedicos o-
mnes à nobis difficultas alienos faciat, ratione cum illis agendum cenſeo, cùm
in omnibus, tum maximè in his quę ſibi perſuadere nequeunt. Qualia ſunt iſta:
Condonandum eſſe non ſolum iniuriam, uerum & talionis loco beneficijs re-
pendendam. quod non ſolum ei, qui quietem in hac uita cōplectitur, ſed omni-
no eſt homini Chriſtiano agendum. At quid mirum ſi recuſet hoc credere Iu-
dæus, Turca, Perſa, Maurus: cum nos ore tenus ſacroſanctū illud præceptum
obſeruare ſoleamus? Alijs uerò etiam ſuadeamus, id quod baſis eſt & probatio
uerè pij hominis, eſſe non præcepti, ſed conſilij. Rationibus ergo erit agendum
cum Iudæo & Mahumedano, ut ueniam uindictæ anteponendā omnino cen-
ſeat, niſi quatenus ad legū animaduerſionem ſpectat. Iam uerò ipſa ſacroſancta
trinitas alienos à Chriſto & Mauros, & Moſaicos fecit: quòd nulla ratione ui-
deatur,

deatur, ut idem ſimpliciſſimumq́ ſit tria: & ediuerſo, quod etſi arduum eſt demonſtrare, & penè ſupra facultatem humanã, conabor tamen ut quatenus autoritati ratio ſuffragari poterit, illam ex ſacroſanctis philoſophiæ penetralibus propalare, ueſtigijsq́ indicare, acieiq́ mẽtis offerre liceat. De aduẽtus Ieſu Chriſti neceſſitate & ratione ſi quid poterit haberi, quod non facilè iudicium rerum humanarũ non imperitũ concipiat & probet, faciam periculum: quamuis cum illis ſit mihi agendũ (intelligo Moſaicos & Mahumedicos) quos propria ipſorum legislatorum autoritate poſſim uincere. Animorũ immortalitas ſuo loco rationi conſentanea neceſſario argumento probabitur. Coronis erit, ut philoſophicis contra philoſophos argumentis agamus, atq́ totius præſentis uitæ cataſtrophen in animorũ immortalitatem, reſurrectionem, & uitam æternam, materiæq́ immutationem ducendam eſſe oſtendamus. Nam & maior Iudæorum pars hanc habet perſuaſam, & Muhamedici ſexcenties in ſuo Alcorano legũt, creduntq́. Vt aũt contra falſo philoſophiæ nomen præferentes armari undiq́ noſtra perſuaſio poſſit, ab ipſis mundi cauſis in primam ueniemus, mundumq́ & ex Deo ortum habere, & in eundem finem referri debere, demonſtrare, ſuadereq́ tẽtabimus. Cætera omnia quæ nõ uidẽtur prima fronte habere principia per ſe nota, atq́ ideò fidem ægrè merentur, inde primo libro tradituri. Secundo Muhamedis uita & perſuaſio Alcorani tradetur & excutietur, noſtriſq́ adhuc incognita ex illorũ literis uertentur. Et ne quicq́ huic argumento deſit, in quibus principijs tam legum prophanarum quàm ſacrarũ conueniant omnes homines, cuiuſcunq́ perſuaſionis, modo adultæ & excultæ, ut etiam in hac parte labefactata noſtris non defuiſſe uidear, tertio libro ſubiungam. Satis enim non eſt, uerum ipſum adſeruiſſe demonſtraſſeq́, niſi etiam ſi qua parte differat, explices, tuteris, ac ueluti in libertatẽ planè uindices atq́ adſeras. Quid autem de ſua perſuaſione Iudæi, quid Mauri Ethniciq́ ſentire debeant, quibusq́ rationibus in noſtrã tranſire, refutatis uanis ipſorũ opinionibus, & noſtris ſubſtitutis, ubi ex ipſorum placitis docuero, finem dicendi faciam, adnotatis, quæ in unaquaq́ perſuaſione ad rem faciunt, excuſſiſq́. Nunc uerò ſtrictim de ſumma rerũ, Deo ſcilicet, mundoq́ eſt in primis agendum.

DE MVNDO ET DEO. CAP. I.

IN dubium mihi reuocandum non cenſeo, ſit ne unus tantum mundum, an plures, quiſue præſtantior: cùm iam inter philoſophorũ principes, ueluti decretis omnium iudicio receptis ſit probatiſſimum, nec plures, nec diuerſos eſſe poſſe: tantũ abeſt, ut diuiſione ulla anteq́ definiã, mihi utendum eſſe iudicem.

Quamuis enim rationibus & demonſtrationibus mihi agendum ducam, tamen quia placita Ariſtotelis, Galeni, Abenreis, omnibus eſſe loco rationis iudico, illorũ autoritatem pro ratione haberi debere, ut nemini non probatã, certum eſt. Plures ergo mũdi à Democrito, ne nil uideretur præter cæteros ſapere, introducti, exploduntur his rationibus. Nam & in cauſa & in effectu ſequerentur abſurda: plures autores eſſe ſequeretur, pares aut impares. Si pares, ſuperfluos. Si diſſimiles, perpetua in lite: quod cauſę primę repugnat. In effectu uerò, ſeu in materia, nil ſuperius aut inferius uideretur, confuſe omnibus in quamcunq́ partem procumbentibus, eſſetq́ potius chaos quàm mundorum diſtinctio. His & multis alijs rationibus refutarunt inanium hominũ & ad nugas cõtentionesq́ natorum opinionem, ſummi philoſophi. Vnũ ergo eſſe mundum, eumq́ finitum ſi quis ambigat, inter ueri indagatores habendus non eſt. Ratio alia olim fuit de omni re ambigendi, duabus potiſſimum cauſis rerum obſcuri-

rate adacti ſunt priſci in dubiũ omnia uocare, non contentionis, ſed ueri ſtudio. Veritatis enim indicia, quamuis animis noſtris ueluti cognata natura fecerit: tamen ut in illius occupatione perpetuò retineremur, tam à rebus ipſis, quàm à noſtri ſenſus infirmitate difficultas oborta eſt. Et tam diu inter ſummos philoſophiæ proceres eſt agitata, quoad eatenus illam adipiſcerentur, quatenus noſtro iudicio poteſt cõcipi. Succeſſit obſcuritati & difficultati peruicacia quorundam hominum opinione gloriæ captorũ: qui dum ea recipere, quæ rationi ſunt obnoxia, nolunt, ſponte à ueritate reſiliunt, noua excogitant, obtrudunt, aſſerunt: tum ut propria inueniſſe, tum ne alienæ ſentẽtiæ ſubſcribere uideãtur. ea cauſa ueri tandiu perquirendi, opinionesq́ uarias ſectãdi fuit. Hic enim omnia poſſe ſciri affirmat, alius à rebus omnibus aſſenſum cohibet, dubia omnia tertius facit: nonnulli hominem exuere malunt, quàm manifeſta ſenſibus ita eſſe probare: quum tamen ipſi fateri cogantur, uel hoc ipſum ſcire ſe, quòd nil ſciant. Ea cauſa ueri tandiu latentis fuit. Quum ergo exibilata ſint ea placita uanitatis, fidemq́ ipſis ſenſibus & rationi ueluti mentis oculo habendam ſciamus, nil eſt quod opinione paucorũ rationem in ſe eſſe negantium, à ſtatis fixisq́ demonſtrationibus dimoueamur. Mũdus ergo eſt unus, finitus, undiq́ ornatiſſimus. Ornatum eſſe, etymon omnium gentium ſignificat, res ipſa aperit. Quodcunq́ uerò ornatum eſt, à cauſa pendeat, regatur, agiteturq́ neceſſe eſt: unde ſequitur finitum eſſe. Nam infinitum nulla potentia detineri poteſt. Mundum ergo eſſe aſſerimus, hoc naturæ templum, quod omnia quæcunq́ ſenſibus obnoxia ſunt, complectitur. Quòd alij uniuerſum, alij quicquid id eſt, appellant: uocabulis, non rebus differunt. Verum quum temeritas fortunæ (uolui dicere opinionis inſanæ fortunã excogitantis) rerũ corruptibilium continua mutatio, ueri ignorantia, & mentiendi libido, fortunam, caſum, ac neſcio quæ monſtra, in cauſis tantæ molis ponant, (quamuis nullus philoſophorũ id amittit) Deumq́ tam magni, & ſe reuera digni operis autorem, uerbis è ſuo cœlo quidam deijciant: mundum ipſum prouidentiæ arbitratu regi, paucis admodũ perſequendo docebimus: ſubiuncturi de æternitate, an ęternus in forma, formæ ue cauſa, an etiã in materia ſit futurus mundus, an uerò etiam utraq́ unà iuncta erit æterna natura. Si omniũ omnibus obiectionibus eſſet attendendũ & ſatisfaciendũ, plus in parergo, quàm in opere eſſet immorandũ. Relicta ergo quæſtione, an mundus ſit animatus, aut animal, an extra ſe cauſam habeat, (quę ſuo loco tractabuntur) ad demonſtrationes ex intima philoſophia petitas uenio: Deumq́ eſſe ita demonſtro: à ueri cõtemplatione & natura, à rerũ omniũ cõpoſitione, à motu, à re mota, ab ordine, à perfectione boni, à felicitate, & rerum omnium fine.

1 Eſſe uerum in rerum natura, & multiplex, id in confeſſo omnibus eſſe puto: eſt enim falſum, & falſo falſius. Verum illud eſt maximè, in quo perpendendo non hallucinatur ſenſus aut intellectus omnium, ſed potiſſimũ ſapientum, cuiusq́ ipſa aſſertio maximè fidem facit, eo quod maximè ita eſt: uerbi gratia, Qui dicit lucem eſſe in ſublucidis tenebris, uerũ attingit aliquatenus: paulò magis, maiori lumine maius aſſerens: uerius, qui lumen lunę: ſolis demũ lumen (quod ad oculorũ ſenſum attinet) ſi dicat ueriſſimum, procul dubio nõ errabit. Vnde nobis apparet, quod eſt maximè & perfectiſſimè ens, & in quo falli non poteſt iudicium, id eſſe ueriſſimũ. Sunt itaq́ parum uera, quę uulgò putantur maximè eſſe. Quæ craſſa ſunt, tantũ ſunt, feculentaq́: digniora ſunt & ueriora, quæ ſunt & uiuunt: magis digna, quæ etiam ſenſum & uitam habent: longè ueriora, quibus accedit intellectus, materiei infuſus: ueriſſima, quæ expertia corporis: intellectu ſolo ualent uigentq́, inter quæ illud digniſſimũ eſt & ueriſſimum, cuius

animus

animus omnia percurrit. Eſt ergo Deus ipſe ueritas, & ueri totius ſcopus, tanto uerior, quanto magis per ſe ſubſiſtit. Hæc enim inferiora quũ à ſe nõ ſint, à principio longè ueriſſimo pendêre certũ eſt. Nam baſis omniũ, eſſe ſcilicet, in cauſa perfectiſſimæ perfectionis eſt, totius materiei expers. Ideo ueritas illa ſumma, non per ſenſum, ut cætera, uerũ per priuationẽ, & cæterarum rerũ remotionem adpetitur, magis quàm attingitur, quem reuera eſſe (& ſi ex effectibus tantum) cognoſcimus. Animi enim noſtri natura id maximè indicat, dum nunquam à cõtemplatione, & ueri adpetentia ceſſat, quamuis ſenſibus obnoxia omnia eatenus ceperit, quatenus capi poſſunt. Natura enim Deusq; ipſe naturæ parens, nunquam animũ ulterius progrediendi tam auidum creaſſet, niſi illi eſſet poſitus finis, in quo quieſceret: quiq; immenſitate & gloria ſciendi, illã cupidinem exſatiaret. Videmus enim cæteris in rebus, quarum obiectu aut intrinſecus aut extrinſecus mouemur ad cupiendum, nos tunc deſiderio modum ponere, quũ ſumus eas conſequuti. Itaq; Deus eſt ueriſſima perfectiſſimaq; omnium cauſa, à qua omnia, per quam omnia conſiſtunt, ad quam demum omnia mediatè uel immediatè tendunt, ut in quietem felicitatemq;.

2 Rerum etiam omnium perfectio cõpoſitioq; arguit eſſe mentem omnium ornatricẽ. Quũ enim omnia materia & forma conſtent, materiaq; informis per ſe formæ accedere non poſſit, & non ſubſiſtat, nexum aliunde pendêre certum eſt. Cœleſtia enim etiamſi carerent motu, tamen & materia conſtant, quinti & per priuationem cogniti elementi, & forma quę uidetur. Quis uerò iſta humentia ſiccis, calida humidis omnino componi credat, niſi ſumma quadam & præpotente cauſa in unũ coaleſcant, atq; eatenus durent, quatenus nexum illum à ſpiritu omnia penetrante conceptũ ſeruant? Deus itaq; ubiq; eſt. Ea ſanè cauſa fuit, ut quidam philoſophi animatũ dixerint mundum, Deumq; animã mundi uocauerint, & loco cõpræhenſam infinitã potentiam uoluerint, ad quorũ opinionem refellendã, (ſi loco circunſcriptũ Deum capiunt) nil aliud adferam, q̃ quod ſequeretur: ſcilicet æterna omnia futura, ſi intra ſubſtãtię diuinitatis ulnas caperentur. Omnia enim ſibi aſſimilat intellectus: qui quum ſit ſubſtantia æterna, omnia æternum animaret. Quamuis ergo ſit ſummè potens, omniaq; penetrans, potiſſimum tamen lationibus corporum ſuperiorum per ordinem in inferiora iſta agit, à materia ſemotiſſimus.

3 Nullum puto tam ſtupidum aut peruicacem, ut more quorundã antiquorum, ambigat de motu mundi, negetq; quicq; moueri: quùm ſenſu ipſo oculorum & experimento pateat contrarium. Quicquid aũt mouetur, ab aliquo mouetur, ſiue de generatione ad corruptionem, ſiue ediuerſo, ſeu in quamuis partem, aut diſpoſitionem, nam multiplex eſt motus. Motus uerò ut genere conuenit, eſt ſecundum locum uel affectum, mutatio ſucceſſiua. Aut ut breuius, eſt actio motoris in moto. Ariſtot. Phyſ. 3. Quæcunq; ſunt in rerum natura, motu quodã actu uel potentia conſtante, moueri conſtat. Nam grauia & leuia, quamuis in loco ſuæ quietis ſunt quieta, id tamen eſt ſecundum magis & minus: nataq; ſunt, quandiu abſunt à uero conſiſtendi puncto, eò tendere. Ea aũt quibus ineſt etiam uita, à uitali principio motum capere certum eſt. Aliundè uero moueri, quicquid mouetur, conſtat. Nam alioqui, ſi ſeipſum quicquam moueret, partim quieſceret, partim moueretur: tunc totũ ipſum, cuius quędam pars quieſcit, non ratione ſui, ſed ratione partis, nec totũ moueri poſſet: & ſi pars illa mouens quieſceret, totũ quieſceret. Cuius aũt quies ad quietẽ alterius contingit, & motum etiam inde ſequi oportet. Ergo nil à ſe, ſed aliundè mouetur. Entia ſimpliciter aptitudine à primo motore procedente mouentur, animata ab anima,

animæ à ſumma quadã mente. Nam niſi motus in aliquo cõſtanti, perpetuò immobili ſiſterentur, indeq́; principiũ facerent, omnia in infinitũ procedere opus eſſet. Vnde multa inconuenientia ſequerentur. Omne enim quod mouetur, ſit diuiſibile oportet. Et omne diuiſibile, finitum, & finitũ tempore finito moueretur & moueret. Ergo infinita illa mouentia & mota mouerentur tempore finito, ut unumquodq́; certo tempore: quod eſt impoſſibile. Ergo eſt quidã primus motor, qui & Deus eſt, quem Græci, quòd eius actus in ſe conſtante principio per omnia currat, motum largiatur, θεὸν nuncupãt. Ita enim uocant ἐκ τοῦ διὰ πάντα θεῖν, ab æterno curſu. Eſſe impoſſibile motores procedere in infinitũ, hac etiam ratione patet. Nam inter illos nil eſſet primum mouens. At ubi non eſt aliquod primum mouens, nõ eſt motus: ergo nil moueretur. Opus eſt ergo, cùm motus ſit, unum eſſe primum motorem. Deus igitur eſt.

4 Demonſtratio etiã à rebus motis ita fit. Quod more inſtrumenti moueri natum eſt, à primaria præcipuaq́; cauſa moueri opus eſt. Idq́; mutuò aliquatenus fieri, donec ad aliquod primum pertingamus: qui primus motor eſt. Nam alioqui inconuenientia prima ſequerentur. Res corruptibiles agunt ui cœli: cœlum ui primi impulſoris: qui ipſe Deus eſt.

5 Argumento eſt peritiæ artificis opus ipſum. Quamuis enim leui quodã indicio res ipſæ autorẽ & cauſam demonſtrant, tamen cõparatione effectorum omnium facile uter fuerit præſtantior, iudicare poſſumus. Qui enim domũ abſolutam omnibus numeris condiderit, certè maior iudicari debet, quàm qui mapalia erexerit, cauernas effoderit, caſas ue cõſtruxerit. Nam qui quod maius eſt peragit, ei licet & quod minus eſt exequi: at nõ e diuerſo. Quo igitur maior & cõſtantior ordo in rebus uidetur, eo peritior artifex cenſendus eſt. Atqui mundo ornatius, maiori ordine cõſtantioriq́; nil reperire licet. Habet ergo mundus prudentiſſimã ſapientiſſimamq́; cauſam Deum. At quũ de ordine & cõſtantia ago, & omnia agere ordinatiſſimè ſuadeo, ſtatim oborientur, qui fortunam, qui caſum, qui temeritatem loco fati rebus humanis præeſſe aſſerant. Quibus tanto ægrius medeare, quanto difficilius morbũ ſuum ipſiusq́; cauſam ſunt agnituri. Quamuis tamen animi morbo magis ꝗ ulla rerũ natura ad eas obiectiones moueri ſciam, cõtendendiq́; et repugnandi libidine potius quàm ueri amore actos perſuaſum habeã, conandũ nihilominus eſt, ut contra illorũ rationes paucis agamus: non quo reſipiſcant ipſi qui ſibi ita perſuaſum uolunt, ſed ne illorũ uirus in plures ſerpat, eorũ dicta refellenda ſunt. Ex Peripateticorũ ſententia cauſarũ genus eſt multiplex. Quædã enim propinquæ ſunt, quędã remotæ: patẽtes alię, aliæ occultæ: antecedentes aliæ, aliæ cõſequentes. De quibus potiſſimũ nobis hic agendum eſt. Nam de uniuerſo genere cauſarum agere, eſſet alterũ opus. In toto ergo cauſarũ numero quatuor eſſe receptum eſt, quibus nulla res naturalis poteſt deſtitui. Nil enim quod ſub ſenſum cadat, ſui ipſius cauſa eſſe poteſt. Eſt ergo cauſa primaria, quæ efficiens uocatur, primo in loco. Materia quadã cõſtare omnia quũ ſit in confeſſo, cauſam materialem in ſecũdo loco ponemus. Tertia erit, quæ à forma nomen habet. Finis uerò gratia agere omnia certũ eſt. Nam fruſtra cætera omnia adeſſent, niſi cuiuſdã uſus gratia fierent omnia. Exẽpli gratia: Aedes anteꝗ fiant, oportet præexiſtere fabros & architectos non ineptos, qui rem animo cõcipiant, anteꝗ fiat. Si deſint facultates, ſaxa, cæmenta, trabes, & cętera, nil fit. Opus uerò ipſum diſtingui abs quouis alio uſuiq́; aptari poteſt: fruſtra aũt cætera adſunt, niſi finis cuiuſdam utilitatis cauſa. Duæ mediæ cauſæ ſunt, propinquę & coniunctæ. Extremæ ſeparatæ ſunt, & ab animo artificis aut domini profectæ. Quo ex loco neceſſariò patet, omnia cauſa primi autoris, & eius

eius cuius eſt res,fieri. Autoris enim gratia fieri ea quę fiunt, certũ eſt. Sunt qui-
dem non raro plures cauſæ antecedentes ante artificioſam ſeu efficientẽ:uerum
una ſumma eſt neceſſariò, cuius gratia finis eſt. Itaq; uidemus ea quæ ſubſunt
ſenſibus,materia & forma conſtare,ut elementa,quę iam ab aliqua cauſa neceſ-
ſariò coaluiſſe, eſſeq; gratia eorũ qua cõpoſita inde ſunt,cõſtat. Nam ex elemen
tis omnia mutationi obnoxia nata ſunt,eoq; redeunt. Inde cõpoſita uita eſt;ſen
ſu deſtituta in uſum uiuentiũ tendũt:uiuentia in uſum intelligentiũ:intelligen-
tia ipſa neceſſariò in ſuũ uſum,felicitatemq;, & cauſæ primæ honorẽ. Quæ dum
ipſa per ſe beata & felix nullius indiga ad ſe trahit, tunc felicitatẽ & ſummũ ſco-
pum illis donat. Eſt enim ſubſtantijs ſeparatis ſcopus in primæ cauſæ cõtempla
tione:nõ ſecus atq; domui & cęteris rebus,in uſu domini ſui. Si aũt eſſent felici-
tatis ullius capacia inſenſibilia, tunc demũ ſummo gaudio in ſummo fine poſita
fruerentur. In his itaq; cauſis nondum eſt ulla fortuna,ullá ue temeritas. Totus
igitur naturæ ordo illis maximè caret. At in cauſis,fatum,fortunã,caſum poſuit
antiquitas. Poſuit certè,ſed in quibus uidere licet fatũ ipſum, quod ij εἱμαρμένην,
alij εἱρμὸν dixere: quodq; nil aliud eſt quàm æternus ille & ſemel pręſcriptus re-
rum ordo,de quo diximus. cuius & ſi cauſas non uidemus, nihilominus tamen
ob noſtrã ignorationẽ non minus eſt in ordine. Noſtra enim cognitio ad ueri-
tatem cauſarũ ſe habet nõ ſecus,atq; noctuæ oculi ad ſolem. Notiſſima enim na-
turæ ſunt nobis obſcuriſſima, & ediuerſo. De fortuna & caſu dicendũ ſupereſt.
Hoc quidẽ cõmune habent caſus & fortuna, quòd propriè dicuntur cõtingere
in his,quæ non ſecundũ uoluntatẽ ſunt, effectumq; diuerſum à ſcopo agẽtis ex
deliberatione faciunt. Itaq; raro & per accidens fiunt. Differũt uerò,quòd caſus
aliunde,fortuna ab agente ſit. Verbi gratia:adeo urbẽ:cõtigit caſu lateris,ut læ-
dar,ac ſcopo diſtrahar: aut ut ipſe mihi deſim,negligẽtia. primũ accidẽs à caſu,
ſecundum à fortuna eſt. Ideo meritò locũ poſuit,huic fortunę monſtro Philoſo-
phus,in anima,id eſt in opinione: dixitq; eſſe qualitatẽ uitæ nobilis. neq; enim
ſolet eſſe in ordine naturæ. At quia crebro in his rebus accidit quæ ab humano
pendent arbitrio, atq; ob oculos eorũ hominũ uerſatur qui raro aut nunq; pri-
mam certamq; cauſam perpendunt: ideò hanc ob oculos perpetuò ſibi propo-
nunt,quamuis longiſſimè abſit. Ideò à fortuna mundũ regi, ſumma impietate
aſſeuerare nõ dubitant. Meditantur reges regna,opes,uictorias,gloriã,fumos,
famã:dant operã quibuſuis artibus,ut quę cupiũt,aſſequi poſſint:& ueluti eorũ
uoluntas & arbitriũ leges rebus imponat,ſtatim niſi ex libidine ſuccedãt, fato,
fortunæ, caſui,omnia adſcribere nõ uerẽtur. Dumq; ſua ſomnia ſectãtur, ſe ſuis
legibus infelices cõſtituũt,& prouidentiã deturbare ſtatuũt. Meditatur aliquis,
ſibiq; fingit ob merita, ſacerdotia, dignitates,præmia:in quibus ſi anteuertitur
abs quouis,ſtatim audias,Nõ eſt deus,fortuna dominatur. Perinde atq; ſi ex an-
teuerſa libidine deterrimi nebulonis tota rerum natura mutetur,ea una iniuria,
quòd nemo cupiditati modum ponat. Hoc eſt in cauſa,ut nil aliud ab impijs au-
dias. Omnia à caſu & fortuna pendẽt. O cæcitatẽ nõ ferẽdã. Atqui ex dicẽtibus
(nã ita uocãt philoſophi homines ex fide prouidentiã credẽtes)hæc habetur au-
toritas. Nã in Solomone (aiũt) ueteris teſtamẽti cultore,hæc habetur ſententia:
Eſtq; caſus unus omnibus (alij euentum, alij occurſum uertũt:) ergo nõ eſt im-
probãda ſententia eorũ. Perpendant in eo loco,de qua re agat,quid cõſequens,
quid pręcedẽs,quis cõtextus:patebit,illũ nõ adſcribere caſui omnia corruptibi-
lia,ſed fato,& finiẽdi legibus,à quibus nec opes,nec robur,nec ſapiẽtia eximũt.
Ergo locus ille nil facit pro impijs,qui prurientes auribus omnia detorquẽt in
ſuam ſententiam. Vt nephandiſſimus ille nebulo P. Pomponatius in gratiã cu-

iuſdam ſummi Pontificis detorſerat autoritates ex Ariſtotele, Galeno, & Aben reiſſo, ut mortales animos probaret. proh ſecula. Verũ ad cætera ueniendũ eſt.

6 Eſſe bonũ & malum in natura, illud ueluti habitũ, hoc ueluti priuationem boni, & annihilationem, doctorum nemo in dubium uocat. Eſt autem tam magna differentia bonorũ, non quidem per ſe, ſed augmento & diminutione, ut ſint captu impoſſibilia, niſi per genera diuidas, & perpendas. In triplici differentia ſunt partiri ſolita. Aut enim ad animũ, eiuſq; felicitatem, aut ad corporis uſum ſpectant, aut partim: quæ quidẽ externa uocantur, & fortunæ. Nam quãuis res externæ nil ad animorũ perfectionem pertinent, tamen dum falſis imaginibus gloriæ & ambitionis mens ducitur, obſequiturq; corpori, inſtrumenta à rebus externis quærit, arundiniq;, ut ſic dicam, innititur. Bona cuiuſcunq; generis ſint, per magis & minus, ut Græci dicunt, quũ differant, certũ eſt eſſe mediocria, infima, ſumma. De rebus corpori & opinioni adminicula præſtãtibus, quas externa & fortunæ bona uocant, quia nullus adhuc in illis potuit reperiri ſcopus & modus, qui explere ullius ſatietatem atq; habendi libidinem poſſet, quamuis ex eo potiſſimũ pateat ignorantia cauſæ, à qua proficiſcuntur: tamen ideo nõ loquor, quòd nullus poſſit, dum iſta ſectatur, in uerorũ bonorũ cauſam contendere. Nebulo ille euerſor Aſiæ, Dei flagellum Alexander, eò cupiditatis agebatur, ut nondum deuicta & ſpoliata orbis uiceſima parte, iam meditaretur alios mundos ſibi ſubiugandos. Quo quidem iniquiſſimo exemplo tamen diſcimus id eſſe præſtantiſſimũ, quod eſt in ſumma potentia unitiſſimũ: indeq; ſi affectibus ſuis quis imperauerit primũ, eo præſtantiorem futurũ, quo pluribus imperat, & iura dicit. Porrò in animi bonis, ex æterna ſit rerũ illarũ quas contẽplatione acquirimus, ſentimus, aliquid eſſe ſummũ neceſſariò, in quo animo ſit conſiſtendum. Nam igniculos illos nunquã natura omnibus dediſſet, niſi eſſet quo poſſent ſatiari. Eſt aũt hoc neceſſarium intellectui, non ſecus atq; corpori cibus. Ideò nos elementis illectos ad utramq; partem rapit natura: partim ne corpus ipſum periclitetur, quod ideò undiq; deſtitutũ dedit: partim ut animus ad ueri & ſummi boni contendens cognitionẽ, ſaltem priuatione ſummũ bonum eſſe cognoſceret. Si ergo bonũ eſt, & bono maius, uerumq;, & uerò uerius, ne in infinitum procedatur (à quo niſi in prima cauſa exhorret natura) certũ eſt, unũ eſſe boni fontem, ubi illæ perfectiones, quibus animus corpuſq; ornantur, ſunt abſolutiſſimæ, & omnino materiei expertes. Eſt ergo Deus apex boni totius. nam alioqui nec finis, nec perfectio ulla in rerum natura eſſet: quod contra aſſenſum pugnat.

7 Felicitatis uerò conſideratio præcedens argumentum confirmat. Nam dum alius felicitatem in corpore ponit, quo maiore fruitur, eo maiori uoluptate eum perfundi (quamuis umbram & falſa ſectetur) certum eſt, eſſeq; quandam omnium præſtantiſſimam, qua nulla maior ſentiri poteſt. Qui ſummum bonum in contemplatione ueri ponit, eodem affectu duci certum eſt, dum quæ ſequitur, quo magis aſſequitur, minus ſibi ſatisfacit, maioriq; interim & uoluptate & deſiderio fruitur. Quod manifeſtum facit, eſſe aliquid ſummũ, ad quod aſpirare animo, nõ in hac uita pertingere poſſumus. Idem uix poteſt cõtingere ei qui uoluptatibus corporis fruitur, inq; illis felicitatẽ ponit. Nam præterquã quòd uoluptates corporis uires animi eneruant & effeminant, à uerìq; contemplatione abducũt, id mali ſecũ adferunt, quod tædio etiã amareſcere ſolent, niſi illas cõmendet rarior uſus. Atq; ex eo patet, quòd ſit maximè proprium animi cõtemplari & uerũ uenari. Eam ob rem magis in dies atq; magis ab eo rapitur, poſtq; ad uiuũ guſtauit, cõtendens interim in ſuũ finem, ſummã ſcilicet felicitatem,

tem, Deumq́; benedictum. Quamuis ſequentia argumenta ex ui & illatione ſuperiorum dependent, tamen quia cardo rerum uertitur in hoc argumēto, quod nobis eſt cæterorum baſis, confirmandi magis ueri gratia, etiam illud addam.

8 Mundus aut à ſe, aut ab arte, aut à fortuna, aut à prouidentia factus eſt. A ſe nequit, quum nil ſeipſum creet. Arte nō poteſt, quoniam eſſet ſumenda (etiam ſi ars id poſſet) ex eo materia, & ſic ſemper aliqua parte infectus eſſet. Fortuna illic nil poteſt, quia nil ordine aut conſtanter agit. Atqui omnia ordinata & conſtantia in ſuis ſpeciebus & naturis uelint nolint, ſunt. Ideo fato mundus regi dictus, quod prouidentiæ imperio neceſſariò pareat, nec à genere aut ſpecie diſcedere poſſit. Autor ergo mundi Deus eſt, ſuo fato, id eſt imperio, omnia creans, alens, abſumi & perire permittens.

9 Ab omnium gentium conſenſu. Quicquid in omnibus eiuſdem ſpeciei à natura inditum eſt, id falſum aut fruſtra perſuaſum eſſe non poteſt. Atqui nulla gens eſt, quæ & ſi qualem habere Deum debeat, ignoret, tamen Deum eſſe credendum, non ſentiat. Ergo quod omnibus naturaliter eſt aliquatenus ſuaſum, uerum eſt. Deus ergo eſt.

10 Iudicium & intellectus eſt examen ueri cognoſcēdi: quo qui magis pollet, eo ueriora cenſet, & aſſerit. Atqui non tantum uulgares, quibus etiam perſuaſio poſſet imponere, eſſe Deum putant, ſed philoſophorum præſtantiſſimi affirmant demonſtrationibus, igitur eſt.

11 Autoritas & legum ueneranda maieſtas antiquitatis decretis probat. Ad hæc hiſtoriæ, quæ plurimorum & bonorum teſtimonio narratæ aut ſcriptæ ſunt, idem docent.

12 Pręterea experimenta quotidiana non debent reijci: alioqui nil ratum aut ſanctum inter nos eſſet. Atqui legibus, hiſtorijs, experimentis, conſtat, eſſe ſubſtantias ſeparatas: quod & Peripatetici affirmare audēt. Quòd ſi ſunt, eſt ſumma quædã, quę multitudini præeſt. Deus ergo eſt, ſub quo angeli & dęmones ſunt, & tremiſcunt, parentq́;. Supereſt nobis his demonſtrationibus colophon imponendus, argumentum ſcilicet certiſſimum, & ſenſibili demonſtratione nitens.

13 Quamuis omnia præcedentia ſint neceſſaria, tamen quia ui animi magis q̃ ſenſuum iſtorum facultate innoteſcunt, non poſſunt ita ſuaderi reluctantibus, & illis tantum aſſentientibus quæ ſub ſenſum cadunt. Verum niſi mathematũ, id eſt primorũ demonſtrandi principiorum erũt periti lectores, etiam iſta non capient. Conſtat ex per ſe notis principijs, & nullius ſenſum fugientibus, duas rectas lineas non claudere ſuperficiem. antequam ergo claudatur, opus eſt, ut minimum, tres rectas concurrere ad primæ figuræ & ex rectis lineis conſtantis formationem: qui ideò triangulus dicitur. Ex una quidem in orbem ducta, aut quouis modo, præterquam in rectum protracta, ſurgunt figuræ: ita etiam ex duabus, ſed præter circulum, non dicitur regularis, quòd regulis careat. Ab huiuſmodi triangulo, ſeu iſopleuro, ſeu iſoſcele, produci quinq; corpora regularia, manifeſtum eſt non experti geometricæ demonſtrationis. Hæc ergo corpora, quæ ipſa ſub ſenſum cadunt, à proprietate quadam perſimili, quinq; elementis comparauit antiquitas. Nec erat quod ob ea dogmata Pythagoram imperitię damnaret Ariſtoteles, iniquior alieni laboris iudex: quaſi elementorum formas eſſe perſimiles uellet formę horum corporum. Non erat tam ineptus, ut illam elementorũ formam rotundam, uellet angulari & polygoniæ adſcribere, qui rerum naturæ, ut ſuo ſeculo, ueritate adhuc in Græcia latente, fuit peritiſſimus. Sibi certè potius adſcribere debebat, quod præclara dogmata capere non poſſet, niſi aliunde excerpta limaret: quod ipſum in ſua τυμπανοειδῆ terra monſtrat,

ſtrat, ubi de uentis agit. Vt ergo ipſo ſenſu quatuor in per ſe corruptibili materia elementa comperimus, ignem, terram, aërem, aquam: & quintum, ex quo cœlorum & aſtrorum natura conſtat, & (ut uult ipſe philoſophorũ deus Ariſtoteles) etiam animorum origo hinc deciſa eſt: præter quæ quinqꝫ corpora in rerum natura nil reperire licet, quod ſenſibus ſe offerat, niſi ab illorum compoſitione. ita ſiue mathematicus, ſiue quiuis alius, etiam ſi totũ orbem terræ proſcinderet, dolando expoliret, omnia metalla, & liquabilia, millies effingere in alias formas regulares, & iiſdem partibus conſtantes conaretur: tamen præter quinqꝫ illa corpora regularia, nil poſſet omnino regulare formare. Vnde conſtat, planè affinitatem eſſe formæ inter hæc prima principia, quemadmodum & numeri. Ideo meritò hæc corpora ex triangulo producta quinqꝫ elementis comparauit antiquitas. Quod quum cogito, certè & ſi multa admodum per ſe poſſe humanum intellectum non ignoro, tamen non poſſum credere, qui diuinitus iſta acceperit, quiſquis primus poſteris tradidit: aut quin decies ut minimum, noſtram uiuendi periodum, etiam cogitando, & aſſiduè formas effingendo ſuperauerit, eo potiſſimum argumento, quòd ſi uelis diuerſam unam mixtarum baſium, cuiqꝫ peritiſſimo artifici præſcribere, ne decennio quidem toto fecerit periculum unius, quod ipſum in experimentis eſt. Nam multi artifices id aggredi auſi, re diutiſſimè tentata, tandem reſipiſcendo, & uerum et temeritatẽ agnouere. Nunc uerò quàm bene rebus comparatis conueniant, eſt attentiſſimè perpendendum. Vt ergo eſt omnium ſuperficierum regularium minima triangulus, ita & minimum omnium corporum regularium eſt tetraëdron, id eſt quatuor baſium, triangulis iſopleuris cõſurgens. Nec poteſt fieri ulla ratione, ut in eo admittas aliam ſuperficiem. Nam ſi accedat cum triangulis quadratum, iam erit pentaëdron: ſi pentagonum, fiet heptaëdron: ſi duo quadrata, tertium accedat neceſſe eſt, cum duobus triangulis, fiatqꝫ pentaëdron: ita minus corpus regulare non poteſt dari. eam ob rem antiqui comparauerunt igni, qui inter elementa eſt tenuiſſimus: & niſi adſit materia, in qua alatur aut ſeruetur, ſenſum effugiens. Quamuis quum agit in materia, etiam flammæ non male in acutum, à latiori tendendo, tetraëdri repręſententpyramidem. Verum pręcipuè conſideratio eſt circa baſes attendẽda. Quia terra ipſa cõuenit qualitate ſicca cum igne, ideo ſecundo loco poſuere eius ſymbolum ἑξάεδρον, quod ſit omnium figurarũ conſtantiſſima, & baſis, ut eſt ipſe cubus, teſſerá ue ſex latera habens: quorum in quoduis incumbens ſtat immotus. Id melius nouêre aleatores. Quadratũ uerò ex triangulis duobus oppoſitis, iſoſcelibus, aut æquicruris conſtare, non eſt in dubio. Terræ ergo omnium elementorum baſi, cõuenit figura conſtantiſſima, non figuræ, ſed proprietatis gratia. Octaëdron aëri ideò comparatur, quòd iam ſit ad motum longè procliuior ipſa terra, longè tamen ad caloris actionem ipſo igne hebetior. Aquam repręſentabant ideò εἰκοσαέδρῳ, quòd eſſet motui quidem apta, uerum hebete admodum actione. Nam quamuis ſit fons humiditatis, tamen eſt ipſe longè potentia humidior. Illa enim niſi admoueatur, aut reſoluatur ui aëris & ignis, nil planè actionis habet: loco itaque circunſcribi facilius aqua ſolet. Aër ipſe penetrat omnia, & humectat etiam ſaxa & metalla, quod in reſudatione: & rerum adſtrictione reſoluta patet. nam ſtillæ à ſolidis politiſqꝫ fluunt corporibus. Poſt ingentia enim frigora reſoluente ſe humido ui caloris, ipſa ſaxa, & columnæ æreæ reſudare ſolent: non aquam quidem, quæ admitti in ſolidis corporibus non potuit, ſed aërem, qui ſua tenuitate ſe corporibus immiſcuit, & in aquam redit. Hoc conuenit cum tribus ſuperioribus, quod figuræ illis aptatæ ſurgunt immediatè ex triangulis,

ob

ob actionis & paſſionis maiorem celeritatem, terra mediatè. Nam quadratum ex duobus oppoſitis iſoſcelibus, ut dictum eſt, conſtat: terra uerò ſex quadratis. At quemadmodum ex hypotheſi quinq; ſunt tantum corpora regularia, ita ad eorum formationem ultra pentagonum progredi nõ licet. Pentagonis itaq; duodecim corpus duodecim baſium componitur, quod dodecaëdron nominant, cœloq; ideò aptant, quòd quemadmodũ: 360 gradibus ambitus cœli conſtat, ita duodecim pentagonis conſtans eundem numerum reddit. Etenim ſinguli pentagoni quinq; triangulis, quorũ item ſinguli ſex ſcalenis conſtant, qui numerus in ſe ductus procreat gradus maximi circuli 360. Qua re credo factum eſt, ut ille numerus graduum, quamuis à Chaldæis & diuinis potius (quicunq; fuerint) quàm humanis repertus ſit, in toto orbe terrarum locum habuerit: Quamuis enim annorum uaria fuit ſupputatio, tamen ex eo graduum numero ſeruari annũ oportuit. Iam ergo uiſum eſt, quatuor elementa, & entelechiam omnino quadrare cum quinq; corporibus regularibus. Supereſt figurarum omnium capacitate, forma, & motu facile princeps, omnia iſta in ſe complexa: quæ etſi non uidetur oculis, tamen quia præter illas eſt in rerum natura, ſuum etiam neceſſariò habet archetypum, & imaginem, cum qua conuenire in multis, ſi non in omnibus debeat, quæq; ipſa Deus eſt, per omnia quantum fieri poteſt circulo cõueniens. Nam circulus moueri unà natus eſt ſurſum & deorſum: progreditur antè & retrò unica actione, atq; quæcunq; ſunt in alijs rebus, & formis, una repugnantia (ut motus & quies, & ut ſemel dicam omnia) comprehendit, quæ habitu, & non priuatione conſtant. Vbiq; habet principium, medium, finem: nec habet principium, mediũ, aut finem. Nil illi poteſt ſine corruptione addi uel adimi, ut cæteris formis. Ab alijs uerò potiſſimũ differt corporibus regularibus, quòd menſura certa, quanta ſint, comprehendi poteſt, adq; quadraturam, qua omnia metiri poſſunt, reducuntur. Circuli autem quadratura erit perpetuò in potentia ſcibilis, nec præciſe ab ullo metiri poteſt. Itaq; elementa ipſa, & cœleſtes orbes ad digitos uenêre, præter lineam à centro: Dei uerò immenſi nulla cogitatio modum capere unquam poterit, quoniam finiti ad infinitum non eſt proportio. Ideo aũt imperfecta alia omnia dici poſſunt, quòd manente appellatione, poſſit eis addi uel minui. Circulo nil poſſis adimere, adiungere ue, quin euertas. Itaq; maximè ſecundum unitatem eſt circulus ille primus, perfectus, & materię minimè obnoxius, quum etiam Aben reis maximus ueri ſecundum intellectum indagator, dicat orbis ſubſtantiam nec materiam nec formam habere: quod quàm uerum ſit, uiderit. De illis enim quæ per priuationẽ cognoſcimus, ut ſunt cœleſtia omnia, & cauſa prima, nil poſſumus aſſerere, niſi ab effectis. Fuiſſet certè Aben reis longè præſtantiſſimus mortalium, ſi tantum operæ ad probandam cauſam primam, & perſuaſionem de Deo toto in orbe receptam uoluiſſet impendere, quantum ad eam è mentibus hominum euellendam laborauit. Fuit in cauſa abſurdiſſima de Deo perſuaſio, quam reliquit ſcriptam Muhamedes (ut ſuo loco patebit) qua à pueris imbutus & diligenter inſtructus, ut par eſt uirum principem, qualis fuit: quum ad ueri uenit cognitionem, non per legis ineptæ & nefariæ pręſcripta, ſed rationis ductu: tanto flagrauit contra illam ineptiam & impoſturam incendio, ut non tantum contra eam ſub qua miſer fuerat diutius captiuus, & ignorãtiæ tenebris ſepultus, ut nõ tantum, inquam, cõtra eam religionem arma ſumpſerit, ſed omnes euertere ſit conatus, atq; fatum quoddam, & Deum impotentiſſimum, id eſt, libertate arbitrij deſtitutum orbi conatus ſit obtrudere: ea una re, quòd uideret multos eius perſuaſionis placita probantes, præcipueq; Gezelem quendam contra philoſo

phiæ

phiæ placita inſurgere, & abſurdam de Deo ſuaſionem uelle mundo ſuadere. His miſeris hominum opinionibus ſuos affectus potius quàm uerum quærentium, labefactatus mũdus eſt, ab oculis ſublata ueritas. Deus ergo ille, Deus eſt ſuper omnia benedictus, cuius imaginẽ uidemus in ſexto corpore alia quinq; cõprehendente, ſingulaq; angulis attingente, atq; tegente, aut medias omnium lineas (ſi quadruplo illo potentiora & maiora fieri poſſent) contingente, à materia tantum diſtans, quantum lux à tenebris. Nam ſi cœlum ipſum & dodecaẽdron conueniens cœlo caret materia, uide quàm longè ab ea diſtet ſuprema omnium cauſa. De qua plura longè dicerem, & ab exemplo eius, ſi non ſatis eius admiratio pateret, & eius natura omnino fugeret huius debilis intellectus aciẽ, niſi quũ priuatiuè illam his uocibus aggreditur: O ſacroſancta ſapientia, quam per meam inſipientiam & rerum iſtarum cognitionẽ maximè quæro, & ignoro: O immenſa bonitas, quam quo magis quæro, eo minus illius ſum capax. Sed eo fœlicior, quòd iſtâ ignorantiâ, ſaltem ad mortem & operis huius uitæ finem, te ſim quæſiturus: non ſecus atq; ſculptor, quam cõcœpit animo ſpeciem, per remotionem omnium quæ ſunt in lapide, ligno, uel quauis materia, quæq; non ſunt id quod quærit, & tandẽ in fine laboris inuenit quod quærebat, imaginem ſcilicet: ita ad finem uſque humanæ uitæ eſt ſummopere conandum, ut quod ab effectibus maximè eſſe ſcimus, id tanto ardentius ſequamur, quanto minus apprehendimus.

DE DEI QVALITATIBVS. CAP. II.

ANtequàm ad ſacroſanctæ Trinitatis rationes ueniamus, deſcriptio quædam umbratilis boni eius, quod procedentibus argumentis demonſtrauimus ita in rerum natura ſubſiſtere, ut cognoſcatur apex, finis & principium rerum omnium, eſt paucis facienda. Quum Deus ergo ſit principium rerum omnium, & earundem finis, ut patuit, patebitq; neceſſariò, eius eſſe, & eſſentia idem eſt. Neq; enim eſt unquam in potentia, ſed perennis eſt actus, quæcunq; uirtutis, iuſtitiæ, & cuiuſcunq; bonitatis inſtrumenta homini data, quotquot à ſenſibus humanis ſuauiter excipiuntur, etiam quæcunq; natura illectamenta & corpori & animæ obtulit, ea omnia habere in ſeipſa originem par eſt: non quidem ut affectiones & mutationes, paſſiones ue, qualia ſolent in corporibus eſſe, ſed ut ſunt ſimpliciſſimæ habitudines, ita illi innatæ, ut ſimpliciſſima illa natura, tamen nil extra ſe inde habeat, ſed congenita ſint, ita ut ſeorſim eſſe non poſſint. Nam nec alioqui hic quidquam eſſet iuſtum, laudabile, honeſtum, bonum (quamuis ſint animæ qualitates accedentes) niſi radix inde proueniret, qualitatis tamen expers: non ſecus atq; omnis motus periclitaretur neceſſariò, ſi motor ille primus immotus in ſe permanens, actu æterno non daret principium. & quamuis nil aliud extra ſe uelit, & agere contra quàm agit, non poſſit, quum eius uoluntatis nil poſſit eſſe in cauſa, tamen deſtitui libero arbitrio non debet. Siquidem libertas arbitrij quum ſit ſui cauſa, nulli conuenit magis quàm primæ cauſæ, ſui cauſa omnia agenti: non ſecus atq; in ſubſtantijs ſeparatis, eſſe creditur, ueluti uirũ iuſtiſſimum, etſi poſſet fieri, qui nec peccauiſſet unq;, nec peccare ob inſitam iuſtitiam poſſet, tamen libero arbitrio deſtitui non crederemus. Verum nulla humana comparatio eſt Deo ipſi ex infima hac fece elementari componenda. quid enim cõmune habeat corruptio cum immortalitate? In Deo idem eſt habere & haberi: paria in eo ſunt agere & pati (ſi tamen pati poſſet.) Licet enim ob ſenſus noſtri incapacitatem uti uocabulis nobis cognitis, quamuis reuera eius eſſe exprimi nunq; poſſit, niſi ænigmate quodam: ut meritò

ritò aſſerebat noſter Paulus, qui eloqui quidem nunquam potuit, quæ in raptu uiderat, longiſſimè tamen à ſumma beatitudine. Eam ob rem immeritò nos inſectantur philoſophi, quaſi uelimus qualitates & uarias actiones mutationiq; obnoxias adſcribere ſimpliciſſimæ bonitati, parum certè conditionis humanarum rerum iuſti æſtimatores. Illos rogauerim, quæ ſint principia noſtræ cognitionis totius illius ſcilicet, quæ non à natura aut cõſtitutione ſpeciei pendet, ſed ab eruditione proficiſcitur. Nunquid omnia (imbecillitatis noſtri intellectus cauſa) uerbis opus eſt ſibi inuicem homines aperire, etiam in rebus facillimis & uulgaribus? Vſq; adeò ſumus rudes rerum omnium, ut niſi uerbũ accedat, aut uice uerbi lectio, nil capiamus. Alioquin ipſæ diſciplinæ quæ perfectiſſimæ in animo docentis ſunt, tranſire in nos non poſſunt, niſi & rerum & uerbi obiecto quodam. Quantominus (quamuis ibi non eo modo, quo hic actiones uidentur) animorum noſtrorum à rerum ſenſu omnia æſtimantium naturâ, & rei magnitudine, poſſumus tam altam cõcipere cogitationem. Vtimur ergo de diuinis agendo, uerbis more humano, intercapedinibus temporum, circumſtantijs rerum, & cæteris, quibus noſtri ſenſus poſſunt moueri, ut tandem earũ rerum argumento in ſublimiorem cogitationem, quæ animo tantum conijci poteſt, ueniamus, quæ ipſa uerbis explicari nequit. Nec anthropomorphitæ ſumus, nec paſſiones ullas aut actiones nouas in Deo ponimus: quum ab æterna diſpoſitione omnia pendêre, & conſtituta eſſe ſciamus. Ideò quum nos utimur præſentibus uerbis, id fit, quia aliter exprimere & notionem de Deo explicare nequimus. Senſus enim quamuis maximus, quantumuis ſe explicet, ſibiq; in multis faciat ſatis, tamen niſi ſe uerbo promat, ignoratur: & in his inferioribus multa cognoſcunt etiam peritiſſimi, quæ minimè explicare queunt. Det mihi peritiſſimus philoſophus deſcriptionem eorum hominum, aut animalium, aut quarumuis rerũ, etiam familiariſſimarũ, quas nouit, aperire certè niſi aliunde μεταφορικῶς acceptis uocabulis, non poteſt. Ita & nos quam de diuinis rebus cognitionem, aut ex ſacris literis, aut diuinitus conceptam habemus, nec prodere uerbis, nec ſcribere poſſumus, niſi uerbis ad noſtrum ſenſum & rerum uſum accommodatis. Eam ob rem diuina prouidentia noſtros miſerata errores, quoties aliquid de ſe mortalitati huic aperire uoluit (quum inſpiratio ipſa ſit parum fida & ſomnijs affinis, niſi illã miraculis & inſolitis facinoribus in te eſſe oſtendas) aſſumpto quodam corpore aut nobis aut innocentiſſimo cuidam animali perſimili, ſeipſam ſubſtantiarum ſeparatarum opera, uocibus etiam more humano editis, manifeſtauit: familiariusq; ſuos angelos cum hominibus uerſari uoluit, atq; ea de rebus diuinis & humanis ſecreta ſæpiſſimè aperuit, quæ nullo humano ingenio compræhendi, aut intelligi potuiſſent. Hinc magos illos & Indos in ſumma corporum præſtigioſorum familiaritate fuiſſe ſi quis neget, conſenſum omnium hominum improbabit, rationemq; exuet. Verum contingit quibuſdam philoſophis, ſed potiſſimũ ipſi Aben reiſſo, Galeno, & nonnunq; Ariſtoteli, ut quæ ipſi animo capere non poterant, tanquàm omnia noſſent, ea eſſe in natura negarent. Quaſi non longè plura ſint in noſtra ignoratione, quàm in ſcientia, qui à periculis colligimus. Diſciplinarum omnia genera percurramus. Quid de epagoge, aut paradigmate natum non eſt? Vnde ſunt habitæ concluſiones primæ, niſi ab experientijs ſenſim in idem genus concurrentibus? Quis dubitat, ſecula proficere ſemper? Negabimus naturam etiam nobis reliquiſſe, in quibus nos probaremus? Sunt quidem certè, ſunt longè plura ignota cognitis. Ad hæc, cognitio illa quam de rebus habemus, ita cæca eſt, manca, & lacera, præter quædam communia principia, ut nõ res, ſed earum

b ſuperfi-

ſuperficiem noſcamus: & plura longe ab autorum placitis ſint habenda, quàm à demonſtratione. Nam alioqui niſi per incognita & indemonſtrata crederemus primùm, proculdubio nullus eſſet ſcientiæ locus. Quis uellet eum in diſciplinis formandum recipere, qui quandiu nõ eſt demonſtrationum capax, non aſſentiretur axiomatibus preceptoris: quiq; abrogaret fidem ſtatim ei rei, quam à præceptoribus acceperit, ea una re quod cauſas non capiat? Mihi crede, niſi plura conſenſui & iudicio hominũ & præcipuè peritorum tribueremus, quàm noſtræ capacitati, equidẽ aſſenſum à rebus ferè omnibus cohiberemus. Magnæ conſtructionis Ptolemæi arduas demonſtrationes, quotuſquiſq; poſſit capere? ferè nemo, aut perpauci. Attamen nullus eſt ueri amator tam impudens, qui neget terram eſſe lunę uiginti ſeptuplam, ſolem uerò 166. terræ & aquæ globũ excedere. Itidem dicas de mathematicis, & numeris. ut conſtet, nos non debere ideo res eſſe negare, modò contra rationem non ſint conditoris, quòd illarum ſumus ignari, & incapaces. Itaq; impudentiam, & contradicendi libidinem cohibere debent philoſophi. Si hiſtorijs omnium mortalium iudicio, aut ſaltem præſtantiſſimorum conſenſu receptis, & effectibus ipſis cognitis, fidem dent, nos qui ſcopum longè ipſorum opinione certiorem nobis propoſuimus, ſequentur. Eò autem infelicitatis & dementiæ traduxit eos ambigendi, aliena euertendi, ſuaq; ſubſtituendi libido, ut quæ res eſt in tota rerum natura maximè laborioſa, illam infrugiferam ſtatuerint, & laborem ſui cauſa, id eſt ærumnarũ, ſitis, famis, uigiliarumq; ergo (nil ultra petentes præter gloriolæ aucupium) debere ſuſcipi, ſuaſerint: uirtutem uerò, ſcientiam, & quæcunq; ſunt præclariſſima in uita humana, ſibijpſis eſſe præmium. Vnde non mirum eſt, tot ſocordibus hominibus labefactatum orbem. Ita enim iudicant, qui tantum philoſophorum audiunt dogmata. Ad quid ipſa uirtus, loco ſui, nónne cauſa gloriolæ, quæ quidem mortuos iuuare nõ poteſt, in tantis ærumnis uitam agam? in perpetua cura, & labore, miſeriaq; fumi cauſa degam? Præſtaret canem aut equum repręſentare, nec ullis agendi legibus teneri, quàm pro tam inani laboris precio ſemper torqueri, & felicitate omnino deſtitui. Quo ſanè argumento conijcere poſſumus, eos in reprobum ſenſum & interitum actos. Quum enim omnia finis maioris quàm operis gratia fieri cognouiſſent, in portu impegerunt. Rebus medijs infimiſq; eſſe ſuos fines conſequutiuos, longeq; (ſi res ſpectes) præſtantiſſimos, quum aſſeruiſſent, in rebus inter mortales præſtantiſſimis nullum præter miſeriam ſtatuerũt. At famam ſunt inde aucupati: fumum potius. Rei ergo tam excellentis, atq; eſt ipſa uirtus, præmium nullum in hac uita dignum eſt. Ipſa uirtute præditis debetur immortalitas, immarceſſibiliſq; apex rei præſtantiſſimæ, Dei ſcilicet contemplatio, & ſocietas: quoniam maximè uoluere beneficio in omnes homines, pietate in Deum, innocentia in ſe, eſſe ſimiles numini. Quòd iſta non perpenderunt philoſophi, famæ aucupio incitarunt tyrannos, & perditos homines, ut facinoribus Heroſtraticis famam promererentur, longamq; ſui memoriam maximè efficere ſtuderent: dum interim miſera mortalitas non attendit, quod quæ ſine utilitatis aut honeſtatis iuſtitiæq; uſu relinquitur fama, ſtatim ubi liberè de rebus abſente tyranno iudicare licet & aſſerere, fama illa fit infamia. Agnoſcit in illis poſteritas occupatos mortales, cæteris defuiſſe rebus, dum obſequendum fuit magnati, profligatam pecuniam publicam aut priuatam, undiq; corraſum, iure uel iniuria impenſum, eam ob unam rem, ut uideatur ædificiũ cornicibus frequẽtius quàm hominibus habitandum, aut inutile quoddam tale opus. Hæc debemus præclaris iudicijs philoſophorum. Non eſt ergo ſtatim falſum quod ipſi refutant, nec uerum quicquid aſſęrunt.

runt. quia bona pars eorum expectata eſt ad pœnitentiam, ad mortem uſq;: ideo Deum eſſe negarunt, qui tandiu eorum impietati parceret. Licet ergo nobis, licet uocabulis ex hac mortalitate decerptis de Deo explicare, quod alioqui non poſſumus, resq; ut licebit deſcribere, quicquid à rerum iſtarum uſu repugnare contendant philoſophi. Si ergo dicere de qualitatibus Dei pergamus, inueniemus iſta in eo peculiaria, potentiam, ſapientiam, amorem, charitatem, benignitatem, ut ipſe Deus bonitatis, charitatisq;, & amoris nomen obtinuerit apud doctiſſimos ſcriptores. Sed inter primos prodeat diuinus ille Plato philoſophorum deus: cui etſi in plurimis contrauenire Ariſtoteles parum erga præceptorem gratus uoluit, tamen has illi de Deo ſententias, ueluti ueriſſimas, minimè uellicandas iudicauit. Id de homine φιλαυτοτάτῳ dictū uolo: quoniam quæcunq; potuit à præceptore decerpere, ſibi ſuppreſſo eius nomine adſcripſit: quæ uidebantur in dubium uenire poſſe, edito nomine refutauit: cætera uiſus eſt ſilentio probare, eisq; ſubſcribere. Socrates uerò de Deo ita dicit, in Theæteto: Atqui mala ex hoc orbe omnino depelli poſſibile non eſt, ô Theodore. Aliquid enim ſemper bono repugnans oportet eſſe, quod in Deū referri non decet. Hanc uerò mortalem naturam locumq; infimum neceſſariò ambit malum. Ideo enitendum eſt, ut quàm primum inde fugiamus. Fuga uerò non loco intelligenda eſt, ſed ad Deum acceſſus, cumq; eo maxima ſimilitudo. Habetur uerò ea ſimilitudo, quum quis iuſtitiam & innocentiam cum prudentia cōiunxerit. Et paulò poſt: Re uera ſic dicimus, Deus nunq; ullatenus iniuſtus eſt, ſed quantū fieri poteſt iuſtiſſimus: nec illi quicq; ſimilius eſt, q̃ quum quis noſtrûm ſit iuſtiſſimus. Adſcribit uir ille ſummus iuſtitiam Deo, nec qualitatem repugnantem ſe adiungere putat. bonum uerò eundem ſæpius multisq; in locis nuncupat. in libro de Rep. non ſolū bonū, ſed præſtantiſſimū adſerit. In Timęo, ob bonitatem, quam nemo bonus alteri inuidet, creaſſe hunc mundum dicit: perfectiſſimè bonū in Protagora ait, qua qualitate nemo poteſt diutius in hac uita donari. Cæterū & in Theæteto, & in 2. de rep. uſq; adeò bonum ſuadet, ut ne mali quidem autor eſſe poſſit. Ideoq; ſua rep. eijciendum cenſet Homerū, cæterosq; poëtas, qui temerè de Deo ſcribentes, nō tantum malorum, ſed & ſcelerum autorem faciunt. Neceſſe autem eſt ideo amorem eſſe in Deo, quod ſit ſumma bonitas. Sed charitatem eſſe ſummū bonū, impius ille Plinius dixit, dum quem in natura Deum eſſe, niſi materię immerſum, negat, in humana actione conſiſtere affirmat. Deus eſt (inquit) mortali, iuuare mortalem, & hæc ad æternā gloriam uia: hac proceres iere Romani, hac, &c. Viam ſanè qua eſt ad Deū iter, pro Deo poſuit: ut ſi quis ſitim pro potu, pro cibo famem, pro habitatione domum, pro labore quietem ponat. Ita tamen, ut naturā diuinitatis proximè attigerit. Charitas enim eſt in proximo iuuando, ueluti fratrem & eodem patre Deo natum, non quidem uſq; adeò fratris cauſa, ut patris amore, & legitimi hæredis, ſocijq; teſtimonio. Cæterū quod addidit, hanc ad æternam gloriam uiam, id conſentaneum eſt. Verum quod ſequitur, Hac proceres iere Romani: ſi nunc uiueret, uideret quàm falſum dixerit. Orbis totius peſtes, tyranni inexplebili cupiditate, ſanguine, euerſionibus urbium, prouinciarum uaſtationibus, hominum (quorum cauſa natura cætera omnia creauerat) oppreſſionibus, & cædibus graſſando, orbem totū depopulando, id immortalitatis ſunt conſequuti, ut ſceleris memoria quàm uirtutis, quæ nulla aut perpauca in illis fuit, fuerint celebriores, ex hominum uerò memoria penè abierint. Cæterum congeſſerunt & conuexere Romam totius orbis prædas, & ciuilis diſcordiæ æterna ſemina, æternāq; à deprædatis populis iniquitatis notam. Ea uerò eſt egregia immortalitas, inſignis,

æterna gloria. Contigit autem idem Plinio,quod Auerroi (quem Aben reis Arabes dicunt) idq; non diſſimili ratione. Quod enim nullum,aut non curantem humana,arbitrioq; ferè deſtitutu Deum etiam uix admiſerit: ei fuit in cauſa abſurditas perſuaſionis Muhamedicæ. Ita rituum uarietas & deorum indies ex improbis hominibus recipi Romæ ſolitorum colluuies in immenſum aucta fecit,ut Plinius,qui nullum in templis uerúm Deum inuocari uidiſſet, nullum eſſe crederet,libereq; de religione impia & falſa ſententiam ferret, quam impoſturis natam & auctam cerneret. Vtriq; contigit (ut & Lucretio) cum de Deo cogitarent,ut ſi quis quod nunq; rectam lineam uidiſſet, ſed innumeras obtortas quotidie ob oculos haberet, negaret in rerum natura ullam eſſe rectam. Verum id ex eo habemus, proprium eſſe Dei, beneficum eſſe, & in plures ſua diſtribuere. Sed ad cætera ueniendum. Deſcriptio enim diuina reuera animis tan tum cogitari,uerbis explicari nequit. Nam tam magna bona,iuſtaue adſcribere infinitæ potentiæ non poſſumus,quin longè excedat omnia,quę de ea dici poſſent. Ad ipſum eſſe eſt ueniendum,atq; ex ratione animi noſtri,rerumq; ab ipſa prouidentia dependentium cognitione, & contemplatione, attentius etiam mentis oculũ in cauſam primam oportet defigere: ſi fortè natura & ratio quicquam iuuabit,ad ſacroſanctæ trinitatis demonſtrationem. quod ut fiat melius, diuinam bonitatem hac oratiuncula aggredior. Summa & incompręhenſibilis (niſi ipſa te aperueris) ueritas,lumen tuæ benignitatis tenebris animi noſtri immittere digneris, ut quod humanis rationibus in te attingere non poſſumus, tuo beneficio conſequamur: Amen.

DE SACROSANCTA TRINITATE ET TRINO DEO. CAP. III.

VEſtri potiſſimum cauſa ô Muhamedici,qui à Deo excidiſtis,is labor ſuſcipitur. Nam qui inducti Dei omnipotentia ex falſis & abſurdis perſuaſionibus in ueram tranſeunt, facilius longè omnia de eo dici ſolita, & quo magis ardua,eo ardentius ſuſcipiunt,nulla ratione earum quęſita: quæ etiam ſi illis demonſtraretur, uix capere rationes poſſent. uos uerò qui ob unius Dei cultum uobis omnia, quæ ſunt credenda, adeſſe putatis, difficilius quæ uera ſunt,admittitis. At quia tam ex conuerſatione uobiſcum,quàm libris, & multorum ſermonibus cognoui,uos admodum illud in uotis habere,ut ſumma illa trinitatis myſteria intelligatis: ideo ad uos primùm ô uiri in ueſtra religione primarij,demum ad cæteras orbis nationes à uero alienas hæc ſcripta deſtinata uolo. Attendite ergo diligenter. Neceſſarijs argumentis ſuprà ſatis eſt demonſtratũ,Deum unũ eſſe huius mundi arbitrum & moderatorem: in quo quamuis nil ſit qualitatum, tamen quæcunq; in bonis meritò habentur, ſunt ampliſſima & perfectiſſima ueluti in ſuo fonte. Vnum uerò & trinum eſſe, trinitatemq; in unitate & ediuerſo in ſe continere,nec poſſe animo ullo pacto eius imaginem concipi abſq; trinitate,ſequentibus pergo demonſtrare.

PRIMA DEMONSTRATIO TRINITATIS.

Tres iſtæ proprietates naturæ diuinæ, potẽtia, ſapientia, amor ſiue

1 Quum Deus ſit & naturæ totius autor & cauſa, potentiſſimus ſit oportet. nam alioquin nil ab eius uoluntate fieri potuiſſet. Fuerit autem potentiſſimus, ſi deeſſet illi ſapientia,qua antequam res exiſtant,omnia cognoſceret, diſponeret,præpararet, & ſeruaret, nil conferret quantáuis potentia. Quamuis autem eſſet potentiſſimus & ſapientiſſimus, ut qui poſſet & noſſet omnia,tamen niſi illi adeſſet ad res ipſas uoluntas & amor,ut eas cuiuſdam finis gratia crearet,nec potentia nec ſapientia quicquam proficeret. Opus ergo fuit, antequam quicq; à Deo

à Deo in eſſe deduceretur, fuiſſe in illo potẽtiam, ſapientiam, & amorem. Quoniam autem potentia prima in ordine, non in tempore eſt, patri Deo adſcribitur. ſapientia autem quia à ſumma potentia procedit, filius dicitur, metaphora à naturali generatione ducta: at quia à ſapientia & potẽtia procedit beneuolentia amorúe, ſpiritusſancti appellatione nuncupata eſt. hæc nõ ſunt tres dij, ſed unus Deus. In potentia tota deitas eſt, in ſapientia pariter: ſimiliter in amore, charitate & beneuolentia totus Deus eſt. Quemadmodum quum de re quadam facienda cogito, totam illam animo uoluo, anteq́ aggredior: totam etiam in uerbo exprimo, & totam in re ipſa exequor, aut exequi curo: & tamen nõ ſunt tres res, ſed unica, alijs atq́ alijs rationibus perpenſa. Itaq́ Deus unus eſt pater & filius (à ſimilitudine ita dictus) & ſpiritusſanctus, potentia, ſapientia, amor: mens eius uerbum (etiam à ſimilitudine) ſpiritus, tota diuinitas in ſingulis, & tota unaq́ tantum in omnibus.

bonitas intelligũtur in tribus perſonis, patris, filij & ſpiritus ſancti. quæ diſtinguuntur ita, quod pater generat, filius genitus eſt ſpiritus ſanctus ab utroq́ procedit.

ALTERA DEMONSTRATIO.

2 Mens intellectusúe diuinus, ut iam docuimus, eſt potentiſſimus. mens uerò omniũ rerũ imagines & ideas perfectiſſimè in ſe habet & creat (quod etiam in noſtro iſto debili intellectu patet) nam omnium rerũ ſenſibilium concipimus effigies. Quum ergo Dei intellectus ſit potentiſſimus & infinitus, nec niſi ſibi ipſi compræhenſibilis, etiam ſui cognitionem in ſe reflectit, & uidet: fitq́ tunc in eo intellectus cogitans, et intellectus cogitatus à primo & cogitante genitus. Nam nulla eſſet in Deo felicitas, ſi ignorationem ſui in ſe haberet. Quum ergo intellectus ille cogitans, & intellectus cogitatus ſeu genitus, ſe mutuò cognoſcant, id fieri non poteſt ſine magna delectatione, amore, & gloria. Itaq́ unus idemq́ Deus & mens mundi, eſt intellectus ſeipſum intelligens, & intellectus à ſe cognitus, & amor delectatioúe ex ſui cognitione proueniens. Nec enim ſeipſum poſſet noſſe, & in quo eſſent omnia perfectiſſimè uelut in animo & conſiſtentia, quin magnus idem amor & alacritas eius cognitionis in eũ redundet. eſt uerò tota diuinitas in mente intelligente, tota in mente intellecta, & tota in amore et gloria illa. Voluere ideo non immeritò Platonici, omnium ſpecierum ideas in mẽte diuina ueluti in proprio ſubiecto cõſiſtere. Nec enim poteſt quicquam in rerũ natura conſiſtere, quin fuerit in mente diuina, quum produceretur. Nec poteſt meo iudicio ſubſiſtere, quin eadem ui conſeruetur. quemadmodum in corpore animato nullus motus ſecundũ naturam, quin à ui animæ procedat, & ſi ſatis haberet perfectionis, cognoſceret etiã quæ eius impulſu in corpore aguntur. Quemadmodũ ergo ſi quicq́ ſcribo, quod proferam, una & eadem actione cogito, loquor, & ſcribo, unam tamen actionem ſimpliciſſimam exequor: ita Deus ab æterno ſeipſum cognoſcens & cogitans, generat ex ſe filium ab æterno ex eo procedentem, & ab utroq́ prodit etiam una & eadem actione amor, quæ omnia Deitas una & tres hypoſtaſes ſunt.

TERTIA.

3 Prouidentiam etiam in ſe habere amorem perfectiſſimũ, nullus niſi idem in ſe eſſe rationẽ neget, poteſt ire inficias. Nam Deus (ut inquit Plato) quũ bonus ſit, uult ſuum beneficium latiſſimè in omnes patêre, eo quod omnia amet. Nam ſuprà diximus, illũ in ſe amare omnia. Inde illud Ariſtotelis nullis gẽtibus non probatũ: bonũ, quo communius, eo diuinius. Cõſtat itaq́ mundus iſte amore, lite & odio ſoluitur, ut bene ait in Phyſicis Empedocles. Diſpicienda eſt igitur diligentius amoris natura. Opus eſt in amore charitateúe, quæ Deus eſt & omnium nexus, eſſe amantem, amatum, & amorem: alioquin amor dici etiam in inferioribus non poteſt. Eſt igitur Deus, cuius amore conſiſtunt, quęcũq́ ſunt,

amor maximè amans. Quum uerò maximè omnia in ſeipſo amet (in ipſo enim uita eſt amore illius conſtans) maxima amoris unitate id facit. nam ut eſt perfectiſſimus, ita perfectiſſimè unit. Quum aũt ſit ſummus amor, in eo eſt ipſa amoris ęqualitas (nam alioqui nil amaret, niſi ęqualitas amoris ſe illi ex ſeipſo repręſentaret) reſpondens amanti, ita ut ſit in eo amans, & amatus, à quibus procedit cõmunis amor. Amans amicitia Dei patris loco eſt: amicitia, qua uigẽt omnia, filius eſt: amor ab amante & amato procedens, ſpiritus ſanctus dicitur: tota amicitia in amante, tota in amato ſeu amabili, tota in amore eſt: & tamen non ſunt tres amicitię, ſed una amicitia. Dum enim ſeipſum in ſe cognoſcit Deus, amore maximè uniente ſe in ſui cognitione amat (quemadmodum qui ſeipſum in ſpeculo uidet, maximè ſe amat, eo quòd maximè diligit formam ſuam) & amatum amorem generat, quem filiũ Dei dicimus: à quibus procedit nexus, quę tres res una ſunt. Veluti aqua una eadẽq; eſt, differens tantũ per prius & poſterius, quæ à fonte per fluuiũ in ſtagnũ currit. A fonte enim procedit alueus, à fonte & alueo ſtagnũ. Et ut clariori exemplo demonſtrem: Fons ſibiipſi reddens aquas & emittens Deo cõparari poteſt: Scaturiat aqua in loco uno, et ſtagneſcat: demum imbibatur rurſus in uenas terræ, una eademq; aqua eſt ſcaturiens, ſtagneſcens, recedens, in qua nil prius aut poſterius. Nam unà hoc agit, ſi diligenter aduertimus. Nil penè agimus, quin una uoluntas, actio, & paſſio concurrant: ut ſi bile actus percutio hominem, uoluntas mea, ictus, & illius paſſio unà concurrunt. Amor humanus etiam imitatur diuinũ. Nam non poteſt amari, quin ſit amans, amatum, & ab utroq; procedens amor: de quo poſtea.

QVARTA.

In rebus uniuerſi multitudinem eſſe & numerũ, nullus eſt qui ambigat. Atqui ante omnẽ numerũ & multitudinem præcedere unitatem ſimpliciſſimam oportet. Nam ea ſublata, numerus conſurgere non poſſet. Eſt igitur ſacroſancta & primigenia unitas Deus. Inter res creatas numero differentes eſt neceſſariò quædam inæqualitas. Nam alioqui omnia eſſent unum, & ſimile. Porrò nil eſt alteri etiam ſub aliqua ſpecie tam ſimile, quin aliquatenus differat. Quum ergo ſit inter res ſingulas differentia & inęqualitas, ante omnium rerum creationem fuit æqualitas. inęquale enim nec in re, nec in animo nouit: niſi qui prius nouit æqualitatem qua iudicet de inæquali. eſt ergo etiam ante omnia æqualitas, quæ etiam Deus eſt unus ſibiipſi æqualis.

Res omnes quatenus per ſe notioni ſenſuum ſe repræſentant, ſunt ſeparatæ. Nam de confuſis nulla ſyncera notio haberi poteſt. Verũ ante omnem ſeparationem pręcedit nexus, quo res ſunt, quod ſunt. Natura enim præcedit coniunctio ſeparationem, nec in ſenſu poteſt eſſe alterum ſine altero. Nexus itaq; ille æternus uocatur Deus. Quum itaq; ſit unus ſimpliciſſimus, tamen etiam æqualitatem & nexum in ſe habet, eſtq; in unitate ſimilitudo & nexus: in nexu æqualitas & unitas: in æqualitate, qua nec minus nec maius ſunt, ſpecies & formæ, eſt etiam nexus & unitas. Tres in uno, & unus in tribus unà exiſtentibus, nec confuſis, nec ſeparatis.

QVINTA.

Res ſingulę ſeu à natura Deo ue, ſeu ab arte ſint factæ, autorẽ (quod dici cõſueuit) teſtari ſolẽt, eiuſq; referre ueſtigia. Hinc peritia & imperitia artificũ dignoſci ab operibus ſolet. Quũ itaq; omnia naturalia ſint à Deo ueluti cauſa prima per naturæ uiã & artificiũ producta, in hoc autoris naturã teſtãtur, quod quemadmodũ ille unus eſt, & trinitatẽ tamen in perſonis ita habet, ut ſine illa eſſe nõ poſſit: ita & ſingula cõpoſita naturalia habent uſq; adeò connexã in ſe eius imaginem,

ginẽ, ut ab illa perire non poſſit, quin res ipſæ pereant. Quemadmodũ igitur ab æterna potentia Dei procedit ab æterno eius ſapientia, & ab utraq; beneuolentia & amor erga ſe resq; creatas: ita etiam in ſingulis rebus eſt ſecundum ſuam naturã agendi fœcunditas, ſeu potentia, à qua fit inexhauſta ſuæ actionis & uirtutis progreſſio, quæ amore quod agendi nunq; ſua à natura ceſſat, & ueluti delectũ agendi facit. exempli gratia: Piper quandiu piper eſt, potentiam inexhauſtam agendi habet, id eſt calfaciẽdi, aut urendi, à qua procedit illa uſtio aut actio, amans naturaliter agere. Nam quamdiu eſt piper, tandiu poteſt urere linguam, ſi atteratur: nec unquam ea uis ab eo deficit quamdiu eſt, ſed progreditur, et agit ſuo more à quo incœpit proficiſci, ueluti delectum faciens. Nam potius agit in ſudantem cutem quàm nõ apertis poris, potius in excoriatam quàm integram, & in linguam guſtui aptam quàm in cęteras corporis partes. Pariter ignis quantumuis parua quantitate fuerit, habet indefeſſam potentiam, à qua indeſinens progreſſio calfaciendi & urendi manat, ſuum etiam delectum et delectationem in agendo habens. Ita minima ſcintilla eſt tanta ui, ut ſyluas & orbem poſſit urere, & delectum ita facit cũ delectatione & amore agendi, ut ſtipulam & tenuia ſicca corpora anteferat humidis & craſſis, & ita ex ordine eligat, ut nunq; fallatur. Sic in nobis facultas uitalis, naturalis, animalis, ita agunt in ea, quæ corpori adduntur aut demuntur, ut nil illis potentius, nil fœcundius & abundantius, nil prudentius fieri poſſe uideatur. Ita aluntur arbores, animalia ita conſeruantur, rerum omnium naturæ cum illa ſancta trinitate omnia uegetante, ut quum in illis perijt ea uis & imago, amplius non ſint. Tota uis rerum eſt in potentia, tota in progreſſu, tota in delectu & amore: & tamen non ſunt tres res, ſed una, ut potentia ſapientia, & amor, unus Deus tantum eſt.

DEMONSTRATIO A REBVS CREATIS, PRImoq; *ab animis & animabus.*

6 Hominem cõſtare corpore & animo à nemine ambigi uideo. De altera eius parte excellentiſſima primum dicamus: ut quum ſit maximè una & ſimplex, ut ſenſum corporis fugiens, effectibusq; tantum patens, imaginem Dei in ea tamen uideamus. Anima, ut generali uocabulo dicitur, unaq; eſt, tribus partibus proprietatibusúe conſtat, uita uitali, ſenſitiua, & diſcretiua: quamuis in plantis eſſe animam uolunt, attractiuam, retentricem, & expultricem facultatẽ habentem. Brutorum uita conſtat, uita, ſenſu, electione. Prima agit quieſcente altera, & tertia. à prima procedit ſecunda, tertia ab utraq;. Quod do electiuam brutis, non intelligo liberum arbitrium, uel intellectum, ſed cognitionem fugiendi & expetendi: ſine qua facultate uitam prorogare non poſſent, nec ſibi proſpicere. Sunt illæ tres partes etiam hominibus communes. Vita enim uitali dormiens uiuit, & animatur. Senſus inde proficiſcitur, quo quieſcente non eligit. Itaq; ea electio procedit à uitali, & ſenſitiua, & non contrà. At ratio eidem accedens, conſtat intellectu, ratiocinatione, reminiſcentia. In brutis enim reperitur appræhenſio, cogitatio, memoria: at ut intelligant ea quæ à corporis ſenſu ſunt remotiora, aut ratiocinentur, & colligant, aut diſcurſu reminiſcantur, ueluti homo, fieri nequit. Pater eſt ueluti appræhenſio, id eſt fons. Filius, id eſt progreſſio ab appræhenſione eſt cogitatio. Spiritus eſt ipſa memoria, quæ ab utraq; facultate proficiſcitur. Eodem modo ratio, mens, ſeu intellectus, ſeu animus (uocabulis enim, non rebus differunt iſta) producit ratiocinationem & ſapientiam: hæ procreant reminiſcentiam. Nam (ut inquit Philoſophus) in hac feculenta materia, nil poteſt reperiri, quod intelligendi, colligendi, remi-

niſcendiq́ rationem habeat. Et eam ob rem originem animorũ in entelechiam illam, & quintum elementũ (unde perfectio rebus accedit) retulit: unde etiam eos eſſe immortales certum eſt. Diuinitatis etiam, ſi prudentia adeſt, in ratione apparet imago: ut poſſimus dicere mens, ratio: collectio ſeu inductio, ratio: reminiſcentia, ratio. Certe agere prudenter ſine illius ſimilitudine nõ poſſumus. Nam ſi ratio non appræhendat firma & conſtanti imagine, quod deliberatum uellet, ratiocineturq́ eſſe in ſe poſitum, nunquam quicquam ſuo arbitrio aggredietur homo. Fruſtra enim uellet, quod nec ſciret, nec poſſet. Itaq́ plura naturæ quàm noſtri intellectus ductu fiunt. Impeditur enim uoluntas noſtra frequenter, natura nunquam, aut raròò.

A CORPORIBVS.

7 Iam à corpore ipſo, quod ſub ſenſum cadat, maniſeſtiora erunt etiam argumenta. Nullũ in tota rerum natura poteſt dari corpus, quin & unum ſit per ſe, & forma materiaq́ conſtet. Itaq́ dicebat Plato, tria rerũ omnium eſſe principia, materiam, formam, Deũ. Cui contraueniens Ariſtoteles, tanq́ aliquid præclari excogitauiſſet, loco Dei, poſuit priuationem: quàm, benè iudicent illi qui nõ autoritate, ſed ratione ducuntur. Melius et accõmodatius uterq́ dixiſſet, formam, materiam, & diuinam unitatẽ. Eſt tamẽ ueritati propinquior Plato. Itaq́ forma ipſa dans eſſe rei, ponit materiam in eſſe: à quibus duobus procedit compoſitũ. Nec licet formam ſine materia, & ediuerſo, ita nec totũ compoſitũ ab inuicem mutuò ſeparare, niſi ipſo intellectu. Si enim ſepares, iam res non eſt. Vnde ſanctæ trinitatis & unitatis myſteriũ clarũ, quomodo unum ſit tria, et tria unum: ut meritò ille atheos Lucianus & Iulianus deſertores rationis ſanctæ, ſint non tantum è numero noſtrorum exſibilandi, ſed etiam philoſophorum, qui tam clara argumenta nunquam capere potuerunt, aut cognita fateri noluere.

A PARTIBVS CORPORVM.

8 Sed fortaſſe materia iam ſoluta à ſuo compoſito, et ſeparata, aut partes toti inhærentes, non id habent ut trinitatis imago in illis ſit. Perpendamus. Homine certe corrupto, forma pręſtantiſſima, animus ſcilicet et anima diſcedunt. uerum & cadauer exanime ſua forma & materia conſtat: nec unitate materia & forma poteſt deſtitui, quoad generationis principium, locũ ſcilicet perdiderit, elementiſq́ ſuas partes reddiderit. Idem planè de partibus ſentiendũ, ſeu ſimilares ſeu compoſitæ ſint, ubiq́ materia & forma, & unitas ſeu nexus. Quod exemplo familiari in magnete uideas. Cõſtat lapis ille parte una meridiana, et altera ſeptentrionali: quibus ſi attingas & defrices ferri ligulas, parte una ad ſeptentriones uergere cogetur, altera ad meridiem. Seca utram uolueris partem à toto, & conare ut partem meridianam ab aquilonari ſepares, nunq́ poteris. ſeca laminulam quãtumuis tenuem à quauis parte: in ea erit pars utraq́, uti in toto, quaqua uerſus ſecueris. Ita & in rebus humanis omnibus patet maximè uis unitrina Creatoris. Nam (ut in magnete) ita connexæ ſunt duæ differentes partes, ut earum nexus ab illis diuelli nequeat.

A LVCIS RATIONE.

9 Nil maius aut celebrius in luminis natura poteſt in medium adduci, ipſo ſole: quo nil admirabilius Creator ipſe contemplandum oculis mortalium obiecit. Ea propter minus mirũ eſt, ignaros Creatoris homines loco Dei eum habuiſſe, quum illi qui maximè prudentiæ nomen ſibi prętexebant, huic prætulerint nebulones & perditos, atq́ in cœlo collocauerint uix cloacis dignos homines, nomineq́ præclaro ornauerint maximas orbis peſtes. Vſqueadeò Satanæ poteſtas miſeras hominum mentes excæcat, ut ſuis miſerijs delectentur. Sed ad rem.

rem. Solem ipſum eſſe corpus ueluti luminis centrum, nemo diffitetur, ut nec ex eo proficiſci radios. Nam radios & luminoſi potentiam maximè differre conſtat, quod latiſſimè illi pateant, corpus minimè. Aſt effectus ſeu ſplendor, & maturitas, aut quæcunq; inde utilitas ad nos proficiſcitur, etiam differt ab ipſo ſole. Eſt itaq; ueluti pater ſolis centrum, omnia in poteſtate habens, æternum generans à ſe radios, quibus utriſq; uegetatur in cœlo, & elementis, quicquid ab eius potentia moueri, iuuari, aut mutari natum eſt. Eſt uerò clariſſimum exemplum. Primò centrum corpusùe ut pater filium, radium à ſe ab æterno procreatum, in quo poteſtatem rerum omnium ponit, non ſecus atq; in ſe habet. Effectus ipſe, non genitus, ſed procedens à corpore & radijs patet. Oportet ergo neceſſariò fateri, archetypum ſimili natura, & hypoſtaſi ſimpliciſſima eſſe, quum nuſquam illius exemplum deſit.

Solis exemplũ aliqui ſic adhibuerunt, ut uibratus ſit pater, lux filius, calor ſpiritus ſanctus.

AB VNIVERSITATIS RATIONE.

10 Cœlum ipſum à potentia perpetuò conſtanti & ſtataria moueri, & neceſſariò parêre, nec habere arbitrium, quo moueatur, nullus negat præſtantiſſimorum philoſophorum. Vnde cõſtat, triplici etiam hypoſtaſi uniuerſum cõſtare. Nam quamuis Dei uis, maieſtas & actus ubiq; diffunditur, loco alioqui non egens: tamen ob eſſentiæ præſtantiam, ſupra cœlos propriè eſſe dicitur, ubi maior & nobilior eius operatio cernitur. Secundo in loco eſt mundus medius, cœleſtis ſcilicet regio: quem antiqui medium ideo dixere, quod innumeræ ſubſtantiæ ſeparatæ illic ſint conſtitutæ, indeq; defluat in inferiora rerum motus, actio, & uiciſſitudo. Tertio eſt iſte corruptibilis nobis cognitus, & imperfectiſſimus, à primo & ſecundo dependens: quem ſi admirabilem cernimus, quid iudicandum de excellentia aliorum eſt? Hic niſi ob formas in eo admixtas, & ſpiritum res ipſas uegetantem, non ſatis reſpondet comparationi. Si formas & uim uitalem ſpectemus, per omnia quadrat. Veluti ſi pater mundus ſit ſublimior, filius mundus medius, æternum à patre genitus, ſpirituſſanctus mundus inferior, nõ genitus, ſed procedens. Ab omnibus uniuerſi partibus ſatis demonſtratum eſt, autorem neceſſariò habere in ſe perfectiſſimè unitatem in trinitate, & trinitatem in unitate. Verum fortaſſe obijciet aliquis, in rebus natura conſtantibus demonſtrationem habere locum, ſed humanas actiones eximi ab eo ſymbolo. Quæcunq; ſanè ſunt ex deliberatione quamuis parum perpenſa & inutili, non poteſt fieri, quin illis à uirtute ipſa animi cogitantis adſit neceſſariò trinitas.

A REBVS HVMANA INDVSTRIA FACTIS.

11 Quicquid unquam conemur, opus eſt ab animi cognitione, ſapientia, & uoluntate proficiſci. Nam niſi compræhendo, & facultatem habeo, quid uelle poſſem libere? Velle enim & non poſſe, ſeruitus, non libertas arbitrij eſt. Antequam uerò ad opus ueniamus, etiam extra animum, artifice, inſtrumentis, materiaq; opus eſt. Sine illis enim non conſurgit opus. In amicitia eſt amans, amatus, amor utriuſq; nexus. Nam nec amans eſt amatus, nec ediuerſo: ita nec amor, qui ab utriſq; procedit. Etiam in neutris actionibus patet. Vt in curſu eſt actio, & paſſio, & utriuſq; nexus ipſe curſus: unde minus uenit mirandum, quum in diuina bonitate actio paſſioq; idem ſint: quum tamen nil pati poſſit ſimpliciſſima, ſed ita dicimus, quoniam in ſe reflectit, quæcunq; ſunt præſtantiſſima, modo nobis incognito.

AB ORDINE MAGISTRATVVM.

12 Quamuis ipſa hominum natura alioqui felix, heu æternum felix futura, ſi innocẽtiã à Creatore datam cõſeruaſſet, & ex imperfectione, neceſſitate, uitioq; coacta fuerit ordinem magiſtratuum ad conſeruandos inuicem homines inſtituere:

tuere: tamen quia duce ratione & intellectu remedium rebus humanis adinuenire eſt coacta, nō potuit fieri, quin etiam ipſa ſancta trinitas dederit exordium, & ubi res adoleuere etiam in falſis, & à Deo alienis religionibus, ordinē ad ſui effigiem formauerit. Omnes itaq; magiſtratus in triplici fuere differentia. Aut enim animorum, aut corporum, aut rerum externarum curam gerunt, ſacrifices, iudices, reges: quę tres perſonę in prima Rerumpublicarum inſtitutione in uno erant. Nam paucis populis coactis, ambitione dominandi incognita, unus idemq; erat ſacerdos & iudex & dux. A ſacris cauſas audiens, neceſſitate oboriente, ſacris peractis, felix dux erat militi ſua defendenti, non aliena appetenti. Auctis demum rebus, ſingulis officijs terni hominum gradus ſunt introducti. Rebus ſacris unus impar, iam ſuperior factus, cæteris in locis conſtituit alios: inter quos ſi contentio oboriretur, ne nimium laborarent, ius tam longè petendo, uoluit eſſe quoſdam mediæ poteſtatis, quibus ſuam eſt impertitus autoritatem, quatenus uoluit. Ita tota poteſtas in ſummo, tota in medijs omnibus, tota in infimis eſſe cœpit: & tamen non tres poteſtates, ſed una poteſtas. Secundi à primo, inferiores à primo & medio, ſua autoritate utuntur. Idem in re militari, de rege, ducibus, et milite: pariter de iudicibus, ſumma autoritas, media, infima, tota in ſingulis & tota in toto, in trinitate unitas. In ſumma, nil non repręſentat ſacroſanctam illam diuinitatis proprietatem. In rebus omnibus, principiū, medium, finis. In motibus, ſurſum deorſum, ante retro, dextrorſum ſiniſtrorſum, nec enim differunt, niſi quia impulſione, & tribus rectis lineis, tranſuerſis conſtant. Nutrimenta rerum, introrſum, extrorſum, aut utrinq; tracta. Tempus, præteritum, præſens, futurum. In figuris nulla regularis, anguloſaq; ante tres lineas rectas concurrentes compoſitioni in corporibus regularibus, tres tantum ſuperficies concurrere, triangulum, quadratum, pentagonum. In ſumma, nil myſterio illius triados uacat.

Chriſtus abundè ſufficiēs omnibus gubernandis, Apoſtolis & apoſtolicis uiris parē dedit poteſtatē, cuiq; in ſua Ecclesia & prouincia. Ne quiſq̄ fortè exiſtimet ſuā hinc tyrannidem approbari.

TESTIMONIVM ET AVTORITAS PHIloſophorum de Trinitate.

13 Veritatis philoſophus Ariſtoteles in primo libro de Cœlo & mundo, de trinitate ita ſcribit: Scientia (inquit) de natura plurimum uerſatur circa corpora, & magnitudines, eorumq; paſſiones, & motus, atq; circa principia: quotquot ſunt eiuſdem ſubſtantiæ. Ex ijs enim quæ natura conſtant, quædam ſunt corpora & magnitudines, alia corpus & magnitudo, alia principia ſunt horum. Continuum ergo eſt ſemper diuiſibile, corpus uerò quaquauerſum partiri licet. Magnitudo porrò, modò in unam partem diuidi poteſt, ut linea: modò in duas, ut ſuperficies: modò in tres, ut corpus: & præterea non eſt magnitudo, eò quod tria ſint omnia, & ubiq; trinitas. Vt enim Pythagorici aiunt, uniuerſum & omnia tribus terminantur. Principium enim, medium, & finis, numerum habent uniuerſi. Intelligo hic trinitatis numerum. Ideo à natura accipientes ueluti ipſius leges, in ſacris utimur hoc numero, nominationesq; numerorum ei damus. Duos enim non omnes, ſed ambos: tres uerò, omnes dicimus. Et item Phyſicorum octauo, ait, tribus regi mundum, motore nō moto, motore moto, & moto non mouente. id eſt ac ſi diceret: Pater increatus generat æternum filium, à quo & à patre procedit ſpiritus ſanctus, in quo eſt finis diuinitatis, ſi licet comparare corruptibilia æternis, finita infinitis. Si de mente & genitore eſſent mihi adſcribenda, quæ in Plotino, Porphyrio, Proclo, Maximo, Amelio, Iamblicho, Hermete ter maximo, & eorum præceptore Zoroaſtre, proculdubio nunquam eſſet finis. Nil enim fuit omnibus ſeculis magis perſuaſum doctis hominibus, quàm eſſe neceſſariò mentem procedentem à ſummo genitore. Itaq; eorum

eorum de hac mente opiniones & autoritates relinquens, uiſo quid de noſtra triade ſenſerint. Philoſophorum diuinorum deus Plato, illam ænigmate iſto aperuit Dionyſio tyranno. De natura primi (id eſt Dei, inquit) ænigmate eſt apud te agendum, ne interceptæ literæ ab ullo intelligantur. Sic accipe: Circa omnium regem omnia ſunt, & illius cauſa omnia, & ille eſt cauſa omnium bonorum. Secundo circa ſecunda, & tertio circa tertia. Quæ uerba poſtq́ à Chriſtianis didiciſſet explicare Porphyrius, exponit de unitrino Deo: primam eſſe hypoſtaſim ſummum deum, ſecundò omnium opificem, tertiò animi mentem. quæ quũ miſer ille cognouiſſet, mirum tanti eum feciſſe gloriolam humanam, ut à uero ipſo quod fateri neceſſe habebat, reſilierit, & ueluti Maximus, Amelius, Plotinus, ſua à noſtris habuerit. De Amelio interim non eſt illud omittendum, quod quum legiſſet Euangelium Ioannis, ab ipſo ſtatim principio exclamauit, Diſperẽam (inquit) niſi barbarus ille (Ioannem intelligens) breuiter compræhendit, quæ de diuina ratione, principio, diſpoſitioneq́ Plato & Heraclius tradidere. Nullum eſt dubium, Platonem longè plura fuiſſe proditurum de ſancta trinitate, quæ ſcilicet à prophetis didicerat, niſi religioni duxiſſet ſancta publicare myſteria, quæ ægrè obtinuerat, & ut ſibi ſoli haberet. Quæ ne prodere quidẽ uoluit tyranno, à quo maxima beneficia acceperat. Ita ambitio perdidit uerum, & à conſortio noſtro expulit. Quid non declaraſſet Pythagoras ille poſt uiſos Gymnoſophiſtas, Magos, Aegyptios, prophetasq́ diuinos homines, niſi ut admirationi eſſet, ea reticere uoluiſſet? Et ne proderet ſanctam trinitatem, quam in Triſmegiſto legerat, obtrudit diſcipulis tetractyn, id eſt quaternarium, quo idem innuebat, ſed inuolucris tegendo. Erat enim pater, filius, ſpiritusſanctus, deus, genitor, mens, genitus & anima mundi deus uel cauſa, res una. Hac ratione Græci τρισμάκαρες uocabãt abſolutè felices, quibus nil deerat. Intelligebant uerò deos planè dignos hoc uocabulo. Latini ter beatos dicunt more Platonico, quaterq́ more Pythagorico. Aegyptij ſapientes, teſte Damaſcio Platonico, ter acclamabant numen ex uſu religionis, & aram habebant Mineruæ dicatam, in cuius templo erat hoc ſcriptum: ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονός, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω τῶν θνητῶν ἀπεκάλυψεν. id eſt, Ego ſum, quod factum eſt, aut fuit, & quod eſt, quodq́ erit, & meum peplum nemo mortalis adhuc aperuit, reuelauitue. Quod nebulones illi poetæ Græci, Orpheus, † Linus, Homerus, & cæteri ad deos trahentes, dum diſſimulant ſua, orbem labefactant, erroribusq́ omnibus faciunt uiam. Sed nunc ad religionis ſcriptis proditæ placita eſt ueniendum.

† Inſunt quidẽ in lege obſeruãda uſq; ad tẽpus correctionis, et pædagogia deducẽs ad Chriſtũ, qui perficit omnia

PROBATIO EX VETERI TESTAMENTO
& Cabala & Thalmud.

Quia lex † Moſaica fuit uelut rudimentum quoddam legis diuinæ, in qua remedia peccati quærebantur, nec inueniebantur, oſtendebatur delictum, non tollebatur, permittebantur ob duritiam cordis ipſis Iudæis multa, quæ non tantum ipſe Chriſtus ſuſtulit, ſed & prophetæ ante ipſum plus ſexcentis annis, iam improbare uidebantur. In ea lege, ut in ſumma dicam, Deus fecit cum Iſraële, quod optimus præceptor cum adoleſcente admodum diſcipulo, cui cum radicibus diſciplinæ ob ætatis teneritudinem & ignorantiam etiam ludos ſolitos permittit. quia inquam, illa lex eſt prima Dei (quę literis extet) autoritas: in qua ſe aperuit ſuis ſeruis: nulla erit maior ratio, quàm ut inde confirmemus præpoſtero ordine, quæ ex philoſophia ſunt probata. Præpoſtero dixi ordine, quoniã etiam in tradẽdis diſciplinis autoritas eſt ratione prior. Vnde meritò ſcriptum eſt: Niſi credideritis, non intelligetis. Quod non ſolum in ſacris, ſed & in humanioribus

Non eſt tamen negandum, quin totũ Chriſti myſterium & theologia ſit à Moſe tradita.

nioribus literis locum habet. Quis enim poſſet puerum formare ſtatim ab ipſis elementis refractarium? Debebat itaq; præcedere religio, ſequi ratio. Sed habenda fuit ratio eorum ad quos ſcribimus, qui autoritatem, ut & nos, ſibi uendicant. Iudæorum uerò cauſa, quia hæc ſcripta uolumus, etiam utemur autoritatibus omnibus, quas probant. Habuere Hebræi, præter ſacram ſcripturam, etiam ſuos in eam interpretes duorum generum. Nam ab ipſo Moſe uſq; ad Chriſtũ fuere inſigni innocentia uiri, quos à uocabulo græco συνέδρους, סנהדרין uocauere, quaſi aſſeſſores dicas, quòd in ſenatum unum aut curiam, quum eſſet de rerum ſumma agendum, coirent, deq; rebus ſententiam ferrent, quæ legis & iudicati loco erat. Hi duabus linguis (ut ita dicam) loquebantur, quum autoritate ſcripturæ ſacræ niterentur. Nam inter illos & prophetas erat quædam communis myſteriorum reuelatio, quam literis prodere nephas iudicabant. Ideò uerbo tantum ſucceſſoribus, & pro uitæ meritis ad id munus uocatis explicabant, & eam ob rem Cabalam קבלה uocabant, quod mutuò reciperetur. Ea uerò certè maxima myſteria continebat, eratq; noſtro ſenſui anagogico, quo mentes à corruptibilibus ad cœleſtia traducimus, perſimilis. Alia lingua erat interpretatio omnibus doctis communis, allegoriam repræſentans, quæ ſcriptis mandari ſeruariq; ſolebat. Dicti itaq; ſunt anagogici Cabaliſtæ, allegorici multo poſt Thalmudiſtę. Quum autem ueniſſet Chriſtus Ieſus temporibus Symeonis, quem non tantum euangelium, ſed & illi uocant iuſtum & ſanctũ: tunc defecit doctor & legislator ex Iſraël, rexq; alienigena rerum potitus eſt. Tunc etiam receſſit ab eis ſpiritus ſanctus. nec ulla fuit poſtea inter Iudæos prophetia, aut doctrinæ traditio. Tunc ſapientes & reliquiæ Iudæorum, quæ potuerant colligere, ex utraq; interpretatione in unum corpus, ne periret, coëgerunt, primumq; uocârunt משנה תורה, id eſt legem ſecundariam. Demum accedentibus aliis opinionibus, ut tempus illos autores, qui reperiebantur, producebat, ex Miſne & aliis ſcripſerunt primum Thalmud, coactis undiq; Iudæis Hieroſolymam, uocaruntq; Thalmud Hieroſolymitanum, anno plus minus 300. à Chriſto paſſo. Subinde aliis obortis, compoſuerunt circiter 70 pòſt annis aliud Thalmud, coactis in Babylone Iudæis, quos ex toto orbe aduocauerant doctores. eo nunc Thalmud utuntur. Traditiones cabaliſticæ in eo multæ ſcatent. Sed tamen ſeorſim multis in uoluminibus ſunt reſperſæ. Quia ergo Iudæi tribus autoritatibus utuntur, ſacra, mixta, & humana, cum illis agam tribus illis, à ſacra originem ſumens.

Ita fermè Picus Mirand. et Petrus Galatinus.

Quî fit prudentiſſimi (utinam poſſem dicere ſapientes) Iudæi, ut Moſes in principio creationis mundi, uſq; ad eum locum, Iſtæ ſunt generationes cœli & terræ: quum triceſies quinquies nominauerit Deum, plurali nomine ſemper uſus ſit? Quum ſingularis uox (ſcientibus legem dico) אלוה & אל extet, & in multis locis ſit uſitatiſſima, & frequentiſſima? quî fit ut in periodo, Hæ ſunt generationes, poſuerit אלהים יהוה dii dominus. Pluralitatem certè perſonarum in diuinitate indicare uoluit: demum colligere eam pluralitatem in unitatem. Quod toto ſcripturæ tranſcurſu fit: unde uos agnoſcere ſacroſanctum myſterium oportet, eſſeq; plures in Deo proprietates. At ex uſu linguæ eſt, ponere eam dictionem in plurali cum uerbo ſingulari, dicet aliquis. Ergo fieri non debet, ut pluraliter ponatur nomen, uerbumq; ſuppoſitum ſit ſingulare. In creatione hominis dicitur, Et dixit dii, faciamus. Nònne eſt incongruitas? Eſt certè eadem ratio, & prophetæ intentio, uolentis indicare pluralitatem in Deo. Sexcenta ſunt ſimilia loca, ubi uerbũ ſingulare, nomen plurale: aut e diuerſo, quum de Deo loquitur, ſcriptum uoluit non ſine grandi myſterio, ut ſcitis. Quia in ſa-

cris

cris omnes literæ ſunt numeratæ, nec ulla eſt uacans. At uerò pluralitatem in Deo admittendam non ignoramus, deum, & ſpiritum eius. Nam utrunq; legimus in Gen. cap. 1. Eſt ergo expreſſius uidendum. Ieſaias cap. 6. dum refert uoces angelorum, Deum laudantiũ ita dicere ait: קדוש קדוש קדוש יהוה צבאות מלא כל הארץ כבודו, Sanctus, ſanctus, ſanctus, dominus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius. Triplex illa repetitio an caret myſterio? Caret, dices fortaſſe. Interpretes ueſtri fidem faciant. Ionathas Vzielis filius, quem meritò ſanctum creditis, ita in ſua paraphraſi Chaldaica uertit, קדוש אבא קדוש ברא קדוש רוחא קדושא id eſt ſanctus pater, ſanctus filius, ſanctus ſpiritus ſanctus. At quia ſanctus ille poſſet aperire oculos multorum, ſi uideretur: ideò ueſtri Rabini, uosq; omnes, qui clauditis regnum cœlorum paruulis, nec intrantes, nec intrare permittentes, occultatis illum, ne ueſtra uaframenta prodat, & Ancelo utimini. Verum nõ tantum ille prodit ueſtram peruicaciam, ſed Symeon ben Iohai, quẽ improbare nõ poteſtis, eadẽ in eodẽ loco dicit, קדוש זה אב קדוש זה בן קדוש זה רוח הקודש, id eſt ſanctus, id eſt pater: ſanctus, id eſt filius: ſanctus, id eſt ſpirituſſanctus. Ab autoritate, non minus ſanctam paraphraſim Ionathæ credam ipſo originali exemplo, quum proximè ante Chriſtum 42 annis aut circiter traduxerit, cõdiſcipulumq; habuerit Symeonem iuſtum, qui in ulnas ſuas receperit Chriſtum, ut reſponſum à ſpiritu ſancto acceperat, non uiſurum ſe mortem, niſi prius uideret Chriſtum Domini. Verum ſicubi eſt Ionathas, uos laceraſtis, aut occultaſtis. Illiq; Ancelos ſupponitis, & Ioſephum cæcum, aut Akilam, atq; alios. Habeatis ſaltem fidem Rabi Nehumiæ ſancto, qui ſe abeſſe 50 annis à Chriſti aduentu aſſerebat. Sed paulo latius ſunt explicandæ Thalmudicorum ſententiæ de glorioſa trinitate, ſi admonuerimus uos, diligentius eſſe uerba Zachariæ ſecundo capite perpendenda, ubi ait: Lętare filia Zion, &c. Ibi enim ſunt præclara de Deo mittente, & deo miſſo, quẽ uocat Thargum ibidem שכינת יהוה, ſapientiam dei, & quod in medio hominum ſit habitatura. In Midras thehillim ſuper Pſalmum 50. ubi ait Dauid, Deus deorum dominus, deus locutus eſt, & uocauit terram: ita ſcriptũ reperietis, Quare uocatur nomen Dei ſancti ter? Ad indicandum, quod in tribus nominibus laudandus eſt creator benedictus, mundi autor ob tres proprietates, in quibus eſt creatus mundus, quæ ſunt חכמה הדעת ותבונה, id eſt ſapientia, ſcientia, prudẽtia. De prima Prouerb. 3. Dominus in ſapientia fundauit terram. De ſecunda, In ſcientia eruperunt abyſſi ibidem. De prudentia ibidem: Stabiliuit cœlos prudentia. Propterea Exod. 20. ſcriptũ eſt, כי אני יהוה אלהיך אל קנא, Quoniam ego ſum Dominus Deus tuus, Deus æmulator, zelo plenus. & propterea filij Gad & Reuben dixerunt, Ioſuæ 22. אל אלהים יהוה אל אלהים יהוה הוא יודע, id eſt Deus deus dominus, deus deus dominus, ipſe nouit: & multa alia, quæ ſequuntur in eandem ſententiam. Quoniam autem iſta è medio Thalmud ſunt deprompta, negare non poteſtis. Eadem enim confirmantur à Rabi Moſe Hadarſan in principio Geneſeos, ſuper dictione Elohim, quam pluraliter ſcriptã aſſerit ob tres מדות, id eſt proprietates, ipſi ſcitis. Non eſt uobis obſcurum plura eiuſcemodi eſſe in toto Thalmud, & Midraſſim uariorum librorum ſacrę ſcripturæ. Verum ſi iſtis acquieſcitis, alijs non opus eſt: ſi improbatis, probatiora uobis adferri non poſſunt. Vertenda eſt oratio noſtra ad ſenſum anagogicum, quo altius attollamus animos per Cabalam, atq; ſacroſanctam trinitatem uobis digito monſtremus. Rabenu haccados primus, qui & tempora Chriſti præceſſit: quem ideo uocauerunt Magiſtrum noſtrum ſanctum, quod eſſet ſumma uitæ innocentia (nam alio nomine Rabi Iehudah dicebatur) ille ſcriptum reliquit librum uobis non

incognitum, quem nominauit גלי רזיא, id eſt reuelatorem ſecretorũ, ubi multa de Deo & filio eius hamaſſiah, ſed potiſſimũ de trinitate ſcripſit. Inter quæ iſta faciunt ad rem. Rabi Nehumias Hacanæ filius (qui fuit temporibus Antonij conſulatus) in epiſtola ad Hacanam filium, quam אגרת הסרות epiſtolam ſecretorum uocat, ita ſcribit: Quæſiuit aliquando Antonius conſul Romanus à Rabenu haccados, ut doceret eum de ueritate proprietatũ nominis quatuor literarum, & 12. & 42. qui ita reſpondit: Quod ueritatem nominis, 4. & 12. & 42. literarum ſcire cupis, ſcias hæc eſſe arcana diuina, quæ latere homines debent. Veruntamen quia diſcendi, nõ cõtradicendi ſtudio te hoc quęrere uideo, aperiam. Scias deũ non habere nomen, cuius cognitionem habere poſſimus: quandoquidem eius ſubſtantia, eius nomen eſt, & contrà. Et ſicut illius ſubſtantię cognitionem habere non poſſumus (nam ei ſimiles eſſemus) ita nec nominis habẽmus. Attamen nomina eius ſunt attributa. Et quia nomen 4. literarum eſt operibus eius peculiarius, oſtendit eius notionem ampliorem, & commodiorem captui noſtro. Ex eo procedunt omnia alia nomina. Ideò hoc nomen יהוה dictum eſt השם המפורש nomen expoſitum, non quod ſit eius nomen ſubſtantiale, ſed quatenus capere poſſumus. Nomen uerò duodecim literarũ, & 42. nõ ſunt uocabula, ubi ſint tot literæ, ſed unumquodꝙ plura uerba ſunt. hæc Nehumias ex Rabi Iuda priſco, non illo quem occidit Hadrianus: cui tamen Iudæi adſcribũt opera alterius, tanꝙ ſolus fuerit. Rabi Moſe Aegyptius ueri amantior, quàm nunc ſitis, in eandem planè ſententiam ſcribit cap. 60. primæ partis More, eſſe ſcilicet omnia nomina ab effectis indita, præter יהוה. Et paulo pòſt. Rabi Eliezer בר קיר ait: Cum mundus nondum eſſet creatus, erat tantũ deus benedictus & nomen eius (ſuper locũ Zachariæ ſcribit ca. 14. In die illa erit dominus unus, & nomen eius unũ.) Vnde eſt animaduertendũ, quod omnia hæc dei nomina ſunt nouiter, & poſt creationem facta. & hoc certũ eſt, quia ab operibus Dei inuentis in mundo denominantur. Itaꝙ ſi perpendis deum per ſe, eſt nomen eius שם המפרש &c. ampliſſima ex eodẽ Rabi Moſe. Et item, ex quo fuit mortuus Symeon iuſtus, ceſſauerunt fratres eius ſacerdotes populo benedicere cum nomine 4. literarum, & benedixerunt cum nomine 12. His uerbis Moſis cõfirmatur epiſtola ſecretorũ. Verũ ipſiſſima ſecreta audiatis, & reſipiſcite. Ait itaꝙ Rabenu hacados: Aduerte nomen 4. literarũ, ut ſcriptio eius eſt. Sic enim ſcribitur יה, ipſumꝙ Deum generantem ſignificat. Et quia non poteſt eſſe generans abſꝙ generato, neceſſariò amor à generante in generatum, & ediuerſo procedere debet: quoniam alioqui non generaret. Si etiam non procederet amor à generato in generantẽ, differretꝙ generatus à generante, duæ ſubſtantię eſſent. Propterea nos uolumus generantem & generatũ, eſſe unam ſubſtantiam: unde neceſſe eſt ex utroꝙ procedere amorem mutuum. Ideo ex hoc יהוה deriuatur nomen 12. literarũ. Eſt enim אב בן רוח הקודש, pater, filius, & ſpirituſſanctus: ita ſunt duodecim literæ. Quoniam aũt non inuenitur aliquid in Deo, quod non ſit Deus, ex nomine 12. prodit nomen 42. literarũ, hoc modo אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה, pater Deus, filius Deus, ſpirituſſanctus Deus, tria in uno, & unum in tribus. Quæ ſunt 42. literæ, quæ celare conuenit, quoad ueniat Meſſias iuſtus, iuſtus noſter. ea aperui, ea cela. hęc ille. Quę item confirmat Rabi Moſes Aegyptius in libro More, prima parte. cap. 61. ubi ait, hoc nomen 12. literarum non fuiſſe unum, ſed duo, uel tria nomina: quo ſancti patres proferebant nomen יהוה, ut nunc proferimus per אדני, id eſt adonai. Licebat autem omnibus hoc nomen literarum 12. ſcire, nõ autem יהוה. Quum uerò cępiſſent homines abuti eo nomine, etiam occuluerunt ob hominum nequitiam.

quitiam. De nomine 42. literarum idem doctor Rabi Moſes, cap. 60. ubi hiſtoriam Rabi Tarphon recitat. Itaq; patet per utrunq;, aut ſaltem per alterũ, quem refutare non poteſtis, clarum eſt. Quod autem patres ueſtri nomine יהוה intelligerent trinitatem, etiam figura abbreuiandi monſtrabant ְ tres proprietates in unitate & paritate ſpiritus eſſe. Hoc uerò non tantum in ueſtris literis patet, ſed & Samaritanorum characteribus, qui olim ueſtri erant, manifeſtum eſt. illi ſic ſcribunt $_3{}^3{}_3$ ſine circulo, quod & ipſi facitis, non ſine miraculo, nec caret ipſum nomen ſua proprietate. Nam Iod principium eſt, quod omnis literæ ſit principium: He ſignificat eſſe: Vau nexum amoris, creatoris, & ſapiẽtiæ ſeu eſſentiæ. Præterea ita explicatur, היה הוה, & יהיה יהוה והו, fuit, eſt, & erit. ob id dicitur Deus אהיה אשר אהיה, id eſt Sum qui ſum, ero qui ero. Nam ante materiam fuit, & poſt materiam defecatam erit. Innumera ſunt ſimilia apud uos, quę ipſi improbare non poteſtis, nec à nobis ficta aſſerere. Agite ô Hebræi, quî fit, ut in ueſtra lingua, quam meritò creditis Deo autore Adamo reuelatam & inculcatã, quî fit inquam, ut nulla uox primigenia ſit, quæ ad cuiuſcunq; rei ſignificationem plureis tribus literis aut pauciores habeat? Nónne illa ſunt ueſtigia trini Dei, quum tribus unũ ſignificatur, & exprimitur? Alioqui, ſi caſu fuiſſet factum, certe plura eſſent alia uocabula. Verũ ſi ulla ſunt, 4. 5. aut 6. ea omnino ſunt peregrina, aut duplicata: quod in nulla alia lingua fit. Eſt igitur Deo unitrino ſimilis ueſtra rerum omnium expreſſio.

MVHAMEDICORVM PLACITA DE *Dei natura.*

15 Paucis nunc agam, uiri ueritatis cupidi, & egentes, quia ſuo loco familiarius & attentius uobiſcum congrediar. Scio enim, poſt probationem meam de trinitate & Deo ratione demonſtratam, autoritate & humana & diuina roboratam, exemplis fultam, nullum eſſe apud uos dubij locum. Verum quia in lege ueſtra ſunt quàm plurima, quæ contraueniunt his quæ demonſtraui de trinitate, excutienda mihi uidentur, ut & ego uos, & me ipſi capere poſſitis, communiaq; habeamus principia. Quod nunquàm ferè non loquatur Muhamedes ueſter de Deo, niſi in plurali uoce, ut nec Moſes: ita nec ab re, quamuis non caperet, in Alcorano, factum puto. Deum enim ipſum ſimpliciſſimum in ſe habere aliquid numeri certum eſt. Alioqui nunquam fernè ubiq; eſſet factum, niſi de induſtria inſtituentium Iudæorum. Verum nunquam quid illa pluralitas in Deo ſibi uelit, eſt traditum, aut explicatum. Imò in omnibus locis uidetur ſibi contrarius ipſe Muhamedes, quum aſſerit, ſe de unitate Dei primum dicturum, & Deo non eſſe participem, & Deum non generare, nec generari. In quem ſcopum uidetur ueſtra religio ſcripta, fauore Neſtorij, cuius diſcipuli à nobis ad uos defecerãt. Perpendamus igitur quaſdam ſententias ex Alcorano, ubi uidetur ſibi contrauenire ueſter propheta. Nam unum Deum aſſerere eum ſatis conſtat. at in pluribus locis etiam ſpiritũ Dei ſubinfert, quo fieri uidentur omnia. Iam itaq; per uos binarius in diuinis eſt. Videamus ergo ab ipſo textu. Scriptum eſt in ſora Elmeide id eſt menſæ, quæ quarta eſt, Deũ uocaturũ in die iudicij prophetas, & inter cæteros alloquuturum ita Ieſum: Heus Ieſu fili Mariæ, recordare beneficij mei erga te & generationem tuam, quòd formaui te de ſpiritu ſancto, & alloquebaris homines in cunis & faſcijs, & quod docui te librum, ſapientiam, & legem, &c. Ex hoc loco uidemus eſſe Deum & ſpiritum eius. Et item uerſus finem ſoræ Bacara, id eſt bouis, ſcriptum eſt: Hos prophetas diſtinximus ordine certo, uerbo Dei, & inſtituimus inter eos gradus, & dedimus Ieſu filio Mariæ ſapientiam, & formauimus eum de ſpiritu ſancto, &c.

Habemus hic Deum,uerbum Dei, ſapientiam, & ſpiritum eius. Eandem ſententiam paulo antè ſcribit, iiſdemq́ uerbis. Dicit enim: Et dedimus Ieſu filio Mariæ ſapientiam,& formauimus de ſpiritu ſancto. Hic eſt Deus, qui dat, ſapientia quæ datur, & ſpiritus ſanctus. Atqui quum Deus ſit unus unitiſſimus, & tamen à ſe mittat ſapientiam, uel uerbum, & ſpiritum ſanctum, eſt neceſſarium etiam ex ueſtro propheta,inferre trinitatem in unitate, & unitatem in trinitate,ut à neceſſarijs in principio monſtrauimus.Nam ſi eſſet una tantum qualitas,nil planè in eſſe prodiret,niſi concepta à patre, per ſapientiam ſuam,quam æternùm generat, in ſpiritu & uoluntate omnia creauiſſet. Nam ut eſt oſtenſum, fruſtra imagineris, niſi ſcias & ſapias: & fruſtra cogites & ſcias,niſi uelis. Oportet enim omnia:ut diximus, concurrere. ut noſter etiam intellectus, niſi fiat trinus & unus in cogitando, nil unquam ab eius motu faciemus. Nam cogitet, ſciat, uelit oportet, antequam effectum producat. Non oportet ergo uos ſolos mortalium (ô præclariſſima mundi ingenia, quandiu libere iudicabitis) non oportet inquam, rationi manifeſtæ & omnibus ſapientibus probatæ ſine cauſa refragari,etiam ſi ueſtra perſuaſio contradiceret. At ubi illam in hac re nobis ſuffragari uidetis, & Deum, ſapientiam, & ſpiritum eius admittere & probare,quantomagis accedere & ueritati herbam porrigere debetis? Dicet Muſſulmanus: Lex noſtra alibi repugnat, ubi dicit Deum non generare,nec generari,quòd non habeat fœminas, & quòd non ſint ſpiritus in cœlo maſculi uel fœminæ.Certum eſt,Deum more noſtro,& per inſtrumenta naturæ nec generare,nec generari. At ut uidimus, ita neceſſarium eſt, æternum generare filium ſapientiam,ut mundus ipſe alioqui non poſſet conſiſtere. Filius enim Dei non eſt res corporea,quatenus Deus, ſed res merè ſpiritualis, quæ generatio neceſſaria eſt.Itaq́ utrunq́ conſtabit,ut ſuo loco amplius aperiam, uitam Muhamedis & legem ueſtram explicando. Videtis ergo (ô Mahumedici,quos magis amo,quia eratis pars noſtri,quę perijt) ratione & diuina,& humana,autoritate philoſophorum omnium, & Moſis, & ueſtra, noſtram de trinitate fidem eſſe ueriſſimam,eſſeq́ Ieſum Chriſtum Dei filium, uerbum, ſapientiam: quam humanitati ſalutis omnium cauſa hic iunxit. Verum de his ſuo loco.

DE CREATIONE MVNDI, ET AN MVNDVS SIT *ab æterno.* CAP. IIII.

HVcuſq́ mihi fauere uiſa eſt tota turba philoſophorum, cuiuſcunq́ hæreſæos ſint. Nam cauſam huius uniuerſi per ſe quidem corruptibilis,à qua, per quam,& in qua omnia conſiſtant, omnes admittere neceſſarium habent, aut omnino rerũ naturam nil eſſe aſſerere. Nunc uerò mihi bellum eſt uniuerſę genti philoſophicæ indicendum, & pax demũ cum illis componenda. Magna eſt inprimis diſſenſio inter omnes, ut ſi potuiſſet fieri ex natura rei, etiam hic uidiſſes quot homines,tot ſententias de conſtitutione mundi. Verũ his quinq́ non potuerunt eſſe plureis.Nam quod ad uniuerſum attinet,non pauci, & qui plures autoritatis ſacramento ligant,aſſerunt ab utraq́ parte ęternum,id eſt nec principium habuiſſe,nec finem ſenſurum. Alijs placuit, ortum quidem eſſe,uerum non interiturum. Nonnulli æternum quidem fuiſſe ab æterno,ſed tandem ſenſim defecturum. Ortum & interitum illi ex uoluntate motoris adſcribimus. Si qui eadem & ſuapte natura attribuant neſcio: ſunt certè, ſi qui ſunt, in errore magno,& ſenſu communi priuati, qui hunc rerum ordinem, & tam magnam molem carere cauſa affirmant.Inter quos omnes iudicare,ut non caret maxima totius orbis difficultate, ita mihi uidetur affine eſſe, atq́ ſi qui domeſtici princi-

pis

pis cuiuſdam, de illius maieſtate ita altercarentur, ut ſi de ſuis rebus notiſſimisq; agerent, eumq; aut imprudentia & maieſtatis capiendæ impotentia, aut etiam contentione & uoto, ſuis ſententijs de ſuo imperio deijcerent, dum eius iura aut tutari non poſſunt, aut auertere etiam conantur. Hoc in ueritatis ſede ſeminarium ab aduerſario humanæ mentis iactum eſſe certum eſt, ut perpetuò in uero quærendo hic eſſent homines miſeri altercando, gloriaq; contenderent: non ut plura uero ſuffragia emendicarent, ſed ut ſua ſomnia poſteritati obtruderent, atq; ſe uixiſſe nephario ſcelere teſtarentur. Non nego, quin ueri amor plures perplexos fecerit, uerîq; perquirendi ſtudium: ſed longè plures tranſuerſos egit libido. Hoc (ut multa bona) nos debere Græciæ certum eſt, ut ſua peſte etiam res præſtantiſſima non careret. Sententiæ iſtæ ſunt attentius excutiendæ, nec irreligioſe terminandæ. De Peripateticorum ſententia, quæ autoritate & loco prima eſt (quia plures habet qui eam approbent, & tutentur, ut uero ſimiliorem) poſtremo loco dicendum erit, rationibus & autoritatibus ultro citroq; adhibitis. Plato partim ſentit nobiſcum: cuius axioma ſecundo loco eſt. Habuiſſe enim ortum hanc materiam neceſſitate compulſus nouerat, uel poſterioritate, tantum, cauſa prima inferiorem. Nam quicunque cauſam ponit (ponunt autem omnes docti) ab effectu differre neceſſariò dicet: alioqui cauſa & effectus unum idemq; eſſent: quod repugnat ſenſui. Nam nil ſeipſum producere poteſt. Et preterea ipſa materia mundi eſſet pars Dei, nec differret cauſans à cauſato: quod eſt omnino abſurdum. Principium ergo neceſſariò adſcripſit mundo Plato. Quod uerò finem & interitum illi ſubſtraxerit, non argumentis aut ſtrophis ex uſu rerum iſtarum deſumptis probat, ſed id beneficio Creatoris futurum affirmat, quod bonus ſit, & ſuam bonitatem nemini inuideat. Ideo etiam ſubſtantijs ſeparatis, & materia carentibus itidem attribuit, per ſeq; eſſe mortales dicit, niſi de uoluntate Creatoris uitam illis prorogantis ſua humanitate. Verum non ſatis diligenter, meo iudicio, de dæmonum natura, quos angelos tum bonos tum malos dicimus, conſideratione habita. Quum enim ſint meræ formæ immateriales, uigente & non pereunte prima, eſt impoſſibile illas perire. Sed id faciebat, meo iudicio, non tam opinione de illis rebus falſo concepta, quàm religioni ducens, à uoluntate potentiaq; Creatoris quicquam ſubſtrahere. Non aduertebat bonus ille uir, ut iudico (ſalua meliori ſententia) quod ſæpius aſſeruit, non ens eſſe malum, quod à Creatore non fit, ſed ex parte materiæ accidit, per boni & eſſentiæ priuationem. Itaq; nobiſcum ſentit, præter materiæ immutationem: quam religione tenemus futuram omnino. Nam quamuis ortum mundo demus, non tamen interitum eius admittimus, ſed immutationem, quam & Deus & natura facit, omnino in melius futuram, ut omnis abſit in poſterum corruptio, affirmamus. Verũ de hac poſtea utriq; conuenimus & facto et modo à principio, à fine uero modo tantum differimus, reipſa pares. Ille æternam corruptionem, nos æternam incorruptionem, & longè ipſa maieſtate Creatoris digniorem credimus. Quod ſi mihi negabunt philoſophi ueritatis amatores, ex eorum principijs neceſſariò Cap. de immutatione extorquebo. Qui à fine tantum corruptibilem, & ab æterno ad certam periodum, firmum conſtantemq; mundum affirmant, ab una parte cum Ariſtotele ſentiunt, à fine nobiſcum, niſi quod corruptionem loco mutationis & perfectionis introducunt. Vna fidelia utrunq; parietem inducam, quum de principio agetur. Quod fert rerum natura, nos tenemus, ut iam patet, & latius patebit. Vt omnino ratione ſunt deſtituti, ita

nec egent refutatione, qui eò impudentiæ uenerint, & temeritatis, ut ipſi fortunæ & caſui, quæ ſunt conſtantiſſima ordinatiſſimaq́;, adſcribant, atomosq́; Deo ſapientiores, & tota natura nobiliores cum ſuis uncinis affirmant, electionemq́; illis tribuunt, ut ſe eligere, mutuoq́; connectere, & res inde generare poſſint. Tædet, pudetq́; iſtius opinionis: hominesq́; uocare, qui gloriolæ captatione maluerunt in ſe rationem eſſe negare, quàm reliquorum mortalium conſenſui & ſenſui ſubſcribere. Ea monſtra genuit natura, ne torpeſcamus reperto uero. Nunc ad Ariſtotelem, & eius in ſecta alumnos uenio. Heus tu quiſquis es, qui aſſenſum à manifeſtis cohibendum non cenſes, attende. Cauſa, quam omnes præeſſe huic orbi probamus, affirmamusq́;, neceſſariò præceſſit effectum, ſaltem temporis reſpectu, aut ordinis ratione. Siue enim cauſa ſit antecedens, remota ue, ſeu coniuncta, propinquaue, rem cuius cauſa eſt, præcedit: efficiens finalisq́; eſt tempore prior, formalis & materialis ſaltem intellectu antecedit effecta. Quamuis enim præexiſtat corruptibilibus materia, tamen nondum exiſtente re, antequam illi iungatur materia, non dicitur illi præexiſtere. Verum ne ulla ſit ambigendi occaſio, cauſam hic dico efficientem, non cæteras, niſi & formalis etiam admittamus ſimilitudinem. Fac ergo quantumuis continuum & æternum mundum, cauſa neceſſariò poſteriorem admittes, alioquin uel cauſam, uel cauſæ partem dices: quod eſt abſurdiſſimum. Nam cauſam & effectum differre noſti: & nil poſſe dici cauſam, niſi cauſati reſpectu. Præterea, cauſa partim ſeipſam neceſſariò crearet, ſi eſſet coniuncta: quæ omnia ſunt manifeſtè abſurda, & inconuenientia, impoſſibiliaq́;. Habuit ergo principium, quantumuis antiquum feceris. Tempus nunc nil moror, de eo enim ſuo loco agam. At quicquid habuit initium (modò forma materiaq́; conſtet) etiam quod ad ſe attinet, ſenſurum ruinam certum eſt: quod de inferiori quidem & elementali materia Ariſtoteles probat. Debet uerò etiam de cœlo intelligi. Nam in eo, uelit nolit Aben reis, eſt materia & forma: quod non improbat Ariſtoteles. Ratione ergo corporis (quod quamuis modo his inferioribus ſimili, non habet formam materiæ annexam) tamen habere inde neceſſe eſt, quòd corpus eſt aptum corruptioni, & principio obnoxium. Patet etiam ratione quantitatis. Nam quæcunq́; ſunt corpora, quia finita eadem per ſe ſunt corruptioni obnoxia, niſi propter infinitam potentiam mouentem. Atqui cœlum finitum eſſe, uel oculis patet: & à circuli finiti, ſcilicet corporis natura demonſtratur, & Græco etymo conſtat. Eſt enim ὀυρανὸς ὅρος τῶν ἄνω, ut bene inquit Plato: terminus ſuperiorum eſt cœlum. Quodcunque tale eſt, finitũ eſt, ergo corruptibile. Quod quidem & ipſe Philoſophus octauo Phyſicorũ, & 12. Metaphyſ. & ſecundo de Cœlo & mundo adfirmat: etiam probat Aben reis tertio de Subſtantia orbis. A qua opinione nõ abhorret Alexander Aphroſ. Præterea quæcunq́; potentiam habent, ſunt etiam per ſe obnoxia corruptioni: quum æternum per ſe nil eſſe poſſit, niſi merus actus. At ex occaſione attigi nodum pluſquam Gordięum, & uix etiam machæra Alexandrina ſoluendum. Quod enim Deus ſit actus purus, ſiue potentia (intelligunt philoſophi potentiam ad agendum & non agendum, non quod ad naturæ potentiam: nam Deus eſt potentiſſimus) inde magna difficultas oboritur. Ipſius itaq́; Dei natura, non à diuini numinis autoritate, ſed è carceribus philoſophorum, ipſum cancellis & repagulis coartantium, eſt petenda: ut uideamus, quum cætera ſint neceſſaria, licebit ne etiam per facultates ipſi Deo à philoſophis datas, eadẽ dici uera, ut quòd ſenſu patet, ratione etiam conſtet. Nam miſer

Deus

Deus,niſi illi per philoſophos liceat,ne regnare quidem pro arbitrio poterit. Certè ſi agit ex neceſſitate in materiã, & inuitus, nec poteſt niſi ab externo moueri obiectu,uicerunt: ratio manus impijs dabit, cedet. Verum ſententia eius, qui eſt uiſus iniquior, & ſemiimpius, erga cauſam primam (quam innectere materiæ modo formæ & animæ eſt conatus) Aben reis,etiam Deo autoritate ſua concedet,quod ſecundum rationem in eo ponimus. Idq; concedit mere, ei aduerſario, cui frequentius aduerſandi ſtudio,quàm ob uerum eſt iniquus, Algezeli ſcilicet, his uerbis 3.Diſceptationis dubio 2. Patet ergo ex iſtis, inquit, quod argumentum Algezelis non impetit philoſophos. Illi enim ſemper cenſuerunt actionem dei procedere de ſcientia, abſq; neceſſitate inducente eum ad agendum. Aut ex ſe,aut ex aliqua re intrinſeca, quin potius ex mera bonitate agit.Et ideo neceſſariò uult & eligit,præſtantiſſimo modo uolendi & eligendi. Nec enim unquam in illis errorem cõmittit, quale hic in mundo agimus. Hæc ille. Ex quo loco mihi hoc deſumendum eſt. Poſtquàm uoluntatem & electionem habet agendi, illam uniuerſaliter habere certum eſt: id eſt, & in re & in tempore, (ſi eſſet obnoxius tempori, quo eſt longè ſuperior) quum itaq; uoluit egit, & eo modo, quo uoluit. Ergo non fuit illi neceſſe ab æterno agere in materiam, quamuis ſit actus purus. At dices, ſi eſt actus purus, ergo (fac eum obnoxium fuiſſe tempori, antequam eſſet motus,aut tempus, ut tibi facias ſatis) perpetuò agere oportuit. Fateor. In materia nego. Nam ſi non poſſet niſi cum materia agere, eſſet impotentior animo, & ſubſtantijs ſeparatis. In quo ergo egit & quieuit tandiu? In ſuiipſius contemplatione, & ſapientia omnia futura entia comprhedente, in qua uoluntas non erat coacta agere ſecundum perfectionem & ideam, quam in ſe uidebat. Nam ſi in ſe uniuerſa uidebat, ut uidebat certè,non potuit illi accedere ulla perfectio ex materia producta à mente eius in eſſe, ita ut nunc non iuuatur ab ea. Alioquin imperfectio compleret perfectionem, quod eſt contra aſſenſum. Vnde conſtat, actione perpetua poſſe per ſe feliciter agere, etiam pereunte toto mundo: ſiquidem eius perfectio inde non dependet, ſed ediuerſo. Alioqui rebus immerges, obnoxiumq; corruptioni facies, ſi eget materia. Mundus ergo non eſt ab æterno, ſed habet principium, ut oſtendimus. At mihi dices: Quid in tanta æternitate agebat in ſui contemplatione? Nempe tu tibi fingis tempus, ubi & quando non eſt. Sed fac eſſe, uolo, do. Quum ipſe in hac parte tibi potius deberet ſatisfacere ſua ſingulari ſapientia(certè ſi eſſet ad ſalutem hominis, cuius cauſa corruptibilia omnia, quum uoluit, fecit, ea cognitio neceſſaria, aperuiſſet, & ſatisfeciſſet) tamen nõ inepta quadam cõparatione facere ſatis in re ardua conabor. Scis enim omniũ artium principia eſſe ſumenda ſine magna diſquiſitione, & pro probatis eſſe recipienda. Nam ſi quis à præceptore quæreret, quare ignis eſt calidus, nix alba, terra ſicca, linea linea, punctus punctus: nil aliud dicere poſſet, quàm quia ita eſt, & ita à prima cauſa habet. Ita in ijs quæſtionibus de ſummo bono ſimplici, non poſſet aliquis aliud dicere, niſi quia ita eſt. Sed attende, & in te fac periculum. Si eſſet aliquod regnum & tibi formandum & regendum, aut quælibet alia ſumma res aggredienda (quum illa nil ad tuam felicitatem, niſi quoad gloriam, & tuæ uirtutis oſtenſionem faceret) fieri ne poteſt, ut diutius in eius cõtemplatione retinereris cum ſumma & planè æquali cum facto opere uoluptate? (ſi uoluptatem extra te petere liceret) nõnne poſſet etiam uſq; ad ſecula infinita ea cogitãdi uoluptas protrahi? demũ opus ipſum pro tuo arbitratu quũ uiſum fuerit tẽpus, nõ regno (quod nondum eſt) cõmodum, ſed meræ libertati

& uoluntati tuæ decretum? Certum eſt,nos ſimilibus indies retineri uolu-ptatibus, & maximè affici poſſe, tamen differre, quoad uiſum ſit nobis. Nam quod facultas deficit nobis in plurimis uotis, noſtrum id eſt, nil commune cum Deo habens. Nos enim quum adeſt animis ſapientia, uoluntas, facultas ſi adſit,neceſſariò agimus. Deus uerò in æterna trinitate agens, animo per ſa-pientiam comprehendente rerum naturæ ſpecies, uoluntatem habuit etiam perpetuò comitem,qua quidem ſemper uoluit res eſſe. Sed quum haberet libe-ram temporis electionem, in quo uellet eas fieri, in eo fuit poſitum, ut quum uellet crearet, quod æterna meditatione & gaudio in ſe agitabat, interim nec facultate, nec uoluntate unquam deſtitutus. Sunt enim etiam in nobis duo uolendi modi. Nam rem uolumus ſimpliciter ſine ulla temporis ratione,aut uolumus tali aut tali tempore. Tu autem qui tædio rerum humanarum affice-ris, motu cœli iactaris, generationibus & corruptionibus moueris, longitu-dine etiam temporis à motu cœli ſupputati rerum omnium conditionem me-tiris, non potes ipſe perpendere, quomodo ſupra & ante motum mille anni ſint ſicut dies unus, & unus dies ſit ut mille anni, ut ſcriptum reliquit cum Dauide Petrus. Tibi ergo ſatisfacias his rationibus, ſi potes: aut meliores per-quire, & conſidera tuam perfectionem in boni deliberatione non eſſe diuina prouidentia maiorem. Præterea non debere dici nouam in Deo uoluntatem, quod aliquo tempore ſibi præfixo uoluerit mundum producere, quum non ſit diuina uoluntas noua: quòd quotidie noua naſcantur, quæ ante eſſe noluit. Sed obijcies: Quid ergo tandiu delituit ille Deus? Aut ſocordia (inquies) aut inuidia laborabat, quòd rem ita præclaram tandiu in ſua mente ſeruaret. So-cordia eſſe non poteſt, niſi ubi eſt deſignati officij & neceſſarij neglectus,& mora. Neutrum eſſe poterat in Deo. Res enim quæ nondum erant, obligare non poterant: illi præſcribere nemo poterat. Inuidia non obſtabat, quod nulla res præter illum erat. At impartiri ſtatim quod habes, id diuinum eſt. Bonum enim quo communius,eo diuinius. Quantum conducant mundana nobis ha-bentibus, & quàm debebat eſſe dandi & creandi cupidus, ex his eſt attenden-dum. Latus uerò ſe hic campus aperit. Pergo in comparatione iam ante cœpta de noſtra facultate. Tu quum de illo tuo regno cogitas, & feliciter cognitione paſceris, ſæpiſſimè longè magis quàm ab ipſo opere reficeris. Si illud opus (quod te nec meliorem nec perfectiorem reddere poteſt, tuiq; honoris tantum & gloriæ cauſa eſt comparatum) conſtat opera & diligentia quorundam, qui dum tuum opus exequuntur, ut tibi placeant, & ad te ueluti ad ſummam eo-rum felicitatem contendant, illiſq; difficultate adminiſtrandi eſſet ſumma in-felicitas ſubeunda toto uitæ curſu, ut nunquam in opere ipſo eſſe felices poſ-ſent, nònne mora tua eſſet inuidia? minimè uerò. Præterea eos ſeruos qui in opere tuo ſunt, quo ſint attentiores ad rem, oportet libertate eſſe donatos, ut agere & non agere poſſint. Qui enim ſine arbitrio facit, fit bonus aut malus ſine ſuo merito aut culpa oportet. Itaq; quum ipſe non eſſes inuidus, ſi ita erga futuros ſubditos differres munera pœnis admixta, quum potiſſimum par ſit omnibus futurum præmium, etiam poſt centies centena annorum milia, & pares pœnas luerent imperia detrectantes, aut diſſimulantes. Nònne uis dete-riore conditione fuiſſe Creatorem benedictum, iuſtiſſimum, dum differret eas uitæ pœnas homini, & ea præmia quæ ab æterno diſpoſuit, quum præcipue in mora nil ſit damni, ſeu tardius ſeu citius exhibuerit? Vide ergo, quod Creator ipſe nec ab actione perpetua etiã abſente mũdo ceſſauerit, nec ſocordia aut inui

dia

dia laborauerit, quum iudicio humano, in quo eſt uis æquitatis cognoſcendæ,
nil te in duobus poſtremis peccaturū fuiſſe morando aſſeras, nec à prima actio-
ne, conſiderando omnia, diutius unquam ceſſaueris, quod quidem in multum
tempus facere hominem poſſe certum eſt. Acquieſce ergo, acquieſce omnipo-
tentiæ Conditoris, cuius in animis noſtris & deliberationibus cernimus mani-
feſta indicia & ænigmata. Verum, ut perſiſtam adhuc in exemplo, quî fieri po-
tuit, ut ſumma illa ſapientia, quam nil futurum latêre poſſibile erat, uellet homi-
nes ad futuras miſerias, & uitia ſponte declinaturos, à libertate ſua omnino ad
nequitiam declinando, contra præſcripta facturos: quî, inquam, fieri potuit, ut
uellet ea conditione creatos? Nunquid fuiſſet præſtantius longè non creari,
quàm ea cōditione fieri, quæ poſſet ipſa perire, & à Creatore omnino excidere.
Nam & non natum eſſe, quàm natum malè perire, præſtat. Attende diligenter,
uter duorum hominum eſſet perfectior imperfectior ue: ille qui timore ruinæ,
quæ comes neceſſariò adeſt materiæ (unde & malum ab ipſo autore non pro-
ficiſcitur) nunquam quicquam præclari aggrederetur, ne eſſet inſtaurandum
ſæpius materiæ uitium: an ille qui cognita imperfectione materię, nihilominus
opera præclara inſtitueret, inſtauraturus quoad finem omnia conſequerentur?
Clarum eſt, iſtum longè eſſe præſtantiſſimum, animoſum, fortem, bonum, qui
nihilominus præclara ageret, quòd aſſidue eſſent innouanda & ſarcienda. Pri-
mum puſillanimitate deiectum eſſe, inutilem, abiectumq; cōſtat, & ueluti nihil.
Præſtantius ergo fuit longè, emendandum quotidie & innouandum homi-
nem, qui apex & ſcopus eſt mundi inferioris, produxiſſe, quàm timore erroris
& uitij orbem deſertum reliquiſſe. Itaque & præſciuit, & uoluit. At malum in
mundo non fuiſſet, ſi materiam perfectam feciſſet. Non mala de ſe materia eſt,
quum omnia ſint ualde bona ab optimo facta. Sed ne prima uita in hoc fecu-
lento orbe eſſet immortalis, & tolleretur arbitrium hominis, qui ſine arbitrio
ex perfectiſſima materia formaq; ſimili creatus, non potuiſſet peccare: ideo non
malam, ſed fluxam materiam uoluit eſſe Deus, ut renitentia eius & formæ, eſſet
in arduo magnarum rerum uictoria: interim dum purgatur uniuerſa elemen-
torum moles, in finem omnino extra corruptionem deducenda, ut æternitate
omnia ad felicitatem neceſſaria potiantur. Non progredi uerò malum à crea-
tore & materia ex ſe, facile inde diſces, quòd aquam, argillam, lapides, aut quid-
uis aliud, per ſe bonum, ſi in ædificio benè fabricato poſueris, atq; iniuria tem-
poris labatur, non eſt à te uitium, nec à re ipſa, ſed à conditione rerum, & motu,
qui quotidie innouat, & corrumpit inferiora. Nam materiam ipſam ad quaſ-
cunque formas ſequacem oportet quotidie in uarias partes diſſecari, adiungi,
mutari. Vnde innumeris caſibus contingit, compoſita ipſa labefactari & affici:
ut etiam uideatur quandoque materia uictrix, formasq; aliquas ita obducat, ut
non facile agnoſcas in indiuiduo, ueluti in monſtris: quæ quia monſtrant ſua
ueritate quicquam, ita dicta ſunt. Quibus (ut credo) careret rerum natura, ſi
iuſta rerum æſtimatione ad agnoſcenda Dei beneficia, admirandaq; mouere-
mur. Quum enim ſolita uileſcunt, tunc raris mouemur: non quidem rarorum
ulla auguſtiori & maiori natura, quàm uel formiculę, aut herbulę, uel cuiuſcūq;
alterius rei, ſed negligentia ſolitarum rerū, cōtemptuq;. Quoniam quodcunq;
ignoramus, ut primū apparet, ſi uitam, molem, proprietatē ue habet inſolitam,
ad id obſtupeſcimus, quodq; à noſtra ignoratione procedit, id ſæpe uti naturæ
& creatori omniſcio nouū credimus. Vſq; adeò tamen ea quæ ignoramus, nu-
mero, magnitudine, potētia in infinitū ſuperare putârim ea, quæ fuere cognita,
etiam totius orbis maximo philoſopho. Quod itaq; nunquā fieri aut eſſe uidi-
mus,

mus, id ſtatim non eſſe, quoniam in ſenſu noſtro non eſt, iudicamus: quum ab experimentis, ut ante dixi, diſciplinas collectas, & cognitiones habeamus. Et quia unus modus generationis & corruptionis cognoſcitur, alius eſſe non creditur, quum tamen uitali ſemine iſta omnia ſint commixta. Ob id uaria ſemina, uariæ animantium ſpecies quotidie in terra & mari emergunt, quæ duplici ratione nobis noua & monſtro ſimilia uidentur, quòd iam ab orbe condito creata, nobis non innotuerint, aut ex putrefactis elementorum partibus prodeant, ut multa ſerpentum in cloacis genera, in paluſtribus locis aphyæ, & multa alia in mari, innumeraq; ſuper terram. Nemo enim præter ſolum creatorem nouit formarum numerum, & earum ſpecierum, quæ de potentia ad actum uenire poſſunt. Quod etiam inde patet, quòd arti humanæ obſequens eſt natura, & mixtas ſpecies à prima differentes ſpecie produci indies ab induſtria uidemus, mulos, bucephalos, & cætera innumera, quæ prorogare ideo ſpeciem non poſſunt, quod à forma diuina exciderint, cogimurq; quotidie in uſum emendicare à natura ipſa animantia, fructus, arbores, herbas. Quare patet ea exiſſe à creatoris imperio, quæ ſe per ſpeciem prorogare minimè poſſunt. Cæterum tam uariæ ſunt paſſiones cauſarum tam naturalium & patentium & latentium, quàm caſu fieri ſolitarum, ut nullus mortalis eas animo compræhendere queat. Vnde nos in tanta cæcitate uerſari, atq; ſurſum deorſumq; iactari, tam à nobis quàm à rebus proficiſcitur: omnia tandem in ſuam laudem uertente Creatore, præter ipſa noſtra peccata: quæ quum ſint habitus diuini priuatio, Deo non nocent, nos miſere perdunt. O miſerum hominem, qui arbitrio, quod erat illi ſalutiferum, ita abutitur, & ex naturæ finibus exit, ut ſolus ille contra autorem inſurgat: cætera omnia, quæ in rem eius erant à Deo creata, legibus Creatoris obſequantur, non ſine gemitu, eo quòd æterno motu & rotatione agantur fermè fruſtra. Nam illa finem ſuum conſequuntur, dum iuuant hominem in hac materia uerſantem: ſed uerum finem & ultimum non attingunt, quum homo, cuius finis erat in Dei cognitione & fruitione, ſuum finem aſſequi non ſtudeat, ſed ſibi & cæteris exitio eſſe ſoleat, ſuiſq; capi in hoc mundo tormentis, & æternam pœnam laboribus ſibi comparare ſatagat. O miſeras hominum mentes, ô pectora cæca. Contingit itaq; perinde rebus homini inferioribus, & ſibi addictis, atq; ſaxis & marmori & cuiuis materiei ad ædificandum aptæ contingeret, ſi æternis indefeſſiſq; laboribus ſecarentur, dolarentur, polirentur, in altas & magnificas ædes componerentur: illas uerò ædes, quarum cauſa tot labores ſunt ſuſcepti, nemo unquam inhabitaret, ſed inutiles permanerent, nunquam uſui futuræ. Quos gemitus futuros putas ab ipſis lapidibus, ſi ſenſum & uocem haberent? quas querimonias? Itá ne ſemper torquebimur? Itá ne inutiles poſt tormenta manebimus? nonne nunquam erit quies ab hac actione inutili? Si ille, cuius cauſa ſunt ædificia, ſuo fine frueretur, ſatis nobis eſſet felicitatis: non moleſtè ferremus hæc tormenta agitationesq;. At non ſolum fruſtra creati ſumus, ſed etiam poſt creationem aſſiduè torti propter uos. O infelices domos, in quibus noſtrum eſſe perit, finis perditur. Equidem eadem totam hanc machinam dicturã contra hominem qui finẽ conſequi non ſtudet, ſi eſt ullus in natura ſenſus, non eſt dubium. Verũ benè diſpoſita formarũ ad materiã actione, non eſt quòd malum autorẽ, aut materiã credamus, dicamús ue, quod inde multa mala naſci uideantur: eo quòd reuera nil malũ in tota natura præter peccatũ ſit. Cætera omnia in malis ſunt ponẽda opinione tantũ, nõ eſſentia. At obijcies: Quę bona poſſunt eſſe in ſerpẽtibus, omniq; genere animantiũ nocentiſſimo? Si quę cõmoda poſſet habere homo ex illis, fuiſſet expertus, aut expertus illorum

illorum bonorum, æquè atq; malorũ, meminiſſet. Certè nil eſt creatum, quod in creationis eſſe durans, non facile, multipliciterq; mala bonis compenſet. At id non fit. Tibi & ſocordiæ ignorantiæq; adſcribe, non rebus. Quot homines à uipera morſos & necatos dabis? Paucos admodum. At ſexcenta milia reperias, quibus antidotum ex uipera contulit, contra cætera animantiũ genera. Si quæ bona ſunt in creaturis, illa uenari ſtudioſius eſſemus conati, nil certè in malis poneretur, quin mala bonitate ſuperaret. Nobis, ſocordiæ, & opinioni, non ipſis rebus mala adſcribamus. Si quid malum eſt, id ab arbitrio proficiſci debet. Hoc uerò rebus abeſt, niſi homini & ſubſtantijs ſeparatis. At mala non uocas morbos, mortes, immerita, infortunia, &c. genera eius quam infœlicitatem uocant? Sunt certè, ſi malo homini contingunt: quoniam illi, etiam quæ non ſunt mala, ſed in bonis habentur, ea uertuntur in perniciem, utiturq; illis ut morbis, ueluti hydropicus potu, πληθωρικὸς cibo, auarus auro, furioſus gladio, tyrannus regno. Nil ergo in bonis debẽt impij & iniqui ponere, quoniam reipſa omnia eis mala ſunt, & quæ bona, & quæ mala. Alij multis rationibus loco bonorum habent, quæ in malis habentur. Primum mors ipſa, quæ cenſetur malorum maximum, eſt illis loco ſummi boni, atq; quotidie exoptata, ut ab hac mutatione diſcedere, pacemq; petere liceat, uiuereq; feliciſſimè. Quod quia impij non habent perſuaſum, ideò peſſimum putant, quod optimum eſt. Quid iudicemus de morbis? Aut ſunt medela corpori, aut animo, aut utriq;. Quot genera morborum deuitari uidemus, alterius præcedentis morbi & minoris præuentione? Quot febres abſumunt in nobis eos humores, unde totius corporis periculum procederet? Ad quid præcautiones, flebotomiæ, cauteria, inediæ, labores, (quæ omnia mala dicuntur) à prudentibus medicis præſcribuntur, niſi ut deteriora fugias? Quòd ſi præſagio hominis, uides in magna cęcitate, morbum morbo pelli, ex malisq; contractis, aut noſtro aut compoſiti uitio, aut utroq;, minoribus maxima auerti & euitari, quid de illa diuina ſapientia iudicabis? Nonne ueluti parentem etiam illam ferula licebit filios ab errore reuocare, & afflictione minima morbos & animo et corpore contractos deturbare, ſibiq; hominem perditum reddere? Reuera quòd malum impij uocare ſolent, illud ipſum fit præſtantiſſimum, non uelut in ſe, ſed ueluti cauſa maioris boni, quàm ſit ipſum malum. De infortunijs dicam, quũ præter uſum nil hic fortunæ ſplendor adferat? Vt ſorte naſcendi & moriendi, ita & rebus utendi pares ſumus. Ergo nihili putas in præclara fortuna conſtitutũ eſſe regem agere? Alterum probo: improbo ſecundum. Quid enim uocas præclaram fortunam, niſi ut liceat uno bolo plura deuorare, quàm 1000 homines una die poſſint? contendereq; pompa, gula, cum Sardanapalo, Hæliogabalo, Cleopatra, & eiuſmodi monſtris in reipub. & rerum humanarum perniciem natis? Si eris itaq; malus, addunt opes faſtum, ſuperbiam, iram, inſolentiam, atq; adeò malorum lernam: ut tibi eſſet longè utilius in infima fortuna agere. Taceo hic nautas toto orbe uagãtes, luxuum omnium undiq; quæri miniſtros, ut libidini neſcio quot diuitum fiat ſatis. Expilantur eam ob rem toto in orbe tenuiores, quorũ laboribus res partæ ſunt. Hæ ſunt ſplendoris dotes, hi ſucceſſus: quum interim miſer ille quibus iſta parantur, nunq; quieſcat, ut libidini ponere modum conetur. Atqui nolo malè uti: uolo ſuccurrere egenis: diſtribuere in plures ſoleo. Quid ergo tibi perit, ſi diſpenſatio eſt alteri cõmiſſa? uſus neceſſarius certè deeſſe nõ poterit. Non poteſt ergo in malis eſſe infortuniũ, quũ omnium ſit par uſus. Si es nequam, & amittis, meritò, aut ut res ſeruentur, aut ut conualeas, aut utrunq;. Nam abutenti nil habere eſt ſatius. Si bonus, tuam diſpenſationem eſſe alij creditam non

debes moleſtè ferre. Si mediocris, dimidio fis ſanior ex infortunio, quoniã inſtrumentum ad peccandum deeſt, inſtrumenta ad ſarciendum neceſſitatem nõ deſunt. Sum perculſus corpore: quanto citius perieris, tanto citius felix eris. Senſim abſumor rerum penuria: Deo tanto charior, qui defecata corpora cum animis quærit. Itaq; niſi ipſe tibi defueris, nil in malis eſt ponendũ. Doctè eam ob rem quidam putauerũt affirmaueruntq; malum non habere ſubſiſtentiam. Atqui quum Deus rerum, non priuationis ſit autor, mali cauſa eſſe non poteſt. Meritò itaq; Plato diuinis ſcriptu proximus ſcripſit, Deum non eſſe mali autorem. Quum ergo uiderimus multis argumentis, mundũ aliquando non fuiſſe, Deum eſſe purum actum, ſed liberum, & in ſe ſine materia æternum agentem, nec ſocordem, nec inuidum, ſed per omnia bonum, ut autor eſſe mali non poſſit, naturamq; ipſam mali non ſubſiſtere, reſtat, ut ad confirmationẽ pergamus.

A MATERIAE CONTEMPLATIONE PRIMVMQVE A *natura aëris, mundum habuiſſe principium probatur.*

Etſi puto iam tractatis me abundè ſatisfeciſſe, de creatione mundi, quum dixerim partim neceſſaria, partim nõ repugnantia, & quibus cum ratione occurri non poſſit: tamen confirmandum id duco aliquot ſequentibus argumentis. Primum à materiæ ipſius, quæ oculis patet, conſideratione. Nam ea quæ ſenſibus obijciuntur, faciunt ualidius argumentũ uulgo, quàm quæ ratione tantum ſuaderi ſolent. Dico ergo mundum habuiſſe principium, nec æternum fuiſſe: aut ſi creatus non ſit, ſæpius ex integro inſtauratum fuiſſe, non tantum innouatione antiqui, quod admittunt philoſophi, ſed etiam inſtauratione & incremento materiæ. quod ita probare aggredior. Videmus ſenſili argumento, non tantum alterari ipſa elementa, ſed omnino perire mutua actione, igne potiſſimum agente. Primum argumentũ erit ab aëre, qui abſumi ab igne ſolet. Nam ea ratione cucurbitæ à medicis, & mechanicis æolipylæ ſunt inuentæ. Quum enim in tantillo æris, quanta eſt capacitas cucurbitæ, adhibito igne fit conſequentis obturato uaſe, prohibitio: tunc depaſto eo, ubi reſpiratio deeſt, ignis moritur incluſus: atq; quantum aëris abſumpſit, tantum natura corporis carnei reſtituit, ne ſit uacuum in ea. atq; ita fit attractio humoris ad ſcarificationem, ut dicunt, attrahendi. Eſſe uerò omnino ferè conſumptum aërem, indicat illa uis attrahendi tam potens, & dolorem ita inferens, ut maiores uires in forficibus, aut quibuſcunq; inſtrumentis nõ poſſint attrahendo probari. Poteſt quidem comprimi aliquantulum, & cogi uehementi flatu aër, & mole minori eſſe quàm natura ferat, ut probamus in ὤοις ἰατρικοῖς, à quibus ex ſugendo aërem, aliquid aquæ admittitur, exprimẽdoq; emittitur. tamen ea quantitas parua eſt, nec abſumens corpus. Ignis uerò uſqueadeò eget aëre, quo uigeat, ut ſine illius uſu nil ignis niſi latentis & in potentia ſit. Patet longè clarius in æolipylis. Nam uſqueadeò omnino hauritur & deſtruitur aër in illis, ut anguſto foramine, exiliq; pylo uix peruio tantum aquæ hauriant, quanta eſt corporis capacitas. Nam quicquid eſt reliquum aëris, eſt tenuiſſimum, ignisq; ſimilimum. Itaq; non tantum abſumit, ſed reſiduum ita rarefacit, ut loco faciat ſatis, non accedente corpore denſo & frigido, qualis eſt aqua. Si ergo iſta quotidianis experimentis digito tangimus, dubitamus tantundem fieri in reliquo aëre, & multum quotidie abſumi ſuppleriq; ex aquea materia ſe ſenſim reſoluente? Egere etiam ignẽ aëre ad agendum, id argumento eſt, quòd incitato, & uehementiori accedente accenditur, ablato extinguitur. Flammæ itaq; ſunt aëreæ partes ex aqua reſolutæ. Quum uerò cõſtent iſta in aëre, certũ eſt imminui, & tandem abſumi poſſe exinde etiã aquam & terram. Igitur iampridem defeciſſet mundus, ſi ab ęterno eſſet: opusq; fuiſſet,

ſæpius

ſæpius recreatū eſſe; quod nemo admittat. Nam ſi creatum fuiſſe ſemel negant, multo magis & bis & ter. At diluuies & cōflagrationes repurgarunt. Ignis minuere quidem, augere non poteſt: & eo magis, quo maior. Aquam aut ex hac natura multiplicari oportet, aut nouam à creatore creari: quæ ſola inſtaurare nil poteſt, præterquam aëris aliquantum.

AB AQVAE EXPERIMENTIS.

Coarctanda etiam hic natura eſt in locum, ubi nil depereat, quod ſenſum fugiat: ut uidere liquidò poſſimus agente igne quid patiatur, quomodo alteretur, pereát ue. Ponatur in uaſe quouis materia ſolidiſſima conſtante, quæ nullā perſpiratione aut expiratione admittat, certa aquæ quātitas: ſitq́ hoc uas diſtillatoriū, quale nos uoce Arabica alenbic dicimus, omni ex parte luto forti oblitū, ne quid aëris euaporetur. Demum admoto igne ſub uaſe curemus, ut diſtillet, quod ignē fugerit in aliquod uas aliud etiā obturatū, et cum primo iunctū, ita ut nil aëris effugiat (quamuis aër non preſſus nō petat infima proprio motu) tum demum aqua diſtillata, uidebimus non ſupereſſe octauā partem. Igitur reliquas abſumpſit ignis, quoniam non potuit alio quàm in igne conſumi, aut in uas inferius labi. Quid? quod idem quotidie in omni feruenti aqua experimur, partibus omnibus cōſumptis? Nonne idem in toto iudicandum eſt? Nam ex ea quæ à calore ſolis, ex tota humida natura in pluuias eleuatur, certum eſt partem abſumi, eo uno argumēto, quòd exhalatio eius quæ eleuatur in ſublime, alit quandoq́ diutius ignes in aëris regione ſumma, unde impreſſiones uariæ fiunt. Inflammari uerò aërem craſſum & putrem, ſunt argumento noſtræ corporis miſeriæ, pueris teſtibus ex flatu uentris flammas fœtidas accendētibus. Inde in regione illa aëris uidentur cometæ, bothyni, trabes, & neſcio quot rerum ſimilitudines. Inde ſtellæ deciduæ, inde fulgura, fulgetraq́. Iam ergo ſi ab æterno erat mundus, habuiſſet ſæpius finem. Quis neſcit à lignis aridis ardentibusq́ lachrymas aqueas prodire ab extremis, indeq́ fumū aqueum planè & craſſum, quem in locum ſtatim craſſiore humore depulſo ſe proripit flamma, ita ut mutuò ſuccedant, quoad humor exſudauerit omnino? quod uſq́ adeò fuit multis philoſophis probatum, ut etiā ipſa aſtra ali inferiore exhalatione, quamuis falſò affirmarint. Videtur uerò iſta conſumptio aquæ atq́ imminutio etiam in lacuſtribus locis, ubi ipſa putreſcit, & abſumitur, aëremq́ inficit, uelut moriendo, ut inde epidemia morbus paſſim ſerpat. Non tantū itaq́ perit, ſed cum uicinorum diſpendio locorum. Fontes quotidie in ſublimioribus locis euaneſcunt, in inferioribus ægre reperiuntur, (quū omnes aquæ naturaliter in terra ſoleant ſe habere ad libellam) quod imminutionis ſignum eſt. Verum nullum manifeſtius eſt aquarum diminutarum, & indies abſumi ſolitarum argumentū, quàm quod in multis locis olim erat mare, ubi nunc terra eſt: altiſſimumq́, ubi nunc uadoſum. quod hiſtorijs cōfirmat Ariſtoteles in Meteorologicis. Poſſum uerò multis exemplis locupletare. Conſtat ordine elemētari orbem terræ naturaliter debuiſſe ipſa aquea natura undiquaq́ ambiri, more cæterorum elementorum & cœlorum, ueluti ouorum aut ceparum inuolucris ſe complectentium: ſed imperio creatoris abſceſſiſſe, non naturali motu, certū eſt. Nam prudentia in elementis non eſt, nec ſaluti animantium poterat inſenſibilis natura proſpicere. Ambiuit ergo totum orbem, quod in omnibus locis uideas. Nam nulla pars terræ eſt, quin in ea oſtreorum omnium generum ueſtigia (niſi ubi humus putruit) reperias, ut in harenis, aut in ſaxis durioribus. Fuit uerò item tempore diluuij ambitus ille. Inde non fuit omnino terra obuoluta. Quod uerò etiam ab eo tempore mare ſit plurimum diminutum, multis hiſtorijs probabo. Mihi quidem in

confeſſo ponit alterari loca Ariſtoteles: uerum minui etiã demonſtrabo. Nam nunc totus orbis eſt apertus, unde licet coniecturam capere totius globi terreſtris. Primum quidem olim fuiſſe ſummerſam aquis Aegyptum Homerus teſtatur, refert Ariſtoteles. nunc partim eſt æquò ſiccior. Venetorum regionem quam Paduanam & Marcam Teruiſinam uulgò dicunt, fuiſſe aliquando mare iſtis patet. Quum effodias altius (uel 20 milibus paſſuum, ab eo loco ubi mare eſt) illic ſummerſorum nauigiorum fragmenta reperiri, etiam noſtra ætate, iuxta Antenoris urbem, quum alueus aquæ ductus foderetur, probatũ eſt. Quod mirum uideri non debet, cum à quercu & alno, multisq; alijs lignis æterna ſit palatio, ut quidam ſcribunt hyperbolicè. Niſi hodie Veneti diligenter proſpicerent, ut pro ſaluandis alueis, & urbe, canales ſæpius defecarentur, iampridem in terra eſſet urbs Venetiæ. Rauenna ante 1500 annos erat omnino ſimilis Venetijs. nam pontibus, & lembis in ea ire licebat. Nũc uero duobus ferè paſſuum milibus à mari diſtat. tanti eſt ſedulitas. Venetiæ iam à 1100 annis, & ſuprà, conditæ, diligentia euitarunt, quòd eadem temporis periodo contigit Rauennatibus. Ptolemæus Adriaticum & Aegeum mare diligenter fuerat perſcrutatus: tamen longè plures inſulæ uiſuntur in utroq;, quàm ipſe, uel Plinius ex Strabone ſcripſerit. unde ſubſediſſe mare clarum eſt. In humilioribus Aſiæ minoris locis maritimis, pariter & Africanis, idem contigit. Nec tantum in mari aqua ſalſa, ſed & paluſtris euaneſcit. Nã multæ regiones olim ob paluſtria loca incultæ, nunc incoluntur, ſiccatis aquis. In extremis Galliæ & Germaniæ oris id patet, qua ad Oceanum uergunt: nec eò procedunt ęſtus, quo olim. Ipſa in Gręcia argumenta eadem ſunt. Perfoſſus Athos (niſi à ramento montis Hemi) erat aqua cinctus: alioqui ſi fuiſſet atq; nunc eſt, promontorium eſſet: nec foſſa uidetur, cum aruerint omnia. In Peloponneſo multa admodũ indicia. Quid regno Tyndari clarius? At hodie fermè tota peninſula ſterilis eſt, oſſaq; terræ oſtentans. Quid de Argiuis & Mycæneis dicã, qui intra annos plus minus quadringentos deſiccari immenſas paludes monſtrarũt? Palus Mæotis, ſexaginta annis ita mutata tempore Ariſtotelis erat, ut longè minorum quàm ante nauigiorum eſſet patiens: nunc uerò præter lembos, nulla fert, niſi ſecundum aluei in fluminis Tanais. Ariſtoteles dat etiam flumina mutari, & ſiccari: quod certũ eſt. Nam anno ante hunc tertio, Chriſti ſcilicet 1539. fuit tantus ardor æſtatis, ut multa euanuerint in Gallia flumina, omnes puteorum aquæ pluſquam cubitali ſpacio deſederint. eſt ubi hexapeda & decempeda, quod imminutæ quantitatis elementaris & ab igne abſumptæ certum indicium eſt. At obijciunt: Non negamus minui, ſed aliò concedere, & inundare quaſdam regiones nobis incognitas affirmamus: quomodo etiam immiſſum mare inter orbis partes celeberrimas cernimus. Miror impudentiam, aut certè ſupinam negligentiam hominũ, qui ueri cognitionem profitentur, quomodo in fabulatorum uerba iurare ita in quibuſdam ſoleant, ut rerum rationem poſt eos ſpernãt. Si admiſſum mare aliquando à columnis Herculis eſt, antequam admitteretur, quò ponebant aquas Iberus, Rhodanus, Padus, Danubius, Boriſthenes, Tanais, Phaſis, Thermodon, Nilus, Bagradas, maxima omnia flumina. quorum unus Danubius, conuehit 60 ſecum flumina nauigij patientia: alter, Nilus uidelicet, à tropico fermè brumali ad noſtrũ decurrit. Taceo pluſquam trecenta alia, nauigabilia omnia. Quò tandem illæ aquæ concedebant, antequam præclarus ille Deus admitteret mare? Heus uos, non pudet ineptiarum? Quum omnes aquæ neceſſariò ſint ad libellam poſitæ in uicinia (nec enim ignoro globum ex aqua & terra fieri) qui poſſet fieri, ut illa aqua non impleret ſtagnum? & locum illum quò mare conceſſu-

rum

rum aduentu illius Dei eſſet,ab æterno credo,ſibi ſeruabat id miraculi:& aquæ contra naturam euaneſcebant. O Græciæ uanitatem,ô amentiam philoſophorum, qui illis nugis fidem adhibent.Illos non nomino, ne ſtultitiæ hoc in loco notentur. Neceſſe certè fuit ad libellam eam ſemper ab imperio creatoris fuiſſe aquam:quę tantum abeſt ut admittatur ex Oceano in noſtrum mare, ut contrà noſtrum in Oceanum inundet, & tam uehementer, ut à Propontide molas omnis generis impetu rapaciſſimo agat. Quæ cauſa eſt,ut natura Oceani æſtu reciproco non uideatur in noſtro, unde tot argutationes inter philoſophos. Arcet impetus aquarum exundantis noſtri Oceani æſtus, ne conſentiant,niſi in ipſis faucibus.Nam ad columnas Herculis eſt æſtus penè par Oceani. Interius iuxta Hiſpanias, & Mauritanias ſenſim minuitur, ut uix maximus ſeſquipede Romæ & Carthagini uideatur. Venetijs arbitro Adriæ flante, fit paulò maior: alioqui uix ſemipede attolli ſolet.In mari Pontico & Propontide ne ſentitur quidem,niſi quum flantibus auſtris in Propontide ſpitamæ craſſitudine attollitur. Iam ergo non eſt admiſſum,ſed emittitur.Quomodo tandiu ſalſum? Ex alterius commixtione inſtauratur, quod aquis dulcibus deperire poſſet. Itaq; eſt ſalſius ad fauces,quàm in receſſu. Vnde in toto Oceani littore aqua deſiccatur in ſales ui ſolis, quod intrà ultra Italiam nõ fit. Atqui admitti in terra quandoq; conſtat.Non nego ui tempeſtatis aut uoluntate Creatoris in ſcelerum animaduerſionem immitti, ſed ſi motu naturali id fit, ſtatim ſe recipit, ut uidetur, paucis poſt annis.Nam ea quantitas quæ iam tot annorum milibus deperdita eſt in noſtro orbe, quum aquæ ipſæ ſedatæ, & à uentorum agitatione quietæ, ſint ad libellam poſitæ, deberet perpetuo curſu etiam inundare, modo hos, modo illos populos, ut nil eſſet inundatione familiarius: aut ſaltem quibuſdam in locis in tumulum attolli, & libellam excedere. quod neutrũ uidetur. Abſumitur ergo. Non recedunt ſtatim diluuia, dices: nam Athlantis inſula ante columnas Herculis olim poſita, illuuie perijt. Egregium commentum Aegyptiacum, & indignum quod Plato in Athlantico & Timæo (alioqui à temeritate falſa aſſerendi alienior) ſcriptum reliquerit. Quaſi uerò perierit, quod non aditur amplius, aut quod fortaſſis nunquam fuit. Verum fac fuiſſe, & Platonẽ ut ſuos ciues antiquiſſima origine donaret, uera dixiſſe. Eſt etiam hodie magna admodum continens, extrema pars Aſiæ ab ortu per antipodas occaſum petentis pars. Latiſſima certè, & ſupra memoriam omnium literarum (niſi de hac intellexit) noſtro tempore aperta, regum Galliæ, Luſitaniæ, & Hiſpanię opera, perluſtrataq;, nec perijt: Verum cõmentum Aegyptium, aut Platonis autoritas illam à faucibus Herculis paulo longius ponat neceſſe eſt. Certè quum à polo ad polum pateat, non poteſt nõ obijci freto maris noſtri. Itaq; nil eſt illic ſummerſum. Quaſdam urbes abſorberi, ſiſmis quaſſari, aquis demũ inuolui, quis neget? Fiunt tamen iſta frequentius loco depreſſo & humili. Alibi enim poſt pauca temporis interualla ſe aquæ recipiunt in alueum, quod nec Græca nugacitas negabit. Diluuia enim ea quæ ſibi finxit, imitatione diuini, de quo audierat, excogitauit: ut in nulla re non fuit ſimia alienorum inuentorum. ſed reuera ſimia, id eſt deprauatrix. Oportebat ergo eam molem aquæ ab eo loco ſtatim committere alibi diluuia, præcipuè in mari noſtro, tantæ molis non capaci. Facile ſanè adducor ut credam, diuinã prouidentiam (nam alioqui motu naturali fieri nequit) in illos populos qui falſis opinionibus orbem eſſent peruerſuri, inſtrumẽtaq; dæmonum futuri, animaduertiſſe aquarum illuuie. Verum hæc ſatis ſunt, ut pateat aquas hinc deperditas in diluuies nõ tranſire, ſed ſenſim exhalationibus abſumi, dum in aërẽ ſoluuntur, aër ipſe eſt ignis flammãtis pabulum. Vnde & ab aëris & ab

aquę natura patet,ab æterno nõ fuiſſe mundum : nam pridem eſſet abſumptus.

A TERRAE CONTEMPLATIONE.

Terram aſſiduè deperire ui imbrium, & torrentium & fluuiorum curſu aliò trahi, et ſenſim euaneſcere, et relinqui tandem ueluti eius oſſa nuda, in exemplo ſunt, quæ ſunt uicina torrentibus & fluminibus. Nam quotannis quippiam abrodi, ſenſu percipimus: quod nec ipſe negat Ariſtoteles. Futurum ergo erat ab æterno iiſdem actionibus durantibus, ſæpius periiſſe: & quum nũc ſit, creatum denuò fuiſſe. Quod nec ipſi philoſophi hoc uno argumento concedere uolunt, quòd non poſſint animo concipere, quid in uaſtitate illa ęterna, tandiu delituerit Deus ipſe αὐτοφυής. Equidem ſi æqui rationis æſtimatores eſſe uolent, quam ſe quærere dicunt, ægrius longè concipient, quomodo mundus ipſe, cuius partes omnino pereunt, poſſit tandiu in rerum natura conſiſtere, quàm æternam illam prouidentiam, per ſe felicem, nullius egentem, ab æterno ſine hac feculenta materia ſubſtitiſſe. Fac age exemplo diſcamus, ut à finitis infinita. Aedificet aliquis caulam, uel caſam, mapale, aut quiduis aliud, quod ex natura materiæ fluxum ſit, cuiuſq; partes ipſis oculis deperire quotidie uideamus, ut ex materiæ fluxu itidem à principio ſit neceſſariò paſſa ea domus, atq; non poſſe ferre ætatem decem annorũ iudicemus. ſi quis aſſereret iam ita totos quinquaginta annos duraſſe, quoniam qui eam conſtruxit, eius ætatis eſt, à quo conſtruere potuit: utrum facilius concipies, quũ liber ille ſit, nec coactus illam fecerit, domum iam 50 annis duraſſe cum autore, aut ipſum autorem per ſe ſine domo felicem quadraginta annos uixiſſe, demum domum illam fragilem ædificaſſe? Si rationem eam te capere negabis, adpellabo ad totius orbis conſenſum, & iudicium. Verum uſq; adeò ueri deprauandi ſtudio flagrant, dum uerbis Deum fatentur, & operibus eius effectiſq; agnoſcunt, ut toto conatu, & ſcriptis, & uerbis, & uitæ tenore illum eſſe negent. Nam ſi omnipotentẽ, ſi perfectiſſimum, ſi liberum, non coactum, ſi infinitum, ſi feliciſſimum, ſi perpetuum actum in ſe omnia (ſint uel non ſint) agitantem agnoſcerent, ut uerbis fateri neceſſe habent, nunquam illi materiam iſtam ueluti ad complementũ neceſſariam adiungerent: quũ ante creatam materiam & creata ipſa, & poſt immutatam & defecatam, aut ab actione uindicatam, ſit par eius felicitas. Volunt materiæ molem perfectiſſimo addere perfectionem. O ſtupidos homines, & cæcos. Quàm meritò dixit noſter Paulus, ſecretorum cœli cõſcius: Volentes eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & euanuerunt in cogitationibus ſuis, eſtq; amentia correptum inſipiens cor eorũ. Quum enim Deum cognouiſſent, non ſicut Deum glorificauerunt. Ideo ſapientia carnis mors eſt, inimica Deo. Quum ergo terram ipſam ſenſim deperire conſtet, æternitatem illi deeſſe ex ſua natura, neceſſariò iudicandum eſt. Ergo quatuor elementorum moles ſenſim iam periiſſet, cauernis ipſis terræ ſtillantibus aquas, uaporibus à terra opera ſolis in dies extrahi ſolitis, aqua in aërem degenerante, aëre ab igni depaſci (quũ alimentum & baſis flammarũ adeſt) ſolito. Nil ſupereſſet pridem. At quũ aſſero (quod patet ſenſui) montes ipſos aquarum lapſu aliiſq; temporis iniuriis ſenſim abrodi & perire, decliuia imbribus ablui, & tergeri, obiiciet mihi recutitus ille Philo, quem miror à ſanctæ legis præſcripto imbutum uoluiſſe ob has nænias quas Theophraſto adſcribit, à ſancto præſcripto recedere. Verum quidem eſt, inquit, montes abrodi & abſumi: ſed interim à ui ignis in terra incluſi, alii naſcuntur, dum ignis erumpere tentat, atq; ita emergunt, dum exit, ſequente ipſa terra ignem erumpentẽ. O cõmentum Theophraſto dignum. Ita ſuas nugas adſcribunt autoribus magnis, qui mentiri impunè uolunt. Quis credat tam doctum Ariſtotelis diſcipulum, ut quem ille ſcholæ

præſtan-

præſtantiſſimæ moderandæ delegerit, eò impudentiæ contra præceptoris placita ueniſſe, ut aſſerat ad ignis motũ ſequi fluxum terrę? Vehementẽ quidem in aëre motum alium trahere, ignemq́; ignem, & aquam fortaſſis aquam, fuga uacui admitti poteſt. At terram corpore ſolidam, duram, eadem pati, quis adeò impudens, ut cogitet? Verũ habeat ſuas opiniones, argumentũ eius iudicij. Montes ſolent quotidie igne actiuo diſſolui, omniaq́; rumpi, ab eodẽ uult naſci, conſiſtereq́;, quũ ignis actiuus niſi in materia non poſſit eſſe, ueluti in ſulphuroſis: quale eſt in Islandia, Sicilia, Veſuuio mõte, & multis orbis partibus, nõ ligans, ſed abſumens. Egregius ille homo non potuit diſcernere, quid inter potentiam & actum ſit. Eſt quidem in toto terrenæ naturæ uinculo aliquid ignis ſpiritalis admixtũ: unde reſudationibus et uegetatione creantur in terra omnia, mediante ſpiritu. Verum ut unquam erumpat iſte, aut uim inferat, longè abeſt. Sed ad alia pergo. Ab artium inuentione. Nam & terrã abſumi cõſtat, & friuola eſſe Philonis obiecta. Quî fit ut artium inuentio indies emergat, & non pridem omnia ſint aut per manus tradita, aut ſcriptis prodita? Etiam res neceſſariæ nouũ commentum ſunt, & hominũ nuper mortuorum. Frugum uaria genera indies emergunt, ſpecies fructuũ adiuuante naturam ingenio humano uidentur, adduntur q́; potẽtię naturali. Quid plura? Diluuia generalia (inquient) conflagrationesq́; omnia memoria hominũ tollunt. Vnde à principijs eſt denuò repetendum & diſcendum. Igitur omnes ad eam potentiam pares, & ſi qui ſunt maiori ingenio, eo præſtantiores. Quî fit ergo ut Gręci hominũ genus feliciter natum, & cui ut Ariſtoteles ſcriptũ uoluit, nec cœli, nec ſoli, nec ingenij, nec corporum uires optimæ unquã defuere, longè cæteris mortalibus præſtantius, omnia quæ ad uitæ humanæ uſum naturamq́; locupletandam faciunt, non longè ante cæteros mortales repererint, Athenienſes præcipuè? Quare mille annis poſt barbaros (ut uocabant Chaldæos, & Magos, Aegyptios, Prophetas, & id genus) religio, artes, literæ ad Græcos acceſſerint ante incognitæ? Vnde ea opinio prodijt, ut quotquot inſignes in Græcia fuere, barbaros diſciplinæ cauſa adierint? Quod obſeruabatur Athenis ante 1500 annos, ubi ea diuina uis ingenij quæ à barbaris uincitur, docetur, formatur. Ergo quum poſt diluuium generale Deucalionis (ut uocabulum Noachi Græci mutauere, ne quicquam ab externis hauſiſſe uiderentur) omnium hominũ eſſet par conditio, quum barbari ſint rudiores Græcis autoribus, quî fieri potuit ut tot genera diſciplinarũ maximarum habuerint tanto antè tempore? Græci Gręci ſemper pueri eſtis, nec eſt in uobis (ut aiebat ille) ulla ſenex eruditio. Oportuit ergo ſuperſtites illos homines fuiſſe diluuio, ut ſacra habent, & à maioribus eas accepiſſe diſciplinas, quæ ſtatim excultæ fuerunt, indeq́; paulatim in totũ orbem diffuſæ ſunt multis poſtea ſeculis. At illi idem quorũ placitis eſt neceſſariò credendum, tradiderunt, mundum ortum habuiſſe, & ante ſe à numine datas rerũ diuinarũ ſcientias. Cæteras artes, ut non ita ad uitam neceſſarias, inuenit neceſſitate docente poſteritas. Sed illi adminiculis rerum à patribus acceptarũ priores omnia didicere. A quibus poſtea Græci, inde Latini. Quũ itaq́; ſuperſtites aquis fuiſſent in Aſia, certã de rebus tranſactis ſcientiam habebant. Artes igitur humaniores, quas nondum prior ætas melioribus occupata (diuinis ſcilicet) nondum repererat, etiam eo tempore latebant. Ergo mundus habuit principium. Eſt ergo à philoſophis ſubſcribendum ſacræ autoritati, quæ iſta tradidit, ſine adiuncta ratione, quæ eſſe uera oportet, poſtquam ratio laborioſè quæſita eò nos uel inuitos ducit. Sed de mundo hactenus. Nam ubi corruptibilia omnia & recentia in eo uidentur, habuiſſe originem conſtat.

MVNDVM ESSE CREATVM EX NIHILO. Cap. V.

QVicunq; admittit mundum à cauſa pendêre, Deumq; eſſe ſupra rerum omnium naturam, atq; αὐταρκῆ, αὐτοφυᾶ, εὐδαίμονα, ut uno uerbo dicam, ab omni parte beatũ, illi nõ eſt ſuadendum, mundum fuiſſe ex nihilo in eſſe deductum. Si aũt cum eo qui ab uniuerſo tollat cauſam & prouidentiam, ſit agendum, poſtquam nec proprio ſenſu mouetur, nec ratione admittit neceſſariam, nec autoritatẽ ullius quantumuis magni nominis & iudicij probat, nil niſi ſua ſomnia ſectatur: certè luderetur opera, aër uerberaretur. Itaq; ut obſcuritati rerũ præcedentium aliquid lucis accedat, ueritatiſq; paulatim ſe prodat natura, iſta tractabimus. Bonis enim uiris & pijs cõfirmabimus, quæ ſunt iam tradita, uiãq; ad ſequentia ſternemus. Quod ut facilius fiat, cauſæ omnes rerũ ſunt iterũ referendæ. Sunt ergo duorũ generum cauſæ, concauſæq;. Primæ, ſine quibus ſecundæ eſſe nõ poſſunt, ſunt primũ agens, aut prouidentia, & finis. Concauſæ ſunt, quæ ita adnexæ ſunt rebus, ut nullo modo poſſint ſine illis eſſe, ſcilicet materia & forma. Primam & ſecundam conſiderat metaphyſicus, ſecundam & tertiam mathematicus & artifex. Quamuis ergo non poſſint eſſe ſecundæ ſine effectu primarum, tamen cõiungi ſemper neceſſe non eſt. Quamuis enim domus non ſit facta ſine mente & opera artificis, nec niſi cuiuſdam uſus gratia, tamen poteſt domus conſtructa artificis præſentia eſſe deſtituta atq; inhabitata. Niſi autem ſit quædam habitationis forma, & ex quacunq; materia, domus iam nõ eſt. De ratione uerò uniuerſi idem cenſendum eſt. Eſſe unũ artificem, à quo ſubſternatur ipſi formę materia, cuiuſdam finis gratia. Si igitur uniuerſi eſt primus motor, & prouidẽtia, ut neceſſariò eſt, ergo omnia ex nihilo creauit. Nam ſi rem iam antè formatam habuit, prima cauſa non eſt. Quum enim nil ſine cauſa ſit, ea materia formata uel informis, ab alia cauſa erit, & item ab alia, & ſic in infinitum. Itaque non erit prima cauſa, quod eſt abſurdiſſimum: ſed fortaſſis ea materia orta erit à ſeipſa. Atqui fieri nõ poteſt, ut quicquam ſeipſum creet. Oportet enim ſi nõ eſt ex nihilo, eſſe ab alio, aut à ſe, aut partem Dei & cauſæ primæ. Duo prima falſa ſunt, ergo & tertiũ. Nam illa pars Dei iam ſeipſam crearet, quod eſt abſurdum, & Deum facere materiam, & ſimpliciſſimũ facere diuiſibile. Ergo eſt mundi materies moleſq; ex nihilo effecta. At nõ capit animus, quomodo ex nihilo fiat aliquid. Non, quia cognitio noſtra noctuina ab ignotioribus naturæ (ſi tamen quicquam differat cognoſcendo) ad ſibi notiora progrediens, per experimenta materialia, in hoc mundi globo aſſuefacta, non poteſt capere, quod non uidit exemplo. Tamen ex his quę quotidie accedunt ſenſui noſtro, quæq; antequam uideremus, nunquam credidiſſemus, cognoſcimus clarè, ſi partem ignotam nobis cum nota conferamus, nil planè totius uniuerſi ſcire nos, ſi totius rationem ſpectes. At nouimus quatuor principia, ex quibus omnia: ſcilicet is ſuperis labor eſt. Nouimus enim proinde omnia atq; ille, qui quòd elementa alphabeti cuiuſcunq; linguæ noſſet, omniũ diſciplinarũ eo charactere ſcriptarũ profiteretur ſcientiam. Legere quidẽ fortaſſis omnes literarũ ſyllabas & uerba poſſet, at quid proficeret, iudicate. Ita philoſophi quòd ſciant, ignis eſt calidus ſiccus, terra frigida ſicca, aër calidus humidus, aqua frigida humida, ueluti naturæ hiſtoriã recitando, qua ratione ita ſit, aut quot ſpecies inde prodire poſſint, ſe ſcire poſſe autumant. Primũ quidem τὸ διότι nunquam ſcient, & niſi admiratione prouidentiæ nunquam cognoſcent: & ſi cognoſcent, ita fiet, ut animo cõcipiant, uerbis explicare nequeant. Alterum porrò ſenſuum experimentis diſcent. Et mirantur, ſi non capiant, quomodo Deus ille qui ſua bonitate in ſuum honorem & laudem nobis iſta oculis ſubiecit, ſenſus quibus ea cognoſceremus dedit, po-

tuerit aliquid ex nihilo producere. Quamuis aũt nil exempli in inferioribus ſit, quo poſſit ſenſibiliter oſtendi, ex nihilo fieri aliquid: tamen ut proximum à natura dari poteſt, ſubiungam. Accipe ter mille libras, aut quoduis aliud terræ frugiferæ pondus, aquaq; riga ut maximè poteris, antequã appendas, ut ſit in ſummo grauitatis genere, cui nil poſſit grauius eadem quantitate & genere opponi. Ex hoc hortũ penſilem facito, ſubſtrato lapide, metallo, aut quouis alio corpore, quod diutiſſime à communicatione alterius terræ arceat, faciatq;, ne quid quod ad ſenſum attinet, depereat. Demum ſemina quoduis genus ſeminis, ſed potiſſimum luxuriantis naturæ in eo horto, ut periculum citius facias. Collige quotannis folia, corpora, fructus, appende, uidebis ſanè ante multos annos te magnam ponderis partem ab eo horto ſubtraxiſſe. Appende rurſus rigatum ſolum, ut antè, nihil in eo minutum inuenies. Cogita ergo unde fructus tibi prodierint, quum nil omnino deceſſerit terræ. At dices: Ex aëre & pluuijs id proceſſit, rigandoq; creuit. Certum eſt nõ immeritò ſcriptum reliquiſſe Moſen, Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas. Nam quamuis quatuor elementa ad omnium generationem cõcurrant, tamen tam magnam in omnibus partem ſibi uendicat aqua, ut aliorum operæ ſi ad eam comparentur, non appareant, atque aliunde conuehat materiam cæterorũ ſenſum fugientibus partibus. At ſi dabis ea quæ tibi in terra nil imminuta creuerunt, omnium rerum expurgatori igni, nullum eſt dubium, quin magna ſit futura cineris quantitas, & præcipuè ſi arbores aut frutices plantaueris. Cineres uerò eſſe terram ſynceram, fatentur philoſophi. Nam agente igne quamuis aquam aëremq; abſumit, tametſi terrã aliquantum imminuit, non poteſt omnino perdere. Vide ergo, unde illa terra tibi prodit, quum præcluſeris uicinæ uiam, tuæq; nil perierit. Certè ex nihilo illam diceres creatam, niſi in materiali parte mundi ageremus. Ineas ab hoc exemplo rationem, ô ueritatis & ueræ ſapientiæ amator, & totam rerum naturam ob oculos pone, quamplurima ſanè uelut ex nihilo creari uidebis: aut ſaltẽ ſi ex nihilo non creentur, tamen quomodo corpus craſſum & ſenſile irrepat in naturę compoſitionem, nunquam capies. Noli ergo, noli ob tuam ignorationem, tuis blaſphemijs Deum petere, eiusq; potentiam imminuere, quum longè ea quæ noſti, ipſa ſuperet. Nam tuum ſcire, de operibus eius recitare eſt.

QVOD DEVS CVRET ETIAM *particularia.* Cap. VI.

NOn pauci philoſophorum, quum prouidentiam rebus humanis dare principium fateantur, agnoſcantq; uel inuiti, tamen ab uniuerſi cura remouent: & poſt editas res ipſas, non ſecus curare an malè uel benè ſuum eſſe conſeruent, quàm artifex, qui ſatis habet opus effinxiſſe, demum negligere ſolet. Verum parum accuratè rerum conſideratione habita. Nam ubi arte noſtra quandam formã materiæ cuiuis adhibuimus, ui materiæ ſubſiſtit, pro natura rei, loci, tẽporis, ita ut præcipuis eius partibus nõ opus ſit noſtra induſtria: quoniã quantum poſſit durare, in nobis nõ eſt poſitũ, niſi partibus iniuria tẽporis & loci immutari ſolitis. Cumq; nos inſtauramus, id ſumpta à natura materia facimus, quę pręſcripto tempore in eo opere duratura eſt. Nos itaq; corruptibiles quiete, motu, alterationibus egemus: at diuina Prouidentia quũ ſit purus actus, nunquam quieſcens, proculdubio ipſi materiæ potentia immenſa aut mediata aut immediata ſemper incumbit. Si mundus cõſtaret omnino lapide, aut quauis materia craſſa, quæ etſi ſenſum non haberet, tamen ab elementari materia participaret, ſemel ligatis unà horũ corporum partibus, poſſet in aliquod tempus quoad re-

ſoluerentur,agere quietẽ. Verum prætcrquàm quòd ea quæ ſenſu carent,ſen-
ſim per appoſitionẽ alia, alia per nexum procreari ſolent, ita ut diuinitatis ſem-
per agentis ubiꝗ agnoſcamus ueſtigia, uoluit longè perfectiora prodire in me-
dium,quibus iſta ueluti baſis loco eſſent,& item alia his ſuperponere,donec ad
quarta uentum ſit.Quædam enim in tota natura maximè craſſa,uitæꝗ expertia
ſunt:quæ ideo eſſe ſimpliciter dicimus,ut ſunt elementa ipſa,ſaxa,gemmæ, me-
talla,& alia, quæ maximã partem terræ & aquæ habere uidemus,quæ ipſa qui-
dem non ſui cauſa conſtant. Sequenti in ordine ſunt ea, quæ ſeminibus conce-
pta, uirtute & præſentia Dei & ſeminis pridem ſeminati alimentũ ab illis pri-
mis trahunt,uiuuntꝗ,& maiori mole aſſurgunt, quoad periodum ſuæ naturæ
attigerint,uſuiꝗ fuerint ſequenti ordini. Qui præter uitã etiam ſenſum & mo-
tum habet,augeturꝗ eadem uirtute ad periodũ uſꝗ uitæ aut uſus finem, quem
nõ in ſe habet: (nam res & fines differre ſemper certum eſt) ſed in ſequenti or-
dine,& totius mortalitatis maximo conſequitur. Quartus iſte gradus quatuor
etiam naturas cõplectendo,eſt cum lapidibus,uiuit cum plantis & animalibus,
ſcntit cum animatis, eſtꝗ totius naturæ ſcopus homo. Qui cum ſui cauſa non
poſſit eſſe generatus, habeat in ſublimiori gradu finem neceſſe eſt. Ideo præter
animam cæteris animantibus cõmunem,eſt intellectu immortali prȩditus,quo
crebro cœlum animorumꝗ originem & Deum contemplari poſſit:eſtꝗ eius fi
nis præcipuus in hac uita,mutua cum cȩteris hominibus ueluti fratribus opera:
in futura,Dei cognitio, & omnium rerũ in eo perfecta uiſio.Itaꝗ cauſa ipſa effi
ciens rerũ omnium,ſui cauſa omnia creans,tunc etiam finem ſuum illis reddit,
quum homo in agnitionem creatoris tranſit,& immoratur. Is ne ordo uidetur
etiam in minimis uel ad horæ momentũ poſſe durare,niſi perpetuò moderator
ille formas in materia ſeruans & ligans,præſens adeſſet,omniaꝗ curaret? Certè
fieri non poteſt. Nam nunquã moribundæ naturæ ſubſtituerentur, niſi ſemper
adeſſet conſeruans forma,à creatore adeſſe iuſſa.Ideo quòd iſta per ſe ſubſiſtere
nunquam poſſint,deſtituta rectore,dixit meritò Plato,nõ eſſe. Quid eſt(inquit
in principio Timȩi)quod ſemper naſcitur,& nunquã eſt:aut quod nunquã na-
ſcitur,& ſemper eſt? Per ea quæ ſemper naſcuntur, & nunquam ſubſiſtunt,ca-
pit iſta inferiora indiuidua,quæ reuera nunꝗ per ſe ſubſunt. Formæ uerò,quã-
uis nunquam niſi in materia uidentur,tamen ſemper ſunt:ita Deus ubiꝗ eſt.Si
aũt autoritatibus ad rationes confirmandas ſit opus,nullus (niſi fortaſſis ἀτομό-
λογοι & Epicurei) ex tota gentilitate philoſophorũ eſt defuturus, ne ipſe quidẽ
Deo quantũ fieri poteſt iniquiſſimus, Aben reis.Itaꝗ de ſcientia Dei eſt uiden
dum,quid ſentiat. Nam niſi Deus ſciret omnia,& per unã ſcientiam ſimul & ſe-
mel cognoſceret,de omnibus ei cura eſſe non poſſet. Ait itaꝗ de ea,quũ in mul-
tis alijs locis,tum potiſſimum contra Algezelem , unde autoritatem lubentius
deſumo,quod etiam æquiſſima uix illi conceſſa uelit. Diſceptatione ſexta ſolu-
tione 3 obiecti ita ait:Non eſt impoſſibile in ſcientia Dei una & eadem exiſten-
te retineri rerũ quæ ſcire poſſunt multitudinẽ.Nanꝗ philoſophi probant Deũ
ſcire ſeipſum,& prætcrea alia mobilia.Et paulò poſt:Sciẽtia in Deo eſt actualis,
noſtra potentialis, & ab obiectu pendcns:quod in Deo non eſt admittendũ.de
modo uerò ſcientiæ Dei humanus intellectus nõ poteſt informari.Et alibi:Dei
ſcientia nõ eſt uniuerſalis,nec particularis.nã qualitatẽ ſuæ ſciẽtiȩ ex potẽtia,nõ
ex ſciẽtia metimur.Sed ut nos explicemus hac difficultate paulò facilius,ſunt di
uiſiones rerũ ut à cauſis fiunt,præmittẽdæ, ut perpendamus, quũ noſcat omnia
Deus,quarũ autor ſit rerũ, quarũ permiſſor. Sunt in uniuerſum cauſæ efficien-
tes quatuor,Natura,Ars,Fortuna,Diuina prouidẽtia.Prima & ultima eædem,

quum

quum ipſa natura per ſe nec uoluntatem nec motum habeat. Vt ergo res ſunt à natura, ordine perpetuo autorem & protectorem per ſingula ſe habere Deum monſtrant. Quæcunq; à fortuna & extra diuinum arbitrium ipſo Deo permittente fiunt, Deus etiam illa nouit. Pariter quæ à nobis fiunt, ſeu bona ſeu mala, quę in arte & induſtria humana pono. Itaq; nil in ignoratione eius poni poteſt. At obijciet Alexander, & illi qui particularium ex inconuenienti uolunt Deo adimere cognitionē: Si omnia ſcire Deum faciunt, aiunt, impium dicunt, quòd tot impia facinora uideat, & diſſimulet. Bona illatio. Si ſeruus principis malè res adminiſtret, principe ſciente, (quem tamen bilis, qua Deus caret, urget in ultionem) nónne ſtatim ad omnium ſcelerū actus arma in eum ſuosq; ſumet? Nónne libertas arbitrij ſemper eſt in eo ſeruo, ut poſſit reſipiſcere, & poſt errata melior fieri? non ſecus atq; metalla ſæpe poſt conceptam & deterſam rubiginem, quam ab ipſis fodinis habēt, ſunt defecatiora? Præterea quum nullus non ſcateat urgeaturq; uitijs, tam à materiæ quàm conſuetudinis morbo, quis non expetet potius uitæ cataſtrophen, ut excuſari non poſſit, qui eò uſque perſtitit inique agere? Nónne hæc in homine bono proboq; eſſent uindicta laudabiliora? Quanto magis in Deo hoc eſt probandum, qui ſumma eſt manſuetudine & benignitate? Impius iniquus ùe eſſe non poteſt, quòd illa uideat, ſciat, permittat. Nam erit locus reddendæ rationis, quem credas, uel nō, ſubeas oportet: illic non iniquum, ſed iuſtiſſimū Deum ſcies. At hęc obiectio eſt eorum, qui Deum iniquum ideo putant, quòd poſt fata mentes hominum mori iudicant, miranturq; Deum eorum impietatis pœnas non ſumpſiſſe. Quòd uideat à ſe & natura facta, nil obſtat, quamuis noſtræ temeritati quædam in illis mala uideantur: tamen nil malum in illis eſſe certum eſt, quin utilitate compenſari multipliciter poſſit. In primo loco ponent, certo ſcio, multa hominum corpora ab ipſo ortu uitioſa, ut membrorū, ut etiam illis uſus ingenij deſit, id eſſe iniquum aſſerent, nec ullam ex ea re utilitatem capi, & magnam miſeriam infligi habenti ea uitia, ſi Deus ſcit, eſt iniquus. At ſi in uno aut altero oſtendit ſuam potentiam Deus, ut oſtendat, quomodo te poterat etiam formare, ſi uoluiſſet, atq; etiam totum genus, quid tibi iniquitatis uidetur, quum illi quamuis ſit corpore inepto, nil æternæ felicitatis depereat? Alijs ex comparatione felicitatis propriæ, cum eò accedat innumera utilitas. Equidem æquitas ſumma eſt, ita iniquum eſſe. Age, nónne eſt paterfamiliâs iniquus, ſi ex multis ſeruis paris meriti, pro ſuo arbitratu alios deprimat ad uilia, euehat alios? unoq; ex multis pro exemplo apud cæteros utatur? Minimè, quia illi pro ſuo iure licet id quod uidetur in ſpecie malum, permittere, quoties maior inde utilitas in totū gregem profluit. Id uerò iuſtum negamus, quia ignoramus: tum quia malorū meminimus, beneficiorum Dei obliuiſcimur, ſi quid ab uſu, forma, difformitate, naturá ue creaturarū forte con ſequuti ſumus. Hæc cauſa multos adduxit, ut negarent prouidentiam aut eſſe, aut curare res humanas. Male feriatos homines, & naturę rerum imperitos: qui non aduertant, non ideo nullum eſſe animis hominum ius faſq; à natura inſitum, aut nullas leges inter homines, quòd iniqui iudices iura euertant, uerſuti iure ius peruertant. Ineptus enim planè eſſet, qui ita colligeret. Diuina prouidentia non ſumit in hoc mundo pœnas, meritas uult dare, quum non eſt pœnitentiæ locus. Alioqui quum omnia ſint cauſa hominis facta, ille poſt tot ærumnas ſeu bene ſeu male agat, nil poſt hanc uitam eſſet futurus. Et quum res infimæ ſuos fines habeant, præſtantiſſima & ſecundo poſt Deum ordine fine carebit? Fieri nequit. Quæ à caſu fiunt, quum ex neceſſitate materiæ ueniant, mala non ſunt. Propriè igitur quod malum eſt, fit ab arbitrio, cuius uiolati dare

pœnas

pœnas oportet:unde nequitia à Deo abeſt longiſſimè, quũ id in quo iniquum dicunt,ſit totius diuinitatis præclariſſima proprietas.Non autẽ ipſe ſolus Deus huic particularium rerũ moderationi præeſt,ſed et aſtantes mittit ſubſtantias ſeparatas,bonas.Permittit uerò adeſſe malas hominibus, regnis,locisq; frequenter:quos antiquitas dixit Genios. De quibus ſtatim poſt autoritates aliquot philoſophi additas ad probandum aſſumptum tractabo. Ariſtoteles 2.Rerum naturalium,ſeu Naturalis auſcultationis libro ita ait:In quibus finis eſt quiſpiam, eius gratia fit prius & poſterius. Igitur ut fit, ita fieri quodcunq; natum eſt,ut ſolet fieri,ita ſemper fit, niſi quicquam impediat. Fit uerò cuiuſdam gratia. ergo & quo natum eſt huius gratia fieri. Vt ſi domus eſſet eorum quæ natura fiunt, ſic ſanè fieret, ut nunc ab arte. Si uerò quæ natura ſunt,non ſolum naturà ſed etiam arte fierent,eodem modo etiam fierent, quo fieri nata ſunt. Alterum enim eſt cauſa alterius, & omnia quædam ars exequitur,quæ non poteſt natura,ſed tamen illam imitatur.Si igitur quæ arte fiunt,ſunt cuiuſdam gratia, certè cõſtat,& naturalia cuiuſdam etiam finis gratia fieri.Et paulò poſt: Vt igitur ars aliquãdo ſuo fine fruſtratur,ita & natura materiæ uitio,aut potius natura quandoq; (rarò tamen) non conſequitur finem,&c. Ex quibus infero, tandiu requiri cauſam efficientem rebus creatis aut artificioſis, quoad complementum acceperint: etiam partes rerum omnes, quæ ad rei cuiuſquam complementum adeſſe debent,neceſſariò noſſe & adaptare cauſam agentem, quouſque conſurgat opus completum,alioqui nil compleretur. Quàm diu ergo durat operis cuiuſcunq; conſtructio,tam diu præſentem,ſcientem,complentemq; opus, oportet cauſam artificioſam adeſſe rei. Quum igitur mundus perpetuo ſit in motu, & in actione, nec cõpleatur, quoad poſtremus homo mundi ſit natus,uixerit, Deumq; agnouerit, certiſſimum eſt ex conceſſis, Deum noſſe etiam particularia.Nam ſi hoc opus ſemel relinqueret (quod fieri nequit) imperfectum reſtaret,nondum ei adpoſitis quæ ad complementum faciunt partibus. Quum itaq; decedant ſingulis momentis partes eius,inſtauratione perpetua, & innouatione (ut aiunt philoſophi) illis opus eſt mederi: at ſine cognitione omnium partium non poteſt fieri. Verum ſi errata & imperfecta tam multa fiant, quî fieri poteſt, ut ille ſapientiſſimus arbiter omnia noſcens, illis imperfectionibus nõ medeatur? Hoc in cauſa eſt: Materiam quidem ad formas, ut iam dixi, ſequacem creauit,ſed eiuſmodi tamen,ut argumentũ ſui ſemper circunferret. Nam ſi perfectam æquè (ut certè poterat) ut formam generabat, ſubiectis ineptam reddebat,& ſemel creatam inde ſpeciem æternã faciebat: unde & æterna omnia fuiſſent futura, & unica,ut formæ. aut ſi uoluntate creatoris alia demũ corruptioni non obnoxia ſucceſſu temporis,ut fit,producta fuiſſent, tota ſolidaq; elementa fuiſſent corpora uita, & corpore prædita,in cumulum coacta, ſine mutuo uſu, & ordine: & ubi completa fuiſſent iſta,iam creandi impotens fuiſſet Deus. quæ omnia ſunt indigna creatori. Oportuit ergo in materia imperfectionem reliquiſſe,donec defecatus ſit mundus. Ea igitur materiæ imperfectio tarditate aut celeritate motus & propriæ naturæ facit, ut à formis non ſemper diſponatur, nullo quidem formæ aut creatoris uitio aut ignoratione,ſed materiæ fluxu,& cauſarum externarum concurſu: quæ quum ſint in caſu poſitæ,numerari non poſſunt.Ex pręcedentibus ergo habemus, Deũ ſcire & creare particularia, mala tolerare & permittere, nõ aũt ipſorũ autorẽ eſſe:nec unũ eſſe Deũ cauſam boni,& alterũ mali,ut inepticrũt quidã,quos 3. & 12. Metaphyſ. Ariſtot. exibilat. Præterea quod in malo ponimus,id nõ eſt malũ,niſi ab humano arbitrio procedat. Nam hominẽ mori aliquãdo moriturũ, ædes incendi aliquãdo ruituras,&

perituras fortunas longo tempore coactas diſſipari, quandoque non futuras, aut dominos perpetuò mutaturas, hæc omnia falſo in malis eſſe cenſemus. At qui uolens prudēsque homicidium fecerit, ædes incenderit, rapuerit, uiolauerit, fuerit deprædatus, & cætera ſimilia: ille uerò grauiſſimè peccauit, malumque fecit, à creatoris beneficio excidit, & ni reſipiſcat pœnas æternùm dabit. Nil ergo prohibet iſta ſcire, & tolerare ueluti diſſimulanter Deum. Nam alioqui, ut iam diximus, per hominum uaframenta uix ab ullo orbis coleretur. Ita enim eſt deprauato arbitrio homo, ut ſi quoties peccat, daret Deo pœnas, iampridē genus humanum defeciſſet. Præſtantius emendationem expectat princeps, quàm ſæuit in ſuos. Quamuis et pœnas permittat Deus infligi grauiſſimas hominibus, operibus dæmonū id procurantibus, primam ſui Deique ignorantiam, demum morbos corporis, uaſtationes regnorum, prouinciarū exſpoliationes, peſtes, fames, bella. Quæ omnia ex hominū meritis nata eſſe nemo dubitet. Ea enim permittit fieri Deus, ut ad innocentiæ uiam repedemus: quod ab afflictis diuinitusque afflatis tantum fieri, non à fortunatis ſolet.

DE SVBSTANTIIS SEPARATIS, SIVE *dæmonibus, Genijs ue.* CAP. VII.

IN nulla re maior fuit altercatio, maior obſcuritas, minor opinionum concordia, quàm cum de dæmonibus aut ſubſtantijs ſeparatis ſermo eſt obortus inter philoſophos. Nam in alteram partem trahere ſolet noſtra rerum incognitarum ignoratio: in alteram effectus uarij rapiunt. Erit ergo diligentius hæc pars attingenda, & tractanda, quo ſcilicet eſt difficilior. Rationes primo in loco ponam, ſequenti in ordine autoritate doctorum hominum nitar: dein uniuerſo omnium gentium conſenſu ſuadebo. Ad effecta demum & experimenta ueniam, quæ innumera ſunt. Si quid uerò poterimus de his ſubſtantijs ſuperioribus attingere, erit ſanè longè iucundius maxima inferiorum cognitione, ut ait Ariſtoteles. Dicit enim 2. de Cœlo & mundo: Quū cœleſtia quædam demonſtratione attingimus, uehementer lætari nos contingit. Quòd ſi minus hæ rationes ſub ſenſum cadent, tamen utiliter recipientur, tanquam amplius probatæ. Veluti rerum imperitis etiam, & magnis uiris utiliter de Deo & cæteris rebus quæ non nocent, & quas credere multū iuuat, multa proponuntur credenda, autoritate & conſenſu hominum ſimplici probata.

1 Vt in hunc uſque locum à totius naturæ contemplatione, & rerum inuicem cauſarumque comparatione uerum reperimus, ita etiam hic agendum uidetur. A motu cœli ita demonſtrat Ariſtoteles: Omnis motus in ſe indeficiens eſt à motore, qui non mouetur nec per ſe, nec per accidens. Plures uerò motus ſunt in cœlo differentes. Igitur & plures motores illis adeſſe oportet. Corpus non mouet, niſi motum ab aliquo: quod probatur de motus ratione. motor autem incorporeus iunctus corpori, mouetur per accidēs ad motū corporis: ut de anima patet. At in motibus cœleſtibus opus eſt eſſe motores corporis & motus expertes. Sunt uerò illi motus cœleſtes ab aliquo intellectu: unde conſtat, eſſe ſubſtantias ſeparatas, numero ſaltem cœlorum pares. *A ratione.*

2 Natura ſuperior infima parte attingit inferioris ſuperiorē. Natura aūt intellectu prædita eſt ſuperior corporea, & quæ dat omnibus corporeis in homine complementū. Opus eſt ergo, quemadmodū corpus intellectu præditum ſummum eſt inter corpora, ita animā illi iunctā oportet eſſe in genere intelligentiarum infimam: quæ quidem ipſa exors eſt interitus. Ex ordine ergo rerum ſunt etiam ſupra eam aliæ ſubſtantię, etiam plurimorum ordinum & poteſtatum. *Ex mundi harmonia & ordine.*

3 Si

3 Sí ex aliquibus duobus aliquod reſultat compoſitum, ut in eorum altero
ſimplici inuenitur differentia perfectionis, ita & in altero. Vnde aliquid eſt pri-
mum, & minus reliquo egens: quod in corporũ ratione patet. Nam baſis cor-
porum non eget alijs, ſed è diuerſo: unde ex analogia etiam inuenitur ſubſtan-
tia ſeparata per ſe, & tot ordinibus diſtincta, quot corpora ſunt. Ergo ſunt ſub-
ſtantiæ ſeparatæ. Differunt tamen iſta comparatione, quamuis gradibus conue
niant. Nam diuinis in rebus, quo magis à primo diſtant, eo magis illo ad ſuam
perfectionem egent. E diuerſo fit in corporeis. Nam materia & forma contra-
rio quodam modo ſubſtãt. Poteſt quidem eſſe ipſum rerum inſenſibilium, ſine
uita, ſenſu, intellectu conſiſtere: uita ſine ſenſu, ſenſus ſine intellectu: at non edi-
uerſo. Ita hic quod eſt præſtantiſſimum, homo ſine inferioribus ſubſiſtere ne-
quit. Quod uerò iam eſt in quarto gradu animus noſter, qui hac ratione debe-
ret eſſe perfectior cæteris ſubſtantijs ſeparatis, eſt (ſi licet inter pares ſubſtantias
aſſignare) longè inferior, & maximè primo egens. Cæterũ ordine uerſo omnia
conueniunt. Nam ut ſine eſſe materiæ nil creatur, nec ad ſummum peruenire
licet: ita & ſine Deo inter formas præſtantiſſimo, infinitoq́ locus non eſt ullis
ſubſtantijs. Vt uerò ſecundus materiæ gradus eſt primo dignior, ita alter intel-
lectus à primo eſt nobilitate inferior. Et rurſus, ut ſenſu prædita nobiliora ſunt
primis, & ſecundis, ita tertia à Deo ſunt minus ſecundis digna. Et itẽ, ut ſumma
ſunt hîc digniſſima, ita illic tertia à Deo (quæ quarta ſunt in ordine) ſunt mino-
ra. Perfectio ergo inferiorum eſt non ratione corporis, ſed ratione acceſſus ad
ſumma: ita alijs cauſa minoris nobilitatis eſt, ad materiam & inferiora acceſſus.
Vnde fit, ut in medio ſit utrorumq́ nexus, ut ſcilicet in ipſo corpore humano
ſit forma præſtantiſſima, animus ex quinta illa natura, ut ait Ariſtoteles, decuſ-
ſus, qui poſſet per ſe agere, ratiocinari, colligere: quod cæteris animantibus ex
ijſdem elementis cõſtantibus eſt negatum. Quòd ſi ex hac natura eſſet rationis,
eadem bruta uti oporteret, quod in nullo uidetur. Sed iſta commodius, ubi de
animorũ immortalitate. Vt igitur hîc gradus, ita etiam illic eſſe neceſſe eſt. Ergo
inter animum & Deum ſunt ſubſtantiæ ſeparatæ. Si nulli eſſent intellectus in
ea tam clara & pellucida cœli materia, & capacitate, (quum uita & Dei laude &
honore omnia conſtent) certè abſurdũ eſſet, in hac feculenta materia procreaſſe
tot animalium genera unius hominis, Dei (ſi ſapit) laudatoris gratia in præcla-
riſſima autem parte mundi nil præter deſertum eſſe. Id eſſet perinde, atq́ ſi quis
laudem ex ſuis operibus opibusq́ quærens, quæ ſunt præclariſſima, ea omnino
habitatore deſtituta: deformia uerò, habitatore frequẽti omnino oppleta uellet.
Quum ſit finis rerum omnium in Deo, ut ſcilicet agnoſcatur, laudetur, ametur,
(etſi etiam non eget iſtis niſi ex uoluntate, nam alijs non indiget) certum eſt
nullum mundi locum uacuum laudatore reliquiſſe. Vnde patet propoſitum,
eſſe ſcilicet præclariſſimos ſpiritus in pręclariſſima mundi parte, ubi Deum aſſi-
duè laudent. Amplius.

5 Sít ne unus intellectus, an plures, nolo hic contra Abenreis agere: quod
ſuo loco de immortalitate animorum faciam. ſatis eſt omnium philoſophorum
conſenſu, ſupereſſe poſt fata intellectum: qui quidem à corpore non per ſubſtan
tiam, ſed per accidens ſeparatur, ſupereſtq́. At quod eſt per ſe, eſt prius, quàm
quod per accidens. Itaq́ præter humanum intellectum, ſunt & aliæ ſubſtantiæ
ſeparatę, per ſe ſubſtantes. Ideò dæmonum procreatio, quæ per ſe eſt, ante ani-
mum qui iungitur ipſi corpori, fuit facta. Igitur aſſumptum eſt probatum.

6 Præterea, ſubſtantia poteſt eſſe ſine quantitate, non è diuerſo. Subſtantia
autẽ omnibus generibus generaliſſimis prior eſt tempore, ratione, cognitione.

At

At nulla corporea ſubſtantia eſt ſine quantitate. Poſſunt ergo eſſe quædã in genere ſubſtãtiæ expertes corporis. At omne poſſibile in rerum natura reperitur: alioqui enim uniuerſum imperfectum eſt. Præterea in æternis non differt eſſe & poſſe. Vnde conſtat ab ea poſſibilitate eſſe ſubſtantias, etiam præter Deum & animam. Nam ille eſt talium ſumma, animus noſter eſt infima. Opus eſt ergo eſſe medias quæ poſſibiles ſunt, ut ſint. Poſſem adhuc pluribus agere rationibus, ſed hæ ſatisfacient uerum quærentibus ut diſcant: quærentibus aũt ut repugnent, nec iſta, nec alia unquam ſatis erunt. Autoritate nunc nitendum eſt.

7 Quũ iſta ſim autoritate confirmaturus, poſſem certè uno uocabulo omnes omnium nationum philoſophos pro me adferre: quorum iudicio ſtetit poſteritas, niſi à numero eximerentur neſcio quot refractarij: qui ut à cæteris differrẽt, in ſe iudicium eſſe negarũt. Inter Latinos enim ſi Pliniũ & Lucretium eximas, nemo non ſubſcribet. Inter Græcos plures fuiſſe, quid mirum, quum orbis peſtis inde manârit? Habuerunt Pyrrhum Elienſem, Sextum Empiricum, Lucianum, Arceſylam, (quãuis hic modeſtior uiſus eſt, quod non res falſas eſſe, quas ignorabat, aſſeruit, ſed aſſenſum à rebus cohibendum cenſuit) Democritũ, & eorum ſectatores. Nam nullum fuit tam ineptũ opinionis aut facti genus, quod apud illos aſſertorẽ aut teſtem deſiderauerit. Illi cõtra totius orbis ſenſum, opinioni de ſubſtantijs ſeparatis uoluerunt refragari: quos refutatione indignos ideo cenſeo, quòd ab omnium cæterorum ſententia reſilierunt. Non ſanè mirum eſt, eos qui nil noſtris ſenſibus percipi, eaq; omnia falſò creata & inutiliter, quæ contrectamus, dicerent, eſſeq; totum mundum ſpectra, non ſubſtantiam, etiam his noluiſſe calculum apponere, quũ nõ homines, ſed præſtigiæ hominum fuerint: uel hoc unum ſaltem non ignorare coacti, quòd ne ſeipſos quidem ſcirent. Quid alios mouerit ſententiã ab orbis conſenſu diuerſam introducere, uideamus. Religionũ omnium abuſus, quæſtus ſcilicet ſacrificum, in cauſa eſt, ut minus quæ in ſacris rebus habentur, faciant fidem. Ideo uocabant multi deos ἁγνοὺς πλουτοδότας, quòd illi innocentiſſimi quæſtum uberrimum ſacrificatoribus exhibere ſoleãt. Fucus itaq; ille quũ ferè ubiq; locorũ uideretur, omnia autem impoſturis ſcatere, nil ueri ſubeſſe cernerent, nil credebant. Quod ipſum à noſtra ſacroſancta perſuaſione alienos reddit nonnullos: qui ſi uerum in una re centies uiderint, ſemelq; falſum irrepſiſſe ſentiant, abrogabunt ſtatim unius ſenſus gratia, quicquid antè fidei habuere. Id inde ſanè procedere conſtat, quòd res ita optant, ut credunt, & affectatè iudicant. Ita de religionibus, præſtigijs, dęmonibusq; ſenſerunt illi, & Græci, & Latini, quòd obliquis reſponſis & obſcuris ueluti à λοξίᾳ editis, frequentius reſponſitaretur, nunquam illi dij uiderẽtur. Partim itaq; rerum ignoratio, partim fucus, partim diuerſa ſentiendi & excogitandi libido fecit, ut nil ſubſiſtere ſubſtantiarum adſererent. Sed δημοκριτίζοντας iſtos mittamus, adq; certiſſima iudicia tranſeamus. Prodeat in medium ipſe philoſophorum princeps, qui ait 12. τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ, dum inueſtigat de ſubſtantijs, in uniuerſum ſubſtantiam bifariam diuidi, in ſenſibilem corruptibilem, ſenſibilem æternam, & tertiam immobilem. Secundum non poteſt niſi de ſubſtantijs ſeparatis intelligi. Quia cœleſte corpus, quatenus corpus, et forma materiaq; cõſtans eſt, impoſſibile eſt æternum eſſe, ut iam antè demonſtrauimus. Quos deos non ſemel in Ethicis uocet, nõ poteſt intelligi, niſi de ſeparatis ſubſtantijs. Præterea, eiuſdem autoritate iam antè addita patuit eſſe intelligentias orbium motrices. Sed eo maximè liquet, quod dixit omnia quodã modo eſſe tria, eſſe ſubſtantias ſeparatas. Nam poſt Deum cauſam primam & immotam in ſe permanentem, quæ eſt ipſa ſimpliciſſima unitas & trinitas, oportet eſſe etiam eadem

harmonia tres ſeparatarum ſubſtantiarum ordines, easqꝫ etiam in ſe tripartitas. Vt quod nil repugnat, & ex ordine rerum eſt, certè credendum recipiendumqꝫ eſt pro probato, quum reuelatione inſpirationeqꝫ potius quàm probatione habeatur. Adminiſtratione uerò eorum ordinum Deus ſummus iſthæc inferiora eſt moderari ſolitus. Sed ad Platonẽ tranſeo. Poſtquàm de cœli & aſtrorum diuinitate dixit in Timæo: De alijs dæmonibus dicere, eorumqꝫ referre ortum, eſt opus noſtris uiribus impar. credenda de illis, quæ à maioribus tradita. Illi enim quũ à dijs ortum habuerint, certò conſtat & ſuos progenitores nouiſſe, quos poſteris tradiderũt. Eſt quidẽ certè abſurdiſſimum, deorũ filijs abrogare de parentibus eorũ fidem: quamuis ſine ulla demõſtratione, aut uera, aut uerisimili ea dicant, ueluti legi eorũ dictis parendum. Quo placito quæ pridem de religione à maioribus tradita ſunt, rata eſſe iubet. Et iterũ, quum ſummũ deorũ adloquentem inferiores deos, id eſt dæmonas, introducit: Quicquid, inquit, natũ eſt, itidem & corruptibile. Vos itaqꝫ quũ nati ſitis, immortales quidem ex ueſtra natura non eſtis. Attamen quum mea uis immenſa ſit corruptione ſuperior, nolo uos legibus mortis teneri, &c. Quibus uerbis tres autoritates multo maximas habemus, Pythagoræ, Platonis, Ciceronis: quos infinita turba doctiſſimorũ hominum eſt cõſequuta: Plotinus, Iamblichus, Hermes, Amelius, Maximus Tyrius, Porphyrius, Epictetus, Chalcidius, Proclus: qui omnes & ſubſtantias ſeparatas eſſe, & bonis malisqꝫ generibus diſtingui, aſſeruere. Succeſſione quadam diſciplinæ Pherecydes à Syris & Chaldæis, ab eo Pythagoras, ex hoc Plato, à Platone Cicero, ab illis poſteritas accepit. Eſſet nil aliud quàm onerare lectorẽ, adferre quæ de illis ſcripſit Orpheus, Homerus, Heſiodus, Empedocles. ex Latinis, Vergilius, Catullus, Valerius, Ouidius, Seneca, eſſent ex integro fermè excutiendi. Verũ unum item aut alterũ locum Platonis adferre oportet. Quinto libro de Legibus, in ſumma felicitate quũ promouemur, unumquenqꝫ à dæmone qui illi pręeſt, ueluti obuio iuuari, adfirmat. In Socratis apologia, dæmonas ubiqꝫ eſſe probat. In Cratylo, in triplici genere ponit, heroës ex hominibus factos, dæmones, deos: quæ omnes ſubſtãtiæ ſeparatæ ſunt. Poſſem ſanè ex Proclo nũc multa adferre: ſed quia ea omnia decerpſit, & ſibi adſcripſit, quæ noſter Dionyſius Areopagites tradidit, ſuperſedeo. Noſtra enim nobis ſunt ſatis probata. Sed anteqꝫ ad cæteras autoritates uenio, uolo adferre, quæ Plutarchus homo & latinæ & græce eruditionis peritiſſimus tradidit. quod multum ad rem faciant, & confirment etiam, quæ de ſcripto ex ſacris habemus. De deperditis oraculis ita ſcribit: De morte aũt iſtorum (dæmonum intelligit) audiui ſermonem hominis nec imprudẽtis, nec uani, Aemiliani rhetoris, quẽ multi ueſtrûm audiuerunt: cui pater erat Epitherſes, meus ciuis, & in grammaticis præceptor. Ille referebat, quum aliquando nauigaret in Italiam, ſe conſcendiſſe nauem uarijs mercimonijs & frequenti hominũ multitudine onuſtam. Aduesperaſcente itaqꝫ quadam die, quũ eſſet circa Echinades inſulas, uento ceſſante iuxta Paxon inſulam delatam fuiſſe nauem. Cumqꝫ multi adhuc uigilarent, non pauci etiam potarent, nondũ cõpleta cœna, audita eſt uox ab inſula Paxo, acclamans Thamum ſemel & iterum: ita ut mirarentur. Thamus autem erat Aegyptius nauis gubernator, eo uocabulo etiam multis nauigantium ignotus. Cumqꝫ ſemel & iterum uocaret, tacebat, tertiò uerò reſpondit uocanti. Tum exerta uoce, quodcunqꝫ uocabat, dixit: Quum fueris iuxta Palodes (locus eſt non longe à Corcyra) denuncia, quod Pan magnus mortuus eſt. Quibus auditis, dicebat Epitherſes magna admiratione in ſtuporẽ actos, cœpiſſeqꝫ agitare animo, an imperata facerent, an nil amplius de illo curarent: ſed ſic eſſe agendũ, cenſuiſſe Thamum.

Si uentus quidem adfuerit, ſe prӕternauigaturos re neglecta: ſin autem ſerenitas fuerit, tranquillumq́ mare, illum dicturum, quod iuſſus erat. Vt autem è regione Palodes fuere, ceſſauit omnino uētus, fluctus reſedere. A prora itaq; Thamus proſpera terra infit, quod audiuerat, Pan magnus mortuus eſt. Quod quū uix finiuiſſet, eſt auditus ingēs luctus admirabundis uocibus mixtus, nō unius, ſed multorum. Veluti aūt multi homines fuiſſent prӕſentes, ſtatim id rumoribus Romӕ ſparſum eſt, ita ut à Tiberio accerſeretur Thamus. Hoc uero ita credidit Tiberius, ut de Pane percunctaretur, qui nam eſſet. Coniecerunt autē, qui circa eum erant, docti uiri, eſſe Mercurio & Penelope natū. Habebat etiam Philippus (quem in hoc loco inducit) quoſdam teſtes earum rerum, quas ab Aemiliano audiuerat. Demetrius uerò inquit (is etiam introducitur à Plutarcho, Britannia oriundus) ex his inſulis quę circa Britanniam ſunt, deſertas eſſe multas, ſparſimq́; poſitas (Orcades uocant) quarum quaſdam dӕmonum & Heroum nominabant: ſe uero etiam contemplandi & hiſtoriӕ gratia iuſſu regis in proximam deſertis nauigaſſe, quӕ quidem non multos habitatores habebat, ſed uicinis ſacroſanctos & inuiolabiles ditionis Britannorū. Vbi uerò acceſſiſſet, accepit nuper cōfuſionem magnam in aëre accidiſſe, & prodigia multa illic facta, multa abrumpere ſpiritus, decidere preſteras: dixiſſe uero inſulanos, ſignificare ea magnorum deorum quendam defeciſſe. Hӕc Plutarchus; quӕ multiplicem dęmonum experientiam, ſubſtantiarumq́; ſeparatarum demonſtrāt: tum uerò manifeſtò fidem faciunt de morte Ieſu Chriſti, qua tum contremuit infernus, ubiq; dӕmones ſunt profligati & afflicti: Vnde euitare & aëra cōmouere meritò debebant. Sed non eſt admittendum, quod Plutarchus infert ex eo, mortales dӕmones eſſe. Quis uerò ambigat de ſummo Deo illa dici, quū ab eo loco ubi facta eſt uox, Romam uſq;, ſint pluſquàm ſeptuaginta milia paſſuum? Et tamen ea uis dӕmonum in toto orbe infremuit, ad extrema uſq; terrӕ. Nam illӕ agitationes aëris factӕ à dӕmonibus in inſulis Britannicis, ſecundum Demetrij narrationem, etiam iam antè incœperant: & iam aperuerant dӕmones, magnum Deum obijſſe, quod quidem ita uoluiſſent. Sed quia corpore magnus ille πᾶν uniuerſi arbiter moriebatur, ſentiebant ſuam profligationem futuram. Quod uerò poſſent mori animi, & ſubſtātiӕ ſeparatӕ, id eſt ab ea natura alienum. Pan autem ille paſtorum Deus, iam antè mille annis obierat. Itaq; nec poterant ualidiora teſtimonia de tempore mortis Chriſti, nec de ſubſtantijs ſeparatis adferri. Nulli alij quàm Chriſto certè omnium rerum moderatori, inſtauratori, & arbitro, τοῦ παντός uocabulum competit. Maximus Tyrius in Sermonibus, quum plurima de ſubſtantijs ſeparatis ex ipſa rerū natura deprompta tractat, tum una ea re facit maximè fidem, quòd ipſe prӕſens aliquando ad Tauricam Cherſoneſum, ibi manifeſtas dęmonum operas uiderit, ipſosq́; heroas ad menſam Achillis aſſidentes conſpexerit. Et ne quis fabuloſum putaret, ipſo oculorum ſenſu multo certiſſimo fidem ſibi ſpectrorum facere uoluit, alijsq́; id cernendum ſcriptis tradere. Vir eſt inſigni iudicio & eruditione, cui meritò fidem non abroges. Damaſcij etiam Platonici ſententia hӕc multum confirmabit, quam in libris τῶν θεολογουμένων ſcriptam reliquit. Sic habet: Poſſumus etiam capere certis argumentis, multas eſſe uitarū ſpecies, eſſeq́; illuſtrationes uitales unius primӕ uitӕ innumeras ſubſiſtentes, defluentes inde in omnia uiuentia. Multas itē immiſſiones ab una ſubſtantia procedere in omnia illa quӕ ſunt. Quid multis eſt opus? Quandoquidem & Iamblichus, et qui antè eum floruerunt, multos quidem deos ſubſtantiales eſſe, unum uerò ſuperſubſtantialem ſcripſere: qui omnes inferiores illuminet, diuinitateq́; donet: illiq́; quamuis ſint unitates per-

fectiſſimæ, non tamen à ſeipſis habent eam perfectionē, ſed à ſummo accipiunt. Hæc Damaſcius quæ à ſententia Dionyſij noſtri non multum abhorrent. Verum enimuero Proclus uſqueadeò omnia ex hoc deſumpſit, ut uerbum de uerbo tranſcripſerit multa, quum adhuc laterent opera Dionyſij. Quæ ideo adſcripta ſuo autori noluit, quòd initiatum Chriſto nouerat, à quo erat alienus: & facile putabat futurū, ut eius perirent opera, nondum confirmata republica Chriſtiana. Ne autem ea innoteſcerent, more ethnico, ut confirmarent impias religiones, uocāt ſemper deos, quos angelos dicimus. Tres uerò eorum triades aſſirmat, ut nil planè niſi ſolo nomine differat, ut ueritatem in mendacium cōuertere nitatur. Loco autem noſtrorum uocabulorū, ne furta paterent, uſus eſt ſimplicibus numeris. Tres itaq; ordines primi ſunt apud eum νοητοί, νοητοὶ καὶ νοεροί, νοεροὶ μόνον. Quæ uoces uix habent latinè expreſſionem commodam, niſi dicas mente præditos, mente cōpræhendentes & mente compræhenſos, mente compræhenſos: quæ tamen rem exprimere nō poſſunt. Nā & hos inferiores quamuis nullum genus ſequatur, tamen intellectu uſqueadeò ualent, ut nil etiam omnium eos lateat, præter primum ens יהוה, quod quidem cognoſcunt, non cōpræhendunt. His tribus triadibus diſponuntur. In primo ordine ſunt, quorum uocabula uoluit homo impius refugere, ſeraphim, cherubin, throni: qui inferiora omnia purgant, illuminant, perficiunt. In ſecundo, dominationes, uirtutes, poteſtates: qui à ſupremo ordine purgati, illuſtrati, perfecti, itidem inferioribus præſtant. Nam principatus, archangeli, & angeli purgantur, illuminantur, perficiuntur tantum. Ex his ordinibus, ſingulis hominibus ſingulos ueluti cōſiliarios diuinitatis, uoluit Prouidentia adeſſe, ut peruicaciam materiæ facilius animus corpori inditus euinceret. Eſſe præterea malorum uaria genera his oppoſita, ijdem probant. Plato ſcribit, religio recipit, ratio dictat. Quatenus enim ſunt intelligentiæ, certum eſt eſſe liberi arbitrij: unde illi dicuntur à Platone & Pythagoricis, omnibusq; uetuſtæ theologiæ ſcriptoribus κακοδαίμονες, id eſt mali dæmones: quia eo arbitrio ſunt abuſi, nec poſſunt in gratiam redire cum cauſa prima: quòd illis deſit diuinus fauor & auxilium, à quo exciderunt uolentes. Hi ſe opponūt ſingulis angelis, ſinguliq; ſaltem circa ſingulos homines agunt, traducuntq; à uero, ueraq; felicitate abuti ſuo more cogunt: quorum exempla multa patebunt. Ferè quotquot fuerunt Platonici, & melioris hæreſeos uiri, uoluerunt nuncupare bonos angelos deos, malos aūt frequentius δαιμονίους: quod ipſe Plato prior fecit. Nam quinto de Repub. dum ſuadet de religione, ait, differentiam debere doceri ipſos populares, qui nam hominum uita excedentes ſint δαιμόνιοι, τινὲς θεοί, qui diuini, qui dæmonij. Per hæc uocabula duo hominum genera uita decedentium, bonorum ſcilicet & malorum, explicans. In hoc uerò errauit, quod malorū animas dæmones fieri poſuit. Aperiet facile mentem Platonis Pſellus lib. de Dæmonibus. Et Chaldęus quidam, inquit, quoſdam dæmonum bonos, quoſdam malos ponit: noſtra autem pia oratio omnes malos aſſerit, quòd arbitrio peccauerint, nequitiamq; bonitate permutauerint. Quòd Chaldæi omnes bonos putauerint, in cauſa fuit, quòd ad res futiles & uanas, malorum dæmonum opera utebantur, qui bonos non potuiſſent cogere. Hæc autem ſpectra, ut inquit Heſiodus, ἠέρα ἑσσάμενοι πᾶσαν φοιτῶσιν ἐπ' αἶαν, aëre induti ubi uis terrarū uidentur. Ideo Hermes, ſeu Mercurius Triſmegiſtus nullos bonos dæmonas aſſerit. Plato modò bonos, modò malos uocat. Bonos frequētius, malos in tertio de Rep. ubi ait eos eſſe γοητείας καὶ ἀπάτης αἰτίους, præſtigiarū & deceptionis autores: quæ in malis ponenda ſunt. Et Porphyrius in libris de Abſtinentia ait, malos bonis cōtrarios, atq; γοητείας autores, malarumq; cupiditatum

Dionyſius id muneris tribuit angelis potiſſimum, de Cœleſti Hierarch.

tatum inuentores. Volunt enim uideri dÿ : & præſidēs eis poteſtas (quæ à no-
bis Satan, id eſt aduerſarius dicitur) Deus ipſis uidetur. Qua in re etſi errat gra-
uiter, quòd indicando peccent, aſſerendo tamen noſtris conſentanea ſcripſit.
Quod ideò maioris autòritatis loco eſt habendum, quòd contra nos inſurgat,
& uix quæ ſunt æquiſſima conceſſa nobis uelit. Teſtimonium enim ab aduer-
ſario longè firmiſſimum eſt. Illis ergo peſtibus aërÿs cœleſti regione deturbatis,
agitatur mundus, inq; ruinam tendit. Quòd autem eſſe agereq; in aëre conſtet,
etiã ueritatis Philoſophus in Metaphyſ. libris ſcripſit, dicens ſubſtantiã eſſe iſta
quatuor corpora, & quæ in illis fiunt animalia ſcilicet, & dæmonia, eorũq; par-
tes. Item in primo de Anima: Quæreret aliquis, ait, quam ob cauſam quæ eſt in
aëre anima, ſit immortalior & melior ea, quæ eſt in animantibus ? Quod
explicans Simplicius, ait: Excellentius multo eſt, ſi dæmonum genus ſuppo-
natur eſſe, quod ipſum in paſſionibus obnoxium corpus quandoq; irrepat.
Quod intelligendum eſt, non ut det formam, irrepere, ſed ut torqueat, &
inficiat iam animatum corpus. Quod tam crebrò fit, ut nil frequentius, ut
in experimentis patet. Ducti uerò quidam ea ratione, quòd in aëre uide-
rentur, & aliquando in uno loco, frequentius etiam in multa ſecula diuerſen-
tur, demum euaneſcant, & aliò ſe conferant ad alios homines perdendos, & de-
mentandos. Antiqui putarunt mortales. Quod ipſum teſtatur Heſiodus, dum
dicit, nymphas deas decies uitam Phœnicis implere, quod ſpacium extendere-
tur in annorum 9720. Illud ipſum dicere uiſa eſt antiquitas, quum νύμφας ἀμα-
δρυάδας, id eſt Nymphas ætate robori pares appellauit. Quæ falſa ideo depræ-
henduntur, quòd iſtæ ſubſtãtiæ aut ſynceræ, aut deprauatæ, ſimpliciſſimæ eſſen
tiæ non poſſunt corrumpi, quod ad eſſentiam attinet. Nam nil patiuntur con-
trarium. Quid ergo fuit in cauſa, ut tam uaria de illis ſentiret antiquitas, ut in
nulla re, quàm in dÿs illis, qui ex dæmonibus fiebant, minus conuenerit ? Ver-
ſutia nebulonis, nebulas animis mortalium obducentis, ut perpetuo errore re-
tinerentur. Ne quicquam firmum ſtabileq; eſſet, ab uno loco in alia tranſibat,
nouiſq; facinoribus nouos homines alliciebat ad ſe: donec omnes à primæ cau-
ſæ cognitione auerteret, ſeipſumq; loco Dei in ſtatuis rerum, animalium, & fa-
cinoroſorum hominum obtruderet, quoad una ueritas, quæ ſola id poterat in
orbe ſacris ueris initiato, obtunderet eius conatus. Ob illas mutationes alÿ non
fuiſſe putabant, quod non uiderant: alÿs obÿſſe uidebantur, qui loco abeſſent:
quibuſdam uerus iſte, falſus alter, ut nullibi quàm ſub opinione mendacÿ auto-
ris fuerit mendacium frequẽtius. Quid enim mirum eſt, tam uaria ſenſiſſe mul-
tos de re omnium inconſtantiſſima, quum à multis ueritas in dubium uocetur,
fides nulla ſenſibus adhibeatur, aliorum teſtimonium loco ſomnÿ ſit, autorita-
tem ſapientum æquè ac ſtultorum & puerorum habeant multi, conſenſu orbis
nullo moueantur, ſuum de rebus iudicium uelit quidam uniuerſo orbi præfer-
ri ? Si in certiſſimis hallucinentur, quid mirum in dubÿs obſcuriſq; falli ? Sed
quamuis illi quos agit tranſuerſos peruicacia, nullis poſſint uinci argumentis,
tamen cõſenſum omnium gentium de hac natura ſubſtantiarũ adferam : ut qui
iudicio diuinorũ hominum planè, & omnium rerum peritorum noluerint ſta-
re, ſaltem ea quæ experimentis edocti maiores noſtri crediderunt, recipiant.

De quo Plut. in lib. de Oraculis perditis multa.

8 In qua Repub. non fuere poſitæ pœnę maleficis, magis, incantatoribus, ſor-
tilegis, goëticis, & omni magorum generi ? Quæ hiſtoria non ſcatet facinori-
bus diris à magis commiſſis ? Nunquid tam imprudentem antiquitatem pu-
tamus, ut leges de his, quæ nec ſunt, nec fiunt, poſuiſſet? Quum de his quæ rarò
contingunt, non cenſuerit ponendas ? Certè quum omnis legum origo ſit à ui-

A legibus ciuilibus, & iure põtificio, & omni genere ſcriptorum.

tio, uitij ue timore, aut à dubio, neceſſe eſt antequàm lex ponatur, eſſe id in rerum natura, in quo peccetur, & quod peccat, pariter & de quo dubitatur. Erant igitur hæ omnibus in rebus colluuies notæ, nota erant maleficia, conſtabat in uirtute hominũ non eſſe poſitum, ut talia fierent facinora. Nam alioqui in tota natura humana uiſum fuiſſet perſimile aliquid. Certum erat ab arbitrio hominum nequam has accerſiri potentias, quibus nocumenta hominibus cæteris adferrentur. Vnde illud in capitibus primis legum Romanarum: ſi quis fruges incantaſſit, læſerit, pœna eſto. Quod ius ipſum etiam multis pòſt ſeculis ratum habuit, alijsq́ legibus confirmauit: alioqui non facturum, niſi res uerè fuiſſent. Nolo quid ius ciuile de ijs tractet attingere, ne ſim prolixior: omnibus illa patent. Iure religioſo quàm frequens eſt earũ rerum mentio, & prohibitio? Leges uerò quum non unius aut alterius ſint, omnium conſenſu poni probariq́ conſtat, quum in omnibus, tum maximè in ſtatu populari & democratico: ubi ſine uniuerſorum calculo nil ratum habebatur. Opus eſt ergo fuiſſe eſſeq́ ſubſtantias ſeparatas, & maleficas, quarum opera inſolitis facinoribus homines nequam labefactabant Rempub. Ex eo autem uitio (quoniam erat in arbitrio hominum poſitum id committere, aut negligere) natæ ſunt leges, quæ & prohiberent maleficia, & pœnas auſis facinora perpetrare conſtituerent. Nil uerò ex omnibus, quæ de rebus habentur, opinionibus tam eſt exactè perpenſum, quàm lex, quæ non à priuato, non ab autoritate, non à quouis poni ſolet, ſed à ſummo ſapientiſſimoq́ magiſtratu perpendi. Intelligo leges illas, in quibus nec de autoritate unius confirmanda, nec de æruſcatione, aut nundinatione pecuniaria agitur: in quibus propria autoritate ſibi leges ponunt principes, coguntq́ uel inuitos populares eorum parère decretis: ſed de illis rebus, in quibus oborti in Repub. morbi medicamentum quæritur. Nam omnium adminiſtrationum ſanctiones in eo conueniunt. Eò accedit, poëtas præcipuè, hiſtoriographos, philoſophos, & in ſumma omne genus diſciplinæ tractantes in ſuis ſcriptis mentionem feciſſe præſtigiorum, faſcinationum, theurgiæ, magicæ, geomantiæ, hydromantiæ, pyromantiæ, aëromantię, ſortilegiorum & dæmonum, à quibus iſta omnia procedũt. Quod ſanè nunquam fieri potuiſſet, niſi res fuiſſent in eſſe, quarum uocabula ſunt inuenta, & uſu recepta.

Conſenſu uulgi & populorũ. 9 Nam quum noſtræ notiones ab obiecto pendeant, opus eſt res ipſas & notionem antè uerba eſſe. Atqui nulla lingua ſeu barbara ſeu eloquentior, non habet ea dæmonum & maleficorum uocabula à rebus ipſis deducta. Vnde conſtat communi omnium conſenſu, eſſe res ipſas, de quibus uoces extant, ſubſtantiasq́ ſeparatas dediſſe ijs rebus originem. Sunt ergo in rerum natura. Non eſt obmittendum, in quacunq́ religione ſeu Moſaica, ſeu Chriſtiana, ſeu Muhamedana, ſeu Indica, quotidie etiamnum ad mortem genus illud hominum cæteris pernicioſum perquiri & puniri. In qua re non poſſet fieri ut conuenirent homines, legibus humanis diuerſiſſimis adſtricti, niſi à natura omnibus id innoteſceret, remq́ eſſe certò cognoſcerent.

Experientia. 10 Res eſt omnium hominum iudicio probata, eſſe maleficos quamplurimos, potiſſimum ubi uerbum Dei Ieſu Chriſti non auditur. Ita ut aliquando in una urbe paucis annis ad mille ſint innumerorum ſcelerum conſcij igni tradi ſoliti. Conſtat eſſe admiſſa facinora: teſtes conſentiunt: ſuſpicio firma: delicta agnoſcunt: myſterijs enarrandis omnes conueniunt. quid plura? Videtur certiſſimũ eſſe, quia fit. Sunt ut plurimum rudes & agreſtes, qui iſta patiuntur. Eos perquirit dæmon, facilius eorum ruditati imponit. Quamuis exempla etiam maximorum uirorum non deſunt. Eſt igitur ad experimenta ueniendum, ut ipſis oculis

oculis fidem nobis faciamus. Itaq; à rebus Romanorum primum incipio. Vbi uidentur effectus, quamuis cauſa nos lateat, tamen neceſſe eſt nos etiam cauſam ipſis effectibus præponere. Nam nil ſeipſum procreat. Nonne quod omnium oculis ſe obiectat, et ſuopte nutu mouetur, eſt neceſſariò in eſſe? Num eſt in annalibus Romanis ſcriptum, L. Scipione & Caio Norbano Coſſ. inter Capuam & Vulturnum amnem auditum fuiſſe ingentem ſignorũ ſonum, armorumq; horrendum ſtrepitum? Et ne putarentur eſſe auditus errores, etiam ſe acies aduerſæ pluribus diebus concurrentes oculis obiecerunt. Nec ſatis id fuit, ne miraculo fides à ſenſu audiendi uidendiq; deeſſet, aut non uſqueadeò certa haberetur, tactus acceſſit. Rei enim miraculum intus conſiderantibus, ueſtigia hominum equorumq; apparuere: & quod fidem uel incredulo facere potuit, non ſolum herbæ, ſed & uirgulta protrita ſunt. Quæ omnia à dæmonibus, quos Romani colebant, meritò oſtendebantur, quum auertere nõ poſſent, poſſent prænunciare, quam incœperant, & in impijs hominibus calamitatem complebant. Nam centena hominum milia bello ciuili, Syllæq; & Marij proſcriptionibus eo tempore ſunt deſiderata. At fortaſſis iſta ſemel uiſa, non arguent eſſe ſubſtantias ſeparatas. Alijs exemplis confirmandum. Bello Antoniano eadem ſpecies Romæ in multum tempus uiſa. Occiſo in Aegypto Pompeio idem clamor fragorq; ita Antiochenos terruit, ut noctu bis ad arma ſit concurſum. Quid potuit eſſe in cauſa fremitus illius, qui à centro terræ uidebatur in cœlum ferri, M. Antonio & A. Poſthumo Coſſ.? Nonne dij ueſtri ô Romani? adloquor uos, (bonos excipiendo) etiam hodie, quoniam conſtat in Italia plures eſſe fuiſſeq; ſemper ſimiles Pomponatio ἀθέῳ, qui nullas eſſe ſubſtantias ſeparatas ſuaſit, & animorum mortalitatem dicta philoſophorum peruertendo, conatus eſt ſummo Pontifici nouitatis auido ſuadere. O Roma, quàm nunquam monſtris cares? Quid ſerpentes allapſi in tam multis locis, ſtatimq; euaneſcentes? Nonne præſtigiæ ſunt & imagines tetris dæmonibus proximæ? Quid ignis ille calamitatum prænuncius, qui ſæpius terram cœlumq; comburere uiſus eſt, & ab occidente in orientem & contrà ſæpius ferri? Nonne iſta fiunt naturali & elementari opera? Certè ſi inde procederent, ſtata firmaq; eſſent, ut cætera. Innumera ſunt huiuſmodi in annalibus. Nolo attingere impoſturas falſæ religionis ueſtræ. Nam ita uerſutè ſunt introductæ religiones à uobis, ut poſtquam opera hominum illis adiuncta fuit, nil certi haberi poſſit. Quamuis Peſſinuntiæ matris deûm, & Aeſculapici ſerpentis hiſtoria uidetur rem geſtam continere, quæ certè ſine dæmonis opera eſſe non potuit. Cycnus hominum manibus (quamuis ab omnibus uideri potuit) capi non potuit, cingente uidenteq; eum magna hominum corona in templo Mineruæ. Quamuis itaq; de Aegeria Numæ, Proculus, Romuli, & aliæ technæ fuerint prudenter ad ſtultæ multitudinis animos retinendos excogitatę: non tamen omnia in religionibus ſimilia fuere. Dæmon locutus eſt frequenter in ſtatuis, templis, animalibus: etiam attulit aliquando perniciem, ut coleretur. Biduum totum in æde Iunonis clauſa infantis uocem eſt præſtigiator imitatus, ut eo accenderentur ad colendũ rudiorum mentes. Quid referam iniuriam illatam Latino homini, quòd ludorum pompam in circo maximo fieri ſolitam, ſenatui non ſtatim aperuiſſet? Quid non affingit tetra dæmonis natura? Committit quidem ſcelera, demum quum ea curare uidetur, quæ commiſit: hominum mentes eludit, & agitat. Si quis plura uolet, Iulium Obſequentem de prodigijs, Valerium Maximum de religione legat: uidebitq; experimenta mirabilia de ſubſtantijs ſeparatis: quarum etſi forma non uidetur, tamen eas ab effectibus certè eſſe conſtat. Nec

enim illa aut arte humana fiunt, aut naturali. Nam ſtata illa omnia ſunt, unoq;
modo fieri ſolita: iſta præſtigiæ ſunt & ludibria, à potentijs ſeparatis profecta.
Sunt illa omnia poſita in omnium experientia, unde fidem meruere. Olim uiſa
ſunt illa fuiſſe: nunc uerò partim deliteſcunt, partim ab his regionibus euanue-
re. Conſtat quidem prædicatione uerbi Dei, quod per Chriſtũ & in Chriſto ha-
bemus, multa ſpectra diſparuiſſe. Verũ conſtat in locis raro habitatore & mon
toſis, ubi rari ſunt Euangeliſtæ, nil eſſe frequentius ſortilegis & maleficis: à qui-
bus innumeræ clades, calamitates, morbiq; procedunt. Quod ipſi depræhenſi
negare non poſſunt: facinora multi ultro agnoſcunt, & à tam tetra poteſtate ſe
eximunt, ſupplicijsq; uitam non ægrè finiunt. Si quis mihi non ſubſcribit, legat
quæ de his ſubſtantijs & earum effectu ſcripſit quum à ſe diligenter obſeruata,
tum quęcunq; literis tradita legerat, Ioãnes Franciſcus Picus Cõcordiæ comes.
Quod ideo fecit, ut eam opinionẽ parum alioqui multis refractarijs, & à ſenſu
corporeo more pecudum pendentibus hominibus probatam perſuadere cona
retur, ſeq; diligenter in ea naturæ obſcuritate aperienda inſudaſſe oſtenderet.
Quiſquis illum librum quem de Strigibus nominauit leget, ſibi proculdubio
mirum in modum ſatisfaciet. Nolo omnium uanitatum iſtarum artem & dira
pericula, quæ aliquando uiguiſſe Tolleti conſtat, adferre in medium, quum ea
ſint notiſſima, & à peſte Maurorum profecta. Quotidie depræhenduntur circa
Pyrenei montis ramenta homines ea labe infecti, ultricibusq; flammis dari ſo-
lent. Cui in Gallia non innotuit Vapinenſe facinus. Teſtantur montes ſurſum
prorſum acti, uineæ loco motæ, prata, arbores, in ſumma tota ſuperficies ſoli ar-
guit infandorum ſpirituum facinus. Curijs celeberrimis innotuit: indicant mi-
ſeri fundi poſſeſſores, nunc mendici. Nil illo miraculo recentius, nil certius.
Nolo in medium adferre, quot ſubſtantiæ huiuſcemodi à corporibus obſeſſis
ſingulis annis eximantur imperio Domini, tum in multis locis, tum potiſſi-
mum Romæ ad Columnam. Adeatur Philippo Siculo ſacra ædes, idem pla-
nè uidebitur. Sed iſta noſtra ſunt, nec debent ab impijs credi, quamuis ui-
deantur millies.

Aliquoties colludunt etiam dæmones, & eorum ſatellites.

11 Iam ad exteras gentes ueniamus, quæ luce euangelica carent. In nulla orbis
parte non eſt maxima quorundam cum illis ſpiritibus familiaritas. Multis in lo
cis ultro omnibus tetræ effigies corpore aëreo ſe obijciunt in cõſpectum. Quid
in India familiarius incantatoribus? Nullum nauigium ſoluit homine magiæ
perito deſtitutum: ut ſi ſit iactura facienda, aut à quouis alio facta, ſtatim quum
rogatur, locum oſtendat in aquis, resq; per urinatores reſtituat. At de Indis fa-
cile eſt mẽtiri, dices. Conſule Luſitanos, qui familiariter cum illis uerſantur, qui
hæc confirmabunt. Sæpius rogati, nónne ſecum etiã ipſi ducerent? Idem Galli,
qui adierunt, aſſerent. Itinerariũ lege Vartomanni, & cæterorũ, qui iſta uidere,
& ſcripſerunt. At non mirum eſt illic, ubi colitur dæmon, ut ſe obtutibus offe-
rat. Verum enimuero mirabilius eſt, imperitis rerum omnium populis iſthæc
apparere familiariter. Qui populi ſunt in America ad 50 ferè gradum, (apud
quos egit dum orbem eſſet circumnauigaturus Magellanus ferè 6 menſes fami
liariter) uident horrendorũ dæmonum ſpectra, uocantq; Setebos. Quorum effi
giem horrendã barbarus gygas ab ipſo Magellano captus, quũ uerbis non poſ-
ſet, ſignis & pictura aperuit, hac occaſione. Quũ auram cõmodiorem expecta-
rent, ſatagebant, ut illi gyganti principia religionis inſtillarẽt. Itaq; quum ſigno
crucis more noſtrorũ ſe ſignare aggrederetur, horrẽda uoce et horrida clamauit
Setebos, ſignisq; ut potuit, explicauit, inſultaſſe illi dæmonẽ, & necaturũ eũ, ſi
pergeret eo ſigno uti. Ideo nunq; donec lõgè ab inſula extremũ exhalauit ſpiri-

Experientia de nationibus exteris.

tum,

tum, uoluit iterum ſignum repetere. Familiaritate uerò tam diuturni temporis (nam uixit cum eis ad octo menſes) aperuit noſtris dæmonũ naturam, & infeſtationem, quoq; modo moriente quodam, adeſſet magna ſaltantium turba. Lege Itinerarium ambitus orbis, ſcriptũ à M. Antonio Pigafetta, homine non minus docto quàm diligenti. Quantum ludibrij patiantur ſub æquatore in nouo orbe à ſuis lemuribus (quos zemos dicunt) niſi ubi de Chriſto auditum eſt, hiſtorijs multis patet, ſi quis nauigationes occidentis diligenter legat. Quæ terræ illis annexę uerſus ſeptentriones à Franciſco Galliarũ rege ſunt repertæ, turbari ſolent mirum in modum his ſpectris, ut ne quieſcere quidem poſſint. Hoc genus Cudiague nominant. Quo ſereno admodum cœlo, ſummaq; uentorũ priuatione, ita ſyluæ agũtur (nam rarus illic habitator, ſyluis omnia plena) clamoribusq; cõplentur, ut radicitus conuelli credas. Nil tamen rerum uideas, quod ipſum naturæ uires excedit. Nam natura continuo, non interpolato motu agit: illa utroq;, quia arbitrio mouetur. Iam quis enumeret, quę fiunt ſub ſeptentrionibus? In Islandia, quam uidetur ignoraſſe antiquitas, tanti ſunt effectus ſeparatæ potentiæ, ut nemo recitare ualeat. Iuxta montes perpetuis ignibus more Aethnæ ardentes, tam frequenter ſe offerunt ſpectra, ut nil familiarius: nec donec euaneſcant, ſpectra credas. Ad ſeptentrionalem inſulę partem eſt glaciei genus, unde miſerandi gemitus audiuntur: cuius ſi quamuis particulã inde aſportare coneris, operã ludas. eludit enim ſenſum, ubi attigeris. Vehementi impetu immania ſaxa à montibus auulſa, quæ nulla uis humana queat agere, in aëre circunferri cernũtur, & à loco in locũ agi: quibus uiribus, niſi intellectu, non capitur. Quæ conueniunt cum his, quæ Demetrius Britannus de inſulis Britanniæ proximis apud Plutarchum dicebat. Zieglerus, homo ſingulari rerũ omnium cognitione, & mathematum abſoluta ſcientia, tradit: autores ſunt Ioannes & Olaus, Gothi fratres, à ſuis expulſi finibus, ille ab archiepiſcope ampliſſima Vpſalieſi, iſte ab amplis deiectus poſſeſſionibus. Quis uerò enumeret, quæ in parte illa polo proxima ſubiectaq; fiunt ab impuris ſubſtantijs? Biduũ aliquando, aliquãdo triduũ, etiam menſem, ſpectrũ ſe offert ueluti miniſtrũ; quod nõ prius agnoſcas, quàm diſpareat. Tanta uerò eſt cum quibuſdam familiaritate, ut obſequatur ad multorũ nutus. Nullus ferè Laponũ non pollet magicis carminibus: adeò ut nauigia ſiſtãt et mergant, ſi uiſum eſt. Autores Zieglerus, & Gothi iam nominati: quibus accedit Stellæ & legati Moſchouitarũ ſuffragium. Vbicunq; ergo non perſpecta eſt uis Euangelij, illic hæ peſtes regnãt, eq; ſpecubus & antris frequentius ſe promunt. quod antiquitas credidiſſe uidetur. Vnde dicebãt eam uim oraculorum, quam cognouerãt reuera in multis locis fuiſſe, procedere ab ipſa terra: quod etiamnum patet in multis locis, & maximè in aurifodinis, in quibus altiſſimè terra ſubeunda eſt. Narrat uir fide digniſſimus Ioan. Agricola in libro de Metallis, Bohemiæ fodinas, quæ præclariſſimæ ſunt in tota Germania, miracula dæmonũ frequentia habere, naturamq; uariam illorum eſſe. In quibuſdam enim eſſe maleficos, qui frequenter homines ſuffocant, & necant: in alijs diuerſi generis operas etiam præparare ſolitos: ita ut quũ loco abſceſſerint, quibus eſt cura uenæ perſequendæ, non rarò plura effoſſa nocte diei feſti reperiant, quàm tota hebdomada effodere potuiſſent. De illis uarijs generibus uide epiſtolam Tritemij maximi magiæ ſcrutatoris, ad imperatorem Maximilianum. De his quæ contingunt iuxta Siciliam, ſi quid adferrẽ, de inferis dicendo riſui me obnoxium apud impios redderem, ideo miſſa facio. Satis enim ſuperq; conſtat, eſſe ſubſtantias ſeparatas in rerum natura: quod ubiuis locorum in domibus, & familijs patet. Vide quæ ſcribit Alexander ab Alexandro

in

in Genialibus diebus, ſibi uiſa & comperta: quum prius an eſſent, ambigeret.

DE DAEMONVM ET ANGELORVM NATVRA, *& de magis & prophetis, eorumq; differentia.* CAP. VIII.

EX præcedentium demonſtratione neceſſe habent philoſophi, eas naturas, quas ſubſtantias ſeparatas dicimus, alij dęmones, deos alij, ſunt qui angelos uocent, in rerum natura non tantū fateri, ſed & differre genere non parùm. Malos uocabat Pythagoras καταχθονίους, bonos θεοὺς, utriſq; ſacra faciens: his ut prodeſſent, alijs ne nocerent. Latini etiam malos uæioues, quaſi aduerſos deos dicebāt, alio uocabulo græco ἀποτροπαίους nuncupari ſolitos. Nolo interim in eam deſcendere arenam, ut de dijs in uniuerſum agere incipiam, qui ex hominū meritis nati ſunt: quū opinione & impoſtura, nō rerum natura, ut frequentiſſimè conſtarēt, ſunt reijciendi in ſuum locum. De ijs qui in rerum natura ſunt, agendum eſt. Quamuis autem apud Peripateticos nulla diſtinctio inter iſtas naturas tradatur, quas ſimpliciſſimas putabant, non ideo non ſunt differentes, quòd de illis non ſcripſerint. Nam & multa illos latuere, quæ maximè nouit & probauit poſteritas: ut præcedenti capite eſt traditum. Ab ipſa origine eſt cōſideranda ea natura. Quemadmodum animus noſter eſt arbitrij libertate prǽditus, ut agat in utramuis partem, ex deliberatione ſcilicet, nō ex neceſſitate: ita eas ſubſtantias, quæ ſuperiori gradu & corporis expertes ſunt, eſſe credendum eſt. Nam alioqui præclariſſimæ dotes eſſentiæ cogitationiſq; abſolutiſſimis naturis deeſſent, quod non eſt admittendum. Nihil enim ſupra hanc elementarem molem ſeruitute premitur: libera ſunt omnia. Poſſe igitur & uti & abuti ſua potentia & libertate, eſt certum. Quod aūt ſint aliqui abuſi, abutanturq; indies, leges oſtendunt, quæ illorum, ut malorum, commercia prohibent. Omnino ergo quidam ſunt mali, pernicioſiq;, ut eſt demonſtratū. At quum omnia ſint à Deo optima creata, & ſi quæ mala ſint, à ſua libertate aut à corruptione fluxuq; materiæ talia ſint, conſtat ſuo arbitrio excidiſſe à præſcripto diuinæ bonitatis, naturamq; optimam alteratione peruertiſſe. Vnde quum philoſophia rationes illas capere nequeat, res uerò clarę uideantur in rerum natura ſubſiſtere, manus religioni porrigat neceſſe eſt. Nam in rebus quæ ab effectu eſſe uidentur, quum ad earum naturam acies humana ratione pertingere non poſſit, reuelationi diuinæ, quæ rerum naturæ non repugnat, eſt acquieſcendum. Poſtquam igitur omnia præſtantiſſima (ut potuit fieri per rerum conditionem) ſunt à primo motore condita, & in illis naturis, quæ corporea delicta in ſe admittere non poſſunt, quæq; erant præſtantiſſimæ, uidetur patens & homini nocens nequitia, neceſſe eſt, ut quodam facinore à principio & nobilitate deflexerint, uitiumq; maximum, & quo maius non ſit, in ſe admiſerint, indeq; (ut natura miſeriæ inuidiæq; eſt) homines ſibi ſimilimos, & perditos facere ſatagant. Sed quæ ab initio dicta ſunt, altiori principio ſunt hic repetenda. Conceditur ab omnibus philoſophis, qui eo nomine ſunt digni, uniuerſum hoc naturæ templum, quod ad partes ſenſui obnoxias ſpectat, aliqua cauſa eſſe conditū, & in eſſe conſeruari, hominem uerò cauſa Dei. Quum aūt ſumma felicitas ſit in cognitione, poſt has tenebras meritò uita æterna eſſe creditur, cognoſcere Deum. Nam alioqui eſſet homo (quàmuis uſu iſtarū rerum copioſiſſimo uteretur) infeliciſſimus, ſi ſuo fine poſt tot exantlatos labores careret: parumq; ſapiens eſſet Deus, qui tot tantaq; parare uoluiſſet æterni nihili gratia. Eſſet ſanè longe araneis, telas ad muſcarum uenationem tam ſedulò conficientibus, inferior, quòd res tot tantaſq; laborioſæ uitæ (& eo magis afflictæ, quo melioris) gratia præparaſſet, illam uerò tantum præſentibus miſerijs dotatam uellet: non tantum iniquus, ſed ineptus eſſet.

Nam

Non cadunt iſta in ſenſum humanũ, iniquum, imprudentẽ, malum eſſe Deum: longè minus in diuinum. Sui cauſa igitur hoc uniuerſum tam ſenſu oculorum quàm intellectus compræhenſum creauit, ſuæq́ agnitionis & honoris gratia. At quum Deus ipſe nullo egens, abundè felix, uniuerſi arbiter, abſolutior, maior, felicior fieri nõ poſſit acceſſione noſtræ induſtriæ, quid illi hominem eiusq́ mentẽ referre poſſe credemus, quo capiatur, delecteturq́, quod ue in noſtra poteſtate ſit poſitum? Dura & difficilis quæſtio, ſed quæ eſt ex uſu uitæ iſtius terminanda. Qui appetitus à natura in ſingulis hominibus poſitus eſt, quiq́ ex operibus humanis ſecundum neceſſitatem & utilitatem expectatur ab omnibus, gloria eſt, honor eſt, & celebritas. Nam hoc naturaliter uidemus in omni genere hominũ, & eo magis, quo ſunt potentiores, & minus rerum egeni, ut maxima laudis & gloriæ auiditate capiantur, honores ſummopere ambiant. Quod quidem illis non addit perfectionẽ, ſed fidem ſibi obnoxiorũ hominum repræſentat. Quibus gloriæ aculeis incitantur ad uirtutẽ alioqui difficilem, capeſſendam, ut illis igniculis incitati, tandem ſpontè pro uirtute labores ſubeant, præmiumq́ laudis ueræ Deo referant: quum noſtra fragilis fluxaq́ periclitetur, & non raro quũ illam nobis adſcribere ſatagimus, illius loco infamiam ſubeamus. Quòd ergo honos debeat in cauſas ipſas referri, nec tamẽ illæ ſint ob id egenæ, quòd gloriam uelint ſibi ſeruatam, manifeſtũ eſt in nobis hac fluxa materia conſtantibus. Quanto magis, quũ nulla alia re eum poſſimus honorare, demereri, cognoſcereq́, debemus adſcribere omnia Deo, & acceptum uſum tum noſtri tum rerum externarũ ipſi referre? Honor igitur, cognitioq́ Dei, eſt finis uitę. Nulla enim alia in re ſe probare Deo poteſt miſera mortalitas, niſi dum ſe in filij, cæteros homines in fratrũ loco ponit, parentẽ Deum agnoſcit, quem de his muneribus amet, laudet, celebret, colat, adoret. Deberi ergo Deo ſoli rerum omnium parenti ſolidum honorẽ pro huius uitæ uſu, quũ conſtet, nec alio munere à nobis agnoſci poſſit, quàm dum timemus ut potentiſſimũ, amamus ſummè ut ſummè bonum, ut parentem colimus, & adoramus ut regem regum omnium, nos certè meritò ingratitudinis fideiq́ uiolatæ reos agnoſcamus oportet, ſi illi iſta nõ referamus. Quanta ergo pœna nos dignos iudicabimus, quum non tantum negligimus, illum agnoſcere, ſed nobis omnino adſcribere ſatagimus, quod unum illi debemus? Nónne meritò ultimo ſupplicio addiceret princeps quiuis illum, qui maieſtatis ornamenta, ſpreto principe, ſibi adſcripſerit: quum potiſſimũ ea una re ſacroſancta habeatur maieſtas? Conſtat etiam ex analogię ratione. Quũ ſancta prouidentia nulla creaturę dote, pręter honorẽ, amorem, timorem, ſibi uelit uices rependi, etiam ſubſtantias ſeparatas, quæ ſine corporis adminiculo omnia ſpectant, & in creatore admirantur, ad idem laudis & honoris munus eſſe productas, libereq́ & non coactè id facere poſſe. Ergo in una ea re poſſunt à creatore deficere, ſi ſibi adſcribere tentẽt, quod unũ maximè debent. Nec enim quũ ſint intelligentiæ ſimplices, corporis adminiculis expertes, poſſunt in ulla re tam grauiter pręuaricari, q̃ dum ſuperbè ſibi, quæ Deo debentur, adſcribũt. Quod ipſum cõmiſiſſe dæmones, & ratione fatendum, & religione tenendũ. Dum enim magna multitudo earũ uiderẽt ſibi datas dotes, & libertate ſe eſſe donatas, ſibi ſuam perfectionẽ uolentes adſcribere, de ſuo gradu decidêre, atq; ex cœleſti regione inter iſta elementa ſunt deturbatæ, dæmonesq́ nequam factæ: ubi frequentiſſimè uideri ſolent effectibus. Fulguribus enim miſcentur, uentis inuoluuntur, maria uexant, homines obſident, ædes infamant, ſegetes aut per ſe aut maleficorum hominum inſtrumentis incantant, lædunt, perdunt: conatibus hominũ ad pietatem tendentiũ ſe ideo opponunt, ne illis ſit

animus felicior, qui poteſt cœlum, unde ęternùm exulant, ſuntq́ꝫ deiectę, adire. Qui ergo dæmones uno genere à Deo creati erant, in duas partes ſunt diuiſi, in εὐδαίμονας ϗ κακοδαίμονας, quos bonos & malos angelos dicimus. Hæc neceſſe eſt ex conceſſis (ubi uidemus ab effectibus eos eſſe) fateri, atq; eorum naturam ex eadē ratione perueſtigare. Videmus ex Proclo, Iamblicho, Mercurio, & cæteris, duorũ ſcilicet eſſe generum, bonosq́ꝫ ter triplici differentia diſtingui. Nam ſunt nouem angelorũ, aut deorũ (ut uocant Proclus & Porphyrius) aut ſi uolumus, bonorum dæmonum ordines. Primos non aliunde quàm à Deo accipere intellectus lucem, tradunt: ſecundos ab his recipere, in alios transfundere: inferiores recipere tantum. Ita etiam eſt cenſendum à contrarijs, quum ex omnibus illis ordinibus ceciderint ſua ſuperbia, negatisq́ꝫ Deo honoribus, inueniri. Præterea eſſe hìc tanto deteriores, quanto erant excellentiori cõditione. Quod ipſi fatētur magi, ſingula genera ſingulis uocabulis & ſacris cogentes. Sunt igitur nouem dæmonum malorum ordines (ſi ordo in rebus perditiſſimis eſſe poteſt) non ſecus atq; angelorum. Quod ipſum non latuit Vergilium in 6. Aeneidos, quũ ait: Et nonies ſtyx interfuſa coërcet. Obſtare enim ait illis, qui iniuſſu Imperatoris è uita migrarũt, nouem inuidiæ aut odij ordines, id eſt dæmonum, quo minus inde euadere poſſint. Qui enim mortem ſibi conſciſcit, quum ſcelus immanius nõ poſſit cõmittere, meritò obſeſſus à tota cohorte creditur. Quamuis demonſtratione ſatis probatum eſt, diuerſa dæmonũ genera eſſe: quòd eorum effectus ſub ſenſum cadant, de bonis uero (quos deos, heroas, aut dæmonas uocant) inter omnes conſtet, ad malorum agnitionem confirmandam, uetuſtiſſimum teſtem Mercurium Triſmegiſtum, qui paulo poſt Moſen floruit, deusq́ꝫ habitus eſt, in medium adferam. Eius uerba ſunt ex 9 Pimandri dialogo, eiuſmodi: Mens omnes notiones concipit, bonas quidem, quoties à Deo ſemen infunditur: contrarias autem, quum à dæmonibus quibuſdam ſemina in animum iaciuntur. Nulla profectò pars mundi inferioris eſt dæmonum malorum præſentia deſtituta. Dęmon deniq; in hominē irrepens, ſemina propriæ operationis inſpergit: mens aũt reſperſa adulteris ſeminibus, prægnãsq́ꝫ facta parit adulteria, ſtupra, homicidia, parricidia, ſacrilegia, furta, impietatem, urbium, prouinciarum, regnorũ euerſiones, peſtes hominũ, ac reliqua omnia mala, quęcunq; ſunt opera nefariorũ dæmonum. Hæc ille. Iamblichus de myſterijs ait, & ſua & Porphyrij ſententia, dæmones malos infimosq́ꝫ & gubernatione priuatos, tangi affectionibus: uocans alioqui ſubſtantias ſeparatas, & Deo ſummo ſubiectas peſtes, Heroas, dæmonas, animos. Vnde conſtat, dæmones, quamuis intelligentia noſtro animo præpolleant, tamen duorum eſſe generũ. Quoſdam enim principatui in materia nos adnectere, alios aũt ſurſum trahere conſtat, uaria appetendi & naturæ genere, ad cœleſtia ſublimius rapiendo, aut depreſſius pro ratione illorũ & noſtri. Qui itaq; nobilem animi naturam fluxis & caducis rebus inhærere faciunt, (quum ſit cœleſtis origo, natura, finisq́ꝫ in ipſo à natura diuina inſita) non poſſunt eſſe, niſi nequam & improbi: quũ omnium legũ ſtudium, omnes religionũ conatus, philoſophorũ præſcripta, naturalis inclinatio, ueri cognoſcendi in nobis innatus amor, naturalis Dei cogitatio, nos ſurſum uocent, & à terrenis auocēt. Ordines itaq; inferiorũ potentiarũ, ut ſuperiorum, diſtinctas tradidere, qui de magia & ſacrificijs ſcripſere. Vnde meritò noſter Paulus uocauit principes & rectores tenebrarũ harũ, mundiq́ꝫ poteſtates, cum quibus eſt nobis colluctatio: qui nulla alia poteſtate, quàm ſcuto fidei uinci poſſunt. Quēadmodũ igitur ſummus angelorũ ordo, qui Cherubin, ſeraphin, throni dicuntur, lucem inacceſſibilem cõtemplantur, percipiuntq́ꝫ inde purificationem,

nem, lucem, & perfectionẽ totius boni, felicitatis & uirtutis, cognitionisq́ʒ: ita oportet eos, qui ex eo genere ſuopte arbitrio deciderunt, in ſummo tenebrarũ, nequitiæ, infelicitatis, uitij, ignorationisq́ʒ ſui uerſari. Nam res tãto fit deterior, quanto à natura ſublimiore mutata eſt in contrariũ. Eadem demum cõparatio etiam in ſecundis & tertijs locum ſibi uendicat. Quũ uerò res omnis naturalis in actione conſiſtat, agere has ſubſtantias in quædam ſubiecta oportet, atq́ʒ ita mortales animos agere, aut rectà aut tranſuerſos, ut bona aut iniqua ſorte ſunt. Qui à bonis aguntur, depulſa iniquorum potẽtia, feliciter ſe habent, utiles ſunt reipub. Deum ubiq́ʒ agnoſcunt, ſui ſunt cõpotes. Diuerſum accidit obſeſſis ab impuro conſortio dæmonũ. Omnia enim in ruinam ſui, euerſionẽ fratrum, & publicæ utilitatis, dedecusq́ʒ Dei faciunt. Verum iſta ſunt uniuerſo hominũ generi cõmunia, comites duos diuerſos habere toto uitę tempore, quibus libertas animi noſtri incitetur. Nec enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. Contingit uerò etiã uitæ ſimilitudine plures uno, ex duobus ordinibus adeſſe ipſis hominibus. Indeq́ʒ diuinatione multi pollent, quòd ſcilicet commercium ſubſtantiarũ ſeparatarũ familiariter ſe animo inſinuat, ut cognitis motibus ea aperiat, quæ ſupra facultatẽ humanam ſunt. Nec tamen eſt in opinionem Porphyrij deſcendendum, qui corpus huiuſmodi, cuius imperio fiunt uirtutes admirabiles, non amplius ab anima ſua uiuere & agere tradit, ſed à diuina particula accedente illi uitam habere. Eſt enim impoſſibile hominem à dæmone informari. Vnde nullus magus unquam potuit excitare mortuũ. Spectro ſe offert non rarò ſpiritus, alioqui animo hæret, illiq́ʒ aperit futura. Itaq́ʒ ſpe noſtræ familiaritatis & potiundi conſortio noſtro, facinora uires humanas ſuperantia perpetrant, bona quidem, ſi bona fuit inſpiratio: aut contrà, ſi mala. In hoc differunt, quòd qui diuino motu, non permiſſione accedunt, omnia poſſunt: quia cauſæ primæ adhærent. Mali poſſunt ea tantum, quæ ad oſtentationem, non item ad naturæ uſum aut inſtaurationẽ faciũt, niſi quũ læſerint, aut finxerint. Quę enim cõmittunt, modò uitam nõ ademerint, ea omnia inſtaurare ualent: uitam uerò nec ab illis ablatã, nec aliunde perditã, reddere poſſunt. Qui diuinitus inſpirati ſunt, aut angelico conſortio humanã conditionem ſunt ſupergreſſi, prophetæ dicũtur, ſi uiri ſint: ſi fœminæ, Sibyllæ. Nequioribus obſeſſi ductiue dæmonijs, ſi ſpõtè euocauerint, magi maleficiq́ʒ dici ſolẽt. Si inuiti, illos patiuntur, energumeni à noſtris ſunt ideo nuncupati, quòd in illis ueluti inſtrumẽtis operas ſuas dæmon exequatur. Ideo uehementer, quũ admittitur in inuito, diuexare corpora & animũ conſueuit. Quod genus frequenter uidetur, & ui crucis, nomineq́ʒ Chriſti ab exorciſtis expellitur. Primum genus ob uitæ innocentiam familiariter utens dæmone non eſt in uitio, quia nunquam imperat malis angelis, niſi ut ne noceant, idq́ʒ nomine Dei altiſſimi. Nam angelus angelo nõ paret, niſi iuſſu & poteſtate Dei. Prophetę ergo et diuinitus inſpirati homines in nomine Dei, angelorũ miniſterio diris potentijs imperant, imperata facere cogunt: utuntur uerò bonorũ opera ad curãda quũ corpora, tum animos: ad præſtigias minimè, niſi quũ utilitas publica id poſcit, infideliũ gratia, ut tandem inuiti, credere iſta à Deo profecta eſſe cogantur. Familiaritatẽ ergo habent homines cum ſubſtantijs ſeparatis aut uolentes ſcientesq́ʒ, aut inuiti ignorantesq́ʒ. Ignorantes nolentesq́ʒ à bonis coacti in uerba erumpunt ſibi non præmeditata, eaq́ʒ aſſiduè alij, alij quandoq́ʒ proferunt in aliquẽ uſum mortalium. Quale fuit in Saule perſequente Dauid, in Caipha de Chriſto, & in eo homine qui prænunciabat cladem Hieroſolymitanam multis antea annis, quum tormentis à clamoribus illis dimoueri non poſſet. Volentes ſed ignorantes Sibyllas paſſas fuiſſe crediderim

Hæc etiam in libello Paſtoris, ſiue de duabus uijs.

Prophetæ & Sibyllæ.

Exorciſtæ alij fuerunt in Eccleſia primitiua, q̃ hodie quidã nebulones ſunt.

Ieſum uocat Ioſephus.

uim numinis, & præclara de regnis omnibus, & Chriſto uenturo præcinuiſſe. Non itidem crediderim prophetas ſanctos quæ ſpiritus dictabat, dixiſſe, non autẽ per omnia intellexiſſe: ut Montanus fabulatus eſt. Sancti uiri omnes ſcientes uolentesq́ accerſiuerunt & habuerunt comites, bonos angelos rerum multarum prænuncios. Qui ignorantes nolentesq́ patiuntur congreſſum iniquorum, ſunt extra culpam. Nam ſi quid peccãt, inuiti peccant. Omnium igitur illi ſunt nephandiſſimi mortalium, qui in aliorum hominum perniciem & præſtigias, accerſunt tetras potentias. Quales (quum multi fuerint omni literarũ memoria) aliquot ſunt mihi in medium adferendi, atq́ cum prophetarum facinoribus comparandi: ut eorum clarior diſtinctio appareat. Nulli non fuit notiſſimus Symon Samaritanus, qui ob infanda facinora ſtatuam Romæ ueluti deus à Nerone eſt conſequutus. Apollonius Tyaneus cui non eſt lectus? Quis neſcit Apuleium non fruſtra laboraſſe magicæ ueneficijq́ infamia? Videamus, quæ fuere preclara iſtorum facinora. Symon plura pollicitando quàm poſſet præſtare, præſtigijs luſit Neronem, perſonam frequenter eſt mentitus. Fecit, ut res uariæ ubicunq́ uellet, uiderentur. Mons uidebatur eius opera loco moueri, ædes ſubuerti. Ex qualibet orbis parte nuncia adferri curauit, canis ut uideretur, aut quoduis aliud animal, qui homo eſſet. At quid hæc ad uitæ humanę uſum ſpectant? Fuerũt & noſtra memoria homines lupino corpore cæteris apparentes, dira facinora, cædes, furta cõmittere ſoliti autore dæmone. Frequens illud eſt. Depræhenſi tandem agnouerũt facinora, itidem à dæmone habentes, quod Symon profitebatur. In aëre uolare uidebatur: at mortuum ſuſcitare nunquam potuit, hominem ue ullum curare à morbo. Multa de Apollonio tradidit Græca uanitas: at præclarius nil eſt, quàm quod aiunt agnouiſſe dæmones, Empuſam uidiſſe, nuncia à remotiſſimis orbis partibus, dum res fierent accepiſſe, cantus auium intellexiſſe. Quid hæc miracula mortalibus contulere? Quid Apuleij χρυσονανθρωπίαν referam? Quæ ſi uana fuit, neſcio. Certè ſimilia ſunt in experimentis. Nam μεταμορφώσεις, quamuis ſunt partim à poëtis excogitatę, & fama locupletatæ, tamen omnino falſæ eſſe non poſſunt: quia impoſſibile eſt famoſum eſſe omnino falſum, ut ait Philoſophus. ſunt enim famoſa ſecundum partem neceſſaria. Quandoq́ enim corpore, quãdoq́ animo homo ad tetra diraq́ ſacrorũ nephandorum miniſteria à dæmone traducitur, ipſo etiam ſciente, & credente, aut non ſentiente, ſed alijs apparente. Mediũ enim naturale qua uidemus, præſtigijs labefactari poteſt, faſcinariq́ oculi poſſunt. Quid uerò iſta proſunt? Nil planè. At uitam reddidiſſe mortuo, ſanaſſe morbum incurabilem, rerũ copiam exhibuiſſe: hæc uero ſunt miracula, quæ à prophetis & ſanctis in nomine Dei & Chriſti Ieſu fiunt orrò Chriſtus proprio nomine omnia miraculorum genera fecit. Vnde patet maximè diuinitas eius. Quantum à Symone & Apollonio diuerſus? Nil enim Ieſus tam facilè uiſus eſt facere, quàm quod Creatoris æquaret potentiam, ut per omnia naturæ humanæ ſummam conferret ſalutem. Si cum eo conferatur natura, etiam parua uidebitur. Nam difficilius ex uetuſta materia nouam domũ facias, quàm ex noua primum conſtruas. Veniant Meſſiæ Iudæorum in medium, quorum facinoribus præſtigijs quibuſdã confirmatis ſexageſies centena hominum Iudæorũ milia periere. Nam occaſione primi Barchozbæ in Hieruſalem uiceſies centena hominũ milia Tito occidente deſiderata ſunt. Meritò itaq́ contigit, ut qui filium mendacij loco ueritatis ſuſceperant, illius neglectæ pœnas darent. Alius eodem nomine & ingenio coëgit reliquias Iudęorum ferè ex toto orbe ad ſe nouum Meſſiam, ſub Hadriano imperatore. Qui ob rebellionem illam, quadrageſies centena hominum milia confecit.

Id eſt, hominis in aſinum aureũ transformationem.

Non aliena ab hac diſputatione ſcribit Auguſtinus li. 10 de Ciuitate Dei.

cit. quamuis ultra 300000 eorũ eſſent abſciſſo pollice deuoti, ad eum Meſſiam tuendum. Vnde ſatis patet, quid à uero falſum differat. Si enim ſuas præſtigias autore Deo habuiſſent, preuidiſſent, & non potuiſſent tantum nocumentũ adferre ſuæ genti: ſed præſenſiſſent mala futura, more prophetarum. Nam Elias & Eliſeus futura præcinuere, mortuos ſuſcitauerunt, ſubſtantiasq; rerum multiplicauerunt, ut paululum farinæ & olei multis ſatisfecerit abundè hominibus. Spiritus ergo Dei illos comitabatur, & inflammabat ad uerũ præſagiendũ. Quum aũt dira dæmonis natura deus uideri appetat, ſub pietatis prætextu frequentiſſimè imponere uoluit rudibus. Itaq; quum uerũ lumen diuinitatis illuceſceret in Chriſto, etiam innumera colluuies impurorũ hominum oborta eſt, quæ magicis præſtigijs multos in perniciem traxit, ut reſiſteret naſcenti Euãgelio: non ſecus atq; obſtiterũt incantatores Moſi, legem tradere incipienti. Nam quia uidebant Iudæi ſecundum prophetarũ prædictiones inſtare tempus ueri Meſſiæ, ex toto orbe in Iudæam confluebant multi populi. Inter quos impuri homines dæmonũ præſtigijs fulti inſurgebant, ſeq; prophetas alij, alij deos, alij Meſſias eſſe dicebant, facinoroſisq; ſpectris mentes hominũ ueritatem perquirentium agitabant, atq; demum in perniciem trahebant. qualis Iudas Galileus, Theodas, Aegyptius quidã, Elymas Bariehu, Symones duo, unus Cyprius, alter Samaritanus, & innumeri alij. ut ait non in uno loco Ioſephus. Magi (inquit) etiam, & latrones collecti multis afflictionem inducebãt, & quaſi ad libertatem uocantes, mortẽ preſentem his cõminabantur, qui Romanorũ potentiam ferre uellent, ita ut etiam reluctantes in ſuam ſententiam pertraherent. Symon Samaritanus ad 4 milia hominum coẽgerat, Aegyptius ad triginta, Barchozbæ (ut iam diximus) paulo poſt Chriſtũ ſexageſies centena milia: dum omnes conuellere nituntur potentiam Romanorũ in ruinam traxerunt. Feſtus Aegyptium confecit: Petrus Symonem in Ceſarea, nõ gladio ferreo, ſed uerbi Dei, fugauit: Titus & Hadrianus cæteros. Præclara facinora. Illæ uerò ſunt artes & præmia dæmonũ. Quis nõ aduertat, quantum uerus propheta à malis & falſis differat? Chriſtus Ieſus dominus Deus noſter editis tot miraculis in utilitatẽ hominum, quot in illo primũ creauerat pater, inq; totius eſſe poſuerat, num ruinam ullam ſuis attulit? Si ob unũ facinus collegit unus ad quadrageſies centena hominum milia, quid non poterat Chriſtus, ſolidos homines ad uitam reſtituendo (quod quidẽ quàm creare, eſt magis arduũ ſenſui noſtro) partes ipſorũ quaſcunq; inſtaurando, uiſum, auditum, ſenſum, loquelam, manus, pedes reddendo, integra corpora aduerſa ualetudine liberando, maria ſicco pede calcando, demum reſurgendo? Quas hominũ turbas poterat cõparare, qui ultro confluentem multitudinem ad eum etiam in loca deſerta, pauit pane cœleſti, & ſua potẽtia aucto, ad quatuor & quinq; & ſeptem milia hominũ? quem ob innocentiam Romanus magiſtratus eſt admiratus, & probauit? Quid putes conſortij & concurſus fuiſſe ad eum in urbibus habitatisq; locis, quum in deſertis tanta turba conflueret? Solidas prouincias mouere poterat: ſi ad humanã potentiam cõparandam ueniſſet (ſcio quibus, & quamobrem iſta ſcribã) cuius uel unum hoc argumentum magnum eſt, quòd quum in infinita turba Hieroſolymam ſub magiſtratu ferociſſimo, totius (ut inquit Plinius) orientis urbem præclariſſimam eſſet inſidens aſello ingreſſus, potuit quum innumeri populi ex toto orbe confluerent, ad ſuas ſacrorum nundinationes attentiſſimi innumeri ſacerdotes eſſent in templo auguſtiſſimo, euertere nundinationẽ illorũ, & menſas trapezitarũ deijcere, uſumq; publicũ fori ſacri perturbare, ne hiſcere quidem audentibus ob res ſacras ſummis ſacerdotibus? O Chriſte Ieſu, quanta tua eſt poteſtas, maieſtasq;?

ut Pilatus & Tiberius.

f 2 Pannoſus,

Pannoſus,ſqualidus,egenus,deſpectus,ſolus,pauperrimus,uim & maieſtatem
legũ potes unico actu peſſundare.Non eſt hęc,non eſt potentia humana.Deus
ecce deus eſt.Ita differs à perditis hominibus magisꝗ, quoniam in te habitat o-
mnis diuinitatis plenitudo . Et prophetæ munus,& Dei maieſtatem,formã ſer-
ui ſuſtinens oſtendis.Id ſciebat poſtquã effecta uidit Satan, ſuisꝗ miniſtris uſus
eſt,ut ſimiæ diuinorũ operum fierent,& tandem ultionem nephariæ genti com
pararent. Iidem homines impij(ut nunꝗ caruit dęmonũ præſtigijs Aegyptus)
Moſi prophetę Dei obſtabant , falſisꝗ potentijs contra ueras inſurgebãt. Verũ
à melioribus deteriores tandem uicti,diuinæ uoluntati ceſſerunt,agnouerũtꝗ
Dei eſſe potentiam dæmonibus maiorẽ . Nam Satanas ſeipſum nõ uincit . eſſet
enim contra naturam quicꝗ naturale in ſemet inſurgere.His ſatis liquet, ab effe
ctibus,qui nam mali & qui boni dæmones:unde homines potẽtijs ſeparatis &
conatum humanũ excedentibus utentes poſſunt dignoſci . Nequam homo &
dæmon dum præſtigijs ludit oculos, uanis terriculamentis dementat homines,
falſa & fluxa pollicetur,uitia ſectatur, ſuadet uirtutẽ fallendi aſtu:uerboꝗ tenus
probat,factis damnat:mala & peſtes permiſſione Dei ob noſtra ſcelera,aut pro-
bationem, immittit. Vult uideri deus, gaudet omnium celebrari uerbis,ambit
laudari,imperia cupit,captat,res humanas euertit, ut ſua tandem cupiditate po-
tiatur.Quòd ſi minus licet,famam & immortalitatẽ præſtigijs ambit. Dum con
tendit petere cœlum Neronis deus Symon Samaritanus, dignum patella oper-
De Petro historiæ Eccleſiaſticæ hoc referunt. culum,à potẽtia diuina orantibus Petro & Paulo deturbatur, & paulo poſt in-
felicem animam poſſeſſori reſignat . Teſtis tota Roma , teſtis Egeſippus, teſtis
Tertullianus,teſtis Nero:qui ideo Petrũ & Paulum ſuſtulit.Dum cupit famam
æternam ſibi comparare Symon,cum æterna infamia,mortem æternam conſe-
quitur.Quid de Apollonio dicam?Ille maluit ſibi manus inferre, quàm diuini-
tatis opinionem non emendicare.De cæteris non dico.Nam infeliciſſima cata-
ſtrophe fabulæ extremum actum clauſerunt.Exortum eſt inter bonos & malos
quoddam genus hominũ callidum,uerſipelle . Quale illud fuit, quod falſis reli-
gionibus dedit originẽ,diuina fingens mentiensꝗ colloquia,& interim tyran-
nides & uiolenta imperia cõminiſcens . De quo nunc non dicam, ſed quando
de religionũ omnium originibus tractabo.Satis ex effectis agnoſcere cogimur
potentiarum ſeparatarũ diſcrimen, quum per ſe, tum maximè quum homines
earum opera utũtur. Mali enim ruinam & ſibi & ſpectatoribus credentibus di-
uinos eſſe,comparant,& adferunt. Bòni effectu ſuo & corpora & animos diri-
gunt : tum quæ faciunt,ad utriuſꝗ incolumitatem perquirunt,procurant,exe-
quuntur.Opus eſt eſſe ſanctiſſimas mentes,quę aut malis imperent,aut quibus
boni ſunt familiares . Nam in maleuolam animã non intrat ſapientia,nec diui-
norum ſpirituum ulla familiaritas.Qui malis occupantur uolentes, uerbis qui-
dem & ſignis uidentur eſſe probi , mentiunturꝗ uirtutem , quantum poſſunt.
Nam nolunt ſe prodere ſtatim, antequam probitatis prætextu ineſcauerint ho-
mines,fidemꝗ extorſerint.Itaꝗ frequentius ſe inculcando uincunt, uictisꝗ in
perniciem propriam & alienam abutuntur . Potentijs bonis diuina prouiden-
tia non quidem creat,ſed regere uidetur,iſta inferiora,& ſi infinita uirtute nihil
non procurat quamuis minimũ. Iuſſu Dei ad uirtutem hominumꝗ cõmunem
& priuatam utilitatẽ hortantur boni inſpirando:mali eiuſdem permiſſu,ut nos
exerceant,dehortantur falſis inſpirationibus.Bonis adhortationibus,quũ parũ
diligenter fidem adhibemus,angeli in hominibus oſtendũt nobis uoluntatem
diuinam,ſignisꝗ confirmant.Nam nullus unquã propheta ſine ſigno,aut ueri
prædictione certa fuit . Vnde nec Muhamedes eſt propheta, qui utroꝗ caruit,
uitijsꝗ

uitijsq; maximis ſcatuit. His ipſis (hominibus dico, & angelis, Deiq; præſcriptis) ſuapte ſponte ſe opponũt iniquæ potẽtiæ, inſtrumentisq; malorũ hominũ utuntur. Vnde innumera mala ſcaturiũt, cauſis ipſis latentibus. Quo quis enim magis pius eſt, eo ardentius inſtant contra eum dæmones, ne proficiat, peruertuntq; aut opinione ueri non perpenſa, aut nocumentis animi, aut corporis dimouent, quum à bonis omnibus, tum maximè à uera in Deum pietate, ſui cognitione, & proximi charitate. Quod nemo mortalium, qui in ſe aliquando deſcendere tentauerit, negare poteſt. Nam nullus eſt, quin naturali quodam motu ad uirtutem ipſam moueatur, ueriq; amorem (qui in ſui Deiq; cognitione conſiſtit) non in ſe eſſe ſentiat. Tamen quamuis nobis eſt liberum arbitrium, nunquam poſſumus ita eas uoluntates exequi, quin aut omnino ipſo uoto priuemur, aut multa in eo ad perfectum complementum deſideremus. Ideo de hominis natura ſunt mihi pauca dicenda.

DE HOMINIS NATVRA. CAP. IX.

ET ſi nunc ingens hominum multitudo toto in orbe reſperſa uidetur, innumerabiliq; numero iam à primo homine ad noſtrã uſq; memoriam orbem incoluerit, tamen nemo homo negare poterit, ab uno omnes profluxiſſe principio, unoq; parente natos, ſenſim in uarias regiones tranſijſſe. Nam quòd una origine ſint, teſtatur philoſophus Aben reis, dicitq; à primo homine pendêre totam generationem. Itaq; nominant genus à patre ubiuis gentium, non à matre, qui in aliquod genus referũtur. Quòd ſi non eſſent ab eodem primo parente, unoq; principio, proculdubio duorũ alterũ ſequeretur abſurdum: aut Deũ fuiſſe ſuperfluum, aut plura eſſe hominum genera. Si enim plures eiuſdem formæ præter modum naturæ poſtea ſolitum creauit, ſuperfluam operam impendit, quum ordine naturæ poſſet aliter fieri. Si autem diuerſæ ſunt formæ, illæ uiderentur. atqui neutrum eſt admittendum. Nam una forma eſt, ipſa ſcilicet humanitas, qua omnes dotantur, nec plures ſunt uiſæ. Deus uerò, quod natura potuit, nunquam extra eius limites traducere uoluit. Satis enim fuit hominem & fœminam propagationi naturali creauiſſe, inditaq; procreationis appetẽtia poſteritatis curam illis reliquiſſe, ut & cæteris animantibus. Vt enim in omnibus cæteris rebus ſemine procreatis, & procreari ſolitis, neceſſariò præceſſit unitas omnem numerum, ita & in hominum genere fatendum eſt. Ante omnem numerum unitas. Ea de re omnes ijſdem legibus naturæ tenentur, eos agit eadem rationis uis, idem appetitus incitat, idẽ ſcopus urget: quo maximè patet, eadem & animi & corporis natura & compoſitione teneri, materiaq; & forma eadem ſemper connecti. Nec enim fit, ut figuræ & qualitates formis adſcriptæ, ab alia forma cõmuniter formentur. Nam cõfuſio omnium ſpecierum fieret, rerumq; ordo inuerteretur. Verum obijciet aliquis, Blemmijs capita deſiderari, canino capite quoſdam, roſtro ſuillo alios, ſemicapros quoſdam & ſatyros, imantopodas ſeu loripedes, & id genus, quũ ſenſu humano uideantur, figura diſſimili, in quod nam genus cenſes referendos? Ipſo uſu diſces (do eſſe etiã fabuloſa, quæ tamen eſſe uera, ut de Centauris tradita, non puto.) Si loquũtur, ſi colligunt, ratiocinantur, reminiſcuntur, religionis ſenſu tenentur, inter homines adſcribendos ne dubites: alioqui eſſe incognitũ animantium genus cõſtat. Fieri uerò poteſt, ut perfectiſſima forma figuraq; qua ſumus donati à Creatore, immutetur, dumq; nimia licentia illius periculũ perditi homines per uarias ſpecies capiunt, ut uaria monſtra procreent, quæ inde in genus perditum & figura diſſimile abeunt. Infandorum etiam dæmonum opera deciſo aliunde ſemine, & collocato

in loco naturali, & proportionato calore, quædam genera capere principiũ, nõ eſt alienum ab illorum natura. Cæterũ arte etiam poſſe ipſam naturam inuerti, quod ad figurã attinet, eſt celeberrimus autor Hippocrates in libris de aëre aqua & regionibus, de macrocephalis loquens. Ita enim opinio apud illos inualuerat, decorum eſſe capite oblongo naſci, ut obſtetricum & medicorũ cura recens natorum infantium capita tenella effingerentur in oblongam formam, donec natura artem imitante tales generarentur, quales efficti pridem fuerant. Res ſanè incredibilis, niſi à toto orbe cognita, & à præclaro homine ſcripta fuiſſet. Quòd ſint quidam forma cubitali, ideò pygmæi dicti, roſtro ſuillo, demerſo in pectore capite, anguſto ore, naſo prominulo aduncó ue, aut omnino ſyrictę, potuit arte naturam inuertente fieri. Quemadmodum hodierna induſtria factum eſt, ut fructus ſine ſeminibus naſcantur, ſed longè inferiori naturalibus gratia. Aquam enim potius quàm fructus naturam redolent. Nil itaq; figuræ uarietas facit, modo formæ natura in rebus permaneat, rationiſq; uis inſita uigeat. Hic noſter homo optima conſtitutione fuiſſe compoſitus uidetur, ſeu dotes animi ſeu corporis perſpicias, adq; res fugiendas expetendas ue feliciter inſtructus: ut quem diuina potentia ſacroſancto afflatu informauerat, iudicioq; & prudentia eligendi ornauerat: ne dum ea ſectari uellet, quæ ad finem illi propoſitum non pertinent, ſibi eſſet perniciei autor. Solum enim ex tot animantium naturis particeps rationis & cogitationis eſt: qua una præſtat beluis, Deo iungitur, per quã conijcit, argumentatur, refellit, concludit, quem niſi φιλαυτία ſui amor, & ignoratio, contemptus cauſæ primæ, propria temeritas, & incogitantia: adhæc deprauatio conſuetudinum, opinionumq; uarietas ex primis illis principijs ſumens ortum, torquere ac flectere quócunq; cœpiſſet, eſſent omnes homines & ratione & animis tam ſibi ſimiles, quàm quiſq; ſuĩ pſius. Hinc factum eſt, ut boni omnes quum hominem hominis cauſa natũ ſcirent, dicerentur mutuo dij, ut ediuerſo opinionibus & prudentia humana inſtructus dici ſolet homo homini lupus. Quum itaque in cæteris animantium generibus nullum genus in propriam ſpeciem ſæuiat, ſuo in genere probè degant omnia, ut inquit ille, ſoli homini ex homine plurima ſunt mala. Vnde uidemus, quòd naturæ dotibus fuerat præſtantiſſimum, id factum eſſe omnium pernicioſiſſimum. Nec tantum cæteris perniciem adfert, ſed & (quod ipſum contra naturam eſt) ſuis gaudet miſerijs, quarum quotidie faber & artifex & uideri uult, & reuera exiſtit. Illi enim contingit ex uſu rerum naturalium, ut quanto conditione à creatore erat nobilior, tanto ſui arbitrij deprauatione factus ſit deterior. Quanto res fuit corpore delicatiore, tanto eius putrefactio magis aërem labefactat. Acetum excellentiſſimum à cõſimili uino ſine arte proficiſcitur: caſus in ſummis fœdior & maior, quàm in tenui fortuna. Fœtidiora ſunt à delicatioribus cibis. O miſerum hominem, qui ſponte te deiecisti, teq; extrà tamdiu quæris, inq; dies fis deterior. Ideo hæc innuens antiquitas, ætates fixit aliquot hominum, pro ratione metallorũ, quibus maximè erat infenſa, labefactata uerò poſteritas. Aurea enim & argentea utriſq; carens prima, & altera dicta eſt. Hinc Homerus, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ ταῖς ἀτασθαλίαισιν ὄλοντο. & alibi, παῦροι γάρ τοι παῖδες ὅμοιοι πατρὶ πέλονται, οἱ πλέιονες κακίους παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους. Fabri, ait, ſuæ fortunæ ſunt homines. &, Pauci ſunt liberi parentibus ſimiles, plures deteriores, pauci meliores. Quòd ſi aliquid contagionis & temperamenti nati à parentibus capiunt, ut certè capiunt (nam generoſa à generoſis naſci, & timida à timidis ex uſu naturæ eſt) nemo miretur, eo nequitiæ iampridẽ ueniſſe homines, ut quibus nil poſſit addi. Has cõfirmat ſentẽtias in Alcibiade Plato, etiã uerſibus Homeri citatis:

Fruſtra, inquit, in malis poſiti mortales, deos lincuſant, quum ſuis miſerijs capiantur, morteq́ grauiora mala etiam ultro ſubeant. Vnde propriam naturam omnino quoſdam exuiſſe conſtat, contrariamq́ induiſſe, ut ſuam infelicitatem ne ſentiant quidem. Alij etſi ſentiunt, in ſeq́ deſcendere tentant, morbum agnoſcunt, ſibi mederi non poſſunt. Aliò rapit gloria, tranſuerſos uoluptas agitat, opinio undiq́ obſidet, neceſſitas inuicta urget. Quibus omnibus ex arce mentis deturbata ratio, contra ſententiam porrigit uictoribus herbam. Quum autem in nullo mortalium non inhabitet ille ſtupor aut deprauatio naturæ, inq́ eo omnes conueniant, neceſſe eſt, quemadmodum rectam rationem & abſolutiſſimum iudicium ab autore in primo homine acceperant, ita etiam periclitatum fuiſſe præclarum hoc munus in eodem. Nam ut omnes in uiuiradicibus morbum indicantibus conueniunt, ita niſi cœlitus lux denuò affulſerit, omnes in malo conueniunt, ut qui ſe agnoſcunt, quod nolunt, id faciant: alij & ſi conſuetudine deprauata rapiantur, tamen iudicent ſe malè agere, & non deſinant. Verum in hoc differunt, quum uterq́ aberret, quòd is inuitus, ille uolens peccet. Tam ægrè reguntur habenæ arbitrij humani, quod unum in homine erat præſtantiſſimum, ut omnino in integrum reſtitui non poſſit, niſi ab ipſo qui primum autor fuit. Si uerò quiſpiam dixerit, hanc inclinationem ex arbitrio in malam partem & uanitatem propenſiore, eſſe cauſa uirtutis, quæ in arduo eſt poſita, comparatam, dicet quidem aliquid, ſed de re parum. Nam uti mera libertas eſt, nulla debet eſſe propenſior ratio in alteram, quàm in alteram partem. Quod ipſi uidemus, quum ex duobus bonis alterum nulla repugnantia eligimus, malum maius deuitamus. Illic enim non eſt coactio ulla, aut uehemens inclinatio, quæ ob uanam opinionem & gloriolam, aut uoluptates nos ipſos labefactantes urget. Vnde & nos eſſe deprauatos omnes, ab unaq́ origine conſtat, & dæmonum potentia urgeri. Verum quî fieri poteſt, ut in omnibus regnet peſtis illa, qua inficimur, atq́ indies magis ac magis ſerpat, quum animus noſter non ex traduce ſit, ſed cœlitus in noſtra corpora irrepat: indeq́ naſci arbitrium ſoleat, quo ad præclara facinora incitamur, fugimusq́ contraria? Nil ſanè facilius hac quæſtione ſolui poteſt. Aſſumamus principium quoddam commune, quo inter utroſq́ conueniat. Natura aut ars nil quicquam agit ſine inſtrumento ita diſpoſito, ut ad functiones ſuas ſit aptiſſimum: quod natura certis legibus oſtendit. Nil quicquam creſcit ſine actione calidi in humidum radicale, uel accidentale. Sunt ergo ea inſtrumenta, ſine quibus nil agere poteſt natura. Quod ſi ſint ea extra proportionem, & deprauata, nimius humor necabit, putrefacietq́, calor uehemens uret abſumetq́ humidum: ſi ſint minora quàm par ſit, macie omnia laborare eſt neceſſe. Hoc uerò non eſt impotentiæ naturæ adſcribendum, ſed materiæ & inſtrumenti uitio. Nam ſi ſit ſemen nequam aut uitioſum, nec inſtrumentum etiam benè diſpoſitum aget in illud. Quemadmodum ſecuris apta ligno ſcindendo in ſaxa aut metalla non aget: ita nec in ea ligna quę † lapidauerint, ut nec in euanida & malè firma. Nam fœni, lanæ, bombicis, & ſimilium cumulos, non aſtrictos ob molliciem, ſcindere non poteſt. Tria itaq́ ſunt in actione perpendenda (ut ſine imagine & myſterio trinitatis nil fit) agens, inſtrumentum, patiens. Duo poſtrema oportet diſponi proportionaliter ad agentis potentiam. Nam princeps prudentiſſimus ſi deſit illi miles, nil agit: ſi adſit ineptus rebus gerendis, idem: ſi adſit optimus dux & miles, uictoria uerò non poſſit haberi, per altiſſimos montes, per loci fortitudinē & munitionem, aut quiduis aliud, quid rogo poterit efficere? Nonne ideo imperfectus uidetur? Eadem ratio eſt in fabro, ſecuri, & materia. Nam

† in lapidis naturā diuerterunt.

nullus ideo imperfectus eſt, quòd retuſa acie inſtrumenti agere non poſſit, aut
quod materiam inſtrumento duriorem non ſecet. Quibus fit, ut quæ uidebatur
obiectio contra nos facere, ea maximè noſtra cõfirmet. Nam quum animus cœ-
leſti origine aut ſaltem ex quinto elemento non habente cõtrarium decidatur,
oportet eſſe perfectiſſimum. Quod autem eſt perfectiſſimum & cœleſte, omni-
bus idem adeſt. Vnde in noſtra materia & traduce eſſe uitiũ & ineptitudinem
ad actiones illius recipiendas conſtat, illamq; non uulgarem, ut quæ nos (niſi
adſit nos reſtituens uis diuina) contra ſcopum nobis propoſitũ agere fermè co-
git: quum alioqui cætera animantia uideantur fugienda ſibi & expetenda pru-
dentius uitare eligereue ipſo homine. Quod animal uſquam ſibi uitam ademit
imprudentia aut uitio? Ponunt illa modum naturę ex neceſſitate, non ex uolu-
ptate. At bone deus, quot homines necauit ingluuies, cõfecit ebrietas, uſus ue-
nereorum in aſſidua morte uiuere fecit, cupiditas habendi laboribus immenſis
& periculis obiecit, uindictæ & uoluntatis ſine ratione explendæ opinio in de-
decus & ſceleratam mortem iniecit? Quid plura? Homo ſingulis momentis ſe-
cum pugnat, ſibiq; uiuendi felicitatem inuidere uidetur, dum omnibus artibus
in ſui perniciem armatur. Peſſimè ergo eſt affecta propago tam malè ſequax ad
ea quæ ſibi conducunt, futuriq; tam malè perita, ut quæ deligere ſe ad finem cer-
tum putat, illis ipſis ſibi ruinam accerſat. Quo factum eſt, ut multos in ſe deſcen
dentes, tædium uitæ abſtulerit è uita, alios falſi conatus pœnitentia in deſpera-
tionem adduxerit, nullo uitio præclariſſimi intellectus, aut rationis in nobis po
ſitæ, ſed deprauatæ maſſæ humanę peruicacia. Ideo iudicabant quidã optimum
eſſe non naſci, aut quàm cito aboleri, eo uno uitio, quòd in quem uſum Deus
hominem creauiſſet, ignorarent. Sequitur etiam ex primũ poſitis, intellectum
non tantum nõ poſſe agere in deprauatam materiam, ſed & in perturbatam, &
nondum diſpoſitam. Nam fac eſſe artificem peritum, inſtrumentum optimum,
ſubiectam materiam ad actionem recipiendam non ineptam: ſi defuerit poſitio
& renitentia, certè non agit artifex. Vt ſi faber ferrarius in aëre formare abſque
incude candens ferrum uelit, non poſſit: & quandiu ita erit, non poterit agere
ex arte. ita & noſtrum corpus, quum uita uegetatiua ſeu nutritoria alatur, uita
ſenſitiua moueatur, ſi quid in alimento agetur perperam, ſenſum etiam perpe-
ram agere oportet: ſi uerò non agit omnino primum, deeſt locus agendi ſecun-
do. Quòd ſi ſint uitalia & ſenſitiua in nobis peruerſa, aut nondum bene cõple-
ta, intellectus omnino non aget, aut parum & imperfectè aget. Vnde in pueris
ſenibusq; atq; deliris & ſtultis, non uidetur perſpicua animi actio: non quòd
abſit, aut imperfectè per ſe agat, ſed quia inſtrumẽta deprauata ſunt. Quũ enim
conſtemus anima uitali, & ſenſitiua, & intellectiua, ſine primæ diſpoſitione nõ
agit altera, & ſine harum duarum actu tertia non agit: & qua proportione infe-
riores imperficiuntur, eadem agẽdi facultas ſuperiori deeſt. Quod ipſum etiam
uidemus in ſubiectis uarijs. Nam quidam pueri optima conſtitutione, ſunt ſta-
tim ſapiẽtiores ſenibus. Quòd ſi habitudine & uſu intellectus nobis accederet,
ut ἄθεοι uolunt, non poſſet fieri, ut in puero rerum uſu deſtituto, tam præclarum
munus ineſſet. Fieri certè uſu uitam noſtram intellectui obſequentiorem, &
ueluti edomari, cicurariq; ab ipſa ratione, non eſt negandum. Perinde atq; ſi
acies aſſiduo ſecandi uſu promptius in materiam ageret, ipſaq; materies iam fre
quentius conciſa, ſtatim ab omni parte admitteret gladium ſine magno agen-
tis nixu. Ita & ſenes aſſiduo rerum uſu uidemus ut plurimum ſapientio-
res cæteris. Non quod intellectus ratióue in illis augeatur, ut uulgò dicunt:
ſed quod uita uitalis & animalis ſint factæ aptiores & obſequentiores animi
motibus.

motibus. Ideo pereunte ſanguine in animalibus, perit uita, abit animus; quoniam eſt uitæ inſtrumentum collapſum. Eſtq́ quod Galeno reſponderi poſſit, quum interrogat Platonem, & quotquot animorum immortalitatem uolunt ſuadere, quî fit ut diffluente ſanguine pereat homo? Certè ſi Galenus tam altè diligenterq́ rimari uoluiſſet animi & animæ naturã, quàm diligenter partes corporis eſt perſcrutatus, proculdubio uidiſſet in ſua materia elementari nullas eſſe partes, quæ uim habeant iudicandi, deliberandi, cogitandiq́ de rerum fine, & in ſumma, omnia etiam abſentia colligendi cognoſcendiq́. Subſcribereq́ Ariſtoteli & antiquitati potius ſtatuiſſet, quàm dum noua quædam excogitare ſtudet, in ſe rationem eſſe negare. Si enim ratio & intellectus qui in nobis eſt, ponitur eſſe ex elementis, aut ratione materiæ, aut ratione temperamenti ſit oportet. Si ex materia, etiam omnes partes elementorum ſaxa, metallaq́ intelligent. Si ex temperamento, ergo bruta quo magis accedent ad humanũ, eo magis ratione potientur. At in nullis uidetur. Ergo utraq́ pars falſa. Conſtat igitur eſſe aliundè intellectum, cœlitusq́ in omnes homines uenire. At obijciet iterũ Galenus, autore Ariſtotele (ſi tamen eſt inepti libri περὶ φυσιογνωμονίας autor) animi mores corporis temperamentum ſequuntur. Bona uerba. Anima ipſa ſenſitiua afficitur paſſionibus corporis (quod in libris de Anima liquet) & quandiu illa à perturbato ſuo ordine afficitur, tandiu malè iudicat, aut quouis alio modo affecta eſt. Ebrius oppleto cerebro fumis, aut hilaris, aut mœſtus pro ratione temperamenti, & accidentis fit. Fateor. Sed illi contingit nõ abſimile atq́ lucernis, quæ alũtur oleo moderatè adhibito. eodem copioſo, aut ſublato, euaneſcit lux. Simia idẽ patitur atq́ homo. Itaq́ non ideo afficitur animus, ratio ue, ſed in corpore cõpoſito, deprauatoq́ malè ſuo fungitur munere, etiã autore Ariſtotele. Quòd autem ſit aliquid in nobis ſupra illa quæ à temperamento procedunt, id maximè arguit, quòd contra naturæ ſenſum iudicamus, etiam in ipſis paſſionibus. Quod niſi fieret à diuerſa natura, ab illa quæ eſt affecta omnino fieri non poſſet. Nam unum orbem unico moueri motu, nec poſſe in diuerſa ferri una actione, conſtat ex propria ipſius natura. Ita nec actio quæuis unius agentis fieri poteſt, niſi actore in eam rem intento. Atqui diuerſum eſt iraſci, & iudicare nõ debere iraſci: quod uno eodemq́ momento fit. Ergo à duobus principijs nil cõmunicantibus. Ideo præcepta nobis contra irã animæq́ ſenſilis motus dantur: quod ad hanc diem fruſtra eſſet factum à ſapientibus & doctis hominibus, atq́ legibus. Nam ſi conſtaremus anima tantum illa cum brutis communi, mederi nobis præceptis nõ poſſemus. Vnde neceſſe eſt fateri, perpetuò ſibi ſimiles animos immortales agere in nobis, nec imperfectionẽ actionis inde pendêre. Eſſe itaq́ hominum genus deprauatum omnino conſtat, nec ullum propterea eſſe in animo hebetudinis aut tarditatis imperfectioniſq́ uitiũ. Quod ipſum quamuis latè ex ſuperioribus pateat, tamen hominis finem & ſcopum conſiderando uel imperitiſſimi, nedum philoſophi concipient.

DE HOMINIS SCOPO IN HAC VITA, *& quantum ab officij ratione diſtet.* CAP. X.

NOn immeritò antiquitas tantopere τὸ γνῶθι σέαυτὸν celebrare, & omni laudum genere cumulare uoluit. Ex cognitione enim ſui uniuerſa officij ratio proficiſcitur: ut ex ignoratione & neglectu, manat infelicitas, & falſarũ opinionum cumulus. Verum illud quiſquis dixit, dixit quidem: ſed qua ratione id poſſemus cõſequi, nec docuit, nec dedit. Vnde quũ in ore nemo non habuerit, effectu ipſo & uitæ praxi, aut nulli aut certè pauciſſimi, ijq́ feliciſſimi habuere,

præter

præter illos quos informauit,inſtaurauitq́ denuò prouidẽtia. Quũ enim reuera & ex demonſtratione ſcire,ſit per cauſam cognoſcere,niſi cognitis cauſis ſui, nemo unquam in ſe ita deſcendere potuit,ut in quem finem eſſet reuera factus, penſitaret. Aut ſi qui fortaſſe noſſe potuerũt,præſtare nemo ita unquam aut potuit,aut ſategit, quin multis à uero ſcopo paraſangis ſemper abſuerit. Hominẽ ergo à cauſis ipſis incipiamus cognoſcere, nosq́ ipſos his rationibus non extrà quærere tentemus. Vulgaria admodum hic nobis ſunt proponenda,ſed tamen ſine quibus non ſit ad maiora locus,& unde in magnã præſentis naturæ cognitionem demonſtrationemq́ uenire licet. Hominis,ut cæterarum rerum naturalium,ſunt cauſæ quatuor, primigenia, coniunctæ duæ, & quæ eſt ad finem. Ab autore Deo creata eſſe omnia,regi omnia,in eſſe conſeruari, iam ſuperioribus patuit.Prouidentia ergo cauſa efficiens hominis eſt. Cauſas coniunctas cõmunes cum cæteris compoſitis habet,materiam & formam: illam communem cum cæteris rebus corporeis, hanc diſtinctam & ſpeciei accommodatam. Iam ſupereſt quarta omnium præſtantiſſima,& ſine qua cæteræ fruſtra eſſent. Finis enim cauſa ars & natura omnia facere ſolent. Quum in tota rerum natura nil præſtantius Deo ſit,finem hominis eſſe Deum conſtat.Quod ſi mihi aliquis impius negabit,ita fateri,aut iudicium humanum exuere cogam. Quarum rerum ſunt diuerſæ conditiones,diuerſos etiam earum eſſe fines conſtat,& pręſtantiorum præſtantiores,& inferiorum inferiores. At in orbe inferiori nil eſt præſtantius homine. Ergo nec eius fine quicquam dari præſtantius poteſt. Deo uerò quum nil ſit maius,eum eſſe hominis finem conſtat:ut ſit rerum omnium principium,& finis,cauſa efficiens,& finalis:ueluti homo ipſe ſuarum actionum eſt primaria cauſa,& finalis ſcopus. In hoc differt comparatio, quoniam Deus ipſe in propria natura eſt ſcopus:homo uerò,id eſt hominis utilitates, quæ ad uitam ſibi & generi cõſeruandam faciunt, ſunt, eſſe ùe debent ſcopus operum ipſius. Iam ex his poſſumus quandam hominis notionem definitione circunſcribere. Homo eſt animal totius mundi præſtantiſſimum, intellectu, anima & corpore præditum,cauſa Dei factum. His poſitis uidendum eſt, qua ratione maximè illi cauſæ finali ſe probet, quibus ùe in rebus ſe exercendo ea agere poſſit, quæ in eum ſcopum non ſunt inutilia. Nam quiuis artifex dum in finem operis tendit, ſummoperè ad ea quæ illi conducunt, attentus eſſe ſolet. Primum ut ea omnia faciat, quæ ad finem ſpectant.Secundò,ne inutilia faciat. Tertiò,ne quid committat,quod contra utilitatem & decorem operis pugnet. Nam meritò & imperitiæ damnaretur,& impenſas domino redderet,temporisq́ compenſare iacturam deberet,qui ita inſaniret,ut non ſolum nõ ageret utiliter & honeſtè in pręfixum ſcopum, ſed laboris,temporis,reiq́ iacturã faceret,nõ tantum inutilem, ſed diſpendioſam & ſibi & domino & rei: ſibi probroſam, inutilẽ,damnoſam: domino iniquã,rei quæ durationis cauſa eſſe debebat,corruptiuã. Sic homo in hac uita poſitus,animo & corpore pręditus,debet ad ſcopũ attendendo diligenter aduertere,ne illis modis in ſuũ ſcopũ peccet:ſeipſumq́ cognoſcẽdo,& recognoſcẽdo uidere,ne quid adulterini operis pro legitimo uelit apud Deũ probari:quamq́ grauiter cõmittat,reputet,dum nõ ſatis habuit operã luſiſſe,nilq́ bori feciſſe,inutile & iniquum opus contraxiſſe, ſed ita putauit amentem & ſupinum Dominum,ut aut illa non uideret, aut uidendo non improbaret negligeretq́. Quod facinus uiolatæ maieſtatis ſcelere nõ eſt inferius.Nullum enim eſſe dominum putat, qui amentem, ſtultum, atq́ ratione & iudicio deſtitutum,aut malorum operum approbatorem prædicat, & credit. Qui enim nullis iuſtitiæ aut iniuſtitiæ legibus tenetur, nullus in repub. eſſe poteſt,aut quia non capit,

aut

aut quia non capitur, frenaturue. Stultis enim atq; mente captis perinde ius ut iniuria eſt: quia neutrius capiunt rationem. Tyrannis & iniquitatis propagatoribus nil placet inter ea diſcriminis obſeruare. Qui ergo contra Deum ſponte peccat, reus maieſtatis eius meritò dicitur. Sed perſiſtendum in artificis in ſcopum agentis comparatione eſt. Maior enim lux inde affulgebit tractationi. Artifici cuilibet eſſe corpus, ualidum inſtrumentum, materiamq; opus eſt, anteq; quicquàm aggrediatur operis. Ita & homo tria illa quibus ad finem operetur, à Deo in hoc naturæ templo habet conceſſa, quibusq; quoties abutitur, toties dominum, qui dedit hanc prouinciam, contemnit, & ridet. Tria illa ad agendum inſtrumenta homini conceſſa ſunt, homo ipſe ſibi ipſi à Deo datus, tanta excellentia conſtans, ut toto hoc mundo inferiori compenſari, æſtimari ùe nō poſſit. Nam fruſtra iſta cœlo compræhenſa moles hominis cauſa facta fuiſſet, niſi finis opere fuiſſet præſtantior. Homo finis eſt mundi materialis: Deus autē hominis ſcopus. Alterum quod propriè inſtrumentum dici debet, ſunt bona animi, corporis, fortunæ, quibus in materiam, id eſt in hominem alterum agat: hoc ſibi interim ſeruans tantum, ne dum utitur incommodè inſtrumento, manubrio (uerbi gratia) aut quauis alia inſtrumenti parte, ſibi damnum imprudenter ſine maiori compendio inferat. Itaq; ad Deum omnium iſtarum rerum largitorem & creditorem omnia illa ſunt neceſſariò referenda, ueluti in ſcopū: à quo quotieſcunq; aberramus noſtra ſponte, toties grauiſſimè delinquimus. Quod facile uel una ratione patet. Si quis in patrem eò impietatis procedat, ut non tantum contemnat & rideat, ſed & contra eius dignitatem inſurgat, & ab officij præſcripto recedat: nónne ille meritò ingratitudinis damnatur, & ab hæreditate paterna exhæres fit? Si pater ille corporis tantum propagandi inſtrumentum, tam graue ſupplicium meritò ſumit de ingrato, iniquo, & perdito filio, eam unam ob rem quòd ſe contempſerit, irritauerit, læſerit: quanto ſupplicio dignos putamus homines ferè uniuerſos, qui neglecto Deo, corporis, animi, bonorumq; omnium autore, contra illius pręſcriptum omnium (ne eſſet ignorationi aut excuſationi locus) animis inſitum, ſingulis temporis articulis peccant? Deum uerò quem ut parentem diligere ſuper omnia debebamus, & fratrem alterū hominem, Dei etiam, filium ueluti nos ipſos amare, nos ipſos ſumma innocentia, ueluti Dei filios ſeruare, ita negligimus, ut non tantum ſuper omnia Deum non diligamus, ſed illi ſcortum, numum, opinionem uaniſſimam, gloriolam, uoluptatem præferamus, eius præſcripta uerbis aut factis ueluti adulterina cancellamus, negamusq;, eum uerò de ſua ſede deijcere conamur. Quem aūt amore in fratris loco habere debebamus, atq; beneficio more patris deuincire & fouere oportebat, ſpoliamus rebus, corpore, fama: & quacunq; arte poſſumus, illi nocere ſatagimus. In quo omni officiorum genere nos maximè Deo probare natura pręſcripſerat. Quid de nobis dicam? Quanta homo in ſe committit? Animum diuinitus datum, diuinitati affinem, uirtutum capacem, in omnium ſcelerum barathrum & uoraginem immergimus, corpus omnium uoluptatum mancipium conſtituimus, rebusq; ipſis & inſtrumento quo & fratri & nobis ex æquo proſpicere debebamus, in utriuſq; ruinā abutimur. Et interim homo, ſi dijs placet, poteſt eſſe iuſtus ſine Deo innouatore huius corruptionis. O blaſphemiā. Hæc eſt iuſtitia humana, quacūq; arte cumulare opes, id curare, nō quod ſatis eſt, ſed ne ſit te ditior alter. Quid aliud uideas in ſanctiſſimo, ut humanis legibus licet, quàm dum à malo abſtinet, iudicari optimū? At perinde eſt, ut ſi quis bene peritus artis cuiuſpiā, à cuius induſtria ædificia toti uiciniæ cōſtrui debēt, eſſet optimus artifex, quòd nil mali ulli ex ſua arte feciſſet. At quò ars? quò inſtrumenta? quò

Hominis iuſtitia nulla ſine gratia.

quò corpus ualidum & aptum? quò animi uis? Ad quid tandem iſta omnia ſunt homini conceſſa? An eſſet inter bonos ciues habendus, qui cum in urbe ageret, magnamq́ congeriem inſtrumentorum quotidie in domum cogeret, congereretq́, de ipſa actione uerba præclariſſimè haberet: & interim penuria artificũ materies uento & pluijs labefactata negligeretur atq́ periret? Eſſet non tantum nõ bonus ciuis, ſed & habitatione illius urbis indigniſſimus. Et nos interim non pudet undiq́ opes cogere, ueluti æternum uicturos: immenſa auri et argenti pondera aceruamus, defodimus, innumeris pauperibus olim à maioribus noſtris, aut à nobis nuper ſpoliatis, fame, ſiti, algoribus, laboribusq́ confectis. Omnes iniqua iſta iudicamus, tamen emendat nemo. An non eſt hoc eſſe deprauatiſſimam naturam, et omnino putrefactam, iudicare quod condemnas, nõ emendare? Si in te tantum peccas, patri digniſſimæ naturæ autori iniuriam intolerandam facis, teq́ perdis. Si in fratrem, id eſt alterũ hominem immeritò committis, & te filium & illum fratrem & Deum patrem negas. At quis non habet ludibrio iſta quotidie nõ tantum committere, ſed ad id hortari quàm plurimos? Noſtros armare uerſutia, inferiores exemplo, pares ſocietate in ſcelus trahere, id uerò eſt uirtutis opus. Et philoſophaſtri noſtri de uirtute loquuti, audent naturam humanam in ſe non habere labem adfirmare: quia uirtutem uerba putant, ut lucum ligna. Proculdubio quum perfectiſſimus quiſq́ & in ſe, & in fratrem, & in Deum committere ſe iudicet, nec emendare ſatagat, aut poſſit, relinquitur, perfectionem hominis ab homine pendere, & inſtaurari nõ poſſe. Cõſtat enim, heu plus ſatis conſtat, maſſam iſtam feculentam totam eſſe deprauatam, quum iudicium & culpam agnoſcat, remedium abſolutum nemo præbeat. Quiſquis ergo in ſe deſcendit, ſcopumq́ perpendit, ad quem erat à Deo inſtitutus, nunq́ non poteſt ad diuinam prouidentiam inclamare, ſuamq́ fateri impietatem, quod tam grauiter in eam quotidie committat: & nil aliud in ſe ſentiat (quamuis ipſe omnino uires impendat) quàm ſui cõdemnationẽ, niſi Deus adiuuerit. Qui uerò acti à numine Dei ſunt, illi omnino ſunt diuerſi à mundanis, omnia in gloriam Dei uertere ſatagunt, nil indignũ Dei filijs committunt, omnem operam & opes alijs, non ſibi impendunt, ieiunijs, uigilijs, laboribus ſpontè macerant corpus, ornant animos uirtutibus, rerũ ſplendorẽ rident, probra amplectuntur, fortunæ uano uocabulo in eos nil potenti oppedũt, mortem ultro ueri ſuadendi uicijq́ fugiendi cauſa ſubeunt. Quales quum multi philoſophi clariſſimi uiderent Ieſu Chriſti imitatores, diuinitatem præſentem & hominum immutationem admirati, ſpontè in eorũ tranſibant conſortiũ. Fieri enim nõ poſſe aiebant, ut mali aut malefici eſſent, qui mortẽ cũ hilaritate appeterent. Quamuis enim ſit toto uitæ tẽpore magna in homine cõſtantia, ſeu in uiciũ ſeu in uirtutẽ, nullus tamen eſt tam magnus atq́ excelſus animus, quin conſcientiæ terrore debilitari & frangi poſſit, niſi omnino, qui nil ſibi cõſcius, aut ſi quid humanũ illi cõtigit, ſibi propitiam prouidentiã certò nouit. Poſſet uerò mihi aliquis impius hic obijcere: Iniquus eſt ille Deus, qui hanc peſtem regnare in natura permittat, eamq́ legem in animis poſuerit, quam nemo obſeruare ualeat. Bona uerba. Iniquus eſt pater, aut amicus, qui ea dat, quibus in bonã & in malam partẽ uti poſſum, ideo quia abutor? Iniquus eſt, qui tot tantaq́ in nos beneficia conferat: ut omnino ſit ipſe orbis, & quotquot fuere, ſunt, futuriue ſunt homines, ſint impares agnoſcendo beneficio, etiã minimo, quod uni eſt à Deo collatũ? Ob magnitudinẽ obligationis, ſatisfacere omnino impoſſibile. quod ſumma eſt bonitas, iniquitas dicitur. Eò accedit primi parentis & noſtrũ uitiũ, quo quotidie Deũ à nobis uenerãdũ laceſſimus. Dedit deus, qđ optimũ eſt, ab uſu & arbitrio.

Cõtra Pelagiaſtros.

Contemptus mortis.

arbitrio. Id ita perdimus, ut etiam nos perijſſe non ſentiamus. Nec eſt in Deo ulla iniquitas, ſed in nobis, & naturæ maſſa. Regredientes ergo ad inſtitutum, noſtram omnium materiam tantum nō ex traduce primoq́ homine perditam agnoſcamus oportet, animoq́ noſtro quamuis ſemper præſenti, & agere potenti, nil amplius ſua peruicacia cedere uelle: unde ad materiæ illius emendationem ut benè agat, & ad finem ſibi propoſitum ſpectet, opus eſt inſigni quodam medico, & ipſo Creatore non inferiori.

DE NECESSITATE PRAESENTIAE DEI INCORPORATI *inter homines.* CAP. XI.

DEus omnipotens omniſcius, cui futura perinde atq́ præſentia præteritaq́ ſunt cognita, quum hominem creauit, quo uitæ tenore tam in uniuerſum quàm per ſingularia eſſet uſurus, perſpectiſſimum antequàm eum crearet, habuit: nec propterea quòd eum partim ſua, partim dæmonis arte periturum nouerat, uoluit tamen ab eius creatione deſiſtere. Nam timoris, impotentię, & puſillanimitatis, inſipientiæq́ fuiſſet opus, ob id differre, quum mederi illi non ſecus poſſet, quàm creare eundem. Quum itaq́ ſapientiſſimus Deus omnia ſenſilia hominis cauſa, hominem uerò ſuæ ſalutis & felicitatis, cęterorum hominum utilitatis, & ſui honoris gratia feciſſet, neceſſariò corruptionem rebus ex cauſa materiæ inhærentem etiam illi adfuturam iudicauit ex parte materiæ, corruptionem inquam non uulgarem, cæterisúe ut in rebus ſimilem. Nam quanto illum cæteris animantibus præſtantiorem finxit, tanto grauiorē eius lapſum præſenſit. Eſt enim eo grauius delictum, quo qui commiſit prudentior & maior eſt. Ideo bruta non peccant, quòd non eligant: maior eſt & ſpectabilior regis quàm priuati caſus. Iam antè ſatisfecimus, cur non abſolutè expertem peccati, bonūq́ uſq́adeò ut peccare non poſſet, creauerit. Nam nec per materiæ naturam licebat, nec per arbitrium poterat. Natura enim materiæ niſi corruptionem accidentariam in ſe ſentiret, perinde atq́ forma incorruptibilis eſſet, nec dediſſet multiplicatis formis locum. Quum autem boni natura ſit ab omni parte beata, non poteſt eſſe, niſi libera. Nam qui bonum inuitus facit, præter quàm quod eſt ſeruus, etiam perinde eſt atq́ ſi non faceret. Occaſio enim meriti, quod ex libertate proceſſit, nulla illi eſſe poteſt, qui uelit nolit, agit benè. Nulla igitur ratione poterat Deus hominē creare meliori ſorte, quod ad uitam præſentem attinet. Si creauit, ut collectum eſt, & ſciuit iniquum & malum naturæ deprauatione futurum (quod ueriſſimum eſt) etiam ab æterna mundi conſtitutione (dico mundi increati, & in mente diuina ab æterno creati, in filij ſapientia) neceſſe fuit, illum iam huic ruinę remedium pręcogitaſſe: quod, quum uideretur homo ſummum nequitiæ cōſecutus, tunc illi ad inſtaurationem mitteret. Quum itaq́ deprauatio eſſet tanto maior, quanto homines, in quos incidebat, erant maiores, Deoq́ propiores, paucis ſeruatis, qui cognitionē ſui & Dei quamuis ægrè ſeruauerant, omnes paulo poſt orbem conditum inuaſerat intoleranda peſtis, dæmonibus multis operas in paucorum hominum cętus diffundentibus (nam illæ duæ naturæ ab arbitrio, ut uiſum eſt, exciderant) inq́ malam partē utebantur utriq́. Vnde cum recens eſſet Dei creatoris cognitio, angelicisq́ ſpectris boni ob uitæ innocentiam frequenter & paulo antè fruerentur, admonitionibus non eſt uſus Deus erga deploratos homines, ſed elemento aquæ in ſuum ordinem (à quo imperio eiuſdem receſſerat) redire iuſſo, præter pauciſſimos, aquarum illuuie omnes abſumpſit, non nouo conſilio aut uoluntate, ut aiunt philoſophi, ſed æterna deliberatione. Nugæ Græcorum ne uiderentur ſteriles,

nilꝙ excogitaſſe,ſuæue regioni adſcripſiſſe,etiam cōflagrationē aliunde à ſacris petitam diluuio adhibent: ſed parū prudenter mentiendo. Nam nec arbitrium ſolis eſt homini perdito Phaëtonti,nedū bono unꝙ permiſſum,ut erroribus hominis incenderet orbem. Et pręterea,ſi fuit conflagratio,illius non poſſunt meminiſſe,quum ab ign. nullū animal uiuēs poſſit eripi: aquarum uerò periculis, modo pręſentiantur,nauigijs occurrimus. Hæc diuina eſt rerū ſeries. Quū uerò iterū cępit pernicies graſſari (nam ex illis qui periculū euaſerant,unus erat non ſatis probus in gratiam patris ſeruatus) prole ab ea gente procreata, mitius cœpit agere cum illis Deus benedictus,nec perdendos amplius curauit. Nec enim ſatis fuiſſent fulmina,ſi omniū delicta uoluiſſet perſequi. Porrò ſancti illi uiri diluuio ſuperſtites per manus acceperant à maioribus de priſca rerū conditione, quantū diuina bonitas aut ſuo aut angelico ſpectro aperuerat primis naturę humanæ parentibus:quæ quidē bonis uiris & paucis credebantur,illis ſcilicet tantum qui eſſent ea prudentia,ut meliores inde fieri,& cæteris præeſſe prodeſſeꝙ ſtuderent. Nec potuit tamen illis legibus ferocitas humana à ſua pernicie dimoueri. Nam eſt eo ingenio multitudo & huius orbis faſtus,ut ſi illi ſacroſancta cōmunices,negligantur,et ipſo uſu uileſcant:ſi nil aperias,exleges pręcipitesꝙ in uitia ferri ſtatim incipiant. Ideo repetitis miraculis crebro eſt opus, aut raris nouisꝙ rebus, ut quò uolueris trahas multitudinē. Quod intelligēs Satanas, dum uult Deus haberi,nullū unꝙ nō mouit lapidē,ut Dei loco ſe offerret, & quauis boni ſpecie falleret. Miſſis ergo Deus in toto terrarū orbe angelis quibuſdā aperuit,quę de futuro remedio eſſent expectanda,quæꝙ futuris temporibus (quatenus homini licet cognoſcere) eſſent facienda. Sibyllas itaꝙ diuinitus inſpiratas fęminas uarijs tēporibus prouincijsꝙ diuinitus inſpirauit:quæ quū omnes, tum maximè ethnicos falſis religionibus captos admonerent Dei unius agnoſcendi,futuræꝙ mutationis regnorū,& falſę religionis,quarum uerſus religioſiſſimè ſunt collecti,& cōſeruati,quū à plurimis tū à Romanis, in quorū bibliothecis ad Conſtantini uſꝙ tēpora fuere. Verū iſta parū profuere perditis hominibus,& qui ueluti ad Catadupas obſurduerant. Pauci iſtarū rerū erant periti: & qui dæmonū conatibus ſe opponebant,falſasꝙ perſuaſiones mouebant, cicuta donabantur. Ita facilè irrepit uitiū, conuelli uix unꝙ poteſt. Diuina ergo prouidentia nil intentatū,quod ad hominū ſalutē ſpectaret, relinquere uolens, quum uniuerſum orbem morbo grauiſſimo laborare cerneret, nō totū corpus maſſa fœtidū,moleꝙ laborans informare uoluit(quod in unū locū orbis ad pręſcripta Dei audienda non poſſent conuenire, & rarius inculcata ſolerent deperdere) ſed quam ab æterno conſtituerat, gentem ſelegit, cui miniſterio & angelorum & hominū præſcripta uiuendi literis repeteret,quæ in animis omniū naturaliter inſita eſſe uoluerat:ut quos non mouebat conſcientia,illis ſcripta refricarent memoriam eius, quod in ipſis perierat. Selegit itaꝙ ex gente Chaldæa Abrahamū, cui ſanctæ legis initia daret. Ille iuſſu Dei exulare ab infanda gente Babylonica uoluit,ne naſcenti perſuaſioni contagio nepharię religionis labem inferret. Eius progenies pręceptis ſanctis imbuta,tandem per 400 annos in illis perſiſtens in Aegypto erat:quo tempore miſſus eſt Moſes, qui immenſum numerum populi cōmunione Aegyptiæ religionis cōtaminatū, tyrannideꝙ grauiſſima oppreſſum,in Dei ditionem aſſeruit. Hoc uoluit effectum Deus in una gente,non in pluribus:ut exemplo eorū hominū ſaltem exteræ nationes uiderent, longè felicius ſub imperio Dei,quàm dęmonū agi. Si alijs populis dare uoluiſſet (nam eſt calumnijs impiorū ſemper ſatisfaciendum)aut eandem dediſſet legem,aut diuerſam. Si primū,fruſtra feciſſet, quū propagari & traduci poſſet:ſi omnibus

omnibus prouincijs eandem, oportebat ſuperfluũ eſſe & credendi ab alijs receptæ arbitriũ tolli, & ob id ſine merito credere. Nam prodigijs & ſignis in toto orbe ad cogendũ opus fuiſſet. Præterea uerũ à falſo differens nil fuiſſet, quũ neceſſariò ad finem uſq; mundi ſit futurus ueri & falſi conflictus. Si uerò dediſſet diuerſam, iam non eſſet Deus. Nam una in rerum natura ſubeſt ueritas. Melius itaq; nil fieri poterat, quàm ut factũ eſt. Moſes ergo diuina fretus potentia, prodigijs terret Aegyptios, ſuos allicit, inq; eum locũ ducit, ubi legem expoſuit diuinam, miraculisq; confirmauit. Talem uerò Deus præſcripſit illic legem, qualem pueris ad doctrinæ radices amaras uenientibus ſolet peritus pręceptor. Venienti enim puero ſi ſtatim quicquid habet domeſticæ & prauæ, aut ad diſciplinam ineptæ conſuetudinis, obijceret, proculdubio nõ ad pædagogiũ inuitaret, ſed ueluti à carnificina abſterreret, nec ullis diſciplinę principijs poſſet peruicax ingeniũ imbuere. Sic Deus benedictus ueluti diſſimulans, ad multa etiam non neceſſaria opera eorũ, uitiaq; connixit, & ueluti pro lege poſuit, quod eorũ tenellę & ad diuina capeſcenda ineptę ætati permiſit, ut ſunt ſacrificiorum omnia genera, uindicta, repudiũ, & ſimilia multa. Præſtat enim ſemimalũ hominẽ habere, quàm omnino perditũ relinquere. Quũ cerimonijs ſacris ſit in omni religione opus, tam imperfectorũ omniũ quàm ſigni cauſa, manifeſtũ eſt, debere ſacros dies & ritus certis in locis cõſtitui: nõ ratione Dei, qui ubiq; & ſemper eſt, ſed noſtri cauſa, qui quũ corpore & animo cõſtemus, neceſſe habemus quodam corporis ſigno ea quæ ſunt in animo explicare. Nam quamuis ardua meditatio eſt oratione præſtantior, ſunt tamẽ ore etiã proferenda orationũ uerba, ſignisq; comitanda. Vt ergo traduceret eorũ cultũ idololatria Aegyptiorũ labefactatũ in honorẽ diuinũ, iuſſit ſibi ſacrificari ea omnia quæ idolis Aegyptiacis immolabantur, non quidẽ cauſa nidoris (nam ut ait regius propheta in Dei perſona: Mea ſunt cũcta animantia. Si egerem, à te nõ peterem: nec carne, nec ſanguine paſcor) ſed ut malum cultũ in bonũ uerteret. Eadem eſt cauſa repudij. Ad uindictam promptiores faciebat iniuria crebro in Aegypto accipi ſolita. Nam læſa ſæpius patientia fit furor. Vaſorũ Aegyptiacorũ iuſſa furta erant ratione nõ exhibiti iuris ipſis afflictis: quæ etiã ſunt licita, quũ ſine tumultu publico licet, iure ordinario negato, ſua conſequi. Nam ſi iura non ſuccurrant Reip. aut cõuentui uni, ſua ab alia iuſtè cõſequi quauis arte poteſt. Id illis in cõpenſationẽ acceptarũ iniuriarum permiſit Deus, ne occaſione ſua conſequendi aut repetendi, tunc eſſent in mora. Azymi panes nil aliud erant, quàm ne obliuiſcerẽtur principij beneficij diuini. Itaq; nil eſt quòd dicant impij, Deum fuiſſe autorem mali, aut ſententiam mutaſſe. Nam malum nõ fuit, ſua conſequi: non fuit mutare ſententiã, ea permittere & ueluti pro lege ſtatuere, ſine quibus alioqui optima & ſanctiſſima præcepta offerre, & perſuadere libertate ſeruata non poterat. Nam Deus non uult inferre uim arbitrio, niſi fortè priuato cuidam, ut inde ad liberaliter agendũ ex cõſuetudine tranſeat. Vult prouerbium habere locũ, Frangas, quàm corrigas, potius quę in prauum induruere: perditos nõ uult. Quamuis Iſraëlitæ prodigijs & ſignis ad ſacram legem recipiendam ſunt penè coacti: tamen poſſumus ex nobis iudicare, quales fuiſſemus, ſi in loco ipſorum ſtetiſſemus. Iudicamus facile de uitijs alienis, noſtris applaudimus. Si qui Deum præſentem aſpiciebant, miraculis indies excitabantur, tales erant: quid cæteri? Quanta erat in toto orbe impietas, ſi cum pietate peccatum erat? Tam ægrè Deo acquieſcit homo. Spectatores eius generis fuimus, at longè ipſis actoribus inferiores. Lex porrò illa quamuis acerba erat, tamen non abſimilis uirgæ pædagogi uidetur. Vitia enim pœnis inflictis oſtendit: at uirtutem eius loco ſubſtituere nõ poteſt.

Sic tamen ſapientiſſimè conſuluit rudibus, ut in umbris cerimoniarũ totũ Christi negotiũ & morum formatio deſignata ſit.

Epiphanius egregiè diſputat de iure, quo Deus iuſſit Aegyptios ſpoliari.

Ita & lex Moſi data uitium monſtrabat, & monſtrando augebat: uerum tollere nunquam poterat. Verberabat enim crebrò, non emendabat. Sed hoc cogitemus, ſi qui duas leges habebant, & naturæ, & inſtauratam, erant homines nequam: quid iudicemus de exlegibus? Succeſſerunt Moſi ſancti prophetæ diuinitus miſſi: qui iam legem omnino peruerti et negligi animaduertentes, increpabant malos homines, fiduciamque ceremoniarum ſenſim eleuabant, non in illis eſſe ſalutem, ſed in charitate, pietate, ſui agnitione: illas quidem eſſe ſigna non negligenda, modo interna uis earũ aſſit: ſi deſit, illis rideri, nõ coli Deum. Factũ tandem eſt, ut qui ſub lege erant, eſſent omnium hominũ deterrimi, & ea re uel gentibus exlegibus deteriores, quod optima lege ad ſcelerũ tegumentum & colorem abuterentur, proprijsque traditionibus euerterent ſacroſancta præſcripta. Quũ igitur nullus amplius locus fuit ueræ pietati, præterquàm in paucis admodum, inque toto orbe dęmon coleretur, homo ſuo marte periret, ad ſummum ueniſſet ambitio, gloria, faſtus, & cæteræ orbis peſtes: tunc cum remedijs minoribus amplius locus non eſſet, diuinis & naturalibus præceptis conculcatis, ſummis malis ſummo opus fuit remedio. Deũ ipſum non ſpectro, ſed corpore indutum uenire oportuit. Nam & Dei minæ, & hominum conatus, & angelorũ ars obſoleuerat. Ab humilitate & fide Abrahami, qui iuuenis Noachum uidere poterat, ſenſim populus lege donatus, ſępius à prophetis ad ueritatis uiam reuocatus, captiuitatibus & bellis attritus, & frequẽtius correptus, in id uitij prolapſus erat, ut eius nequitiæ nil planè addi potuiſſet, eoque grauius in Deum ab ea gente peccabatur, minorque ſpes reſipiſcentiæ uidebatur, quòd præter ſcelera ubiuis inter Iudæos regnãtia ab impijs magiſtratibus ſacris id legum poneretur, quod & ſacris cõtraueniret, & uiam ad nequitiam aperiret, ſterneretque. Leges Dei docuerant Deum diligi debere ſuper omnia, parentes coli, rebusque iuuari. Auaricia uerò ſcribarũ & Phariſæorũ fraude circumuentis diuinæ legis uerbis, cõtrà ſtatuerat, ut ne parentibus, imò ne patri quidem alendo quiſquã teneretur, quiſquis cum annuo munere ſua ſacris obſtrinxiſſet. Lex Dei hominum corda petebat, ceremonijs tantũ ijsque grauiſſimis onerauerat populares ſynagoga. In ſumma, aurũ, ut iam ſuo ſeculo dicebat ſexcentis antè annis Ieſaias, uerſum omnino erat in ſcoriam. Iam ſi res humanas diligentius apud exteros conſideremus, Romani orti à paſtoribus & latronibus eò magnitudinis uenerant, ut ob ea quæ à toto orbe terrarũ rapinis, cædibus, uiolentia, iniuſtitiaque rapuerant, iam domi ciuilia bella initia caperent, moleque laborarent ſua, & in monarchiam ex ariſtocratica tyrannide degenerarent. Totus orbis illorũ imperio ſubiacens, à peſtiferis hominibus damna non modo in corporibus, ſed & in animis poſt direptas ſubſtantias patiebatur. Res Græciæ olim florentiſſimæ, aut omnino perierant, aut à uirtute in uitium iam degenerauerant. Ingenia enim illa uerſuta ſplendori Romanorũ uoluptatũ artes, quibus male parta peius dilapidarentur, excogitabant, docebantque. Diſciplinæ quæ olim ſummo bono Rebuſpub. fuerant, perniciem & diſcendi ſine ullo fructu moleſtiam adferebant. Sepulti iacebant Pythagoras, Plato, Ariſtoteles: uigebant Epicurei, Arceſilani, Pirrhonici, ſophiſtę, gaſtrimargi, & eiuſmodi peſtes: ut iudicares, quæcunque præclariſſima hominibus Deus dederat, ea omnia in hominũ perniciem potius quàm cõmodum eſſe conuerſa. Ideo nullus deus putabatur, quòd illa uideret ferretque. Satan in ampliſſimo rerũ dominio uerſabatur. Pauper oppreſſionibus languebat, diues in malè partis nil ſcelerũ non cõminiſcebatur. Et interim ſplendor ille hominũ infeliciũ in ſcelera innocentes raptabat. Si enim uiolentia & iniquitate non peccaretur, ipſo tamen rerum abuſu peſſimoque exemplo (quod omnes aulicos ferè ſemper ſubſequi-

ſubſequitur) peſtem poſt ſe relinquebāt ubiuis magiſtratus:adeò ut in nulla orbis parte uſquam eſſet quies,donec confectis ſocijs & æmulis, pacē Romæ diuturnam attulit Auguſtus,ſub quo ſalutē orbi Creator mittere uoluit. Vt quemadmodum Imperator hominū corporibus feſſis aliquid quietis attulerat, ita æternam animis uerū agnoſcentibus æterna ſapientia felicitatē comparatura ueniret. Deus enim ueluti pijſſimus pater, eum cuius gratia omnia creauit, & qui propter ſe creatus erat, uoluit non tantum educatū eum more feræ exponere, & nequaq̄ poſtea de tam nobili natura eſſe ſolicitus: ſed more medici ſapientiſſimi, ſenſim à minimis remedijs ad maiora proficiſci uoluit, ne ullū excuſationi locum relinqueret. Nam ſi primo ſtatim nequitiæ loco ueniſſet magni conſilij angelus Ieſus Chriſtus, potuiſſent mortales dicere nō opus fuiſſe ad eorū emendationē tanto remedio: ſi ueniſſet aliquis angelus uel propheta, reſipiſcere fuiſſe paratos. Omnia probauit tuus Creator, ô homo, quo te ad uiam ueritatis reduceret. Opera prophetarū & legislatorum ſemper quædam acceſſio facta eſt ad Deum. Sed quū omnes homines ſint filij Dei, eos eſſe patri curæ fatendum eſt. Quū enim particularium rerū etiam minimarū curam habere Deū notum ſit, quanto magis hominum? Alioqui ſimilis eſſet illi, qui ſaxa, cæmenta, calcem, gypſum, lateres, trabes, canterios, &c. curaret ſeruari, conuehi, in opus ſurgere: demū ipſum opus abſolutiſſimū negligere, & pro nihilo habere uideretur: qua nulla maior amentia unq̄ eſſe poteſt. Ideo ea nec in Deum, nec in hominē prudentem cadit. Homo eſt aliquid mundo inferiori maius: ideo curæ Deo ſuper omnia etiam plus quàm mūdus eſt. Nam animus ille cœleſtis omnibus iſtis meritò præferendus eſt. Duobus uerò opus habet homo, ut in gratiam ſecū & cum Deo redeat. Nam & naturam innouare, & facultatem ipſa innouata utendi habere, opus eſt. Etenim ſi captiuū uelis tibi inſeruire, & liberare opus erit, & obſeruare, ne recidat in eadē diſcrimina. Quod opus in homine ſolido facere nec angelus nec homo poteſt: unde ſupereſt ut ſit Dei, ſi ſit reparatum in aliquibus. At fuiſſe reparata iſta naturę uitia in C milib. cētenis hominū milibus, ubi demonſtratū fuerit, conſtabit opus fuiſſe Dei. Conuenit in rebus diuinis, quarum uidentur effectus à poſterioribus demonſtrationē accipere. Vt ſi quis uelit ſibi certiſſimam fidem facere, fuiſſe diuinos prophetas, Moſen, Dauidem, Eſaiam, Ieremiam, & cæteros, non ideo dicet diuinos, quòd de Chriſto prædixerint, ſed ab aduentu Chriſti, de quo omnes prædixerunt, quodq̄ de illis teſtimonium ferat, fidem diuinitatis maximè merebuntur. Ita & ipſe Chriſtus, quamuis omni genere miraculorū eſt planè diuinitatem teſtatus, tamen multo maiorem ſui fidem fecit in membris ſuis Apoſtolis & martyribus, qui ſolo illius nomine omnia miracula, quæ in ſenſum humanū cadere poſſunt, ediderunt. Sed ad maiora miracula uocamur, quomodo Dei filius hanc naturæ labem in ſe ſine labe receperit. Altiori methodo eſt repetendum. Deus optimus maximus niſi fuiſſet trinus & unus, res non potuiſſet in eſſe deducere. Nam mens erat ſapientia prædita, uoluntate & amore inducta ad uniuerſi creationem: ſine quibus rei ſimpliciſſimæ qualitatibus nil planè potuiſſet deduci in eſſe. In ſapientia ergo ſua, aut (ut melius) per ſapientiam in ſpirituſancto condidit omnia ille, à quo, per quem, & in quo omnia. Nec enim ignarus & nolens potuiſſet quicq̄ efficere. Sapientia illa patris filius dicitur, uerbū, principiū, & plurimis alijs uocibus. Vt igitur Deus æternus per ſapientiā, id eſt filiū creauit omnia: ita per eundem inſtaurari uoluit. Et ueluti in operibus creationis cæcutimus, ita in inſtaurationis myſterio longè ſublimiore quoad æſtimationē, ſenſus noſtros omnino ablegare, uerbiſq̄ diuinis fidem adhibere debemus. Quū enim in animo noſtro

diſtinctionē illarum proprietatum,quæ in eo ſunt,intelligentiæ ſcilicet,ratiocinationis,& reminiſcentiæ,nulla arte nos cōpræhendere poſſe uideamus,etſi argumentis eas eſſe certò depræhendimus:quanto minus poſſumus illā æternam infinitamq́ naturā & ſupernaturalem cauſam capere? Nos in nobiſipſis cognoſcimus non egere loco animū,qui in nobis eſt:nec moueri localiter, niſi per accidens moto corpore. Tamen uidemus in ictu oculi totū orbem penetrare,percurrere, cōtemplari, nobiſq́ rerum notiones longè perfectiſſimas referre. Vnde conſtat, ſpiritus à cōſortio & carcere corporis ſolutos,totam hanc mundi ſenſibilis materiam ſtatim percurrere, noſtro longè perfectius & liberius. Noſter enim craſſis iſtis ſenſibus corporis,à magnarū rerū cogitatione frequenter auocatur. Hinc fit,ut in ſomnis, quū uidetur à corpore ſolutior,fiant reuelationes, diuinationesq́, & rerū præſagia multa. Quantæ ergo potentiæ putamus diuinitatē illam infinitam, de cuius potentia ambigere, eſt rerū omnium ueritatem euertere? In uirginem immaculatā,ęterno priuilegio à cæterorū hominum labe originali immunem,ſe demittere uoluit ſapientia Dei,imperio patris,ductu ſpiritusſancti. Ita rerum ordo poſtulabat. Modos enim generationis poſſibiles omnes Deū implere oportuit. Primus fuit ſine ſemine,& uaſe ad generationem apto. Secundus naturæ uniuerſæ cōmunis,ex ſemine à propagatore deciſo,& intra uas aptū generationi collocato. Tertius ueluti ex utroq́ mixtus, eſt creationi proximus, ex uaſe quidem,ſed ſine ſemine aliunde petito. Hoc modo naſci Chriſtū oportuit. Nam ut fuit præſtantiſſimū & admirabile, primum hominem ſolo imperio extra naturæ uaſa ex luto in carnis temperamentū adducto creaſſe (quod quia factū uidemus,credamus neceſſe eſt) ſic etiam digniſſimum fuit Creatore, inſtaurationē primam creationi facere, ut partim naturæ,partim operi diuinitatis eſſet affinis inſtauratoris generatio, quemadmodum homini Deo erat propria & peculiaris. Inſtauratorē enim ab inſtaurandis differre generatione & principio conueniebat,ſicuti & natura: & non ſolū corpore & principio diſtingui, ſed etiam illum ſe nobis accōmodare oportebat. Poterat enim Deus corpore aliunde ad nos delato (ut ſæpius ſpectra uiſa ſunt) nos inuiſere: poterat & cōmuni uti,aut partim. Si primum feciſſet,mortalis peruicacia & impietas non fuiſſet creditura,habuiſſe uerum corpus. Cuius rei fecere fidem plurimi hæretici, qui illum nō uerum corpus,ſed phantaſticum habuiſſe,ſunt auſi aſſerere. Si autem modo nobis cōmuni & uulgari natus,fuiſſet,nunquam receptus fuiſſet: quum ægrè etiam admiſſus ſit ex uirgine natus,ſigniſq́ et miraculis clariſſimus. Ita media mediatori fuit deligenda uia,multis rationibus. Prima, ne ſine carne noſtra & temperamento à ſe recepto nos redimere uellet: quod feciſſet,ſi aliunde accepiſſet. Altera,ut carnem quidem caperet,ſed labem deprauatę naturæ in ſe non reciperet: quam deterſurus à pijs hominibus,& in eum crediturís uenerat. Tertia,ut naſceretur homo Deus generatione ab alijs diuerſa,illo tamen digniſſima. Quarta,ut extrema in ea participaret, quemadmodū duo extrema in uno ſubiecto iungebat. ut Deus enim, ſine ſemine ductu ſpiritusſancti deſcendit in uirginē: ut homo uerò,ex ea corpus ſimile noſtro capere uoluit. Quinta, ut ſumma diuinitatis dignitas, dignitati in inferioribus ſimili reſponderet,ut ſcilicet qui Deus erat ab omni labe immunis, idē à uirgine innocētiſſima puriſſimaq́,& mortali corpore,quantū licet diuinitati propinquo,carnē ſumeret. Quāuis enim cōmunis generādi modus ſit à Deo in natura inſtitutus, ut per eū natura prorogetur & propagetur: tamen peccati labe conceptio actusq́ uenereus carere nō poteſt. Quod omnes religiones etiā falſę, uerarūq́ ſimię,naturaliter cognouerūt: quū à uirginibus ſacroſanctas ſupplicationes et in ſummo

tantum

tantũ rerũ diſcrimine fieri ſolitas, celebrari uoluerũt. Nã alioqui nõ ſtuduiſſent placare iram numinis, puellis & uirginibus potius quàm coniugatis. Inde Romani, ut erant mirũ in modum ſuperſtitioſi, quoties alicubi in eorũ ditione erat repertus androgynos, aut quiduis aliud urbem terruerat, hermaphrodito necato, uirginibus 27 cantantibus urbem luſtrabant. Quod etiã quandoq; à 30 pueris patrimis & matrimis, & totidẽ uirginibus, in maximo diſcrimine fiebat. Ob id inaudito ſupplicio corruptas uirgines Veſtales defodiendo necabant. Certè niſi uirginitas aliquid familiare & affine diuinitati eſſet, prætuliſſent quandoq; uiros & fœminas delectas, quę pietate antecellere poſſunt ipſas uirgines. Naturaliter nouerãt, quod religioſe dixit Dauid: Et in peccatis cõcaluit de me in conceptione mater mea. Vt igitur nil maius Deo eſt, nilq; potuit præter illum, corruptam hominũ naturam inſtaurare: ita ut noſtrũ corpus caperet, & diuinitati iungeret, nil potuit nobilius & Deo affinius corpore uirgineo ſe offerre. Prędixerat ſacer uates futurũ, ut uirgo conciperet & pareret. Templum pacis Romæ dictum æternũ tunc corruit, quũ uirgo peperit. Vt aũt tantum incarnationis diuinæ myſterium Satanã, & iniquos Iudaicæ Reipub. moderatores laterèt, ſub matrimonij umbra naſci Chriſtus uoluit, ne dæmon plures hoſtes naſcenti ueritati ſuſcitaret: & ne quũ uirgo extra matrimonij leges grauida uideretur, lege patria ſtupri notaretur, & id demũ quod erat præſtantiſſimũ, fieret illi & parentibus probrũ. Ad hæc, omnia ſacramenta ueteris legis in ſe & circa ſe ſuſcipiens Chriſtus, uoluit & omnibus omnia fieri, et probare cui legi ſe ſubdebat, Deo autore datã fuiſſe. Ex uirgine itaq; ſumptã formam noſtræ ſimilem, ac corruptibilem uoluit diuinę annectere, quę quidẽ animata eſſet, diuinitateq; ornata, & duplici uoluntate prædita, in quod cõpoſitum (naturæ humanæ miſertus) quicquid afflictionũ nobis debebatur, ſuſcepit, ueritatem Dei in eo aperuit, omnia morborũ genera in diuinitatis teſtimonium curauit, mortuos ſuſcitauit, dæmones profligauit, pro ſalute noſtra uolens ſubijt mortẽ, reſurrexit in eodẽ, cumq; illo cœlũ cõſcendit: ut afflictione & purificatione aſſumptæ noſtrę carnis, quotquot ſibi eſſe eam ſalutẽ cõparatam crederent, initiarẽturq; ſacris eius myſterijs, omnino peruicaciam carnis ſuperantes, peruenire poſſent, quò ille primus corpus noſtris ſimile tulit. Nam pro noſtra omnium ſalute ita uoluit mori, ut oſtenderet ueri profeſſores nunquam ſuis carere inſultibus: eſſeq; tanto ardentius inſtandum pro uero cæcutienti mundo offerendo, quanto certius præſentiusq; propoſitum eſt præmium. Si quis quærat, cur ita, & non aliter uoluit? idem planè quæret, quare nos non aliter finxit? Cui abſoluta autoritate eſt reſpondendum, quia ita uoluit. Tota maſſa corrupta non aliter inſtaurari potuit, quàm dum ea coniuncta eſt Deo. Ex eius ſanguine & aqua nobis reliquit ſacroſanctum luſtrum, quo emundamur ab omni labe naturæ, ſeruamurq; à Satanæ inſultibus, quamdiu factis præſtamus, quod uerbis pollicemur, innocentiam, charitatem, fidem: hanc laudibus, timore, & amore ornatam Deo dantes, officiorum omni genere proximum per charitatẽ deuincientes, nos ipſos antè Deum ueluti modo genitos infantes innocentia commendantes. Quamuis Ieſus Chriſtus filius Dei & uirginis Mariæ, ſatis in ipſis miraculis oſtendebat diuinitatem ſuam, dum proprio uerbo omnia efficiebat: (nam cæcis dicebat, uide, & uidebant: mortuis, ſurge, & ſurgebant: claudis, ambula, & recti fiebant: leproſis, mundare, & mundabantur: dæmonibus, exi, & exigere cogebantur: in ſumma, nil non faciebat proprio nomine, ut & erat Deus) tamen multo omnium maximè eius potentia confirmatum eſt Euangelium, quum in nomine eius eadem omnia à diſcipulis ipſis & ſanctis uiris fierent (quibus factum

Eſa. 7

eſt, ut pluſquam 20 milia hominum uarijs in regionibus ſurrexerint) nullus eſſet langor, nulla infirmitas, ubicunq; minimus Apoſtolorũ & ſanctorũ Ieſu Chriſti eſſet. Moſes, Elias, Eliſeus, & quotquot edidere miracula, in nomine Dei ea faciebant. Solus Ieſus Chriſtus in proprio nomine, quoniam meritò id poterat. Ipſe enim cũ patre & ſpiritusſancto unus erat, eſt, eritq; Deus, una ſubſtantia. Nam nec impediuit ullo pacto ea carnis aſſumptio Deum incõpræhenſibilem, quin totus eſſet, ubi erat in corpore, & in totius naturæ adminiſtratione. Non enim impediri poteſt, qui nil cõpræhendit loci, & omnia tenet. Mirari ſatis non poſſum hominũ tantam eſſe cæcitatem, ut iſta in quæſtionẽ deducere audeant, quũ familiariſſima exẽpla in rebus minimis uideamus, eſſeq; quamplurima tota in uno loco, & tota in omnibus & diuerſis locis. Quis nõ admiretur odorũ naturã, qui quũ à ſcaturigine una ſint, omniũ tamen naribus ex æquo repræſentantur? Idem de ſonis erga aures iudicandum, pariter de rerũ imaginibus oculos omniũ euerberãtibus: de radijs lucis in omnes potentiæ partes protenſis, de eadem imagine in innumeris ſpeculis uiſa. Quæ omnia oſtendunt, ut res ſit in uno loco, ab alio nõ dimoueri. Quanto minus ille omnipotens Deus, omnia penetrans, potuit totus loco circunſcribi? Iſta motum localem ſuperãt, nec corporũ ſunt adſtringenda legibus. Si aũt iſta uidemus in rebus, quæ à corpore proficiſcuntur, quanto putare debemus maiorem illam cauſam corporis expertem, cuius nutu ſidera lucent, cœli mouentur, elementa conſtant, uiuentia uiuunt, ſenſibilia ſentiunt, rationabilia intellectu pollent? Nonne qui parere facit, (ut inquit diuino numine afflatus propheta) nõ poterit generare? Qui fecit ut res eſſent de nihilo, nonne poterit ex aliquo facere? Nonne ut primum hominẽ fecit extra naturæ uaſa, quæ nondum erant, poſſet non tantum facere ut ſic naſcãtur, ſed & alijs quàm plurimis modis? Perinde enim eſt apud Deum, ex ſemine & ſine ſemine naſci. Nam quod legem ex cõmuni rerum uſu ſenſuq; illi imponere uolumus, quid aliud eſt rogo, quàm infinitã potẽtiam finito loco limitéue coarctare uelle? Loco moueri non oportuit diuinã potentiam (quamuis nobilius in cœleſti regione agere intelligitur) ut noſtri corporis formam ad ſe eleuaret, diuinitatiq; adiungeret. Age ducamus exempla tantæ potentiæ à rebus ſenſu obnoxijs. Quis imperitus rerum naturalium ignem terræ reuera miſceri in omni cõpoſito naturali, & potiſſimum uita prædito fateretur, quod hoc nunquã ſub ſenſum cadat? Nihil aũt eſt philoſopho probatius, manifeſtius ue. Atqui corpus eſt ignis, nec tamen ſub ſenſum cadit. Virgo grauida opera ſpiritusſancti facta eſt, moreq; naturali tẽpus utero gerendi expleuit. Natus eſt Chriſtus homo Deus. Inſtar cæterorũ hominum bibit, comedit, cæteraſq; corporis indigentias paſſus eſt: ne quũ in eo diuinitatis opera uiderentur, & paſſiones corporis laterẽt, diceretur nõ homo fuiſſe, ſed Deus tantũ. Illius inter homines aduentus, præter cauſam neceſſariã, quã ſuprà attulimus, hæc etiã adferri poteſt.

Solis exemplum theologis potiſſimum placuit.

A NATVRALI APPETITV.

Natura Deus ùe nullum dedit falſum rerũ appetitũ ulli generi animantium. Quamuis enim multa falſa ſectentur homines (qui ſoli peccare in hoc mundo corporeo poſſunt) nõ eatenus falſa ſunt, quatenus in uſu rerum ſunt: ſed falſitas ex deprauato eligendi motu proficiſcitur. Eſt enim aliquid in ſingulis rebus appetẽdis, quod per ſe ſit expetibile, quodq; formã boni habeat. Verũ ratio legũ, rerum, loci, temporis, perſonarum, parum animaduerſa facit, ut eligamus (dum boni ſpeciem ſectamur) quæ ex diametro pugnant. Tenentur omnes homines cupiditate diuinitatis: in qua expetenda in hoc errãt, quòd ante tempus (in hac uita ſcilicet) illam cõſequi uolunt, non ſatis librato uoto cũ ſuo fine. Nam quicquid

quid in hac uita inferiori eſt, fluxui, ruinæ, obliuioni, corruptioniq́ eſt obnoxium: diuinitas uerò æterna eſt. Itaq́ haberi quidem poteſt, ſed non his in locis. Quum ergo omnes eo deſiderio teneamur, certũ eſt, & eſſe diuinitatẽ, & illam beneficio diuino homini poſſe iungi, & hominẽ illi; alioqui natura fruſtra nos falſa illa ſpe lactaret, quæ tamen nil facere fruſtra ſolet. Quum aũt homo nõ poſſit per ſe cõſequi illam diuinitatem, nec ab angelis habere, ſupereſt ut hoc à Deo habeat. Nam quamuis animo, aut in ſpe, aut in re, ex dono directioneq́ Creatoris, potuit homo cœlũ repetere: tamen carne nunq́ potuit perfici, ut per ſe id poſſet. Oportuit ergo munere Creatoris carnem noſtram Deo iungi, ut plenè cõſequi poſſet, quod optandũ natura dedit. Nam nec animus homo eſt, nec corpus etiam, ſed utrunq́ unà. Ergo Deus Dei filius homo eam ob rem factus eſt, tum quum diuinæ prouidentiæ uiſum eſt. Nam ut ſtatim melius eſſe poſſibile non dedit naturæ, ſed tum maximè, quum eſt facta adultior complementum accipit: ita noluit in principio aut abſolutum ſuſpſius adferre remedium, aut homini ad diuinitatem reparare uiam, quæ in Adamo perierat.

A BONITATE DEI IMMENSA.

Deus optimus maximus ſua immenſa ſummaq́ bonitate ſummũ apparensq́ opus, & quo maius non poſſit dari cogitariúe, omnino facere debuit, & ita facere (quũ gloriæ & honoris ſui cauſa fecerit uniuerſa) ut patens manifeſtumq́ homini fieret. Hoc aũt eſſe oportet increatum, aut creatũ, aut ex utroq́ cõſtans. Increatũ filiũ produxit ab æterno, creatam uerò materiam & formam aut ſeorſim aut coniunctim, quum uiſum eſt illi orbem cõdere, ab æterno in mente ſeruatum. Supererat tertiũ omniũ maximũ & nobiliſſimũ, homo deus, Deus ante ſecula, homo in tempore. In quo fecit utraq́ extrema unũ, in quo perfectio abſolutiſſima imperfectioni maximè iungeretur. Vt quemadmodũ terra pigra & inepta uegetatur in uitam, ab ignea ui in compoſitis latente; ita & noſtra grauitas & pondus à Deo opt. max. liberaretur, inq́ cœlũ traheretur. Anteq́ enim colophonem rebus mortalibus (quæ finem in homine habent) imponeret, uoluit totam naturam humanam more unius hominis à paruis initijs ad maiora progrediendo per ſingulas ætates tranſire, deferueſcereq́ adoleſcentiam iuuentutemq́ ſui prodigam, & in omnia facinora propria libidine ruentem, erroris facere periculum, donec ad conſiſtentem ætatem, qua potiſſimũ reſipiſcendum eſt, deq́ futura ætate & morte cogitandum, eſt uentum. Tunc ipſe moderator ſummus noſtros miſeratus errores præſens uoluit adeſſe, non ea forma homini inuiſibili, qua ſemper eſt, ſed ea quæ noſtro indueretur corpore. In qua licet diuinitas (quæ uideri oculis non poteſt) non uideretur: tamen operibus teſtaretur ille plenitudinem diuinitatis in ſe ineſſe, noſtramq́ infirmam & corruptam naturam planè felicem ſe reddere, quæ Deo iungi potuerit. Gratia ſit tibi Ieſu Chriſte, qui te agnoſcentium labem in te receperis, filiosq́ Dei & fratres tuos feceris, atq́ cohæredes regni Dei inſtitueris.

AB HARMONICA VNIVERSI PERFECTIONE.

Figura perfectiſſima Deoq́ ſimillima circulus eſt, ut primo capite docui. Virtus enim diuina ita per omnia reſperſa eſt, ut ſit ubiuis in modum centri, cuius in infinitũ abſides æqualiter diſtẽduntur. In eo itaq́ quòd æqualitas in omnem partem ueluti à centro ad circũferentiam undiq́ reſperſa eſt, per potentiam conuenit cum circulo, ſed ueluti infinitũ cum finito. Cõuenit etiam circulus quiuis cum archetypo, in forma. Veluti enim opus eſt ad formationem circuli centro in quo eſt potentia totius, & circumferentia, in qua eſt compræhenſio totius, & diametro ab utroq́ procedente (nec enim ſine tribus illis partibus aut totis aut

proprie-

proprietatibus poteſt circulus capi,aut fieri)ita niſi in Deo intelligamus poten-
tiam infinitam, à qua omnia & cōpræhenſionem ſeu cognitionem,aut uerbū,
per quod omnia,& amorem ſeu uoluntatem,aut beneuolentiam ab utraq; pro
cedentem,in qua omnia condita ſunt,uigentq́;,nullam poſſumus concipere de
diuinis imaginem. Quemadmodū igitur per omnia uidemus quadrare totius
unitatis in trinitate rationem,opus eſt & per componendi & abſoluendi modū
non diſcrepare. Licet enim Deus fine & principio careat, ueluti & quodam
modo circulus iam abſolutus:nō ineptè tamen,ſed uerißimè in hoc cōueniunt,
quòd ad uerū cōplementū totius opus eſt uniri infima ſummis, extrema extre-
mis. Finis ſummus Deus eſt,infimus homo:duo extrema,principiū Deus,finis
homo. Ad cōplementū ergo unius, ſic opus fuit ut ſalutē cōſequeretur homo,
Deū homini iungi & unū fieri:quod in Ieſu Chriſti natura eſt factū. Nam quem
admodū in rebus omnibus eſt θεωρία ſeu cogitatio quantouis tēpore πρᾶξις prior:
ſic ab ęterno ſacroſancta trinitas potētia, uoluntate, ſapientia duxit primas uni-
uerſi poſt æternam cogitationē lineas in creatione:demū in recreatione ad pra-
xim,ueniens reuera finem principio iunxit, quando per θεάνθρωπον ſalutem uni
uerſi operata eſt. Sic Ieſus duplici nomine carnē humanā aſſumens,hominem
quodammodo Deū facere uoluit. Duplex ea occaſio fuit decorū & utile, ex qui
bus iuſtū conſurgit. Nam ubi ſegregantur,uerū perit,iuſtū profligatur. Decorū
fuit, harmoniæ uniuerſi cauſa Deū homini iungi:utile, homini ſpontè perdito,
nec ex ſe ſurgere ualenti,opitulari. Decorū totū in agētem refertur:utile totum
in patientem. Iuſtū hinc natū eſt ex utroq; mixtū, quo præmia bonis, & inſtau-
ratorem quantū poſſunt ſequentibus,dantur,mala malis, cæterū laus Creatori.
Quum enim nil in officij partibus debeat deſtitui honeſto decoroúe, bono uti-
liúe & iuſto,nō poteſt fieri,ut naturaliter id omnes norint homines, quin ſit ab
uno cōmuni omnib. principio inditū:ita nec fieri debuit,potuitúe,quin in Dei
& hominis,finis & principij etiā cōiunctione,ad noſtrā ſalutē neceſſaria ea unà
tria cōcurrerint. Vt igitur & harmonica uniuerſi ratio ſeruaretur,ueritasq́; Dei
impleri poſſet,opus fuit ita fieri. nam uerax Deus,qui omnibus rebus infrà ho-
minem fines ſuos uerißimè,ita ut nulli animāti ignorari aut prætermitti,niſi ho
minis negligentia poſſent,conſtituit,etiam homini paruo mundo,longè mate-
riali ſuperiori,præſtituerat finem,quo & longè ſeipſo ſuperior feliciorq́;,totoq́;
materiali maior fieret. quem aſſequi ſine honeſta illa, utiliq́; & neceſſaria tam
Deo uero permittenti,quàm homini egenti connexione,non poterat.

PRAETEREA, A BENE ESSE HOMINIS, SEV LIBERATIONE.

Docuimus ſuprà hominē à Deo fuiſſe optimū creatū,ſibiq́; ſpontè malū, quo
delectetur, attuliſſe. Premitur ergo à ſua ipſius natura deprauata. Oppugnari
etiam à deprauatis angelis, & mancipiū eorū in peccatum fieri, uidimus. Nam
quum deprauati à ſua bonitate ſint, ſuam naturam in cōtrariam mutaſſe cōſtat.
Loco ergo perfectionū angelicarum, quæ ſunt charitate et amore Deum & ho-
mines propter Deū proſequi,laudare,gratias agere:cōtrarias ſumpſiſſe, quibus
& Creatorem blaſphemarent,& in hominem inuidioſe ſæuirent,clarū eſt. Du-
plici ergo tyrannide opprimi hominē patet. Accedebat, quibus datū erat legis
Moſaicæ iugū,quod partim ad rebelles cōpeſcendū, partim ad uirtutē per cor-
poris prēmiola excitandū datū erat,graui ſeruitute adultiorē populū Dei oppri
mens. Quū itaq; homo deprauatus per ſe reſurgere nequiret,multominus tetrā
potentiā ſe longè fortiorē abigere, opus fuit, utriuſq; autorē aliter q̃ in exordio
uenire,eáq; naturā in ſe repurgare,quæ labē cōceperat:ut fidei uirtutē cōtra ho-
ſtē peruerſū adferret,atq; idem legis autor traduceret ad animū & ueritatē quæ
antè

ante corpori iungebantur,& dabantur. Quum enim radix omniũ malorũ orta
ſit in carne humana à pręcepto prouidentiæ neglecto,cętera duo nõ habuiſſent
uires in hominem, ſi rationem præcepti diuini fuiſſet ſequutus. Nam ob pecca-
tum uis dæmonis incumbit homini,& lex ideo data eſt: unde non potuit aliter
fieri,quàm carnẽ illam morbidam iungendo Deo, ut in nobis reſtauraretur in
conditione data libertas. Ideo Chriſtus θεάνθρωπος.

ADHVC, AB ANGELICAE NATVRAE SEV *laudatoriæ Creatoris ſubſtitutione.*

Sequitur opinionem Theologorum, qui putant hominẽ creatum, ut deperditi angeli reſarciantur.

O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei. Iudicia Dei abyſſus multa.
Quum Deus omnia in laudem ſuam creauerit, & creaturæ intellectu aut ratio-
ne præditæ cauſa, ut perpetuò eſſet in eo laudando felix,poſuit angelos qui in-
tellectu, & homines, qui ratione pollent, in poteſtate conſilij ſui, ut ait Sa-
piens: ut ſi perſiſterent in laude eius,etiam conceſſa felicitate in perpetuum frue
rentur: ſin autem ab officio recederent,nil illi deperiret, ſibi uerò æternam cu-
mularent miſeriam & tormenta. Aequum enim eſt pro ratione læſæ maieſtatis
infinitę,infinita etiam tormenta irrogari. Siquidem ſummè iuſtus eſt Deus. Pec
carent uerò,uel non,perinde illi erat,quoad ordinem,nõ quoad culpam. Nam
quantum perijt angelicæ naturæ, tantum animorũ laudantium ſubſtitui opor-
tuit. Poterat Adamus cum poſteritate,ſi non fuiſſet arbitrio abuſus,eſſe immor
talis. Poterat & dæmon in ſuo angelico ordine, in laude Dei, ut bonus creatus
fuerat,conſiſtendo. Peccauit homo,deturbatus eſt dæmon. Duplici nomine ho
mini proſpicere uoluit Dei bonitas: quoniam carnis,licet non ita atq; nunc fra-
gilis,impulſus, & præterea dæmonis aſtus, illũ ad defectionem ſollicitauerant.
Vt itaq; & uoluntas Dei eſſet completa,incolumi ſeruato libero arbitrio, & lo-
cus à quo angeli mali deciderãt,repleretur,hominiq́; perdita reſtitueretur ſalus:
oportuit carnem illam deprauatam, & libero arbitrio tantum nõ ob immenſas
concupiſcentias deſtitutam denuò inſtaurari,et Creatori iungi,uniriq́;. Quem-
admodum enim nil ſeipſum creat,ſic nec ſe quicq̃ recreare poteſt, aut inſtaura-
re. Opus itaq; fuit Creatore, qui aſſumpta & ſibi iuncta natura uitium hominis
elueret in ſe,faceretq́; ut quotquot in eius uerba iurarent,illisq́; per omnia,qua-
tenus poſſunt,obſequerentur, non tantum ad primi hominis conditionem re-
meare,& ueluti poſtliminio redire poſſent, ſed ſuperiores atq; conſortes ange-
licæ uirtutis, eum locum animis beatis replerent,demum etiam ſolidam & cor-
poream naturam humanam eò deferrent. Ita prima Dei diſpoſitio finem conſe-
quitur, ipſiſſimo Deo homine facto. Nam alioqui nec ſalus homini per homi-
nem reddi poterat,nec omnibus proſpicere præter creatricem Dei ſapientiam
poſſibile fuiſſet. Itaq; reparatus eſt, à Chriſto homine deo caſus angelorum,na-
turæq́; noſtrę tantũmodo funditus collapſę maior ꝙ in creatione reddita digni-
tas felicitasq́; eſt. Idẽ argumentũ poſſem à fine hominis iterũ deducere,niſi ſatis
utrunq; attigiſſem. Eadem enim fidelia, ut dicitur,utrunq; parietem dealbaui.
Nam ut propoſitũ gratiæ & prædeſtinationis diuinæ ad effectum deduceretur,
hominẽ,cuius cauſa mundus factus eſt,ſequendo aut arbitrium, aut inſpiratio-
nem,aut legem,aut gratiam,oportebat ſaluari,& in finem uenire, & pariter ex
oppoſito damnari, qui ſecus feciſſet, ſine ulla iuſta querimonia. Vt Deus ergo
reſtitueret perditos electos, qui obſequi uoluere, uenit ipſiſſimus in auxilium
bonorum, & conſilium malis allaturus, ut eius etiam auxilio reſipiſcerent, aut
iuſtiſſimè deterrimis ſupplicijs deputarentur. Ideo (quod nobis exhorrendum
eſt) nulla ſunt tam immania diuinæ ultionis ſupplicia ullis damnatis irrogata,
quàm malis & perfidis Chriſtianis. Aeterna quidẽ omnibus debentur illis, qui

in

in hac uita contrauenere diuinæ legi, atq; ſine charitate & uera in Deum pietate obiere: quoniam neglectis innumeris beneficijs ſibi à Deo collatis, nō tantum gratias non egere datori, ſed etiam in illius dedecus, & ſuam hominumq; perniciem illis ſunt abuſi. At Chriſtianis, qui præter bona creationis, etiam bona inſtaurationis longè maxima negligendo, & Deum creatorem & inſtauratorem Deum hominem neglexere, riſere, aut etiam (quod nunc à quibuſdam fit) inceſſere probris conuicijsq;, quanta tormenta parentur, nec calamus ſcribere, nec lingua exprimere, nec animus concipere poteſt.

A IVSTITIA DIVINA ITA SVADETVR.

Hominem fuiſſe cōditum cuiuſdam rei gratia, quæ facile multa æſtimatione mundum ſuperet, id arguit, quod mundus inferior & uiſibilis eius cauſa eſt factus. Oportet uerò finē longè eſſe præſtantiorem, ijs, quæ ad finem ſunt. Alioqui enim (quod ſæpius non ſine cauſa inculco) imprudens & uanus autor tantæ molis eſſet, quū cætera finis præſtantioris, q; quæ ad finem cauſa agant, ſi hominem ſine fine ullo feciſſet. Nil enim hic eſt, nō dicam ab omni parte beatum, ſed non miſerrimū. Miſeriæ igitur cauſa (ita nuncupare placet, quæ in ſumma felicitate ponit mūdus fatuorū hominū: quū quæ ſunt hic optima, plus afflictionis quàm felicitatis habeant) nec poteſt, nec debet eſſe factus homo, ſed maioris cuiuſdā felicitatis gratia, quàm quæ toto in orbe poſſit ſentiri, uideri, audiri, cogitari. Atqui huiuſmodi eſt æternum & immenſum. Supereſt igitur, ut homo felicitatis æternæ & immenſæ gratia ſit à Deo æterno & immenſo factus, eumq; illam poſſe & debere conſequi. At quum in primo homine, qui ſua ſponte decidit à tanto ſcopo, tota poſteritas ſuo deſtituta fine ob peccatum eſſet, nec poſſet ex ſe ad innocentiam reſurgere, nihilominus fraudari Deum ſua deliberatione erat impoſſibile. Quomodo enim homo qui ſeipſum perdiderat, potuiſſet iuſtiſſimo Deo infinito & infinities offenſo ſatisfacere, quum ſit finita creatura? Nulla igitur ratione, licet centies millies homines ſingulos duriſſimis tormentis afflictos necaſſet, potuiſſet delictum contra infinitam eius bonitatem cōmiſſum iuſtè expiare, niſi qui erat etiam infinitus, omnium nomine lueret, & hominem perditum ad præſtitutum ſcopū reduceret. Opus ergo fuit Creatorem, Dei ſapientiam, et uerbum, noſtro corpori iungi: ut qui ſolus poterat, ſciebat & uolebat, inauditis tormentis probriſq; cumulatam mortem ſubiens offenſæ iuſtiſſimæq; diuinitati ſatisfaceret, atq; potiſſimum illis qui pro ſua uirili imitari eum ſatagerent, proſpiceret. Licet enim omnibus ſit fructus & ſolutio mortis Ieſu Chriſti propoſitus, multiq; per ſummam Dei miſericordiam, ſtatim à morte in uitam, à peccato in iuſtificationem ſint traducti, occulta Dei ſententia, nihilominus niſi quis bonis operibus cooperatus Chriſto fuerit, & pro uiribus, ut inquit Paulus Col. 1. impleuerit ea quæ deſunt paſſioni Chriſti, in carne ſua, plangendo, lugendo, ieiunando, largiendo, pœnitendo, confitendoq; & cætera pietatis erga Deum, ſe, & proximum opera exequendo, proculdubio tantum abeſt ut illi Chriſtus proſit (ſi illi à baptiſmo & uſu rationis licuerit) ut ad condemnandum, & grauiter accuſandum illi uehementer obſit. Iuſtiſſimum enim eſt, quemadmodū iuſtitiæ ſeruandæ gratia & infinitæ expiationis ergo homo-deus Ieſus Chriſtus pro omnibus & ſingulis obijt mortem, unumquēq; etiam in libertatem crucis uocatum bonis operibus imitari ducem, quiſquis eius miles eſſe cupit. Vnde patet eſſe non hæreticos, ſed impios, qui noſtras operas à ſalute noſtra ſubducunt. Licet enim infinitam culpam eluere non poſſumus, abſoluteq;, quod de condigno uocant, regnū cœlorū mereri, tamen obſequendo in bono agendo, malumq; fugiendo, æquiſſimum eſt, Deum non eſſe immemorem

Sequitur opinionem Theologorum qui dicunt Chriſtum non ſatisfeciſſe pro peccatis hominū ad plenū, quin et nobis aliquid præ

morem boni operis noſtri, & uſq; adeò id neceſſarium eſt, ut ſit impoſſibile ſine ſua opera adulto ſalutem conſequi.

ſtandũ ſit. Cæterum Paulus loquitur de ſe, ut de omnibus mẽbris Chriſti: quæ oportet per afflictiones capiti conformari.

A POTENTIA DEI.

Quamuis Deus omniſcius præſciuerit hominem abuſurum eſſe ſuo arbitrio, nihilominus non deſtitit ab eius ſalute, ut oſtenderet in inſtauratione ſuã omnipotentiam non inferiorem creatione. Potens enim denuò inſtaurare perditum hominem eſt, nõ ſecus atq; creare. Nulla itaq; in re maiorem Dei potentiam uidere palàm homo poterat, quàm ſub humilimo abiectiſſimoq; homine eam occultaſſe potentiam, quæ mundo creando par fuit. Eſt uerò potentioris in finem uſq; quicq; traduxiſſe, quàm ad finem ordinaſſe. unde innumeræ ſanctorũ Ieſu ſectarum myriades, tam ſtupenda poſt eum in illum referendo miracula edidere, ut immenſa illa potentia penè magis in illis, quàm in magiſtro eluxerit: quod inexhauſtæ potentiæ, infinitæq; gratiæ eſt indicium.

A SAPIENTIA.

Sapientiſſimi pariter eſt, non ſecus collapſis rebus ſuccurrere, quàm ſi perpetuę fuiſſent. Quum homo ſit ſaluandus, adq; infinitam beatitudinem adducendus, non poteſt hoc fieri, niſi per ſummam & omnipotentem ſapientiam, quæ non ſecus repurgare uitia, ſolidare conuulſas partes nouiſſet, quàm olim in prima natura aptauit. Id unus homo deus Ieſus præſtare potuit, uoluit, & debuit.

A CHARITATE.

Charitas, miſericordia, & amor humanæ conditionis non diſſimili modo cõiungere ſumma infimis, ut homo finem conſequeretur, debuere. Nam alioqui uiſus fuiſſet ab humanitate alienior charitatis autor, qui ita collapſam & miſerè iacentem naturam, omninóq; pereuntem, qui ſolus id poterat, non ſubleuaſſet. Verum qui potuit, ſubleuauit, & purgauit, quotidieq; ſacroſanctis ſacramentis ad ſe adplicat, ut recepta ſemel ſanitate, per ea ſacramenta, quibus noſtræ fragilitati medetur, ſuaq; diligẽti opera ſequi ſatagat eius bonitatis exempla, à qua quicquid eſt boni, profluxit.

Fides in Chriſtum beat, quæ ſacris myſterijs exerceatur.

A CONSIDERATIONE GRAVItatis delicti.

Veluti grauiſſimè peccat, qui maximus & ſcientiſſimus eſt: ita eo magis ſubditus peccat, quo in maiorem poteſtatem cõmittit. Sęuius enim in eum animaduerti debet, qui in regem, quàm qui in ducem: qui in ſummũ Pontificem, quàm qui in ſacerdotem: qui in ſummum iudicem, quàm qui in pedaneum commiſit: ita pro qualitate offenſæ læſæue perſonæ grauitas æſtimatur delicti. Quũ Deus agat finis cauſa, hominem fecit præſtantiſſimum animantium, pręſtantiſſimæ felicitatis gratia. Quumq; ſit Deus infinitus, peccato in eum cõmiſſo debẽtur infinitæ pœnæ: ſiquidem non minus iuſtus quàm miſericors eſt. At niſi Deus dediſſet id homini, cuius cauſa factus erat, non cõſequuta fuiſſet ſcopum humana natura. Oportuit ergo & prędeſtinationẽ ſeruari, & iuſtitiam & miſericordiam impleri. Impoſſibile aũt homini eſt, ut proprijs uiribus ſatisfaciat infinitæ offenſæ. Sed tamen luere pœnas condignas ſcelere naturam humanã oportuit: unde factum eſt, ut infinita ſapientia, ueritas, & miſericordia aſſumeret omnium nomine carnem humanam, & totam naturam corruptam, ut in infinito ſubiecto lueret infinitam pęnam, debitam infinitæ ſceleris grauitati. Quare fuit omnino neceſſarium, ut Deus infinitus incarnaretur, & debita omnium hominum in ſe reciperet, ita abſolutè ſoluens, ut ad baptiſmum accedenti, & pœnitentiam ſuſcipienti omnia condonet, diutius ſub ſancta lege agenti ſit cooperari neceſſe. Non enim coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.

De omnibus dictum eſt: qui uos contemnit, me contemnit.

A CONTEMPLATIONE EARVM
rerum, quæ ab arbitrio fiunt.

Fieri nulla ratione poteſt, ut per omnia cõueniant, quæ à diuerſis nec lingua,
nec inſtitutione, moribus úe cõcordantibus fiunt eodem modo, niſi principiũ
à quo dependent omnes, id omnibus daret. quare ſequitur, quũ ea inter homi-
nes momentaneos fiant hoc modo, ut melius non poſſint, etiã primũ motorem
ijſdem legibus in ratione uniuerſi agere. Quicquid enim à noſtro procedit ar-
bitrio, animo primò concipitur, & agitatur: demũ (ut ſuprà iam docui) in quan
dam explicationẽ uenit, & ueluti ἰχνογραφίαν ὀρθογραφίαν ue, atq; demũ in opus
ſurgit: poſtremò uſum præbet, & finẽ. Decet uerò, ut in animo cogitante ſit po-
tentia, ſcientia, & uoluntas ſtudium úe rei agendæ, etiã anteq̃ ad διάγραμμα ue-
niatur. Eodẽ modo diuina prouidentia, quæ omnia præſtantiſſimo modo fecit,
ita in cõplemento uniuerſi uſa eſt. Nã ab æterno in ſe omnia futura animo uol-
uens, in ſe omnia habens noſcensq; tanq̃ præſentia, potens, ſciens, uolens, o-
mnia cum tẽpore creare, quũ uiſum eſt, ueluti explicatione potentiæ ſuæ in ani-
mo ſeruatę duxit lineas creando cauſa felicitatis liberi hominis. Quod opus ſen
ſim expoliẽdo ingenio, cultu, legibus, tam diuinis quàm humanis exaſciando,
rudemq; dolando materiã, tum demũ opus abſolutũ reddidit, quũ ipſa ſe pro-
palauit ſapientia: atq; ex orthographia ædificium cõſtruxit iactis fundamentis,
homine ſcilicet à reatu abſoluto. Porrò hoc tam præclarũ ædificium indies ope-
ra ſpiritus ſancti abſoluitur, quoad ueniatur ad conſummationem huius corru-
ptionis, & finẽ demũ poſt corruptionẽ nanciſcatur homo, cuius cauſa omnia, ut
ille cauſa Dei eſt. Vt aũt opus creationis attribuitur patri, inſtauratio ſeu redem
ptio filio, ſiue ſapientiæ: ædificatio aũt, quæ in charitate eſt, attribui ſolet ſpiritui
ſancto. Poſtremo uerò finis pertinet propriè ad totã trinitatẽ: nõ ſecus quàm æ-
terna fuit in trinitate & unitate inſeparabili æterna mens à parte anteriore. Nõ
diſſimili modo (licet nec cõfundi nec ſeparari poſſint, debeant úe cogitatio, ex-
plicatio, opus: & potẽtia, ſapientia, ſtudiũ amor úe aut uoluntas, quæ res anteq̃
à nobis fiant, mente agitant) dicimus opus eſſe potentiæ, rem excogitatã & ani
mo adumbratã, ſapientiæ explicationem, effectum uerò uoluntatis. At quia ſu-
mus temporarij, non poſſumus ſinguli rem tandiu augere, ut cum ſpiritus ſan-
cti opera conueniamus. Verũ in principio & fine, in cogitatione, quę magnam
adfert uoluptatẽ, & in uſu fineq; totæ tres proprietates unà ſiſtũtur, ſua fruentes
felicitate, more diuino. Primo loco Deus pater per filium in ſpiritu ſancto, aut
potentia per ſapientiã in uoluntate uel amore iuuandi, in creatione mundi ſui
aperuit ueſtigia: ſed multo maxima fides erat faciẽda, eſtq; facta, quũ Dei ſapien
tia, uerbũ, filius úe ſub indumento carnis noſtræ ſe oſtendit, paruoq; mundo im
poſuit colophonẽ, eius materia omnino repurgata. Eſt uerò maius opus quod
ad effectũ, redemptio, quàm creatio. Quũ itaq; illud ſit Deo digniſſimũ, homini
neceſſariũ, harmoniæ naturali conſentaneũ, à prophetis & ſanctis uiris traditũ,
ſacroſancto dogmate creditum, rationi per omnia conueniens, tenendum eſt
etiam uitæ periculo Chriſtum Ieſum eſſe hominẽ Deum, neceſſariò ob ſalutem
noſtram & omnium credentium incarnatum.

AB ESSE POSSIBILI.

Quum in Deo poſſe & eſſe idem planè ſit, poſſit uerò quæcunq; ſunt abſolu-
lutiſſima & perfectiſſima: nil aũt poſſit eſſe maius aut nobilius, q̃ uniri infima
ſummis: oportuit etiam Deũ ipſum ſibi iungere (non ſeorſim, ſed coniunctim)
ipſam naturã humanam, anteq̃ perfectum cõplementum acciperet. Quemad-
modum enim nõ ſatis eſt ad felix cõpoſitum, habere duo media elementa com-
municantia

municantia in̄ una qualitate, aërem ſcilicet & aquam, niſi uinculum extremorum etiam accedat (terræ dico, & ignis) hoc ad molem, illud ad uitam & libramentum: ſic ad benè eſſe hominis non ſatis fuit conſtare corpore & animo, niſi accederet huic moli corporeæ & mixtæ humo, ignis & Dei ſimpliciſſimi natura, ut abſolutiſſimum illud compoſitum reformaret cætera, adꝗ uitæ perfectiſſimam felicitatem traduceret.

A BONI NATVRA.

Res eſt conſenſu non ſolū philoſophię, ſed totius orbis certiſſima: bonū quò cōmunius, eo diuinius. Quo prouerbio, aut ſententia, apparet Deū maximè ſeipſum communicare quibuſcunꝗ modis fieri poteſt. Quatuor uerò modis ſeipſum cōmunicare poteſt, præſentia, uirtute, unione eſſentiæ, unione perſonæ. Præſens ubiꝗ eſt. Virtutis aūt eius uis in minima uſꝗ diffuſa & reſperſa uidetur. Nam nil miraculo caret, & re admirāda quamuis latente: quod ipſum à materia nō eſt. Vnio fit in perſonis eſſentialiter. Supereſt quarta cōmunicatio: quę cum angelis bonis fieri non debet, non enim peccauerunt: nec cum malis, quia non poſſunt reſipiſcere: nec cum inferioribus homine, quę omni peccato carēt, durationeꝗ non egent. Oportet ergo, ut unio perſonæ diuinæ fiat cum homine, ut ipſum reducat ad felicitatē. igitur opus fuit θεάνθρωπον fieri Chriſtū. Alioqui unam ſuarum cōmunicationum nobis inuidiſſet Deus: quod admittendū non eſt. Illis rationibus omnino futurū oportebat, ut aliquando Deus homini iunctus uideretur. Quod etſi non eſſet neceſſariū, nec prædictū ab angelis, Sibyllis, prophetiſꝗ, & etiam dæmonibus fateri coactis: tamen ſatis in ſe oſtendit Chriſtus, Deū eſſe in ipſo fragilitati humanæ iunctū. Nā ſola Chriſti reſurrectio uidetur, & reuera eſt tanto creatione maior, quanto æternitas corruptione præſtātior. Nam naſcimur morituri: uiuit uerò nunꝗ moriturus. Verū quū de eius morte diſſentiāt nobiſcū Muhamedici, quāuis cōtra totius orbis cōſenſum id faciāt: tamen externis teſtimonijs illis ſuadendū iudico, ne dicant nos illa finxiſſe.

DE MORTE IESV CHRISTI FILII DEI *& Mariæ, externa teſtimonia.* CAP. XII.

QVum omnia quæcunꝗ à Chriſto ſperamus & habemus, à morte Chriſti Ieſu pendêre certum ſit, fruſtraꝗ cætera ſimus credituri, niſi in corpore ſuo noſtras infirmitates ſuſcepiſſe, & cruci affixiſſe prędicemus & credamus. Cætera enim tantum de eo credere, non tantū non iuuat, ſed uehementer etiam nocet. Quū itaꝗ eum ſcopum nobis propoſitū Muhamedes, nec noſtræ nec Iudaicæ religionis omnino ignarus, nouiſſet, uoluit cætera omnia illi tribuere, etiam maiora quàm ſit nobis traditū literis, diuinitatē uerò & mortē illi adimit, in quo cardo noſtræ ſalutis uertitur. non quidē uerū putās, quod ſcribebat, ſed ut illius ſublato merito & ſcopo, tyrannidem propheticam occuparet: quæ latiſſimè ſuo loco in eius uita patebunt. Paucis hoc in loco in eum agam. Si Euangelio credere nō uis ô Muhamedice, alios teſtes certiſſimos, à nobis diuerſiſſimos & omnino contrarios producā. Ex ethnicis Pilatū, qui Ieſum iudicauerat: Abagarum, qui nondum in eum crediderat: Tiberium, Hadrianū, ſenatum Romanum, omnium gentilium probra, Phlegonta, Lucianū, Plinium, Plutarchū, & alios: Iudæos uerò tum omnes, tum ſexcenta loca in illis libris, quibus laceſſere illum conati ſunt, atꝗ ex Thalmud. Pilatus ipſe, poſtquam uidiſſet illum ſurrexiſſe, tunc de eo ſcripſit ad Tiberium Cæſarem hanc epiſtolam.

Pontius Pilatus Tiberio Cæſari, ſalutem. Nuper accidit (quod ipſe poſtea probaui) Iudæos ſe ſuorumꝗ gentē crudeli pœna affeciſſe. Quum enim promiſſum eſſet patribus eorū, Deum miſſurū illis ſanctū uirum, qui eorū rex uo-

caretur, atq; ex uirgine naſceretur, deusq; Hebræorũ: hunc in Iudæã me præſide miſiſſet, uidiſſentq; eum cæcis reddidiſſe lumen, leproſos mundaſſe, paralyticos curaſſe, dæmones ab hominibus expuliſſe, mortuos etiam ſuſcitaſſe, imperaſſe uentis, ambulaſſe ſiccis pedibus ſuper aquas maris, & ſimilia permulta: cum omnis Iudæorũ plebs filium Dei eſſe eum diceret, inuidia moti principes Iudæorũ, eum cõpræhenſum mihi tradiderũt, & alia ex alijs fingentes, magum eſſe, & contra eorũ legem agere affirmarũt. Quod ita credens, uirgis cæſum eorum tradidi arbitrio. Illi uerò & crucifixerunt eum, & cuſtodes illi adhibuerũt. Nihilominus meo milite diligẽter ſepulchrũ ſeruante, tertia die ſurrexit. Vnde uſqueadeò in eum furor exarſit Iudęorũ, ut tradita meis militibus pecunia, uellent ab illis ſilentium eius rei redimere, & facere, ut dicerẽt, à diſcipulis eius ſurreptum corpus. Quo factũ eſt, ut à milite res magis ac magis diuulgaretur. Nam & ſurrexiſſe teſtati ſunt, & pecunia ab illis redemptũ eius rei ſilentiũ affirmarunt. Hæc ideo ad te ſcribenda putaui, ne calumnijs Iudæorũ aliter tibi perſuaderetur. Vale. Hęc epiſtola duobus teſtibus autoribusq; tranſcripta nititur. Ab Egeſippo enim primũ 120 anno à Chriſto nato ex Romanis ſcrinijs decerpta eſt, & ab Ambroſio Mediolanẽſi epiſcopo interprete Egeſippi latinè uerſa eſt. Qui ſanè noluiſſet illam uerſam, niſi omniũ fide iam probata eſſet. Illius meminit Tertullianus, Apoſtolorũ temporibus proximus, eiusq; teſtimonio in Romanos agit, quòd ſcirent ab Imperatoris ſcrinijs decerptã, exemplarq; ſupereſſe ibidem. Pariter & Iuſtinus martyr: Tiberiumq; addit, ea certiorem factum, uoluiſſe, ut Chriſtus inter deos Romæ locum haberet. Cui ideo aſſentiri ſenatus noluit, quòd primum ad eum de ea re non eſſet ſcriptum. Erat enim lex Romæ, non licere inter deos haberi aliquẽ inconſulto & inuito ſenatu. Non mirum eſt peſtibus nebulonũ deorum & leuitate ſua magiſtratuum Romanos ſeductos, etiã uerũ noluiſſe recipere. Iam ex his patet, paſſum Chriſtũ. De Abagaro extat etiam epiſtola ex ſcrinijs eius habita, & uerſa, ipſis Edeſſenis recepta religione illam confirmantibus. Mentio fit de reſurrectione Chriſti in ipſa, quã oportuit mortem ſequi. Tiberius & ſenatus de morte eius cognouerunt, quũ de illo recipiendo eſt actum. Religiones omnes gentilium euerſæ, mortem Chriſti ita exhorrebant, ut nullum oraculum poſſet reddi, ubi unus eſſet cruce Chriſti ſignatus. In notis hieroglyphicis Aegyptiorũ crux erat ſymbolum uitæ æternæ. Vide ergo Muhamedes, quomodo ſub cruce plebeij & quæſtuarij hominis, qualis fuit Symon Cyrenenſis, hæc poſſent fieri? At dicis, probroſum fuiſſe hominem Dei amiciſſimũ ita mori. Probrum in morte non eſt, longè minus in neceſſaria morte. Titus dicebat, teſte Ioſepho, non fuiſſe tanti ſanguinis effuſionis cauſam ab eo, ſed uindictã diuinam. Obiere enim in primo Iudaico bello uicies centena hominũ milia. Ex quibus muris Hieroſolymitanis capti undecies centena milia purificata periere, 90 milia ſunt diſtracta uiliſſimo precio. Hęc nõ ſunt pro morte aut uindicta hominis puri. Adferas licet Moſen, Eliam, & Dauidem, aut quemuis alium, etiam Abrahamũ ipſum. Traianus paulo minorem turbam in Meſopotamia rebellantem confecit. In Betora, quàm Biter in Thalmud uocant, ſub Barchoziba quadrageſies centena milia hominũ, occidit Hadrianus in ultionẽ mortis & uenditionis Chriſti. Decem uerò primores eorum doctos uiros & inſignes, quia Barchozibę fauerant, & filij eorũ erant qui Chriſtum uendiderant, inauditis ſupplicijs affecit. Vnde etiamnum decem uirorum apud Iudæos ſeruatur ieiuniũ. Porphyrius hoſtis noſtræ religionis ex profeſſo fatetur, à morte Ieſu Chriſti nulla potuiſſe amplius haberi oracula. Idem confirmat Plutarchus, quum ait ſuo ſeculo uix duo oracula ſupereſſe. Quod contigit,
à quo

à quo tempore audita erat illa uox iuxta Paxon, Pan magnus mortuus eſt. de quo dixi ſuperius. Nam fuit uox ea ſub Tiberio. Plinius meminit maximi & ſupra memoriam hominũ ſtupẽdi terræmotus, qui ſub Tiberio moriente Chriſto accidit. Dicit etiam exempla eſſe eorum, qui uiſi ſunt poſt ſepulturã ſurrexiſſe. Quod de alijs quàm de Chriſto non poteſt intelligi, & de illis qui ab eius Apoſtolis & ſanctis in omnibus locis ſuſcitabantur. In uirtute uerò Chriſti paſſi, & crucis eius, edebãt omnia miracula Apoſtoli. unde illum paſſum cõſtat. Quod nobis omnes nationes probro dabant, non tantum Iudæi, qui non aliter uocãt Chriſtũ quàm thalui, id eſt ſuſpenſum aut crucifixũ. Lucianus in Peregrino, crucifixum non ſemel uocat. Qui omnes ô Muhamedici, ſunt externi teſtes, & nobis contrarij in cæteris rebus. Vnde miror te ô ſeductor damnate, auſum fuiſſe à tam manifeſta ueritate deſciſcere. Verũ regnandum erat, quod ueritate perſuaſa nõ poterat fieri. Eclipſis contra naturã, mortem ipſius Romanis aperuit. Scripſit Phlegon & Dionyſius Areopagita. Adduxiſſem adhuc Ioſephum, Philonẽ, Egeſippũ teſtes, Thalmudicas traditiones, & innumera alia teſtimonia. Sed iſta plus ſatis ſunt in re, de qua nemo unq̃ dubitauit: quæ præſente quadringentorũ millium hominũ multitudine geſta eſt. An uidiſti unquam loco unius ad mortem deſtinati alterũ ſubſtitui? quũ nunq̃ à iuſtitia liceat euadere, donec aut afficiatur, aut liberetur, quicunq̃ eſt accuſatus & depræhenſus? Verũ ſunt & in hoc loco rationes adducendæ, ut in ſuperioribus. Demonſtratũ eſt hominẽ ſuapte ſponte pereuntem non potuiſſe à uitio ſine Dei præſentia ſurgere, multiſq̃ neceſſarijs argumentis oportuiſſe humanam naturam Deo iungi ad perfectionem, quam amiſerat, recuperandam. Ad hæc miraculis & reſurrectione Chriſti impoſſibile eſſe hominem tantum, prophetam úe illum fuiſſe, (quod & poſtea latius patebit:) ſupereſt etiam uidendum, An mors eius & reſurrectio erãt ita neceſſariæ, ut uerè fuerunt.

QVID CHRISTVS HOMO DEVS HVMANITATE NOSTRA DEO *iuncta paſſus ſit, & quàm neceſſariò.* CAP. XIII.

HOmini ex prima origine naturali in miſeriam collapſo, ut reuera poſſet ad deperditã innocentiam redire, opus neceſſaria Dei acceſſione fuit: quę per Chriſtum facta eſt, ratione neceſſitatis hominis, cui ſua liberalitate & miſericordia ſuccurrere uoluit, felicitatiſq̃ nomine, ut aliquando conſequi poſſet, quod perpetuò adpetit, potentiæq̃ & bonitatis cauſa, ut potentiæ infinitæ opus cogitatione infinitũ conderet, & amplitudinem diuitiarũ ſuarũ nobis omnino aperiret, cõmunicaretq̃. Supereſt itaq̃ uidendũ, quid nomine noſtro potiſſimum receperit, quó nam ingenio tam magnũ uitium eluerit. Quũ uas nomine cuiuſdam receperit, certum eſt, ſi in uniuerſum eius nomine ſe obſtrinxerit, præter culpam præſtare omnia debere, quæcunq̃ ab illo & fortunis eius pendẽt. Nam quamuis eorum, quæ ab altero cõmiſſa ſunt, pœnas luat, tamen ab eo culpa ſemper abeſſe intelligitur. Ita planè et de theanthropo Ieſu Chriſto, qui noſtro nomine ſe diuinitati & ſibijpſi quodam modo obſtrinxit, eſt iudicandũ. Nam quotquot imperfectiones ex traduce ſemine & opera Satanæ contraxeramus, eas omnes dempta una culpa (cui qui peccatũ non fecit, obnoxius eſſe non potuit) in ſe recepit. Similiter omnes hominis conſtitutiones in ſua natura ſuſcipere uoluit, ut omnino ſuę naturę & libertati, aut quàm proximè fieri poſſet, hominem redderet. Quod ut melius capiamus, eſt altius paulo repetendum, à natura ſcilicet primi hominis. Ille quem ex ſacris oraculis Adamum dicimus, (uocent ut uolent philoſophi, primũ enim unum hominem factum fateri neceſſe habent) ille inquam à Deo optimo maximo conſtitutionem eiuſcemodi acceperat, qua

nulla præſtantior, nulla liberior. In ſummo enim totius uiſibilis naturæ apice conſtitutũ,quem ideo μικρόκοσμον dixere Græci, ueluti ſummæ infimæq; naturæ creatæ cõpendium, oportuit quæcunq; ſumma erant, inſita à Creatore in ſe habere. Libertatẽ uerò in tota natura,qua nil ſanè maius eſſe poteſt,ſummam illum habuiſſe fatendum eſt: cuius etiam magna uidemus ueſtigia in illis,qui diuino afflatu in ſe deſcenderunt,in alijs tenuia quædam. Nam omnia in ſeruitutem agunt ipſum,qui non à Deo & à ſe pendet, ſed ab opinione fortunæ,& rerum in illius temeritate & caſu poſitarũ nutu agitatur. Ille reuera (quod omnes philoſophi fatentur) tantum abeſt ut ſit liber, ut teterrimos dominos & numero infinitos circunferat,à quorum tyrannide opera humana non poteſt eximi: adeò quidẽ abſumus à conditione illa inſigni primi hominis. In ea pręclara conſtitutione poſitus Adamus feliciſſimus (quantũ in terra fieri licet) poterat ſuo marte mori, beneficio Dei æternus eſſe, quod beneficiũ ideo noluit ea cõditione ei dare Deus, ut omnino acceptare cogeretur, ne illi ea neceſſitate impoſita adimeret arbitrium. Poſitũ enim in eo erat,ut ſequeretur præſcripta diuina,aut iuſſis parendo,aut uetita non cõmittendo. In libertate uerò tua niſi poſitũ eſſet, ut utrumlibet ageres,liber eſſe nõ poſſes. Ille ergo quũ eſſet liber, & peccato cõtra rationis præſcriptæ legẽ agere poſſet, mortalis & non mortalis eſſe poterat. Accepiſſe uerò à Deo factore quandã legem,qua nõ coërceretur (qui nondum peccauerat) ſed dirigeretur,qui errare poterat,ex immenſa eius bonitate credendum eſt (nil enim quod ad felicitatẽ attinet humanã, illi nõ dediſſe certò certius eſt) quæ præſcripta ſi ſeruaret, felix & æternus eſſet: ſi infringeret,innumeris calamitatibus in uita oppreſſus tandẽ decederet. Quod aũt eſſet auguſtiore quàm nunc corpore,et uita penè per ſe immortali,id arguit quod ferè annos mille etiã poſt corruptelam uiuebant antè diluuium. Quod non tantũ noſtris, id eſt diuinis Moſiq; traditis literis conſtat,ſed etiam externorũ teſtimonio. Valerius Maximus ex Xenophonte refert,Latinorũ regem uixiſſe 800 annis,& patrem eius 600. illis addit Dandonẽ, qui 500. & Litorium Epium, qui 300. Beroſus & Helanicus longiſſimæ uitæ plurimos homines antè diluuium fuiſſe ſcribunt. Teſtatæ ſunt uitam priorum resq; geſtas & artes duę columnæ diluuio ſuperſtites: quæ ante mille & quingentos annos in terra Syria adhuc uiſebantur, una erat lateritia,altera ænea,ut iniuriæ cœleſti & elementari ſe opponerent. Quis non legit Serum, Macrobiorũ, Aethiopum, & Pandorarũ populorũ celebrium uitas ter noſtris longiores fuiſſe? Vt uerò ſit minus mirũ, Deum omnipotentem id homini primo & ſuis dediſſe,ars etiam eò proceſſit. Quis noſtrã antè ætatem nõ ita multũ,quendam Ioannem 300 annis uixiſſe, (quem ideò de temporibus uocant) non audiuit referri, & legit? Illa ſanè ætas aucta per frugalitatẽ & parſimoniam, multo mirabilior eſt priſca illa: in qua nõ multis corruptelis laborabatur, ſi utramq; ad noſtrã conferas. Ne aũt deſit publica fides (quo Pontifice,nũc non ſuccurrit) bullæ Romæ ſeruantur,quibus teſtatũ poſteritati uoluit Germanus quidam,quodã caſu ſe 500 annis uixiſſe. Ita de ſe refert: Aliquando captum à piratis ſe regulo cuidam in Arabia fuiſſe ueditũ: multis uerò poſt annis, quũ alius eorũ finium regulus per legatos eum ſalutaret, dono ei miſit quoddã pharmacum, quo multos in annos,ut aiebat,uitam prorogare liceret. Cuius periculum in ſe quũ rex facere nollet (ut ſunt omnia tyrannis ſuſpecta) captiuum Germanum iubet experiri. Quo factũ eſt,ut poſt quingẽtos aut paulominus annos, Romam adierit,uoluerítq; publicè hoc ſignificatũ diplomate pontificio. Nobilis fœmina in Anglia,(quam à Tormeriaco dicũt) dum uenationi inſtat,incidit fortè fortuna in alabaſtrũ unguento plenũ: quo perunctus ruſticus ad 300 annos incolumis

Harum Ioſephus meminit in Antiquit.

incolumis perſtitit, niſi plantæ pedum (quam nõ unxerat) dolore laborãs. Sunt multa eiuſmodi, in quibus ſi artẽ miramur, quid de naturæ & Dei potentia iudicandum? Lucianus de Macrobijs ſcriptũ reliquit, multos ferè ad ducentos annos perueniſſe. Verũ nullum eſt exemplum tam memorabile, quàm Artephij magi, (de quo Rogerius Bachonus) qui dum orbem pererrat, arti ſtudet, de illa ſcribit, arte medendi fecit, ut ad mille uigintiquinq; annos perueniret; quod in experimentis magicis ſcriptum reliquit. Nullus uerò eas temporis metas, quibus uixit primus parens, niſi ægrè admodum, poteſt ſuperare. His patet, ſi poſt deprauatam naturã tantum uixit Adam, utpote 930 annis, quid auxilio Dei potuiſſet. Vt ad rem igitur redeamus, ea fuit primi hominis conditio, poſſe mori & poſſe non mori: poſt deprauatã uerò, quæ nos omnes infecit, naturam, poſſe mori, & nõ poſſe nõ mori. In reſtituta aũt à Chriſto natura, poſſe nõ mori, & nõ poſſe mori: quod ex gratia, non ex natura eſt. Quum itaq; homo deus Chriſtus noſtram carnem ſumpſerit, uademq; pro homine erga Deum patrem ſeipſum conſtituerit, conditiones carnis ante dictas in ſe recepit. Nam ſi diuinitatem ſpectes, quæ ſibi corpus iunxerat, poterat ui illius nõ mori. Si noſtrã neceſſitatem, & eius immenſam bonitatẽ, omnino neceſſe mori habuit. Demum eadem caro ſuſcitata, tertium ſtatũ confirmauit. Et item: cõmunem habuit cum homine innocente & primo peccati immunitatẽ, pœnam & cæteros defectus à deprauato, à tertia conditione, quæ eſt eorũ qui illi dederunt nomina, gratiæ plenitudinem: quæ maxima quidẽ in ſanctis, ſed tamen nondum cõpleta uidetur. Quarta eſt beatorũ & diuinitatis, nec poſſe peccare, nec à Dei cõtemplatione abſiſtere. Nam ipſa Dei Chriſti humanitas eſt in admiratione ſibi iunctæ diuinitatis. Ita etiam habuiſſe duas uoluntates, & habere, cõſtat. Humana ſentiebat calamitates noſtras, fugiebatq; mortem: diuina omnino contrarium. Nam oblatus eſt, quia ipſe uoluit. Itaq; tam neceſſaria fuit illius mors pro nobis, ut in ſuo corpore pœnas nobis debitas lueret, ut omnino fruſtra alioqui uenturus fuiſſet. Meritò nanq; humano aut angelico impoſſibile fuiſſet erga Deum ſatisfacere pro delictis noſtris. Ex eius itaq; plenitudine omnes accepimus: alioqui præſentia non iuuiſſet, niſi inluſtratæ eius nomine carnis noſtræ natura purificationem priſtinã repoſuiſſet. Verũ ſi repurgauit baptiſmate in eius ſanguine fieri ſolito, quare omnino non reddidiſſet priſtinã libertatẽ, & ut qui intinctus eſt, alium generet ſine ſeminis peruicacia? Eſt in rebus humanis perfamiliare exemplũ. Inſitę gemmæ emblemata, ſurculus trunco ignobili & agreſti, faciunt ut fructus à trunco degenerẽt, atq; omnino naturã emblematis ſequãtur, priore natura ueluti mortua & abolita. Itaq; fructus illi nõ naturæ primæ, ſed acceſſoriæ naturã referunt, quãdiu ſunt in uſu. Verũ ſi inde ſemina ex quouis optimo fructu terræ optimæ mandentur, nõ pariunt arborẽ ſurculo ſimilem, ſed omnino ad primã naturam redeũt: ita & in Chriſtiano homine. Si baptiſatus ſit, & facit fructus pœnitentia dignos, acceptãtur à Deo, & boni ſunt: ſi uerò illius prolès ſacro baptiſmate nõ abluatur, proculdubio quicquid pariat, agreſte eſt, & à primæ naturæ uitio dependens. Alia eſt ratio longè præſtantiſſima, quòd pro homine oportuit Chriſtum pati, (nec tantũ prophetã agere, deinde in cœlũ timore mortis rapi, ut uult ſuadere Muhamedes) et quęcũq; cauſa peccati illi debebãtur, exoluere. Perſiſtemus uerò in noſtro de uadimonio exẽplo. Miſerè perditũ hominẽ, & ſibi more hydropis indulgentẽ in perniciẽ, nulla humana ſatisfactio (Deus ita iuſtus eſt) ne omniũ quidẽ mortaliũ opera poterat recõciliare deo, quin omnes miſerrimè perirẽt. Cui itaq; rei maximẽ obnoxius detinebatur homo, mors erat: quo nullũ grauius ſuppliciũ eſt in hac uita, eaq; duplex, & corporis & animi: de qua dicã,

quum de immortalitate animorũ agetur. Tantam eſſe hominis erga Deum obligationem, ut uires totius orbis ſuperent, rectè conditionẽ humanam æſtimantibus uidebitur. Nã etiamſi eſſent centũ mundi huic pares, & ab innumeris habitati hominibus, nõ poſſent iuſtè rependere in ſolũ unũ hominẽ collatũ beneficium. Quis cœli mundiq; amplitudinẽ conſideret? hæc in rem hominis cõparata eſt. Quis ea omnia, quæ ex iſtis elementis nata ſunt, numeret? Sunt humani dominij. Quis corporis dotes, ſenſum, motũ, uitam, uiſum, auditũ, odoratũ, guſtum, tactũ, quis uſum rerũ, quibus in utilitatẽ neceſſitatemq; utitur, animo cõcipiat? Quis nõ admiretur & planè obſtupeſcat, ſi attentius animi dotes ſpectet? Et hæc rependere homo poterat? ſcilicet. Quod ſi illis neglectis, etiam cõtrà fecerit, qua pœna iudicas dignũ? Quis filius non notaretur animi ingrati nota, in quem pater minimam ſimiliũ beneficiorũ partem cõtuliſſet, ſi non agnoſceret, laudaret, efferretq; datorem? Quanto ſupplicio dignus eſſet, ſi bellũ etiam patri ipſi inferret, & ſeipſum demũ perderet uolens uidensq;? Ex his potiſſimũ uideri poteſt, quàm obnoxius homo diuinæ prouidentiæ ſit, quamq; ab omni parte reus: ut nil illi lenius ob merita deberi poſſit, morte, & proſcriptione, perpetuoq; exilio, ab eo patre, in quẽ tam nephanda cõmiſerat: qui ſeipſum perdere, fratres omnes necare, patrem è ſuis ſedibus depellere uoluit, & quatenus per ipſum licuit, fecit. Vas ergo ille noſter filius Dei infinitus, mundo infinitis modis maior, ubi nomine hominis recepit, perſoluere maximum debitum debuit. Mortem igitur ſubijt, eamq; non uulgarem, ſed inauditam, omniq; genere ſuppliciorũ cumulatiſſimam, poſtq; impertiri uoluit æternam in ſe credentibus ſalutem. Suſcitatus enim, & cœlũ ingreſſus, nobis in illius trunco inſitis cœlũ aperuit, ut nouæ uitæ nouos fructus in certam ſpem produceremus. Eadem eſt demonſtratio à ratione ſummę bonitatis eius. Nam propriũ eius eſt, latè patêre, & ſumma miſericordia uti, et charitate inexplicabili. At charitatẽ nullus maiorem habere poteſt, quàm dum ponit animam pro amicis ſuis. Ergo pro nobis Chriſtus mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis. Quod ipſum ſi eſſet apud uos ulla antiquitatis cognitio, aut fides ueteri teſtamento (quod in dubijs tamen conſulendum ſuaſit multis in locis Muhamedes) à uobis adhiberetur, locis innumeris, & uenturũ Chriſtũ deũ inter homines, & paſſurũ extrema à ſuis cognoſceretis. Ergo fratres chariſſimi, quicunq; nõ credit mortẽ & diuinitatẽ Chriſti, damnatus eſt, ſi de ea audiuit. Eheu unius hominis libidine & regnandi cupiditate perijſtis, damnati eſtis, quoniam extra uiam ſalutis eſtis. Innumera hominũ milia unius falſa ſuaſione periere. Veſtri principes ſceleſti hominis hæredes, opera uerſutorum hominũ uos in illis tenebris retinent, ne ad lucem ueræ cognitionis ueniatis. Quî poteſt fieri, ut ullus ueſtrûm reſurrectionem credat, quamuis ſæpius in Alcorano ſcriptam, quum nullus eius fidem apud uos fecerit? Nos uerò habemus præter eius fidem nobis traditam, etiam ducem, quem mortem pati oportuit, ut illius fidẽ faceret. Habemus & Mariam, & Ioannem euangeliſtam, qui ueluti Henoch & Elias cœlum in corpore petiuerunt. Familiare eſt ideò nobis ſperare reſurrectionem, uobis ludicrum. Nam ſi quis perpendat uitam multorum, & maximè ueſtrorum magiſtratuum, illis nil auarius, milite nil crudelius: Quibus apparet, nil illos poſt hanc uitam credere, niſi uerbis tantum. Alioquin enim modum expilationibus ponerent.

Magni autores et diuam Virginem et Ioannem ob dormiuiſſe tradunt.

DE PROBATIONE ET CONFIRMATIONE DIVINITATIS *Chriſti ex operibus, & morte diſcipulorum & martyrum.* CAP. XIIII.

QVamuis in rebus humanis nil maiorem fidẽ de ipſis poteſt facere, quàm illarum prima compræhenſio: tamẽ quia obliuione, uarijs opinionibus, dubita-

dubitatione, negligentiaq́, à notione & credulitate rerum ſemel probatarum ſenſim deficit poſteritas, quadam demonſtrandi & repetendi aſſiduitate opus eſt ſeu humana, ſeu diuina, ſeu mixta potentia fiat. Obliteratio uerò contingit, quum ob multa, tum potiſſimum ob aſſiduam rerum uiciſſitudinem, & maiorum negligentiam. Humanitas ipſa formam diuerſæ materiæ indies iungens & mutans, hos in uitam productos alit, hos educatos abſumit: ita & illorum opiniones & ſcientias eneruat, quamuis remedium literarum huic rei medeatur. Dum bello euertitur prouincia, ſacræ opiniones pereunt, malæ & nouæ irrepunt, & eo latius & facilius ſerpunt, quo ſunt abſurdiores, & à ratione magis alienæ. Ita fit, ut à patribus aut maioribus accepta in paucos ſpargantur, ſi bona ſunt: ſi mala, in omnes. Nam & noſtræ naturæ deprauatæ uitio, & ſocordia, operaq́ ſuggerentium dæmonum falſitas ipſa orbem infimum totum ferè regit. Veritas in pauciſſimis ſemper fuit. Et quia ſemper minor pars maiorem & deteriorem ſequitur, ueritas non habet locum: aut ſi habeat, quia nullus rationi poteſt repugnare, uerbis laudatur, factis proſcribitur. Sed ut exemplo agamus: Quæ maior perſuaſio aut uerior haberi unquàm potuit de homine diuino, quàm de Moſe eſt habita, quum portentis & miraculis ſuos ſibi illexit, tyrannum uerò magnam imperij partem amittere coëgit? Res eſt acta in cœtu ſexies centenorum millium hominum arma ferre ualentium. Nihilominus paucis pòſt menſibus, poſt tot prodigia, poſt diuinitatis lucem præſentem (etiam præſente ipſa) cœptum eſt ab illis dubitari, num poſſent ſeruari à Deo, quum interclusi mari & exercitu Pharaonis eſſent? Confirmauit præcedentia diuinitus aperto mari rubro, illisq́ tranſmiſſis, inter muros aquarum, hoſtibus ad unum interemptis, & ab aqua ſedes repetente ſuffocatis. Paucis diebus poſt tranſitum maris & prima miracula, ob modicam ſitim dubitatum eſt ab omnibus de potentia Dei: quam repræſentari uoluit, non naturaliter aquas à puteis exhibendo, ſed ex loco planè ſterili. Monte omnino rupeo copiam tantam exhibuit, ut à flumine ampliſſimo tanta haberi non poſſet. Non ita multum poſtea, quum quicquàm penuriæ paterentur, aſſerebant non ſatis eſſe potentem Deum, ut illos cibo donaret: quibus manna cœlitus miſſa contrarium ſuaſit. Cœptum eſt demum de pulmentis conqueri. Fecit Moſes, ut carnium cœlitus miſſarũ tanta eſſet copia, ut omnibus ex ęquo ſatis eſſent, et tenui et diuiti. Nam Deus acceptator perſonarũ non eſt. Ita tamen ſua munera dabat Deus, ut interim magna multitudo morte præſenti ſuaderet cæteris, de diuina potentia nec ambigendũ, nec detrectandũ eius amplitudini. Iam rebus omnibus plena multitudo, oblita Creatoris, deũ Aegyptiacũ poſtulauit ſibi fieri. Vnde magna animaduerſione opus fuit, ita ut cõtra Deũ nemo amplius auderet mutire. Verum ut in ſecundis rebus noſtro Marte aduerſas quærimus, uolentesq́ perimus, cœperunt factioſi homines, quod in Deum euomere non audebant, in Moſen effundere. Quum enim timore mortis non auderent dicere, quod animo uolebant, ſcilicet, Quis conſtituit Deum ſuper nos? in pijſſimũ ducem & ordinem publicum inſurgunt, dicentes, nil eſſe cur illi pareretur, eſſe in eo cœtu multos qui poſſint id præſtare, quod Moſes præſtaret: ſibi itaq́ etiam licere, ſaltẽ parti multitudinis, in rebus ſacris pręeſſe. Senſit Moſes, cuius oratio paulo antè iram emollierat Creatoris: illosq́ poſtq́ illis ita uidebatur, permiſit pro ſua libidine agere. Seorſim, ut ſanctiores ab aliorũ omniũ cœtu ſeparari, ſibi thura acerrasq́ deſumere, ſacros ignes adolere. itaq́ Deum oſtenſurũ, ecquid placeat ille ordo. Secedunt factioſi, coguntur, adolent: mirum dictu, factu horribile, terra dehiſcens uiuos abſumit. Vide quid faciat poſteritas. Præſente (quatenus percipi ab homine

homine poteſt) Deo, miraculis ducis, patentibus, eadem generatio uix credit, ea natio,quæ cum eo quotidie uerſatur,detrahit. Poſt mortē uerò eius multo clariſſima ſigna fidem ſequentia ſucceſſoribus Moſis ſunt exhibita. Itaque quod à principio capitis dicebam,prima illa cognitio fuit longè maxima & certiſſima, ut qualis eſſet Moſes cognoſceretur:uerum quū futura,quæ prædixerat, contigiſſe uidentur,tum demū confirmatur & uelut renouatur ea perſuaſio. Dux illi ſuccedēs idem in alueo Iordanis implorato Deo fecit, quod Moſes in mari. Innumera multitudo ſicco pede fluuij nudum alueū tranſit, molem in medio ob rei ſignū ponit. Verū iſta nō ſunt ſatis. Signis opus fuit ijs qui nòn tantū electo populo patêrent,ſed uniuerſo etiā orbi ſe propalarent. Siſtitur ſol,dum fidei hoſtes inſequitur cum populo Dei Ioſue, diemq; multo cæteris longiorem reddit. Teſtis eſt Perſa,qui in diarijs cœleſtibus ſcriptū id reliquit:teſtis Gręcia mēdax, hoc miraculi falſò Phaëtonti adſcribens. Quàm minus mirū fuiſſet, ita credidiſſe,cum eſſet rudis rerū omnium,& ſibi noto nebuloni diuinā potentiam adſcripſiſſe, niſi rudis illa opinio ſuos habuiſſet teſtes eruditioris etiā ſeculi homines: ut non fuit ullum in Gręcia tam impudens mendacium,quod fide & teſte careret. Ea ſolis ſtatio,quæ toto orbe aſſentiente fuit,uiſaq; eſt,conflagratio putabatur. Sed autor dignus græca crudelitate fuit, cui ſuffragia dedit poëſis. In ſumma quoq; admiratione fuit in toto orbe regreſſio ſolis facta ſub Ezechia,literarumq; monimētis apud Perſas cōmendata:quæ alteri cōflagrationi fortaſſis dedit apud Græcos originē. Tempora nō conſentire,quid mirum? Literæ humaniores apud Græcos nil certi ſexcentis ante Chriſtū annis habuerant. Homerus enim etſi paulo fuit ætate ſuperior,ut qui circa tempora Solomonis uixit,nil tamen habet hiſtoriæ,cui fidem meritò adhibeas. Illo 400 anno poſterior Herodotus,uix fidem etiā in Græcia meretur. Res enim iampridem alijs in regnis geſtæ,fama tantum deferente,longitudineq; itineris uires acquirēte, tum demum eò ueniebant,quū alibi ſenuiſſent. Latini uerò paulo antè elementorū uſum acceperant. Sed ne longius digrediar, ex innumeris facinoribus ſucceſſorū nutu diuino factis,fidem longè grauiſſimā Moſes meruit: quoad uenit ille quē ipſe prædixerat uenturum,de quo innumera oracula ſancti prophetæ prædixerant. Tunc Moſes celebrari deſijt,noua luce oborta,Ieſu Chriſto homine Deo nato: qui etſi ſatis magnā autoritatem fidemq; meruerat, cuius nullum miraculū non fuit (niſi quū aliter uoluit) in conſpectu ſaltē mille hominū factum, idq; uarijs in locis & regionibus:tamen longè maximā habere cœpit,quū illius ſolo nomine inuocato,aut etiā ſolo crucis ſigno,omnes eius diſcipuli ea omnia miraculoſe ederent,quæ edebat ipſe proprio nomine:& ſi ſe obtulit occaſio,longè maiora. Diuinitatē itaq; ſui pręceptoris non futurorū prædictionibus aut prophetijs more priſcorū demonſtrabant(nam poſt diuinum remedium nullum ſupereſt, nec poſt uerum poteſt quicquam alienum loco eius ſubingredi, quod falſum non ſit) ſed præſentia diuinitatis, nil Deo arduum aut impoſſibile oſtendebant. Morborum omne genus ſanabant,mortuis corporibus etiam diutius ſeruatis uitam animamq; reddebant, quam multis poſt annis ſeruabant. Dæmones corpore pellebant. In ſumma, nil erat illis arduum: omnia poterant in eo, qui eos confortabat Ieſu,Chriſto. Quod quamuis uoluit toto ſuæ perſuaſionis tenore eleuare Muhamedes,tamen nō in uno loco tantum coactus eſt id fateri, uel ut ueri aliquid falſis miſcendo,illis blanditijs alliceret ſimplices Chriſtianos, qui ipſi miracula uiderant & legerant. Ait enim,uiros ueſtibus albis indutos (quos Apoſtolos intelligit)edidiſſe miracula:et de illis proponit parabolam in Sora ieſſu. Sed confirmatore illo nō eſt opus,niſi ut poſſint infelices Muhame-

dici

dici ad Deum redire. Agite ô ueri amatores, diligentius perpendamus omnia, & conferamus mundi opiniones cum operibus fideliũ in Chriſto credentium, hominesq́ꝫ reuera immutatos uideamus. Mundus iſte (intelligo hãc hominum colluuiem ex arbitrio fortunæ dependentem) quid ſcelerũ non cõmittit? quid fraudis non cõminiſcitur? quas tragedias non excitat? quod ius tam ſanctum & inuiolabile, quin peruertat, conſequendarũ opum, fauoris aut gloriolæ gratia? In mille diſcrimina ruit homo, dum ſe ſibi pacem iure uel iniuria cõparare putat: & dum ſibi uitæ diuturnioris argumenta quærit, perpetuò mortẽ comitem habet, gerit, accerſet. Homo autẽ Chriſto ſemel & ex animo & ex ſignis reuera addictus, ne quicquam cõmittat bonitate diuina indignũ, ut ea hominibus de ſe præbeat, quibus ſalutem conſequantur, ſeipſum primò abnegat, propriam libidinem exuit, nullam ſui corporis curam gerit. Quicquid habet, id alijs, nõ ſibi cõparatum cupit: nullius rem appetit: ſuam omnibus largitur: hoſtibus bene precatur, fouet beneficio, patientia frangit, mortẽ quàm ſcelus admittere mauult. in ſumma, ſe ſuaq́ꝫ omnia abnegat potius, quàm contra ius & ęquũ faciat. Quam ſententiã quamuis multi ethnici ſcriptã reliquerunt, nullus tamen illam factis confirmauit. Ariſtoteles ſcriptũ reliquit, Plato probauit: melius eſſe mori, quàm contra uirtutẽ agere. Virum bonũ ita pinxit Horatius, qui peius leto flagitium timet. Verũ illa ſunt uerba, hæc ſunt facta. Quem mihi dabis ex mundo, qui mori maluerit, quàm flagitiũ cõmittere? At omnes fatebantur eſſe melius. Ergo nullus non agebat contra conſcientiã, ſeipſumq́ꝫ cõdemnabat. Ita ſub Satana & natura deprauata erat, ut in boni cognitione ſuum iudicium, non remedium cernerent. Chriſtiano aũt uerè pio tam durum facinus iniquũ admittere uidetur, ut plures centies milies millenis perierint, & ueri aſſertionis & falſi repudiandi gratia: ſceleriſq́ꝫ timore ad mortem paratiſſimi: quoq́ꝫ maior uis diuinitatis uideretur, etiam infantes ſponte & pertinaciter in mortem ruebant: ne ſcelere aliquando perirent, qui ſcelus omnino ignorabant, iam antè diſcretionem à ſancto ſpiritu acti ad felicitatem. Quod quum uiderent principes mundi, Satanæ furoribus acti, grauius ſupplicium ſe inferre puellis & uirginibus noue rant, ſi illas darent lenoni, quàm leoni, ut inquit Tertullianus. Nam nullæ feræ, niſi uolente eo qui offerebatur, attingere ſacra corpora audebant. Ea conſtantia contra totius mundi iudicium animis inhærens Chriſtianorũ, reuera Deum ſolum immutaſſe eorũ hominũ mentes arguit, præſensq́ꝫ futuræ uitæ præmium oſtendit. Nam quî alioqui fieri poſſet, ut omnino ab aliorũ hominum mente & opinionibus corruptorũ ſenſu ita eſſent diuerſi? Quũ præcipuè iiſdem elementis & animo, atq́ꝫ cæteri cõſtarent: quî inquam fieri poſſet, niſi ea immutatio ab autore Deo proficiſceretur? Nam ille ſolus, quam cõpoſuit naturã, alterare nouit, nec eſt quòd ipſi tyranni & carnifices in magia tantam uim ineſſe dicant. Nam omne genus magorũ conficiebat ſigno crucis minimus Chriſtianorum. Præterea, ut inquit Tertullianus, aureis ſanè uerbis: Omne malum aut timore aut pudore natura perfudit. Malefici deniq́ꝫ geſtiunt latêre, deuitant apparere, trepidant depræhenſi, negant accuſati, ne hoſti quidem facilè aut ſemper confitentur: certè damnati mœrent, dementant in ſemetipſos mentis malæ impetus, uel fato uel aſtris imputãt: nolunt eſſe ſuũ, quia malũ agnoſcũt. Chriſtianis uerò quid ſimile? Neminem pudet, neminẽ pœnitet, niſi planè iam antè nõ fuiſſe. Si quis denotatur, gloriatur: ſi accuſatur, nõ defendit. Interrogatus uel ultro cõfitetur, dãnatus gratias agit. Quid hoc mali eſt, quod martyrialis mali nòn habet timorẽ? pudorẽ? tergiuerſationẽ, pœnitentiã, deplorationẽ? Quod hoc malũ eſt, cuius reus gaudet, cuius accuſatio uotũ eſt, & pœna felicitas? Hęc Tertullianus. *In Apologetico, cap. 1*

Quæ

Pij qui hodie credũt Euangelio in Germania et in alijs regionibus, nõ contẽnũt uera miracula: qualia ediderunt apoſtoli in nomine Chriſti, & qualia deus edidit ſæpe in memorijs martyrũ, ut teſtaretur eorum ſanctitatẽ & uerã religionem. Sed ijdem mendacia ſigna tribuunt diabolicæ operationi. Cuiuſmodi ſacta ſunt inter ethnicos, et hodie fiunt inter Turcas. Cuiuſmodi Paulus tribuit Antichriſto, & Auguſt. 20 lib. de Ciuitate Dei.

Quæ quum perpendo, non poſſum non indignatione permoueri, quòd peſtiferi quidam homines, orbis incendia, peſtes, longè ipſo Mahumeto, tyrannis, & ipſo etiã Satana deteriores, diuina miracula auſi ſunt adſcribere diabolo, quũ inuocatione nominis Chriſti & Dei fierent. O peſtem inauditam, ô uirus à quo totius orbis ruina procedet. O peſtem antichriſto ipſiſſimo deteriorem. Parum fuerat, ordines ſacros & publicos euertiſſe, incendium in medium Chriſtianiſmum immiſiſſe, ſacroſancta ſacramenta pedibus conculcaſſe, euangelium laceraſſe, placita apoſtolorum euertiſſe: niſi etiam dæmonem teterrimũ fuiſſe illum dixiſſet, ſub quo tremuit infernus, quem ipſe Satan cum ſuis milies fateri deum coactus eſt. Quid enim aliud eſt rogo, cõculcare Chriſtum pedibus, dæmonem dicere, illumq́ negare Deum, quàm aſſerere, dum ſanctum eius nomen inuocatur, dum à ſanctis eius martyribus precibus contenditur, ut implorent ſanitatem, malum dæmonem miracula operari? Verum meritò nõ credit poſſe quicquam ſanctos, qui eorũ mortales animos credit, aut ſaltem ad iudicium uſq́ nõ eſſe in rerum natura. Nam id ſibi uult ſomnus eorũ ſaltem, qui ab Euãgelio ita ſe imbutos falsò gloriantur hodie. Sunt ſeminaria iſta maximè imprudentis hominis, ordinis diuini euerſoris. Inde orti ſunt Anabaptiſtę, Catabaptiſtæ & apoſtatæ à Chriſto Iudæi. Nam quotquot ea hîc formauit opinio, ferè aut nunc ſunt impij: aut de Euãgelio crebro loquentes, uita ab Epicuræis, & ex legibus hominibus nil differunt. Verum de his alio loco. Ad propagationẽ euangelij redeundum. Quot rhetores etiam eloquentia ſummi potuiſſent abſolutiſſima dicendi arte id perſuadere, quod rudes & literarum omnium ignari piſcatores ſuaſere? hominẽ cruci affixum eſſe Deum? Idq́ apud auditores excultiſſimos, omniq́ genere literarũ ornatiſſimos? florentibus & literis & fortunæ rebus, inq́ ſummum adductis? Opera ſanè nõ fuit humana, abiectos homines, opulentos, prudentes, excultos, nitidosq́ non tantum uiciſſe, ſed quàmplurimos etiam ita in ſuam traxiſſe ſententiam, ut & ipſi mortem ſponte ultroq́ ſubirent pro nomine Ieſu. Quanto erat res à ſenſu humano alienior, tanto fuit uiuacior. Imperitia hominum ſuaſit fuco rhetorico facilius. Verum illa opera & uita Deo plena longè maximam fecere fidem. Nil in occulto geſtum eſt. Quum totius orbis celebratiſſimũ imperium floreret, adeò ut nil illi poſſet addi, moleq́ iam laboraret ſua, cum excultæ à Græcis diſciplinæ iam ad ſummum inter Latinos ueniſſent, in ſumma, quum natura, ars, & fortuna contendiſſe de potentia uiſæ ſunt, uoluit Deus per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes. Omnium doctrinarum cognitio ruſticitati herbã porrexit, fortunę temeritas ſenſim nuditati ceſſit, cultus omnis corporis neglectui. Vnde eo grauior conflictus, quando Satanas in ſuis dominium exercebat, per patientiam ueritas uictrix remanebat. O ſi mihi linguæ forent centum, oraq́ centum, ut iſta poſſem ſaltem ichnographicè pingere. Ceſſit inuitus Satan, ceſſit orbis imperium, falſa religio humanis conatibus tanto ſtipatior, quanto falſior peſſundata eſt, atq́ per humilitatem & patientiam Chriſto ceſſit orbis potentia, non iſta fortunę temeritati coniuncta, ſed ea quæ uero repugnabat. Cognouere principes perinde ut plebeij, nil cõditione ſe à cæteris hominibus differre: ſe Deo & hominibus ut fratribus omnia debere. Habitauit lupus cum agno, ſummus tyrannus uirtute Euangelij actus deſijt tyrannidem in agnos exercere, fratris loco omnes ſubditos cœpit habere. In ſumma, omnia inter ſuos unum fecit Chriſtus. Quòd ſi hodie nõ ſunt huiuſmodi Chriſtiani, uitia ſunt hominum, & temporis, non fidei. Nam omnia peruertunt homines. nec miraculis unquam deſijt per prædicatores Euãgelij ſeipſum orbi aperire, quoad omnibus patuerunt, nonnullis uiluere miracula: hodieq́ ubi

ubi in orbis parte recens nobis aperta ſit ad Euangeliũ acceſſio, miraculis etiam & ſignis cõſequentibus in nomine Ieſu Chriſti fieri ſolet. Quibus omnibus cõfirmatur maximè Euangelij ueritas, & Chriſti diuinitas, eiusq; cum ſuis præſentia: quod niſi Deus eſſet, & reuera paſſus, non poſſet fieri. Verũ ſi fuit admiranda Ieſu Chriſti uirtus ea in animorum & ſententiæ alteratione ſuorum, potiſſimum autem in conſtantia martyrum, atq; miraculorum editione, longè maxima in Euangelij traditione fuit: de quo paucis eſt agendum.

DE FIDE CERTA ET AVTHORItate Euangelij. CAP. XV.

QVum Chriſtus omnium rerũ ea nuditate eſſet, ut ne ad quietem quidem corporis uel tantum ſoli, quantum feræ ſuis in ſcrobibus habent, poſſideret, eaq; ſimplicitate & manſuetudine, ut nil innocentiſſimis pueris cederet, ea demum ſapientia & prudentia, ut à nemine uinci poſſet: quem magiſtratus Iudæorum ob rerum tenuitatem & ſui neglectũ omnino etiam indignum con ſortio putabant, quem rurſus rerum imperiti eius miraculis & doctrina acti, eo quod cõtra animi ſenſum nunquam adſerunt, aut deum, aut prophetarũ ſummum iudicabãt, quî factũ eſt, ut ſine ulla ui, ſine humanæ ſapientiæ fuco, in illis locis ubi egit uitam, intra 30 annos fuerit eius recepta perſuaſio, niſi & eadem planè quę geſſerat, docueratq;, inculcarentur ſine ulla acceſſione, miraculisq; ea prædicantium confirmarentur? Quomodo fieri potuit, ut quæ uidebantur tam diuerſa in homine, in unum ita coaluerint, ut ijdem ſenſus eius doctrinæ reſultarent, & conformes fierent, probarenturq; ab omnibus (præter infandum ma giſtratum retinendæ humanæ potentiæ cauſa repugnantem) quæ in uita geſſerat docueratq;? Diuinum eſt opus Euangelium. Nam ſtatim à morte eius ſcriptum & prædicatum eſt à Mattheo: cui paulo pòſt ſucceſſit Lucas, homo rerum humanarum peritiſſimus: non ita multa pòſt Marcus ſucceſſit, Petri diſcipulus: quibus omnibus impoſuit colophonem Ioannes. Nec tantum hi ſcripſere, ſed ad 14. quæ uiderant ſcriptis retulerant, explicauerantq; latius alij quę ab alijs omiſſa erant. Quæ omnia prædicata ſunt non tantum externis gentibus, ſed primũ ijs in locis, in quibus uerſatus erat: ubi quamuis plures magiſtratus Hebræi refragarentur diuinitati eius, tamen quoniã res ita geſtæ eſſent, ut ſcriptæ erant, referebanturq;, nullus unquam quicquam negare potuit: quod eſt indubitatæ fidei argumentũ. Nam ſi quid falſi legiſſe, ſcripſiſſe, aut recitaſſe comperti fuiſſent illi homines autoritate humana omnino deſtituti, & ob neglectum ſplendoris aut glorię etiam infenſi, quis non ſtatim illos mendacij arguiſſet? Quis nõ exſibilaſſet? Verũ tantum abeſt, ut pręſidium humanum Chriſtus in principio ſuæ religionis uoluerit amplecti, ut etiam ſi quid accederet, probatum id nollet. Sacroſancta eius eccleſia, in qua præſens regnat, quum tantam multitudinem ſcriptorũ Euangeliſtarum uideret, cenſuit numerum ſtatim redigi ad quatuor, quibus nunc utitur, tum ratione humanæ perſuaſionis tollendæ, tum quia propheta ſanctus prædixerat futurum ut quatuor animantia, quibus ſimilitudine reſpondent, laudando Creatori ſatis eſſent. Ezechiel primo cap. dum ſpiritualibus inuolucris diuinitatis imaginem pingit, id ſignificatũ uoluit. Quod autem rationes ſublatas à perſuaſione Euangelij uellet, id potiſſimum apparet in operibus Clementis, Petri diſcipuli, apoſtolorũ ſocij, etiam ſummi poſt Petrũ pontificis. Nam quũ uideret eccleſia illum ſcripſiſſe plura de Petro, cuius opus etiã acta pollicetur, & rationibus humanis confirmaſſe, gentilesq; ſumma eloquentia & proprijs eorum perſuaſionibus confodiſſe, noluit librum illum ſacris &

Lucas act. 1. ſignificat multos conatos eſſe hiſtoriam euangelicam cõtexere, non autẽ præſtitiſſe.

Nõ opinor autorẽ loqui de impreſſo Clemente, ſed de germanis eius libris, qui dicuntur in Italiæ bibliothecis aſſeruari. Non quidẽ argumentationum formis ſcriptura anxiè utitur: cæterum omnia conſtant ſolidiſſimis rationibus.

canonicis adnumerari, ne, quum ipſe Chriſtus autoritate & miraculis ſibi uiam facit, uideretur etiam humano egere præſidio. Oportebat enim aſſenſu, non rationibus tenues primorum Chriſtianorum animos imbui, antequam ullam earum rerum quas credebant, caperent rationem: non ſecus atq; puerorum rudimentis fieri ſolet, ut olim ad maiores doctrinarum gradus ueniant. Certè opere Clementis nil totus orbis doctius habet, quod ad earum rerum quas tractauit, rationes attinet. Omnino enim & noſtra ponit & confirmat, & aliena deſtruit & refutat. Quod uerò eum ſenſum habuerit eccleſia, ut nollet rationibus uti, id ubiq; in libris noſtris uidetur. Nam ut de cæteris taceam, quid Ioannis euangelio mirabilius? Quis diuinitatis magnitudinẽ explicat altius? Vt etiam ſummi philoſophi fateantur, quicquid unquam Plato & cæteri de diuinis tradiderunt, eſſe pauciſſimis in eo cõpræhenſum: & tamen nullam ſubiungit rationẽ. Idem de Paulo iudicandum. Nam ſi unũ alterúm ue locum excipias, nunquam humanis rationibus pugnat, ſed ut ipſe inquit, oſtenſione fidei & uirtutis in Chriſto Ieſu. Quid ergo dicemus? Tot autores ſanctiſſimi cur rationibus egerũt? Multis poſtea ſeculis & autoritate & ratione pugnare ſunt coacti, obortis & in nos armatis philoſophis, ethnicis, Iudæis, hæreticis. Illi quia rationibus nos impetebant, etiam ſuo gladio erant iugulandi: alioqui ſi eorum autoritates aut ex alijs decerptæ, aut à nobis mutuatæ non fuiſſent, locorum colliſione explicationeq; naturæ aperiendæ, procul dubio quam nobis adſcribimus in rem ſuam uertiſſent, detorquẽdoq; corrupiſſent. Fuit itaq; ratio adhibenda, quum eam ob rem, tum potiſſimum, ut adulto orbi iam ſolidioris eruditionis capaci ſenſim rationes rerum, quatenus humani intellectus modus patitur, & rerum conditio permittit, inſtillarẽtur, aperirenturq;. Satis enim habuit Chriſtus, uicem præceptoris omnino in hac mortalitate geſſiſſe. Quum eſſet abiectiſſimus, ignotiſſimus, & contra iudicium humanum recipiendus, noluit humana opera fieri, ut probaretur, ne ſibi quicquam arrogare poſſet, quod ſua arte & induſtria, eius aucta eſſet perſuaſio. Voluit paruulos rerum paruarum capaces elementis literarum, ſyllabarum nexibus, connexui partium aſſenſum præbere: antequàm ad earum rerum notionem, quę literarũ monumentis ſeruantur, pertingeremus. Diſcipulo aũt bene educato, & magiſtro optimo digno, licet per ſe (quamuis ſobriæ) rationes rerum quas iuuenis cœpit perquirere: ita tamen, ut ſi omnia non capiat, non ideò aliter eſſe putet, quòd non cõcipiat tam magnarũ rerum modum: ſibi interim fidem faciens ex his quæ ueriſſima cõperit, ex autoritate tamen præceptoris inde olim credita. Nam ea eſt noſtræ imbecillitatis tenuitas, ea demũ rerum etiam minimarũ obſcuritas, ut ſi à minima noſtra cognitione nobis ſcientiæ fidem facere uoluerimus, proculdubio id, quod nos maximè olim ſcire putabamus, id nos maximè ignorare fateamur: atq; ſi eam naturæ particulã, quam nos perſpectam habere credimus, cum ea quę ignoratur mole, cõparemus, proculdubio idipſum uix rationem gygarti aut milij ad uniuerſum habere ſentiemus. Nam ut à maximis incipiamus, Cœleſtia omnia & intellectus illos, quorũ effecta hîc uidemus, priuatione non habitu concipimus. Ex inferioribus uix ea nobis ſunt de ſuperficie perſpecta, quę ante oculos quotidie habemus, eaq; quatenus nobis utilia ſunt. nam alioqui ſuperficie tenus. Et quæ nouimus, interiori uirtute neglecta ignotaq; ſcimus ex demonſtratione, præcedente aſſenſu noſcimus. Nam qui non fuerit aſſenſus huic conceptioni, linea recta quid ſit, aut trigonum, nulla alia ratione quàm quia eſt, nunquam quicquam demonſtrationis capiet. Fecit uerò Deus, ut facilè omnibus primis notionibus acquieſcamus. Quæ omnia Paulus ille noſter θεόπνευστος cognoſcens dicebat, Nil me arbitror

inter

inter uos ſcire preter Ieſum Chriſtũ,& eum crucifixũ:perinde atq; ſi diceret philoſophus,nil mihi tam certũ eſt, quàm quatuor eſſe elementa:aut geometer, nil certius noui linea & puncto. Longè aũt maximam fidem & autoritatem affert Euangelio,autoriſq; eius diuinitatẽ probat,quod ea etiam ſuaſit,quæ ex diametro pugnent cum rationibus humanis uulgò receptis. Nec enim ſapientum aut iuſtorum contrauenit rationi. Nam pleriq; philoſophi rationes eius contra ſenſum uulgarem tutari ſunt conati,iuſti eas probarunt. Verũ duplici ratione nunquam potuit,quod docebant,ſuaderi. Prima,quòd aliter,id eſt male uiuebant: aliter,id eſt bene docebant. Altera,quòd diuinus ille ſpiritus perſuaſionis diuinæ fomes longè aberat ab illis hominibus;qui nec honorãdi Dei cura, nec uitæ propriæ emendandæ ſtudio,ſed oſtentationis & glorio lę ex hominibus captandæ cauſa ea docebãt. Alioqui ſi ſpiritus Dei adfuiſſet, quamuis uita non omnino reſpondiſſet,proculdubio cuiuis ita ſuaſiſſent,ut nil prius quàm operibus id probare auditor ſategiſſet? Nam & multi uiri nequam in nomine Ieſu Chriſti etiam docuere,& miracula ediderũt: quo maximè pateret ea miracula & uerba non ab homine,ſed à diuina uirtute ordineq; proficiſci. Pręſcripta illa, quæ ſunt aliena magis à ſenſu multitudinis,huiuſmodi ſunt: Omnes homines ueluti fratres Deiq; filios ex æquo diligere: & potius propriæ etiam uitæ iacturã, quàm eius præſcripti neglectum admittere:Iniuriam æquo animo accipere:Hoſtibus bene precari:Vindictã negligi,Deoq; ſeruari: Et parentibus & fortunis & incolumitati & uitæ ueri aſſertionẽ & uirtutis actionem præferri:Spontè & ultro in pericula ruere, modo & ueritas & hominis ſalus ſeruetur. Accedat his ſuadendis Demoſthenes,Cicero,Aeſchynes,Hortenſius: utriuſq; linguæ quæuis lumina hæc proponant,rationibus agant,beneuolentiam captent, inſinuationibus irrepant in animos, attentos, dociles, beneuolos faciant, & ſiquid aliud pręſtigioſæ eloquentię machinamentũ eſt adhibeant:ſi ita perſuaſerint,ut ullus ſit,qui illorum lenocinio captus ſponte iſta ſubeat,operibuſq; teſtetur, herbam porriget ueritas. At dum rerũ omniũ egeni piſcatores, eloquentia potiſſimum deſtituti,hæc proponunt,illis creditur. Quoniã non ipſi ſunt qui ſuadent,ſed diuinus ille ſpiritus,qui corda omniũ emollire, & quòuis flectere nouit, orationi illorũ attentionẽ & beneuolentiã in ſibi electis cõparabat. Vbi ſanè in ſumma arte quicquam non eſt poſitũ,non eſt certè,ut illud fieri poſſit,quũ inferiori effici nequeat. Quum aũt fieri uideatur, non ab arte induſtriá ue humana, ſed à diuina planè potentia fieri cõſtat. Atqui quotquot dedere naſcẽte Euangelio ſua nomina Chriſto,non unum tantum aut alterũ iſtorum præſcriptorũ perſuaſum habuere, ſed in uniuerſum omnia tenuit, credidit, docuit, opere firmauit,quiſquis Chriſtianus fuit. At dicet impius, illi ueſtri indocti ſibi ſimilibus & indoctis ſuaſere. Nullum doctiorem in ſuam traxerunt ſententiã. Quamuis nullos humanis diſciplinis & uario doctrinarũ (quæ ſolent gloriolæ opinione magnã in hominibus malis uanitatẽ infundere) genere ornatos, habuiſſet prima fronte noſtra perſuaſio, nil ſanè mirũ eſſet:quũ ea præſcripta,quibus utitur frequentius uita externa,fucoq; illita,à placitis quorundã pallio & barba tenus philoſophorũ pendeat. Verũ quotquot ueritatis, nõ auræ popularis amor ad ſapientiæ amorẽ traxit, eos omnes aſſeclas habuit noſtra religio, ſi de ea audiuerint. Atq; ut pateat,è multis paucos producã in mediũ. Nolo attingere, quot magni nominis homines ex gente Iudaica in ſummo magiſtratuũ & dignitatũ faſtigio collocati,maluerint probroſè è ſuo ſenatu pelli,quàm à Chriſto deſciſcere,ut Nicodemus,Gamaliel,Ioſephus Arimatheus. At quæ ſumma fuit in Iudæis literarum humanarum cognitio? Quis cultus? Maximus ſanè,uel eo argumento, quòd

nullus inter doctos habebatur, qui non in Græcarum literarū cognitione eſſet
admodum uerſatus: idq; erat iam à temporibus Alexandri. Quis enim non ad-
miretur paucis poſt illum annis ſeptuaginta duos ſenes ab uno ſenatu Hieroſo-
lymitano potuiſſe detrahi, & ad Ptolemæum regem pro legis interprætatione
duci? Ariſtobulus nónne fuit eloquentiſſimus? Philo ex Iudæis potuit Platoni
cōparari. Ioſephus hiſtoriographus clariſſimus quanta eſſet in Iudæis literarum
humanarum cognitio ſatis aperuit, dum eloquentia & humanitate nil Græcis
cedit. Erant ergo non ignari rerū humanarū Iudęi. Quare igitur non omnes ac-
ceſſerunt ad Chriſtum? Opes, magiſtratus, gloria, honos, fumus, aura popula-
ris, quę omnia erant aut relinquēda, aut nihili facienda, obſtiterūt. Quod ipſum
ne mirū ſit in Iudæis, in omni gente & prouincia locū habet. Quotquot enim
ſeu in aulis principum uerſantur, ſeu magiſtratuum funguntur munere, (ſi pau
cos excipias) tantum abeſt, ut ueri cauſa uel minimum detrimenti accipere ue-
lint, ut etiam nil ſacrum ſanctum úe habeāt, modo ſibi aut ſuis prodeſſe, atq; ho-
norum fumos cōparare poſſint. Is eſt mundi morbus. Ex eloquentia ipſa uide-
bis Lucam fuiſſe peritiſſimū Græci ſermonis. Præterea ex artis profeſſione phi-
loſophiam neceſſariò eum diligenter legiſſe conſtat: alioqui medicus eſſe non
poterat. Nō loquor de Paulo, qui coactus acceſſit poſt multa noſtris illata dam-
na. Ex ſcriptis uidentur Paulus, Dionyſius Areopagita, Egnatius, Hierotheus,
ſummi Platonici. Quid memorē Aquilam, Apollon, Timotheum, Iudaici ge-
neris? Quo erant doctiores, eo citius ad noſtros confluebant. Quid Egeſippo
doctius? Quid Philone iuniore maius? Noſtra illi probare uita & ſcriptis ſata-
gerunt, Meletius, Iuſtinus, Quadratus, Ariſtides, Melito, Theóphilus, Mode-
ſtus, Tatianus, Muſanus, Bardeſanes, Apollinaris, Miltiades, Apollonius, in-
numeriq; alij, tum Græci tum Latini, non minus eloquentes quàm ſapientes,
qui omnes pro noſtra religione ad imperatores Romanos contra falſas perſua-
ſiones ſcripſere: non tantum noſtra probare, eorumq; præſcripto uiuere uolue-
runt, ſed ab imperatorū digrediētes aut familia aut familiaritate, amicitia & for-
tunis, auſi ſunt etiam ſcriptis adoriri ipſos imperatores nobis infenſiſſimos, ua-
nitatemq; falſæ perſuaſionis illis detegere, & noſtrā inſinuare, atq; demum pro
ea aſſerenda mori. Si quis ſibi uult fidē facere eruditionis, quæ in Clemente erat,
legat eius recognitiones (ut uertit Ruffinus, quamuis interpretē admodum à
maieſtate autoris receſſiſſe putem) uidebit tamen orbem diſciplinarū illi fuiſſe
familiariſſimū. Extant Iuſtini opera. idem de illis licebit iudicare. Quis non mi-
retur ſenatorē Romanū trabeæ ultro prætuliſſe crucem? Legatur Tertullianus.
Extat Cyrillus, Lactantius, Victorinus, Arnobius, Origenes, Baſilius. omnes
inter ethnicos uerſati diutiſſimè. Hos qui legerit, uidebit nil Ariſtotelē, nil Pla-
tonem cognouiſſe, quin longè diligentius perpenderint: & tamen Chriſti do-
ctrinam & crucem prætulerūt uanis opinionibus & rationibus. Nolo in ijs am
plius immorari. Poſſem celeberrimis in omni genere literarum hominibus tan
tam opplere chartam, quantam & ſcriptis illinere: qui humanæ philoſophiæ
uanitate poſthabita diuinam ita ſunt amplexi, ut morte acerbiſſima & inauditis
innumeriſq; tormentis confirmatā uoluerint. Si aūt quis obijciat, nec magnos
fuiſſe uiros, nec magnis honoribus & fortunis auctos: nil moror qua conditio-
ne fuerint, tenui an ſplendida fortuna, nil refert. Pauperes uidemus totis cona-
tibus ambire diuitias opeſq;, quibus neceſſitatis leges à ſe depellere conentur:
diuites nullum non mouere lapidem, ut undecunq; partis fiat acceſſio. Quales
illi ante fuerint (ut dixi) nil refert. Conſtat & ſpei & fortunæ ſplendidæ prætu-
liſſe, quæ ne hoſtibus quidem auſis optare. Verum quî fieri poteſt, ut ineffabilis
ille

ille Creator leges à noſtro ſenſu tam abhorrentes cōdiderit? Quum hominibus uſui eſſe debeant, nō angelis, aut perfectæ cuidam naturæ? Ratio eſt in procliui. Vt dum illa uidemus, quæ ab ipſo profecta ſunt, non poſſe niſi iuſtiſſima eſſe, etiā nos ipſos in illis cognoſcamus, quū nos tam deprauatos eſſe ſentimus, atq; extra naturæ leges diſtractos, ut ſacroſancta dulcedine nil nobis ſit amarius, pace nil turbulentius, bonis, ſanctis, iuſtis, honeſtisq;, nil deterius, prophanius, iniquius, turpius ue putemus: maximè uerò ut fateamur, etiā quum omnia fecerimus, quæ in nobis ſunt poſita, nos inutiles ſeruos: implendiq; ea pręcepta impotentes nos ſentiēdo, autori Deo etiā ea adſcribamus, quæ à nobis facta cum eius auxilio fuere. Nam ille nos nobis dedit, nos in nobis uegetat, inſtrumenta quibus bene agamus ſuppeditat, et materiam, in qua nos exercere poſſimus offert. Lex diuina et Euangelica longè ab humanis differt tum multis alijs modis, quū potiſſimū à principio & fine. Tollūt enim illæ, aut potius minis tollere ſatagūt, uitia à Repub. quū emerſerunt. At Deus optimus maximus etiā fomiti, & peccati radici, occurrit. Verbi gratia, de homicidio lex humana dicet: Qui ſciēs uolensq; hominem interfecerit, morte plectatur. diuina uerò: Si quis dixerit fratri ſuo racca, reus erit iudicio. Diligite inimicos ueſtros. Quare tam alto principio? Si non præcedebat odium, ſimultas, querelæ, iræ, contentiones, philautia, non fuiſſet locus effectui. A capite remedia ſunt adhibenda. Vbi perpetuus amor, nunq; liuor, aut uulnus, aut mors eſſe poteſt. Quomodo igitur idem Deus ſibi diuerſus uidetur? In ueteri enim teſtamento dixit tantū, Non occides, Non mœchaberis, &c. In nouo aūt, ueluti illi maior prudentia acceſſerit, dicit: Quicunq; odit fratrē ſuum, homicida eſt. 1. Ioan. 3. &, Quicūq; uiderit mulierem ad concupiſcendam eam, iam eſt mœchatus cum ea in corde ſuo. Quid ſibi iſta uolunt? Populum Iſraëliticum (ut iam diximus) more ſapientis pædagogi uoluit tractare. Itaq; ob duritiam cordis eorū, leges illas diuinas quidē, ſed ciuilibus nō multo duriores dedit, ut per legē, quæ nihil ad perfectū adducit, uenirent tandē potius ſemimali, quàm omnino mali ad legē euangelicā: quæ ipſa non tantū hominem ab exterioribus ſignis bonū, ſed etiā interiori mente purgatiſſimum requirit. Nam quiſquis talis eſt, quū in ſe habitet, nil planè grauiorū ſcelerū cōmittere poteſt. Gratia eam obrem meritò lex Euangelij dicitur: illa uocabulo legis ideo nuncupatur, quòd ueluti leges, quas naturali motu cæteris gentibus Deus dedit, bonum ciuiliter hominem conſtitueret. Quod intelligentes prophetæ, multis ante Chriſtum annis omnia legitima ad puritatem cordis reducere ſatagebant. Solum itaq; Euangelion autorem ſuum teſtatur ſcrutatorem cordium, radicitus conuellentē ſcelerum origines & fomēta. Verū paucis illę leges, quas mundus nō probat, aut ſi probat, uerbo tenus confirmat, quantæq; utilitatis in hac uita cauſa eſſent, ſi ſeruarentur, ſunt ſigillatim perpendendæ.

DE DIFFICILIORIBVS EVANGELII *præceptis.* CAP. XVI.

MVltis rationibus Chriſti leges perditis hominibus uidentur non ferendę: uerum nō maiore ulla aliqua ratione, quàm quòd innumeris animi corporisq; uitijs laborant. Quiſquis bile feruet, illamq; frequenter irritare, acrioremq; reddere uel minima occaſione ſolet, non ulciſci, eſſe impoſſibile iudicat. Qui in Venerem pronus ruit, fomentaq; undiq; quærit libidinis incitandæ, nō poteſt ferre hoc præcepti: Qui uiderit mulierem, ut cōcupiſcat eam, &c. Si quis gloriæ & fumorum captatione tenetur, nunquam illi perſuadeas, ut qui minimus & abiectiſſimus eſt, ſit omniū maximus, Deoq; chariſſimus, & proximus.

Nam ſplendorem imperiorũ,magiſtratuum,dignitatumq; omnium uideretur,
qui iſta aſtrueret, conculcare. Qui laborat auaricia, nunq; illud ſibi perſuadere
poterit,melius eſſe dare, quàm accipere:omnia gratis (etiã hoſti) eſſe elargien-
da,nullum deniq; beneficij præmium repoſcendum. Ita in cæteris, ut quiſq; eſt
affectus,ſic cõtra ea iudicat,quæ eius libidini nõ inſeruiunt. At quem non agit
tranſuerſum gloriæ ardor? quem non torquet & enecat ambitio? Cui uoluptas
familiaris morbus non eſt? Quem non dementat uindictę rabies? In quem non
exercet tyrannidem iracundia? A quo pœnas nõ petit habendi ſitis? Nec unus
homo dominium unius aut alterius tantum patitur, ſed ea ſunt naturæ uitia: ut
ſi ſemel irrepſerit quoduis illorum, hominemq; totum occupauerit,ſtatim alia
omnia ueluti ſatrapas & tyrannidis miniſtros accerſet. O miſerum hominẽ,qui
unam ob culpam, quòd te unum ignoras, hæc pateris. Eſſet uerò tolerabilius,
unumquemq; ſuis uitijs premi,ſibiq; perire. Verum quo quiſq; pluribus urge-
tur,eo magis illa transfundere ſatagit in alios: ut quod in illo uidebatur eſſe ui-
tium,iam omniũ itidem cõmittentium conſortio fiat laudabile, quia plures ha-
bet ſocios,& ſuæ opinionis collegas: quaſi minus ardeat,qui cum pluribus ar-
det. Inde uitiũ in nomen uirtutis irruit,eiusq; ſedes occupat:hinc uirtutis quidẽ
uocabula in hac mortalitate ſplendidè proferuntur,laudantur,efferuntur,in ui-
tio uerò exercetur. Sanctarũ legum Euangelij prætextu (quod uiderentur diffi
ciliores hominibus mente & corpore perditis) introduxit ſuam perſuaſionem
Muhamedes,è diametro contra Chriſtum pugnantem:quòd eo fallacior,aut ad
uindictam concitatior, aut deniq; omnium uitiorum colluuie perditior morta-
lium nullus unquam fuerit. Nam una hora ſubagitare quindecim uxores ſuas
cum ancillis ille gloriabatur. Quos autem habebat amiciſſimos, ſi uel ſolo nutu
læſiſſent,in lecto dormientes cõficiebat. Ideo dixit ſuam legem eſſe inter uetus
& nouum teſtamentũ mediam, eamq; præclaris facinoribus huiuſcemodi or-
nauit. Non ſatis itaq; illi fuit perire,ut regnaret: ſed quia uitia in eo carpebãtur,
ne uitia uiderentur,leges quotidie ferebat,ut omnibus eadem atq; ſibi licerent.
Vindictam,quam lubentiſſimè exercebat,ita lege firmatam uoluit: ut damna-
tum aſſerat, qui iniuriam iniuria non ſtatim compenſauerit. Ita & in tota eius
lege ut ſuis uitijs patrocinaretur, condidit leges ſuis ſceleribus propitias: quod
in uita & doctrina eius patebit. Non ſecus faciunt fermè ubiuis principes,& au
lici,hominesq; in ſummo rerum faſtigio poſiti. Quamuis enim legem de licen
tia ſcelerum permittenda non ferunt,dum tamen ſunt exemplo, conſcij ueren-
tur alijs prohibere, quod ipſi committunt. Ita fit, ut unde ius in humanos de-
bebat profluere, inde labes & peſtis ſerpat in omnes, ea una re,quòd ſacroſan-
ctis Chriſti legibus non obtemperant. Si enim dum de uindicta (uerbi gratia)
agunt,ſibi hoc proponerent, primùm ſe contra legem Dei agere,demũ neceſſa
rium eſſe naturæ labem adferre,quiſquis uindictam ſectatur,infinitis ardoribus
illum premi,qui proximi ſanguinem ſitit, aut ſibi, aut alteri, aut utriq; eſſe pe-
reundum, familiam parentes unà cum aduerſarijs commiſſurum, cum ſummo
probro poſſe uinci,ſine gloria uincere,& hominẽ perimere, naturamq; ipſam,
quæ uitæ & durationis cauſa erat,è medio tollere. Qui iſta omnia perpenderet,
nónne ſatius longè duceret tot mala fugere, & patientia aduerſarium uincere,
quàm leuis opinionis gratia tot diſcrimina ſpontè ſubire? Quum præcipuè ad-
miſſo facinore inuidiam à multis,dedecus à bonis, à pauciſſimis illiſq; adulato-
ribus & inimicis nomine amicitiæ ementito, gloriam ſit reportaturus. Taceo
æternam facti pœnitentiam,æternas Erinnyes,neglectũ Dei. Nam iſta omnia
leuia uideãtur neceſſe eſt illi,qui ob leuiuſculam opinionem ſpontè in mortem
ruit.

ruit. At ſi iniuriam patiar, ait, impunè, inuitabo mea patientia **hominem impro bum**. Legibus poteſt compeſci: iudicem conueni. At quia tibi pars in ſcelere eſt, & fortaſſis prouocaſti, quem necatum cupis, mauis tuo arbitrio, quàm ęquo & bono decernere. Si in alterum cōpenſata iniuria tibi ſanitatem, aut res quas per ipſum tibi perijſſe dicis, recuperares, meritò quidem: ſi pedem abſtulerit, & eius tibi eſſet utilis, tuo deperdito, ab illo uelles conſequi: & ſic in ſimilibus. Id quidem eſſet aliquid. Verum quū nil aliud ex uindicta conſequare, quàm quòd probri in eum intentas, mirū quid ita inſanias. Illum nequam hominem & flagitioſum clamas, eo quod damnum homini dederit. At non uides, quòd quum damnum illi inferre cupis, eadem ſcelera in te recipis? Nam damnum das homi ni. Sed ille prior dedit. Itidem poſtea de te dicet. Itaq; æternus erit uindictæ cauſa infernus, & in hac & in futura uita. Vindicta Dei ſolius eſt. Qui illam ſuo nomine exequitur, negat deum, quē non credit iuſtum, & relaturum pro meritis præmia. Nomine autem publico, aut afflicti egeniq; & ope indigentis gratia illam exequi, ea uerò uindicta ſi aliter componi nō poteſt, eſt æquiſſima. Verum hanc curat nemo: illam ambiunt omnes. Dicet aliquis: Id eſt à natura omnibus animantibus datum, ut ſe ſuaq; tueantur. Eſt quidē animantibus omnibus quæ lege carent, à natura conſtitutum, ut hoſtes conficiant, inſectentur. Verum homini, cui ratio imperat, qui iudicio ſibi moderatur, poſt primos motus in ſe deſcendit, cui ſunt poſita iura, iudices conſtituti, uia ad repenſionem iniurię patet, non eſt perinde atq; bubus, equis, leonibus, in proprium genus ſæuiendū. Fruſtra enim leges ciuiles id prohibent, ſi ob id quod ſit in natura poſitum, ideo ſit agendum. Motus illi ſunt ratione moderandi: alioqui in alia omnia diſcrimina ruat neceſſe eſt, Deumq; eſſe neget, qui uindictam ſectatur. Volumus omnia Deo præripere, & nobis adſcribere. Nō ſecus atq; ſi eſſent plures fratres in una familia eodem patre nati, unuſq; accepta ab alio iniuria, illam rependere uellet, autoritatemq; & arbitrium eius ęſtimandæ patri adimere, & ſibi ſumere: quum tamen conſtet uel uulgato prouerbio, Omnes in propria cauſa cæcutire. Sed ita inualuit opinio: Si non ulciſcar, non ſum nobilis, non animoſus, non habebor bonus animoſuſq; miles. Si eſt militem agere, necare fratrem aut ſocium: ſi nobile eſt, quod in alio condemnas, in te probare, bene habet. Quid alienis oculis & iudicijs ſeruis? Quid ad te fama & alienum iudicium, modo nil te indignum te feciſſe ſentias? Non potes alieno iudicio mutari. Sis bonus: iudicent te malum, quantum uelint, non ſis deterior: ſin ſecus, cura ut emendes, quod improbant. Si deſertorem in bello, ſi mollem & remiſſum in hoſtem uideant, ſi detrectantem imperia conſpiciant, meritò famæ & honoris ratio erit habenda. At fumus famaq; nil in rebus mutat. Nos ideo illa torquet opinio, quòd nec Deum patrem iuſtumq;, nec hominem uti fratrem habemus, credimuſq;. Hinc omnium malorum radix odium, ut nil ſit ſanctius aut uerius dicto illo Ioannis, Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Iam ſatis patet, quanto ſuo commodo miſera iſthæc mortalitas diuino præſcripto ſubſcribat in cōdonanda iniuria, quantiſq; inuoluantur calamitatibus, qui contrà ſentiunt, dicunt, faciunt. Perpetuus illis ardor præcordia torret, continuus timor ſanguinem cogit. Nam qui alteri uult haberi formidabilis, formidine etiam tangatur oportet. Quāto felicior ille eſt, qui reſponſione molli iram fregerit, durū patientia uicerit, beneficio ex hoſte amicum fecerit, pacem loco belli acceperit, & ut uno uerbo dicam, omni offi ciorum genere ſibi fratrem reconciliare tentauerit? Eſt etiam in ijs legibus diuerſa à ciuilibus, & Moſaica ſententia. Nā politicæ leges poſt primos animi mo tus, hominē perſequi iniurias ſuo arbitratu **uetant**. **Amet** uerò, an odio habeat,

ut facere nequeunt, ita nec præſcribunt, nec curant. Iſraëlitica odio haberi ini-
micum permittit,iubetq; eadem,atq; ſuprà retulimus,ratione. Præſcriptũ uerò
Chriſti,quod ſuos unà uerſari more angelorũ ſummo pacis uinculo iubet, non
tantum iniuriam eſſe condonandam,& Deo uindictam permittendam ſtatuit:
ſed etiam amicitiam ſummam cũ aduerſario habendam, beneficioq; ita deuin-
cere, ut uelit nolit, in ſe deſcendat, ſeq; iniuſtiſſimum fateatur, qui bona malis
rependerit. Si eſurierit (inquit Paulus) inimicus tuus,ciba illum:Si ſitierit, po-
tum da illi. Sic enim faciens,proijcies carbones ignis ſuper caput eius. Qua ora-
tione intelligit,neceſſariò ignem charitatis ita in eum illapſurum, ut ea ratione
incipiat ſibi ſeipſum oſtendere. Non ſatis habet Chriſtus, ſeu in uitio uitando,
ſeu in beneficio conferendo,nos ab exterioribus ſignis pendere. Vires animi
poſtulat ille: ſi deſint,fruſtra laboratur. Ex animo eſt amandum & benefacien-
dum. ex animo eſt à malo recedendum. Qui beneficijs inimicũ promereri ſata-
git, Deo perſimilis uidetur. Quum enim homines ſingulis momentis & tem-
porum articulis,Deum irritare ſoleant,ſtudeantq;,blaſphement, negligant,fa-
ctis abnegent alij,alij etiam uerbis:in omnes tamen ex æquo beneficia confert.
Qui ergo huiuſmodi patris filium ſe uult maximè illi probare, idem planè erga
fratres omnes faciat neceſſe eſt, quum erga omnes, tum maximè erga domeſti-
cos fidei. Nam filius non debet eſſe conditione meliori, quàm pater. Ille non ſo
lum nõ punit,ſed maximis cumulat muneribus, & eo ſæpe maioribus,quo de-
teriores:ut ſaltem illis deuincti muneribus,aut tantum datorem agnoſcant,aut
ingrati meritò pereant. Ediuerſo uerò ſuos quia iam ſui ſunt, afflictionibus ad
ſe reducit, ne ſecundis rebus elati ſimiles iniquis fiant. Hos omnia oportet da-
re fratribus,quia Deum cõmunem patrem norunt: illi ideo cumulis aggregant
quæ Deus dedit,quoniam ueluti emancipati extra fraternũ agunt conſortium.
Qui patrem itaq; Deum ſuper omnia diliget,proximum uti ſeipſum,proculdu
bio nec parentum,nec rerũ rationem eſt habiturus, modo rerũ omnium autori
ſit iunctus. Hæc eſt uita æterna, ut te noſcant uerũ Deũ, & quem miſiſti Ieſum
Chriſtũ. Quod ut fiat, omnia relinquere oportet,ut te poſſideas. Has ſententias
utcunq; delibauere philoſophi,uerũ ita,ut uerbis tantũ,non factis,ut antè dixi,
docuerint. Nemo ideo pro Platonis aut Ariſtotelis præſcripto ſeruando, uel
minimũ damni uoluit unquam pati:quòd uita negarent,quas ponebant leges.
Plato certè in ſua rerũ communitate uoluit ad fraternitatem declinare: ſed inte-
rim dum diſtinguere neſcit,quid cõmune,quid priuatum eſſe debeat, lupanar,
non Rempublicam inſtituit. Sed hoc in loco obſtrepet mundus: quũ ſit innata
maiori hominũ parti ſegnities, & iniuriæ inferendæ motus, ſi omnia patimur,
omniaq; largimur,aperimus inertiæ ianuas, iniuriam in nos ultrò proritamus.
O utinã qui talia obijciunt, aliquando in incultiſſimis & deſertis locis Aegypti
uidiſſent ultra trecenta hominũ milia, quibus nulla lex quicq; præſcribere po-
tuit. Nemo non fuit ditiſſimus, quũ tamen quæſtu & manuũ labore omnes ui-
uerent. Illuc ex toto orbe opes profluebant,ubi nullæ creſcebant: erant in urbi-
bus,quot domus,tot κοινόβια. Quid memorem Apoſtolorũ uitã,& innumeram
multitudinẽ ubiuis terrarũ illos comitantem? Viſum eſt ſæpius boni unius epi-
ſcopi diligentia & exemplo, ut ſumma caritate annonæ orbẽ totũ diuexante,
nullus tamen planè in eius ditione id ſentiret. Non quod eſſent ibi, q̃ alibi, co-
Inter ſynceros fratres locum haberet com
pioſiores ſegetes,ſed quòd minus priuatæ. Vnuſquiſq; ſtudebat ſua proponere
in mediũ: erat omnibus par copia, nulla penuria. Qui ſua prior expenderat,ab
alijs accipiebat. nec interim quicq; deperibat fiſco. Nam id ſolet Satan obijcere
contra perfectionem Euangelij: Si non fuerint quidam ditiſſimi, non poterit
fiſci

fiſci res adminiſtrari. Hoc unum ſcio, niſi eſſent multi ditiores quàm par ſit, & fiſcus & charitas ſatis ſibi haberent, unde & externa & interna iniuria propulſari poſſet. Verũ mundi pernicies, Satanæq́ inſultus nunquã dabit ita quietem Euangelio, ut poſſit ſanctis præſcriptis uiuere. Ideo nec rerum cõmunitas introduci debet rebus adultis: quoniam plures ſunt fuci, quàm apes, nec rerum iactura facilè in quibuſcunq́ tolerari: quia plures prædones ſtatim, quàm poſſeſſores eſſent. Habenda eſt ratio temporis & rerum: ita tamen, ut nil felicius mortalibus uſquam poſſe contingere putemus, quàm ſi quæ præſcripta in Euangelio mundus agnoſcere operibus non uult, illa omnino ſeruarentur.

municatio rerum. Sed propter ſtudiũ mei & tui, res humanæ nõ patiuntur. Ideo Apoſtolicorum uel apotactiorum dogma eccleſia reſpuit. Vide Epipha.

DE DIFFERENTIA ORIGINIS PERSVA-*ſionis Chriſti, & falſarum religionum.* CAP. XVII.

QVamuis iſta ſunt copioſè tractata, in ſequentibus tamen ad maiorem diuinitatis Chriſti confirmationem etiam paucis hoc in loco uiſum eſt attingere, quibus artibus peſtes nefariorũ nebulonum ſe hominum ruditati obtruſerint, quoq́ modo Chriſtus ſe tam pauco tẽpore orbi reuelauerit. Vt autem iſta perpendamus, ſunt nobis rerum humanarũ conditiones ſpectandæ, ut quid ſit ſecundum naturam, quid contrà, diſpiciamus. Conſeruandi ſui cauſam quandam in ſe latentem habere, quicquid creatum eſt, nullus philoſophiæ alumnus diffiteri poteſt. Vnde uidetur, res ſingulas quantum per naturam ipſarum licet, durationem quandam & immortalitatem, ſi fieri poſſet, appetere, omniaq́ adminicula, quibus id aſſequantur, perquirere. Quæ uerò & ſenſu & uita carent, ſed ſimplici eſſentia conſtant, tamen quodam uinculo ita necti ſolent, ut nõ niſi ægrè ſoluantur. Quod enim ſenſu & arbitrio nõ pugnat, corporis repugnat duritie & peruicacia: unde uidemus maximè eſſe ſecundum naturam illa, quæ ad rerum cõſeruationem tendunt. Nam ſi omnibus uoluit eam curam incumbere creator, certiſſimum eſt & durare maximè uelle. Vnde omnia corruptibilia quamuis deuitare corruptionẽ non poſſunt, ab ea tamen timent maximè. Quęcunq́ igitur corruptionem inferunt, illa naturę maximè repugnant, creatoriſq́ uoluntati obſiſtunt: quum cætera omnia, tum potiſſimũ ea quæ tendunt in hominum perniciem, & præcipuè ſi labes à quodã arbitrio & deliberatione procedat. Nam quæ ſponte non agunt, ſed commune periculum aut actionem pernicioſam in uiciniam transfundunt, ut corruptiones aëris, aquarum, & cæterorum quæ ex naturæ imperfectione labem humanis corporibus inferunt, præter uoluntatem quidem Creatoris, ſed non contra eam agunt, ipſo permittente, ea indignationẽ non merentur. Pariter nocumenta ferarum animantiumq́ omnium, quoniam iniuriæ inferendæ uotum abeſt, ſunt extra culpam. Pernicies igitur ea quæ prodit à malis dæmonibus & hominibus, ea demum ſola damnatur, cõtraq́ Deum & naturã armari meritò dicitur. Quotquot igitur bella ſunt uſquam (niſi duas ob cauſas) ſuſcepta contra Deum & naturã eſſe ideo certum eſt, quòd naturæ humanæ perniciem rebuſq́ ad eius ſalutem comparatis labem contra totius ordinem inferant. Duæ uerò cauſæ illæ ab exemplo noſtræ naturæ ſunt probandę. Nam quum natura id dederit, ut omnia animantia, ſed præcipuè homo ſe ſuaq́ tueantur, quæcunq́ uerò nocent, & perniciem adferunt, ea ſunt inteſtina aut externa, iuſtum eſt bellum in utroſq́ hoſtes. Quæ ſunt infra hominem, inteſtina diſcordia nunquam laborant, quoniã ſecum ipſa nunquam pugnãt. Carent enim iudicio & ratione. Homo porrò hoſtem domi circunfert, aut externũ habet. Quũ mille uitiorũ monſtris tanq́ domeſtica ſeditione laboret, id imprimis illi curandum eſt, ut eam colluuiem domo pellat, & compeſcat,

antequam

antequam ullos corporis hoſtes poſſit adoriri. Animantia cætera quia corpore
tantum periclitari poſſunt, ideo externum hoſtem tantum experiuntur: homo
quia animo & corpore conſtat, & animi & corporis hoſtes patitur. Nunquam
itaq; cuiquam mortalium, nō depulſo hoſte domeſtico, licebit externi uires re-
tundere. Eſt enim duabus potentijs ferendis impar. Ita & quilibet hominū cœ-
tus, reſpublica, aut regnū, duplici hoſte poteſt labefactari, inteſtino & externo.
Si quædam pars illius multitudinis, quæ in leges conſenſit, inq; uerba legis ui-
uentis iurauit, in municipes ſuos inſurgeret, aut quauis arte ruinam illis moli-
retur, proculdubio niſi alio pharmaco poſſet, bello membrum putridum diſſe-
candū potius eſſet, quàm ut perniciem reliquis corporis partibus adferret. Ex-
ternus hoſtis eſt habendus, quicunq; tibi, tuisq;, aut illis quos uindicare potes
imminet, rebus úe in dedecus Dei & iniuriam proximi ſuiq; utitur. Quiſquis
enim Deo uiuo ueroq; iniuriam facit, omnibus hoſtis pernicioſiſſimus eſt ha-
bendus. Eò enim res humanæ ſunt cōparatæ, ut uſu nō abuſu abſumi debeant.
Qui illis in naturæ perniciem utitur, nec reſipiſcit, eſt bello iuſtiſſimo trucidan-
dus: ne non tantum ſibi perniciem comparet, ſed & contagione inficiat. Quæ-
cunq; alia bella ſunt ad hanc diem geſta, illa omnia ſcelerata, & cōtra Dei maie-
ſtatem, & naturæ conſeruationem cōmiſſa ab aggreſſoribus fuere. Nam domi-
nandi & habendi libidine, gloriæ & ambitionis cupiditate, famæq; auiditate ſu-
ſcepta, qualia omnia ferè Romanorū fuere, in naturæ perniciem & ſcelerū mor-
talium uindictam, & ex diametro cōtra diuinæ bonitatis maieſtatem geſta eſſe,
non eſt ambigendum. Sunt enim Erinnyes à Satana in orbem terrarū miſſæ, ut
quem hominum iniquitas agnoſcebat Deum, eiuſdem quotidie beneficijs ute-
retur. Iam ergo ad rem ueniamus, et quomodo orbis tyranni poſt labefactatum
genus humanum, & ſuis fortunis ſpoliatum, ſe loco numinis obtruſerint. Poſt
orbis celeberrimas partes peragratas & populatas, ſuos uerò populares operi-
bus & tributis penè necatos, quum inter illa genus à Ioue ſummo iactaret Oſi-
ris eſt habitus deus in Aegypto: expugnatis pecunia ſacerdotibus (opera Iſi-
dis uxoris) qui lacerati à parentibus tyranni partes ſtatuis includerent, & uelu-
ti integrum corpus multis in locis oſtentarent. Ignara rerum multitudo partim
terrore receptæ iniuriæ perculſa, partim rei nouitate mota, eū colere cœpit, qui
orbis euerſor haberi meritò debebat. Ferro ſuæ diuinitati uiam fecit Hercules.
Mars prædis celebris fuit, pirata Neptunus, quum eſſet ſumma inter homines
ignorātia, & ruditas. Et tamen illa præclara numina uix paucis in locis coleban-
tur, (ſi orbem totū reſpicias) quibus ipſis, uis, impoſtura, aurū, eloquētia uiam
fecerant. Adulto orbi, & omni genere diſciplinarum exculto, ſe nuditas, ſimpli-
citas, patientia obtulit, & intra centum annos apud Seras, Indos, Bactros, Scy-
tas, Sogdianos, Parthos, Perſas, Aſſyrios, Afros, omnes Aethiopas, Libyes,
Græcos, Romanos, Germanos, Francos, Hiſpanos, & ut ſemel dicam, toto in
orbe terrarum coli cœpit, agnitusq; eſt Ieſus Chriſtus: & inter tam uarias reli-
giones, à paulo pluribus quàm octoginta hominibus, literarum humanarum
ignaris, linguæ Syriacæ parum admodum patentis ab infantia peritis eſt præ-
dicatus. Quæ res omnem humanam potentiam ſuperat. Oportuit ergo Deum
euangelij autorem, ubiq; præſentem adeſſe, linguas uariorum populorum do-
cuiſſe, atque abſoluti rhetoris eodem tempore ubiuis terrarum officium exhi-
buiſſe. Quū enim ad confirmandam quamuis opinionē, & mentibus omnium
aut præcipuorū inſtillandam, uix decenniū ſatis ſit (quod in placitis principum
probādis recipiēdisq; maximè patet) quî fieri potuit, ut in pluribus & urbibus
& locis reliquerint Chriſti doctrinā, quàm uel percurrere & luſtrare potuiſſent?
Reuera

Diodorus ſcribit, à Typhone fratre in 26 partes ſectū. uide Plutarch. de Oſyride & Iſide.

Fuerunt enim 12 Apoſtoli, & 70 diſcipuli.

Reuera illud tunc apparuit. Non eſtis uos, qui loquimini, ſed ſpiritus ſanctus, qui in uobis loquitur. Et ego uobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſeculi, nolite timere. Rudes homines (ita tamen prudentes, ut nemo illis imponere poſſet) externos, nudos, inopes, linguæ peregrinæ, contra aſtutos, eloquentes, indigenas, affluentes luxu, & quod eſt maximum, aduerſus potentiſſimorum uitia inſurrexiſſe, per mortes aũt maiori copia creuiſſe, quis illa credat potuiſſe fieri, niſi facta fuiſſe cerneret? O Deus, quàm admirabilia ſunt opera tua? O altitudo diuitiarum ſapientię & ſcientiæ Dei, quàm incõpræhenſibilia ſunt iudicia tua Domine? At inſurget hoc in loco Muhamedes, dicetq; ſuam religionẽ ſtatim in totam Africam, Aegyptũ, Syriam, fuiſſe receptam. Verum eſt: intra centeſimum annum à morte eius id contigit. At cuilibet tyranno iniquiſſimo ita licuit. Nam paulo ante eum (decennio, aut circiter) ſine ulla religione longè plura cœperat Coſdroës. Idem factum eſt ſæpius à perditis latronibus. Imperia ita incœperunt. Nam ferro uiam aperuit, in ruſticos ſæuitum eſt: eorũ abſumptis fortunis, magna multitudo ad prædandum cum Muhamede fuit incitata. Populati ſunt uici, in urbes eſt ſæuitum, graſſatum in omnes, data cuiuis ea licentia, ut quæ raperet, ſua eſſent, † quinta parte prophetæ data. Quæ ita tyrãnis orta nõ eſt, confirmataq;? At mihi, dicet ille, cum mea prophetia licuit, quod Moſi. Hoſtes necauit, bellum geſſit. Verum tu longè in modo differs. Ille conſeruandorum ciuium cauſa cõtra hoſtes pugnauit: hoſtes Dei & perditos homines, quorum reliquiæ attulerũt etiam religioni perniciem, confici & omnino necari uoluit. Muhamedes ciues ſuos ad unum confecit, in ſuos inſurrexit, aliorum ſanguine uitam cæteris ademit, uiros optimos religioniq; addictiſſimos necauit, eo uno prætextu, quod aliquot idololatræ in Mecha eſſent. Perpendat æquus lector ex cõparatione prophetæ & impoſtoris, atq; iuſti & iniuſti belli, demum ex ratione legis, quid inter hunc prophetam & alios interſit. Facilè quibus orbi impoſitum ſit, agnoſcet. Abſunt iſta facinora à diuina clementia δὶς διὰ πασῶν. Tantum enim abeſt, ut quod bellum geſſit Muhamedes, quicquam iuſtæ occaſionis habuerit, ut omnibus numeris eſſet pernicioſiſſimum. Nam ſeditione incitata, manu perditorũ hominum, & ſpe deſtitutorum cõparata, nulla accepta iniuria, euertit in qua educatus erat, Rempub. Fortunas ciuium præclariſſimas diripuit, abſumpſit. Incendiũ in patria tale excitauit, ut triginta poſt ipſum ſucceſſores ferro in ſeditione mutuò ſe petentes perierint. Verum iſta paulopòſt. Ab operibus & potentia pergamus æſtimare Ieſu Chriſti religionẽ. Ferro, ſanguine, igne, auro, fuco, eloquentia, impoſtura intrat cum falſis perſuaſionibus Satanas. Chriſtus patientia, morte, charitate, inopia, ſimplicitate, nuda ueritate ſe offert. Illæ uim corporibus, rebus, fortunis inferũt. Noſtra animis libertatem, æternasq; opes adfert, fluxas ſpernit. Quæcunq; illæ cupiunt, hæc ultro ſi nemo capiat, relinquit. Vindictam, gloriam, opes, uoluptates illæ totis artibus uenantur, fouent, tutantur: hæc hoſtes beneficio promeretur, gloriã fugit, inopia gaudet, uoluptates ut capitales animi morbos execratur, fugat, fugit, & uix cum neceſſitate coniungit. Scientiæ nomen ſibi illæ uendicant: iſta ſub ſumma ſapientia ignorantiam ubiq; profitetur, agnoſcit. Aſcribit iſta Deo omnia, ab eo pendet, patris loco habet: à ſplendore fortunæ omnia petunt, induſtria propria ſe omnia illæ ab ſe habere putant. Eloquentia ſe illæ uenditant: hanc commendat infantia. Vtq; paucis compræhendam, quibus artibus mundus regitur, cum illis ex diametro pugnat: ut planè agnoſcamus, non ope humana illam conſiſtere, ſed diuina uirtute ſtatui. Tantoq; eſſe perfectiorem, quanto illa in paucioribus locum habet, quum id etiam eius hoſtibus in confeſſo fuerit.

Is fuit rex Perſarum, eccleſiæ perſecutor, hoſtis Heraclij imperatoris.

† De quo capitulum eſt in Alcorano.

Rari.

Rari quippe boni,uix totidem quot Thebarũ portæ, aut ditis hoſtia Nili. Nec etiam omnes qui illi nomen hodie dedere, ſunt inter ueros ſectatores eius habendi. Animum enim,non externa poſcit:niſi quatenus ſignis aperitur, quod corde geritur. Vt in rerum omnium exordio res ſine rerũ præſidio ſumma potentia in filij ſapientia creauerat,hominiq; nullis eius meritis, ſed ſummo beneficio dederat, ita hominis innouationem ſine ullius externæ potentiæ adminiculo,filius Dei Ieſus Chriſtus adimplere uoluit:ne ſibi quicq; poſſet humana facultas adſcribere in re,quàm potius admirari in æternum,quàm cõpræhendere poſſit. Vt enim hominem natum,& à Deo factum,propagatumq; natura nouimus,quia ita factum eſt:cæterum quî fiat,non capimus: ita etiam ſcimus homines diuinitus à Ieſu Chriſto homine deo actos per mundi contemptum, eius ſuperbiam & faſtum uincere: quomodo uerò fiat, capere non poſſumus. Nam omnino contra uulgarem opinionem mortalium mala ſpontè ſubire,quæ hic bona dicuntur,præter Deum & uirtutem omnia contemnere, id quidem certè ab homine non eſt. Hæc eſt Euangelij uirtus, ueritatis & mendacij differentia, etiam in tormentis firma & conſtans requies.

DE EXCELLENTIA MYSTERIORVM A IESV CHRISTO *inſtitutorum,quibus etiam maximè patet eius diuinitas.*

CAP. XVIII.

QVo faceret certam ſuæ inter mortales potentiæ fidem,Chriſtus in cęlum corpore & animo eleuatus munera,et ueluti κειμήλια ſuis omnibus eſt ita pollicitus, ut poſt decem dies ea præſtiterit. Quibus non tantum ipſi diſcipuli ornati ſunt, ſed & quibuſcunq; conferre itidem uoluerunt, omnino eadem facultate præditos, atq; qui primi acceperant, reddidere. Ea eſt ſpiritusſancti gratia,quæ uarias linguas docuit, poteſtatem in omnia genera morborũ & animi & corporis conceſſit, ordines ſacros, quorũ uiciſſitudine hic myſteria ſacra traderentur, exhibuit, fidem iam ante acceptam confirmauit. Sacris illis myſterijs percipimus,quamuis cœlum corporaliter incolat Ieſus,tamen inter nos ita uerſari,ut nunquam non adſit. Quemadmodum enim non ſatis eſt, naturam Dei beneficio omnia animantia & uitæ non expertia edidiſſe, niſi edita conſeruet, curetq;,donec ad uitæ periodum ueniant:alioqui enim nõ edidiſſe,quàm edita nõ conſeruare præſtabat: ita & Ieſu Chriſto non ſatis fuit, diſcipulos ſuos bene formatos,& undiq; armatos paratosq; contra diaboli artes emiſiſſe, niſi cœleſti alimonia eorum quotidie uires reficeret, roboraret, uegetaret. Tanta eſt enim noſtræ naturæ infirmitas,ut ſtatim à præclariſſimis excidamus, niſi continuò diuinitus iuuemur. Sacris illi imbuti myſterijs,qui à Ieſu poteſtatẽ in cæteros conferendi acceperunt,triplici differentia ſunt:Epiſcopi,ſacerdotes,miniſtri. Hi in omnes inferiori dignitate conferunt ſacra munera. Proximum Deo locũ pontifex obtinet,perficitq; ſacerdotem et miniſtros,ſacerdos inferiores. Tanta uerò uirtus eſt ſemper uiſa in ſummo illo ordine, quamuis homo dignitati non reſpondeat,ut omnes potentiæ ſeparatæ illi cedant, annuat diuina, quum ea quæ ſunt ordinis, obit. Eijciuntur enim frequentiſſimè dæmones ab obſeſſis corporibus,ab omnibus hominibus non ſatis laudabilis uitæ: unde cõſtat non ab homine,ſed à diuinitate præſente id fieri. Sancto lauacro excipit accedẽtes ad Chriſtum ſacer ordo pontificum & ſacerdotum,imponit manus pontifex ſolus,con firmatq; acceptam fidem. Pœnitentiam lapſis & errata fatentibus imponit: ſancto Chriſti corpore myſtico in unitatem Eccleſiæ reduces fiunt:in quo tam præſens eſt uis diuina, ut multi illotis, quod aiunt, manibus in principio naſcentis Eccleſiæ ſumentes ſtatim perirent: alij grauiſſimis morbis corripiebantur, non pauci

Vide Dionyſium de hierar. eccleſ. itẽ de cœleſt. hierarchia.

Miracula euchari-

pauci manu accipientes, & parũ fidei adhibentes, fauillas, carbones, ſaxa in manu occluſa reperiebant. Non paucis ob fidei illorum comprobationem, quod alijs uidebatur panis, ijs caro erat. Hodie correptus à dæmonio cogitur antè ſacram ſynaxim procumbere, & agnoſcere Chriſtum. Vnguntur demum morituri, ſacramento nectuntur unà uicturi: ita ut tota uita noſtra crebris Chriſti remedijs quotidie in gratiam cum illo redeat, modò pœnitentia antè actæ uitæ ſit comes. Quodq́ue magis admireris, multarum nationũ principes à quo Chriſtum receperunt (quum tamen unctionem in regni adminiſtratione͂, non in ſacrum ordinem receperint) miraculis inauditis celebrantur, nec per gentilitatem, ut Marſi & Pſylli contra ſerpentes, ſed per dignitate͂ id conſequũtur. Reges Galliæ innumeras hominum myriadas ſolo contactu, & inuocato Chriſti nomine à ſcrophularum morbo curant. Britanniæ reges à morbo commitiali datis annulis etiam abſentes ſanare ſunt ſoliti. Romano Imperatori par priuilegiũ: quo intelligo plurimos alios uti ſolitos. Vnde conſtat ueriſſimum eſſe, quod Chriſtus ipſa ueritas dixit: Ego uobiſcum ſum uſq; ad conſummatione͂ ſeculi. Nam reipſa quotidie etiamnum id confirmatur.

ſtiæ tradit fide aliena: itemq; ſacramenta plura q̃ Chriſtus inſtituit.

Chariſma ſanationis Chriſti eſt cuicunq; collatum.

NEMINEM ESSE CONSEQVVTVM, POSſe ue conſequi felicitatem, niſi ſeruato Euangelij præſcripto. CAP. XIX.

QVum de felicitate ſit ſermo, non de illa quę à corporis uoluptatibus percipi ſolet, nec de ea quę à fortuitis & extra potentiam noſtram poſitis rebus peti cõſueuit, quæ ue glorię & auræ popularis captatione nititur, aut quam in indolentia ponit Epicurus, intelligendum puto: quoniam nulla iſtarum ſincera eſſe poteſt. Vera autem & diuina, neceſſariò expers mali & infelicitatis eſt. Si enim uſu corporis felicitatem metiare, illam conſequi non potes: quia maximis moleſtijs omnia temperata ſunt, quę corporis ſenſus afficiunt. Nam præter conquirendi moleſtias, aſſiduitate uileſcunt, & in faſtidium uertuntur, deſideriaq́ue lædunt: quoniam uoluntate anteuortitur facultas. Fac in rebus Venereis tibi poſuiſſe ſummum bonum, ſi adeſt facultas, corpus labefactatur, uires eueruantur, conficitur natura, amareſcit uoluptas. Deſit occaſio, totus ardes, totus pruris, eo uno uitio, quòd dirum tyrannum in amicitiam receperis. Ingurgita teipſum pulmentis omnium generũ: quid aliud quàm morbos acceleras? Odoribus perfundare, niſi quotidie mutes, ſenſum non afficiunt, aſſiduitate uileſcũt, omnia diutius optata conficiunt. Felicitas itaq; illa eſſe non poteſt. Iam ſi illa quæ in te non ſunt poſita, pro felicitate habes, quid aliud quàm perpetuo cupiditatis uoto te enecas? Te enim illa iuuant, ut inquit Horatius, ut lippum pictæ tabulę, fomēta podagram. Nam cupias, metuas ue, quid ad rem? Si quicquid uideas, melius peius ue tua ſpe, Defixis oculis animoq́ue & corpore torpes? Multa quæ non uis, facias, & patiare, pauca quæ placeant, neceſſe eſt, ſi à neceſſitate fortunæ pendendum tibi eſt. At me paſcit gloria. Egregium uerò laborum ingentium præmium, rumuſculus ab aliquot ruſticis aut imperitis profectus: cui niſi reſpondes, probrum: ſi mereris plurimorum ſuffragia, inuidiam, non laudem comparas. Quot uides ob ſcelera & facinora, quàm propter uirtutes, celebriores? Quoties merita facta proſequuntur? Nam extra nos eſt poſitũ, quid de nobis alij iudicent. Si benè ſunt affecti, non eges illorum laudibus: ſi malè autem, calumnijs facta eleuabunt, aut diſſimulatione ſepelient: ſi ignoti, quid ad te illorum ſententia? quum te referre non poſſint, laudabunt facinora, autorem neſcient. Fac ab omnibus laudem poſſe mereri, quid confert? Abſens ne illa pa-

ſceris? Fac iuuare: quantum duratura fama eſt, quum etiam anni circumactio præclariſſima ſepeliat facinora? Interim quanto diſpendio illam conſequare, perpende. Teipſum omnino relinquas oportet, & omnino ſacroſancta libertate deſtituare. Induaris uoto alieno, non tuo: aliorum oculis, auribus, palato, ſubſeruias oportet, atq; omnium ſeruitutem experiare ſummæ uanitatis gratia. Age, quiſquis ueram uoluptatem quæris, propone tibi Oſyrim, Alexandrum, Cæſarem, Xerxem, Hannibalem, & ſi quid maioris monſtri tulit hæc mortalitas: quid illos nunc fama iuuat? Vbi eorum poſteritas? Vbi præclara facinora? Et interim ut quod Deo ſoli conuenit, gloriam & famam, honorem ſibi adſcriberent, quid non ſunt paſſi? Quam cladem orbi non inuexere? Maior illis eſſe nõ potes: & tamen illi nihil ſunt. Si indolentiam tibi proponas in hac uita, nunquam cõſequi poteris. Attamen quamuis falſa iſta ſint felicitatis uocabula, eſſe aliquod uerũ in rerũ natura neceſſe eſt, cuius iſtæ ſunt ſimiæ & ſomnia. Quum animi natura nobis ſuperſit (nam quæcunq; bona putantur, aut animi, aut corporis, aut fortunæ ſint oportet) felicitatem ueram in eo ponere neceſſe eſt. Eſt igitur animi liberè agentis actio felicitas, Dei ſcilicet ſui, & naturæ contemplatio, magnarum rerum fortunæq; obnoxiarum deſpicientia. Quicunq; igitur quacunq; cupiditate extra noſtrum arbitrium, iuſtumq; & honeſtum poſita premitur, felix eſſe non poteſt. Certè uoluntas libera nulla eſſe poteſt, niſi quæ facultatem uoto reſpondentem habet. Nam quiſquis uult quod non poteſt, premitur: qui premitur, ſeruit. Quid ergo agendum? Si uotum facultatem præcedere non debet, torpeſcendum eſt? Nil ſperandum? Torpeſcendum non erit. Speranda ſunt, quæ in nobis ſunt poſita. Ita omnis à nobis conatus debet procedere, ut in rebus externis euentus omnino contrarius ſpectetur. Si res proſperè cedat, inſperata ſint iucundiora aduerſa, ut longè ante præuiſa, non premant. Vt ſimus more Pauli noſtri, tanquàm omnia habentes, nihil uerò poſſidentes, aut ediuerſo. Quum itaq; non poſſit haberi, aut fieri ulla actio ſine ſcopo, ſcopus uerò certus à rebus incertis peti non poſſit, neceſſe eſt alibi propoſitum eſſe finem. Cauſa enim finis agit, quicquid ex deliberatione agit. Deus ergo, proximus homo alter, & ipſe qui agit, ſunt actionis humanæ finis & ſcopus. Aut enim honoris diuini gratia, aut utilitatis & ſalutis proximi cauſa, aut innocentiæ in ſe conſeruandæ ratione agit omnia homo uerè liber. Ille porrò quod ratio ſuadet, ſemper ſequi, concupiſcentijs nunquam aſſentiri ſolet. Reuera quiſquis ita uiuit (ſi ullus ita potuit) ſi diuina inſpiratio id facit cuiquam, eſt Chriſtianus. Quicunq; enim antequam ueniret ſapientia Patris inter homines, illam nouerat, et ut Deũ glorificauerat, illius miſericordia ſaluabatur, ut adhuc tenendum eſt, & ſperandum de illis, qui de Chriſto nondum audiuere. At qui nouit, quamuis iuſtiſſimè uiuat, niſi per eum ſalutem ſe conſequuturum credat, omnino perditus eſt: quum illi, qui amore iuſti benè agunt, etiam Deo, ſine quo nil poſſunt, adſcribant iuſtitiam ſuam. Non poteſt itaq; fieri, ut qui à rebus humanis pendet, ſit unquam felix. Feliciter enim non agit, qui uoto priuatur. At Deo nunquam priuari, niſi uolenti contingit. Ergo quæcunq; facimus, ſi in laudem & eius honorem ueluti communis patris agamus, nos feliciter agere certum eſt, nec uana & fluxa præmia ingentium laborum expectare, ſed certiſſima & immortalia. Quæ omnia in ſapientia Dei Ieſu Chriſto homine deo nos conſequuturos ſperamus, certoq; certius credimus. Quum enim nil in hac fece mortalitatis ſit uirtute, qua nil maius eſt, dignum, nullo alio præmio, quàm Deo & immortalitate, pro meritis donari poteſt. Itaq; de animorum immortalitate eſt agendum.

DE ANIMORVM IMMORTALITATE, *probationes.* CAP. XX.

OMnia boni appetentia duci, bonorũ uerò uaria eſſe genera, ſummũ quodam & ab omni parte beatum in rerum natura conſiſtere, in quo poſitus ſit felicitatis apex, id uerò quum omnium philoſophorũ religioniſq; ueræ placitis probatum, tum toto opere eſt confirmatum. Quum enim agẽs omne (caſu excepto) ſeu naturale ſeu artificioſum finis cauſa agat, manifeſtum eſt ſummum agens, quoq; non poteſt dari præſtantius, etiam finis præſtantiſſimi gratia agere. Quamuis ergo ſint uarij actus, & fines medij, inferioreſq; ab eo inſtituti, omnes tamen in ſummum cõtendere liquet, & ueluti appendices fieri: quamuis in ipſo ſummo fine non adſint, ſed ueluti inſtrumenta ad opus præceſſiſſe ſatis ſit. Primi agentis ſcopus, & ſumma felicitas planè idem eſt. Nam ſummum bonum cuiuſcunq; actionis primũ eſt in mente. Quumq; ſit poſtrema cauſa, etiam in animo primam eſſe oportet. Atqui quod primũ fuit in mente Creatoris, finis fuit, illeq; immortalis & illi ſimilimus: unde conſtat, ſummum bonum immortalitatem eſſe. Quum autem quęcunq; ſunt in hoc inferiori ſenſibuſq; obnoxio mundo, ſint in uſum hominis ueluti in eorum finem optimũ comparata, opus eſt illum hominem uti præſtantiſſimã orbis inferioris partem, finem ſe dignum & præſtantiſſimum cõſequi, & in hac & in futura uita: hic uirtutem qua nil melius, illic immortalitatem, qua nil maius dari poteſt. Verum penultimũ quidem finem partim quoſdam conſequi cernimus: ultimum uerò, quum corpore nondum conſequantur ſummum bonum homines, oportet animis immortalibus aſſequi. Igitur animorum naturã immortalem ponere & credere oportet. Alioqui nil finis gratia factum eſſet, niſi quod eſt præſtantiſſimum, etiam finem haberet. At obijciet aliquis impius, philoſophus Lucreticus: Virtus ipſa finis eſt, ſibiq; præmium adferens. Heus tu, heus tu, attende, mihi ſuppeditabis arma, quibus te confodiã. Virtus in actione conſiſtit. Admittes illud, aut ſaxum fies. Do. Actio uerò omnis motus quidam eſt. Omnis autẽ motus in quietem, ueluti in finem naturaliter tendit. Ergo quum uirtus nunquam quieſcat, non poteſt ipſa ſibi finis aut præmium eſſe. Vnde ſequitur (contra te & perditum Satanam, qui hoc inuexit, ut Deum poſtremum finem tolleret è mentibus hominum) neceſſariò actioni uirtutis æternum & ſummum deberi finem, bonũ ſcilicet, & quietem. Nam & ſumma ſummi finis cauſa fieri non negabis, aut hominem exues. Nil uerò uirtute prius. Igitur nec illius præmio eſt quicquam maius cogitandũ. Et ut nemo adhuc orbem omnium uirtutum per ſe in corpore geſſit ob rei magnitudinem, ita nec animo præmium illius compræhendere potuit ob excellentiam. Verum ab hoc loco non diſcedo, antequam tetri dæmonis artes, quibus in faſcinandis hominibus etiã opinione maximis utitur, aperiam. Prodent hæc effecta autorem. Quum perſpectum haberet illa intellectu præſtãtiſſima peſtis, à diuina prouidentia fuiſſe inditum ſingulorum hominum animis uirtutis ſtudium, amorem, admirationem, & ſe non poſſe huiuſcemodi ſeminarium à ſolo Creatoris extirpare animaduerteret, acceſſit aliunde, & per cuniculos in arcem irrepſit: fraudem probitatis perſona tectam, uenenatamq; placentam melle illitam obtulit: laudare uirtutẽ, in cœlum efferre, nil aliud crepare cœpit. Tantam uerò eſſe affirmauit, ut reuera bonum ſupremũ ſit credenda. Ita dum ſagittandi laudat peritiam, album tollit: interim non aduertente homine ob captatam beneuolentiam, inſinuationemq; nebulonis, quod aërem uerberans necproficit hilum. Fit enim, ut qui ſine albo toto uitę curſu nil unquam aliud quàm ſagittauerit, poſtremo uitæ die æquè atq; primo ſit imperitus eius artis, cuius uiſus eſt

1 *Ratio à fine.*

 profeſſor.

profeſſor. Ne uerò parum ponderis iſthæc ratio habere uideretur, homines ſingulari dicacitate armauit his telis, quæ eloquentiæ neruis, & uerborũ apparatu fucata laterent homines. Pyrrho Elienſis, Sextus Empiricus, Epicurus, Democritus, & eorum alumni (atq; ſi quas huiuſcemodi peſtes tulit Græcia, ut tulit quamplurimas:) ex multis, qui id ſenſere apud Latinos, auſi ſunt prodere ſcriptis, Plinius et Lucretius. Quibus ipſis ueluti dijs hodie non pauci ſubſcribunt aulici & noſtrę tempeſtatis ſcioli, nilq; prius in uotis habent, quàm ut multos in ſuã ſententiã pertrahant, & autoritate, & ratione, & iudicio totius orbis ſpreto. Inde factũ eſt, ut fortitudo animi aduerſus fortunæ caſus, & neceſſitates naturæ perferendas, & moderandas data, ſit in naturæ ruinam cõuerſa. Euertere urbes quamplurimas, hominũ necare myriadas, omnes laceſſere, cedere nemini, ultrò iniuriæ inferendæ argumenta conquirere, accerſere, amare, hæc ſunt ſuppoſitæ uirtutis facinora. Quum interim egregius iſte fortitudinis athleta, qui à nemine pati nouit, qui potius moriatur (ut ait) quàm ulli ſeruiat, domi alat, feratq; tot tyrannos, quot cupiditates. Surſum deorſum illum agit ſcortum, pecunia, cibus, potus, ueſtis, honos, & quæcunq; hominem contingere poſſunt, animo morboſo ſunt peſtes, tyranni, domini: nec interim homo miſerè lactatus ſentit, ſibi factum fucum. Ictus ideo non ſentit, quia ulceribus cõputruit: ſenſum amiſit fœda caro, nec quicq; aliud ſentit, quàm quia caro eſt, ſi tamẽ ſentit. O miſerè ineſcatum & deprauatum hominem, cui cognitio condemnatio eſt, niſi à Creatore recipiat ſenſum, motum, uitamq; omnino perditam. Amicitia in Deũ tendens fouebat, quotquot egenos opeq; deſtitutos cerneret. Amicitia mundi eſt, ſui, liberorum, ſuorum amore, in ſcelus ruere, furari, imponere, nil non moliri, ut undecunq; parentur opes: quia rem parare uirtus eſt, quia uirtus eſt ſibi præmium, quia Deum eſſe negat quiſquis ita comparat. Charitas Dei, fr atribus patris loco eſſe: noſtra autem cõſanguineis, amicis, nobis proſpicere, ius euertere. Pietas in Deũ, illũ ex animo colere, amare, uereri, timere: noſtra uerbis, ſignis, ſimulatione, fidem in Deũ mentiri, callido ſub pectore uulpem ferre, quia uirtus creditur ſibi præmium, negatur Deus. In ſumma, præclara illa uirtutis commendatio tam inſignis, ut rerum maxima credatur, fecit, ut ſcopo deſtitutus homo ad ſignum nunq; collimare poſſit: non quidem ſublato reuera ſigno, ſed ab oculis amoto, obiectis ante oculos præſtigijs, ne aſpicere poſſimus. Quæ peſtis certè à deprauato per cõmertiũ fœdi corporis animo non poteſt tota proficiſci: quoniam iudicio non ſeipſum condemnaret homo, ſi in totum malus eſſet, ſed maximam partẽ ſibi uendicet Satan neceſſe eſt. Virtus itaq; ſibijpſi præmium non eſt. Nam in tota rerũ natura nil eſſet infelicius, aut miſerius ipſo homine, ſi ſummus eius labor & opera longè difficillima illi pro præmio eſſet. Præſtaret ſanè quod ſummũ in orbe toto ſecundũ cœleſtia fecit Deus, illud omnino infimum et in ordine lapidũ poſuiſſe, quàm tali pręmio donaſſe, in quo ad extremũ uſq; ſpiritũ nil poſtea futurus torqueretur. At replicant: Præmiũ habet extra ſe uirtus. Nec enim ſimpliciter dicimus, ſibi eſſe præmium: laudem, honorem, famam, celebritatem habet. O digna præmia, rem omnia mundana ſuperantem, infima & uento leuiore (ſi in hominem feratur) compenſari. O præclara iudicia. O egregiam rerum æſtimationem. Relinquitur itaq;, ut uirtus illa, quæ in Dei uero cultu, in proximi ſumma charitate, in ſuijpſius ſumma innocentia æquitateq; conſiſtit, quum ſit actionũ omnium humanarum ſumma, etiam pręmio totius naturæ maximo ornari debeat. Quumq; ab animo, non à corpore (quod eò trahitur nolens) potiſſimum illa proficiſcatur, immortalem illũ eſſe oportet. Et quemadmodum in motu uirtutis excitando (ſi ad actionem opus

fuit

fuit corpore)anteceſſit corpus multis interuallis:ita opus eſt in pręmio recipien-
do,ut præcedat,quouſq; Creator illi corpus ad cõmune reddat præmiũ aut ſup-
plicium. Verum contra iſta replicabunt aulici (bonos non impeto) uolebam
dicere impij:Cur igitur Deus dedit tantam gloriæ ſitim, laudis & gloriæ auidi-
tatem,famæ comparandæ ſtudium? Paucis reſpondeo:Quoniam ſuaptè ſpon- *2 A cauſa*
te homo rerũ omnium ignarus & imperitus,anteq; res noſſet,nunq; ad illas ani- *uirtutis.*
maretur,niſi aculeis quibuſdam ueluti pungeretur,& excitaretur:animus tetro
corporis carcere detentus,nõ accederet ad res illas gerendas,quas ignorat. Pue-
ris dant cruſtula blandi Doctores, elemẽta uelint ut diſcere prima:Sic nos deus
illis præmiolis incitat, nõ ut perpetuò cruſtula illa ſint literarũ & doctrinarum
præmia,ſed ut illis excitati, uirtutẽ æquitatis amore,literas ipſarũ & pręceptoris
ſtudio,paterna iuſſa,ut platri placeamus, exequamur. Ne ulla eſſet nobis igno-
rationis cauſa, ullus ue prætextus ſocordiæ,nos præmiolis illis excitat à ſomno
Deus,nõ ut iam adulti præmij cupiditate,aut timore pœnæ, ſed ſummo in eum
amore iuſſa faciamus. Quæcunq; naturalia ſunt,conſtare durareq; opus eſt. At
quia Deus eſt æternus,immenſus,optimus, ideo illũ ſolũ decet laus,non homi-
nem fragilem mortalemq;. Nucibus ergo relictis,ad ſeria ueniendũ. Nõ ſemper
eſt in pueritia agendum. Quod pręmio inuitati ignoto munerario facere cœpi-
mus,id demũ ſedulo eſt curandũ,nõ ut præmij rationẽ habeamus, ſed ut mune-
rario & uictoriæ arbitro nos probare ſatagamus. Præmia illa, qualia ſunt fama,
honor,celebritas,inuitũ ſequuntur, captantem fugiunt. Nemo præmij cauſa in
arenã deſcendit, niſi uoces & ſuffragia iudicũ meruerit. nam alioqui poteſt plu
ra longè minori diſpendio conſequi. Nullus in agone cõtendens,nõ mallet ar-
bitrorũ ſuffragia,quàm quæuis præmia adipiſci. Poteſt fieri, ut qui præmio du-
citur,corruptelis nitatur. Qui omniũ & præcipuè munerarij iudicio eſt proba-
tus,ampliſſimã eſt cõſequutus uictoriã. Vltro accedent quæ neglecta cupimus,
ſi nos ſummo naturæ arbitro probare ſtuduerimus. Quod his argumentis co-
gnoſcimus. Nam quũ pater ueritatis inter mortales aperiẽdæ ſit tempus, ſi quid
leuiori iudicio probatũ eſt,undecunq; præmia captauerit uictor, ſenſim ſe pro-
det fucus, latens emerget ueritas. Id docet adulterijs ille nobilis pater deorum
Iuppiter,qui quũ diuinitatẽ prima facie emẽdicaſſet populariũ uocibus: tamen
temporis lapſus eum deum etiã apud ſuos cultores centũ uiginti adulteria ad-
miſiſſe eſt teſtatus:demũ parricida, fratricida, prædoq;, & omni infamiæ titulo
multo celeberrimus poſteritati uiſus eſt. Nõ attingo reliquos, quum idem ſit de
inferioribus iudicium, & illo patre digna poſteritas. Quis uerò non admiretur
noſtros, abiectos homines,omnibus malis exoſos,ueluti mundi reiectamenta,
qui potius mori,quàm uel tantillum laudis ſibi adſcribere maluiſſent? Ita in cœ
lum inuitis fauoribus conſcendiſſe uidentur,& æterna fama æternã animorum
beatorum felicitatẽ aperuiſſe, ut nunq; intermoritura laude floreant. Quid in
cauſa eſt? Honores ſpreti conculcatiq;, ut ſolidus & uerus honor,diuinus ſcili-
cet,appareret hominibus, beneficia in omnes, in nullum ne læſi quidem mala
conferre uoluerũt. Aſſiduis etiam poſt mortem teſtimonijs diuinitatis ſibi iun-
ctæ præbuerunt argumentũ. Nam ad ſepulchra & martyrũ memorias innume-
ra inauditaq; miraculorum genera facta ſunt. Inuitos gloria ſequitur, falſò quæ-
ſitam famam notat infamia. His probra, laudem felicitati coniunxerunt: illis
ſplendor in æternam & pœnam & infamiam degenerauit. Sed refutatis uanis
opinionibus,iam duobus ualidiſſimis argumentis ſatis eſt demonſtratum,ani-
mos neceſſariò eſſe immortales,ratione uidelicet finis,& ordinis totius, atq; ex
cauſa uirtutis. Ad alia itaq; tranſeundum eſt.

 3 Natura

A natura mentis humanæ.

3 Natura animi, intellectus, rationis, mentis ue humanæ (nam de uocibus nõ eſſe philoſopho ambigendum, modo res innoteſcant, conſtat) etiamſi aliunde eius immortalitas non probaretur, ab ipſa ſubſtantia ſe aperiret. Eſſe quandam uim in natura humana, qua cætera animantiũ genera deſtituãtur, ut neminem ſenſu rationis nitentem præter Pomponatium, & aſſeclas, dubitare arbitror: ita multis argumẽtis tum ab autoritate, tum à ratione petitis, ſuaderi poſſe certum eſt. Autoritates uerò principis philoſophorũ Ariſtotelis tum ob uerum aſſerendum, tum ad uanitatẽ hominis & impietatẽ refellendam, & indicandam, in primo loco ponam. Ita primò libro de Anima ſcriptũ eſt: Intellectus autẽ uidetur eſſe ſubſtantia quædam, & non corrumpi. Corrumperetur enim potiſſimũ ætatis ſenilis marcore. Reliquit colligendũ philoſophus, quũ uigeat maximè marceſcente corpore, diuerſæ ab eo naturæ eſſe oportet. Subiungit paulo pòſt: Intelligere quidem, & ſpeculari, hebetantur quandoq; quodam alio intra corpus corrupto, (ut in morbis, & ebrietate) ipſe uerò intellectus expers paſſionũ eſt. Colligere aũt, amare, et odio habere, nõ ſunt illius affectus, ſed eius ipſius quod illum habet, id eſt corporis animati, qua illũ habet. Ideo & hoc corpore ſeu compoſito corrupto, nec recordatur, nec amat. Nec enim illius iſta & huiuſmodi erãt, ſed totius cõpoſiti. Eſt uerò mens intellectus ue quiddã diuinius, & paſſionum expers: quare nec mouetur. In eo loco agit contra definitionem Platonis, qua animã definit ſeipſam mouere. Nã ſi moueretur, pateretur. Clarè patet, immortalem intellectũ, animam, mentem ue noſtrã eſſe diuerſæ à corporibus naturæ, atq; immortalem, ex ipſius ſententia. Quòd aũt non mouetur, ideo ab anima dante formam corpori differt. Nam moueri, per accidens cõtingit. In nobis ipſis porrò ſentimus, intellectũ ad agendum non moueri quũ quaſuis in inſtanti rerum notiones & rationes animo uoluimus. Non ſecus atq; lucis radij ſine motu locali in inſtanti agũt in omnem ſuæ potentiæ partem, ut oculus etiam in inſtanti imagines rerũ cõcipit. Quæ tria maximè ſubſunt, & tamen corpora nõ ſunt. Secundo uerò libro eiuſdem tractationis, idem Philoſophus poſt animantis naturæ partitionẽ, in nutritoriam, ſenſitiuã, intellectiuam, & motricem ſubiungit: De mente aũt & contemplatoria facultate nondum eſt manifeſtũ. Videtur enim eſſe aliud genus animæ, quod quidem ſolum ſeparatur, quemadmodũ æternũ à corruptibili. Ibi omnes interpretes conſentiunt, etiã Aben reis, quòd ſit ea natura animæ ſuperior, nobilior, & omnino immortalis. Et tamen bonus ille, ſi dijs placet, Pomponatius, ut peruerteret eam ſententiã, qua iugulabatur, dum legit interrogando, uult præuertere mentem autoris. O Italia, etiam ea hominum monſtra alis, qui non ſatis habent eſſe impij, niſi etiam uirus ſuũ omnibus cæteris propinent, & cum hac pernicie in aulas principum penetrent, ibiq; impunitatẽ ſcelerum polliceãtur, ubi operibus quotidie prædicatur. Paulopòſt in fine capitis quarti eiuſdem libri, ut Latini notant, ita ait: Vbicunq; eſt ratiocinatio, etiam inferiora omnia eſſe oportet, non ediuerſo. De intellectu autem ſeu mente contemplatoria eſt alia ratio. Ex quibus uerbis infert Aben reis, & cæteri interpretes, eſſe genus diuinius, & minimè obnoxiũ materiæ corruptioniq;. Plures ſunt aliæ autoritates apud Ariſtotelem. Verũ ſatis iſta ſunt. Plato, Cicero, & melioris hæreſeos homines, nil aliud ſuadere uoluerunt, quàm immortales eſſe animos. In hoc altercantur. Alij enim paſſionũ expertes omnino ponũt, ut uidetur uelle Ariſtoteles, & Aben reis. alij ad corpora, in quibus egere, habituros aptitudinẽ & recordationem rerum in illis geſtarum: quæ placita ſunt Platonis, & noſtra, eaq; ueriſſima. Alioqui enim multa abſurda ſequerentur: Animos partem eſſe Dei: Vnum omnium eſſe: Nec iuſtum nec iniuſtum eſſe:

eſſe: Nec in futuro pœnas, uel pręmia. Quę omnia cum ratione Creatoris, & bonitate pugnant. Eam naturam ſatis fuerit ab Ariſtotele petitam in impios contorſiſſe. Qualitas uerò eſt aliunde petenda. Nam ſibi nō ſatis perſpectam dixit, niſi quia eſt, & inferioribus diſſimilis.

4 Ratione uerò ſubſtantiæ ita poteſt agi: Quęcunq; ijſdem principijs participant, habentq; omnem materiam communem, ea etiam in compoſito cōuenire oportet. Verbi gratia: Omnia à quatuor elementis producta habent ſecundum genera ſua eſſe, uiuere, ſentireq; commune. Quæ primum, omnia primum, pariter q; ſecundum, & ita de tertio, & de quarto. In quibus enim conueniunt, ea ab ijſdem principijs orta certum eſt. At quum in homine ſit contemplandi, colligendi, reminiſcendiq; facultas, eam aliunde quàm ab elementis pendêre, certo certius haberi debet. Si enim in natura elementari, aut harmonica compoſitione corporis illa uis eſſet, equidem & in inferioribus pro gradus ratione, uel leui quodam indicio uideretur. Atqui nil tale eſt in inferioribus. Ergo intellectus non eſt à materia inferiori. Supereſt, ut à ſumma. Sed ſuprà lunam æterna omnia ergo & animus immortalis. Verum iſta iam collegeram contra Galenum. Ariſtoteles ne diuinitus ortos diceret animos, uidereturq; quotidie Deo exhibere creandi laborem, non in cœlum uſq; retulit, ſed ex quinto elemento, quam entelechiam uocant, in inferiora delabi tradidit. Quod ab eo obtinuiſſe ſatis eſt. Spiritualia enim ſubſtãtiasq; ſeparatas, niſi quatenus penè ſenſu corporis cognouit, ægrè admiſit. Certè ſuprema origine eſt habendus animus. Cumq; illa ſit à poſteriori parte æterna, & animos immortales eſſe oportet. *A ratione ſubſtantiæ.*

5 Aequitas uerò iuſtitiaq; ſumma, quum admittatur neceſſariò in Deo (nam niſi iuſtus, bonusq;, non eſſet Deus) etiam ſibi ſubiectum habere debet, in quo ea potentia utatur. Nam & illam habere, & exercere opus eſt. Fruſtra alioqui eſt, quod nunquam in actu eſt. Iuſtitia uerò dicitur erroris & peccati reſpectu. Si enim non peccaretur, nil iudicaretur. Peccant autem ea ſola, quæ arbitrio pollent. Nam quæ contra rationis aut ſenſus iudicium non agunt, non peccant. Dæmon ergo & homo peccatum committere ſoli poſſunt. Arbitrium enim tantum habent, Deus, dæmon, homo. Semel peccauit dæmon, ut damnaretur: quotidie uerò peccant homines. Ergo & puniri iuſtiſſimi operis eſt, præmioq; donari. At corporibus apud nos putrefactis nil pœnæ inferri poteſt. Supereſt, ut animus reſtet ſuperſtes, in quo exerceat ſuæ iuſtitiæ actionem Deus. Nam ſi non paterentur homines pœnam & præmium, proculdubio eſſet nepharius Deus, qui tantam impunitatem ſcelerum impijs, prædonibus, tyrannis, ſicarijs, & omni labe ſcelerum infectis daret, atq; in præſentis uitæ curſu tanta proſperitate eos foueret, ut tanto feliciores, quanto naturæ pernicioſiores eſſent. Quæ ſanè ratio (quod Deus ipſis uideatur aut nullus, aut negligere res humanas) multos laxis habenis in ſcelera protrudit. Sed oportet hoc loco concludere, aut mundum ſeipſum ſine autore feciſſe, aut animum eſſe immortalem. Atqui Deum eſſe mundi autorem patet. Ergo de impijs ſumit ſupplicium. Nam ſi animus mortalis eſt, Deus non eſt. Qui enim iniuſtum ponit, omnino tollit. Si punit, dicet philoſophaſter aliquis, ergo mouetur affectibus. Comparatione ita agam, ut etiam in homine poſſit fieri, ut ſumat pœnas, nec tamen moueatur. Fac patremfamiliâs præeſſe ingenti familiæ, legesq; ei ita dixiſſe: quiſquis ſe tali aut tali loco mouerit, niſi reſipuerit, pereat, nónne quotquot ſunt in cœtu illo præſente domino, poſſunt delinquere, & ſeipſos ruinæ & barathro immergere, etiam ſine ulla domini mutatione? Lege enim æterna ita poſitum eſt, nec iterato decreto eſt opus. *Ab æquitate & iuſtitia Dei.*

Quanto iſta ſunt ſummo bono faciliora? Quiſquis enim à legibus diuinis ſe eximit, potentiæ peruerſæ dęmonum ſe obſtringit. Sunt enim illi tortores eorum, quos blanditijs ſibi alliciunt. Illos quidem nec malos, nec in hoc creauerat primum, ne ulli fieret iniuria. Sciebat tamen futurum, ut non deeſſent illi ſannæ & nebulones: quorum opera luerent improbi hominum ſpiritus pœnas. Vt nunc inter homines, & ſi nulli fit iniuria, tamen nunquam deſunt, qui deprauati cæteris adferant perniciem, non procurante: nec incitante Deo, ſed permittente. quoniam poſuit hominem, ut ait Sapiens, in manu conſilij ſui. nec uim ullam noſtro arbitrio factam uult. Qui enim inuitus bonum facit, nec habitum agendi ex animo contrahit, perinde malus eſt ut nequam. Sumit ergo pœnas Deus ab improbis, nec tamen ideo affectibus mouetur. Sunt & animi, in quos iuſtitia exercetur, immortales. Nam alioqui Deus, qui actus purus eſt, ageret in potentia tantum ſecundum iuſtitiam: quod non eſt concedendum.

A ratione naturæ uniuerſi.

6 Ait Philoſophus, propter quod unumquodque eſt tale, illud magis tale, eſt ſubaudi. Mundus ſiue æternus ſiue temporarius ponatur, quum ſit cauſa hominis factus, Deus autor utriuſque ſapientiſſimus debet maximā durationem, imò æternitatem homini dare, propter quem mundus aut æternus aut maxima duratione eſt. Nam quum mundus, & quæ in eo ſunt, ſuam durationem habeant hominis cauſa, neceſſe eſt hominē maximè eſſe talem, id eſt maximè durabilem. Maxima autē durabilitas eſt æternitas. Opus eſt igitur & hominū animos eſſe æternos, & etiam olim recipere corpora, ut ſolidus homo in æternum durans æterna felicitate, in mundo æterno & defecato utatur. Quare animus eſt æternus, ne ſcilicet deterior eſſet finis his quæ ſunt ad finem, & ne minus eſſet tale cuius gratia omnia magis talia ſunt.

A ſapientia Dei.

7 Non diſſimili modo probatur hac ratione animorum æternitas. Sapiens enim ordinat bonum ad bonum, & optimum ad optimum. Bona omnia mundi ordinauit Deus ad bonum, id eſt in finem hominis: optimum uerò, id eſt hominem præſtantiſſimam mundi corruptibilis partem, ad optimum inſtituit, id eſt ad æternā felicitatem, qua nil melius cogitari poteſt. Quare ſequitur animos eſſe æternos, ut in æternum durando optimum finē conſequātur. Nam alioqui imprudentiæ maximæ Deus argueretur, qui quod eſt præſtantiſſimū, tam euanidum feciſſet, ut eſſet omniū animantiū deterrimū miſerrimūque, homo ſcilicet.

Ab omnipotentia, bonitate, & uoluntate Dei.

8 Omnipotens Dei bonitas uult quæ ſunt præſtātiſſima, eſſe maxima ſummi boni participatione. Vt enim bonum eſt, quo communius, eo diuinius: ita maximo bono præditus, nil prius habet, quàm maximè cōmunicare naturis capacibus ſuum bonum. Principes ideo & magnates diuiteſque laruas ſuas oſtentant non cōmunicando, ſed gloriam fumoſque ex admiratione ſtultorum captando. Deus autem mentibus humanis ſummi boni capacibus, nō laruas, ſed ſeipſum communicat potentiſſimè, & æternè. Quare poſt hanc uitam miſerijs refertam, animos ſibi æternos ſeruat ad præmia æterna, ſeu bona ſeu mala ſint. Cætera porrò homine inferiora, non uult eſſe ſummi boni illius capacia: quoniā finem habent in eo, quòd hominē ſuo uſu iuuant. In æternitate aūt, quum corporibus dominabitur animus, non erit eorum uſus neceſſarius ceſſante corruptione.

A peccati natura.

9 Diximus in ſuperioribus, quum de neceſſitate incarnationis diuinæ ageremus, eſſe tāto grauius peccatū, quāto maior cōtra quē peccatur, habetur. Quod ſatis patet. Vnde ut homo fine, ad quē creatus erat, & ſua ſponte perdiderat, potiretur, oportuit omnium infinitis peccatis & infinitę unius tantum peccati pœnæ ſatisfacere infinitum & mundo maiorem ſolutorem θεάνθρωπον. Quū uerò quotidie hæc miſera mortalitas peccata peccatis accumulet, infinitam quoque offenſam

ſenſam nullus niſi in morte Chriſti & fide miſericordiæ eius eluere poſſit, opus eſt,æternis impios ob leges diuinæ iuſtitiæ pœnis affici: ut ediuerſo eos,quorũ miſertus eſt Deus, quiq; bonis operibus illum promereri, & ſe illi probare ſtuduere,æternis gaudijs beari:ut beneficium in gratiam infiniti Dei factum iuſtiſſimam ſimul & à ſumma bonitate datam lætitiam conſequatur, quod nõ ſuperſtitibus animis hominum, qui per arbitrium bene & male agere potuere, fieri non poteſt. Itaq; ſequitur neceſſariò, tam ob Dei peccatiq; in eum cõmiſſi cauſam,quàm propter eius ſeueriſſimam iuſtitiam,ut animus ſit ad pœnas uel præmia immortalis. Iuſtè quidem puniuntur mali:bonis uerò infinita ſuccurrit bonitas. Quum uero iuſtitia & miſericordia eius ſint æternæ,eſt etiam æternus futurus animus,in quo puniendo aut beando in æternum agant.

10 Neminem puto tam amentem impium ue,ut poſſit æternum eſſe negare in Deo. Quęcunq; uerò ſunt perfectiſſima,quum ſint in Deo modo perfectiſſimo,ea etiam ſunt diuinitati coëterna. Quare non tantum perſonarum attributa prima,uidelicet potentia,ſapientia,amor,uoluntas aut charitas poſt defecatam materiam huius mundi ſunt in Deo futuræ,ſed miſericordia & ueritas. Habere uerò in ſe commiſerationem ſine ulla affectione imperfecta Deum, nec Plato, nec Ariſtoteles,nec eorum alumni negabunt. Quum ergo illæ duæ proprietates ſint æternæ,oportet inæternum à quo creata eſt materia, in quoddam ſubiectum agere. nam fruſtra eſſe non poſſunt. Quare non tantum à morte (ut antè docui) ob æquitatis diuinæ lancem opus eſt in aliquot tempus ſupereſſe hominum animos,ſed etiam inæternum durare:nec tantum illos, ſed & ſolidum hominem,in quo & miſericordia & ueritas ſeu iuſtitia agat. Igitur,&c. *A proprietatibus diuinitatis.*

11 Tota naturæ moles conſtat harmonica quadam & concordi perfectione, ut potiſſimũ in cap. de Trinitate dixi. Nam omnia conſtant materia,forma,& utriuſq; compoſito. Quod itaq; inuenitur habere extrema,etiam habere mediũ utroq; participans neceſſe eſt. Quare quum conſtet, eſſe ſubſtantias ſeparatas, ideo æternas (licet ſint creatæ) quòd non circunferant in ſe contrarium, & materiam iſtam fluxam & corruptibilem: neceſſe eſt dari aliquod medium,partim æternum natura,partim corruptibile. Hoc uerò eſt natura humana,animorum immortalitate cum dæmonibus cõueniens,corpore cum brutis. Pars igitur hominis pulcherrima,animus ſcilicet,eſt immortalis. *Ab uniuerſi perfectione.*

12 Mortalitas ſeu corruptio accidit motu,& ui cœli Creatoris agẽtis imperio. Corrumpit ergo tantum ea,in quæ agere poteſt. Ignobilius enim nõ agit in nobilius. Atqui cœlum, quum habeat tantum eſſe,uel (ſi uolunt) etiam uiuere unà:tamen longè differt ab animi nobilitate,qui eſt ſupra ſenſum et uitam. Vnde illius actionibus animus obnoxius eſſe nõ poteſt. Quare dictum eſt ab aſtronomis,Sapiens dominabitur aſtris. Quum igitur animus nec habeat in ſui compoſitione contrarium,nec à cœlo ſolui poſſit,ſit æternus oportet. Hæc ex D. Ieremia, & Thoma Aquinate. *A perfectione animi.*

13 Quæcunq; recipiuntur in aliquo, recipiuntur ſecundum modum eius in quo ſunt. ut ſunt formæ rerum in intellectu poſſibili omnino intelligibiles, ue luti eſt intellectus immaterialis. Quum itaq; ſint immateriales actu, ſint incorruptibiles oportet:quarè & intellectus. Verum quum ille intellectus poſſibilis ſit animæ noſtræ aliquid, neceſſe eſt ſaltem eatenus eam eſſe immortalem. Eſt enim animæ lumen intellectus agens. *A ratione actionis eius.*

14 Nil corrumpi poteſt ex eo,in quo perfectio eius cõſiſtit. Vt ignis perfectio eſt agere uehementer calore, aut luce. Vnde ſequitur caloris & lucis actione eum non poſſe corrũpi. Sic quũ ſit in hac uita animę perfectio,eius à corpore in contem- *A modo agendi.*

contemplationē abductio, (nam eo magis perficitur, quo magis immaterialia ſemotiſſima à corpore per ſcientias conſiderat) oportet dum à morte ſeparatur, ut ſit longè ad contemplandum & cognoſcendum expeditiſſima & immortalis. Nam illi in uita uidetur obſiſtere corporis contubernium.

A comparatione potentiæ.

15 Fatentur omnes effectu nobiliorem cauſam efficientē eſſe. Sed intellectus poſſibilis facit actu intelligibilia, quæ natura immaterialia & æterna ſunt. Quare ſequitur, quum ſit illis nobilior, eſſe immortalem. Quatenus enim ſunt intelligibilia, æterna ſunt: ſed multo maximè ipſe intellectus in quo ueluti in ſubiecto ſunt, debet eſſe immortalis.

A contemplatione materiæ animi.

16 Licet uelint aliqui, illisq; detur materia & forma conſtare ob intellectū & uoluntatē animum noſtrū: tamen non ideo non erit incorruptibilis. Corruptio enim nō eſt, ubi non inuenitur in cōpoſitione contrarium. Nam generationes & corruptiones ex contrarijs in contraria ſunt. Ideo cœlum natura nō corrumpitur, quod illi materia corruptioni obnoxia deſit. In animo uerò notiones rerum omnium ſine contrarietate cōcipiuntur, quū cognitione ſua eandem facit eorum diſciplinā. Quare ſequitur, ſuperſtites à morte animos ſemper uigere.

Ab animi cum inferioribus differētia.

17 Propria rei actio operatióue ſequitur propriam naturā. Animi porrò actio propria eſt intelligere, & uelle cum angelis & beatis ſubſtantijs omnino corporis expertibus cōmune: eoq; magis pro natura agit, quo eſt ſemotior à corpore. quare & diuinationes, & præſagia, prophetiæq;, aut inſomnijs aut ecſtaſi, aut motione mentis fiunt. Quum uerò intelligere æternæ ſit naturæ, animos maximè eſſe tales oportet, & eo magis pollere intelligendo, quo ſunt à corporeis ſeductiores. Vnde fit, ut nullus mortalium nō admiretur natura eum, illos ue, qui ſemotiſſimas ab uſu corporis uirtutes exercēt. Quoniam eſt uita eo perfectior, quo magis ſecundum intellectum, minus ſecundum corpus eſt. Conſtat itaq; liquidò æternā eſſe animorū naturā, quę nihil cum inferioribus iſtis habet cōmune, quęq; eo intēſius ſuis functionibus utitur, quo ab inferiorū materialiūq; natura per cognitionē magis abducitur. Hæc Thomę & Hieremię Siculo referas.

A ſummo deſiderio animi humani.

18 Iam ſuprà demonſtratū eſt, appetitu immortalitatis & diuturnitatis omnes homines naturaliter teneri. Quod fieri omnino non poſſet, niſi poſſet animus id conſequi, aut ſua induſtria, aut aliena, aut partim, quocunq; modo. Nam natura nullos ſolet in una ſpecie motus excitare, quin ſit etiam in ea poſitū, ut conſequutio ſequatur. Quum autem etiam difficillima quæq; ſubeat homo eius finis ueluti quietis & ſummi boni cauſa, manifeſtum eſt ad immortalitatē ſpectare. Alioqui ſequeretur, naturam aliquid facere fruſtra, quod admittendum non eſt. Nam ſi quis dicat, à fuco, & fumo, opinioneq; magnorū hominum hanc in quibuſdam naſci cupiditatem, infimos non teneri ea expectatione, contrarium planè facto periculo conſtabit. Plebeij enim homines nulla ferè uota non nuncupant, nullis religionibus non religantur, ut ueluti cum Deo ineant cognationem: quum tamen opinionibus minimis urgeantur. Differunt uerò maximè ab illis magnates: quoniam imaginibus, ſtrepitu, faſtu, pompa, raris facinoribus iam immortalitatem in hac uita arripere, & Deum è ſuo cœlo deijcere conātur. Vim inferunt meritò, qui ferè non conſequuntur, ut ſaltem uoluiſſe uideantur. Spe uerò & humilitate nituntur infimi. Verū eódem omnes tendunt, iſti: regia incedentes: faſtuoſi, per anfractus & loca cōfragoſa uiæ cōpendia quærunt. Eſt igitur animus immortalis, ut conſequatur beneficio Chriſti, quod natura appetere docuit. Verū iſta plus ſatis ſunt. Nam quicquid accedere poſſet, eſſet maiori oneri, quàm utilitati. A diuinæ igitur prouidentiæ iuſtitia, à natura animi, à finibus rerum, à uirtutis præmio, ab actionis natura, à motu naturali, à ratione uniuerſi,

uniuerſi, ab autoritate omnium præſtantiſſimorum philoſophorum, atq; alias ob rationes poſitas iam, eſt animus immortalis. Neceſſariò futurum omnium uniuerſale iudicium ideo nō duxi demonſtrandum, quoniam niſi ſit futurum, Deus non eſt, & ſi Deus eſt, futurum eſt. Quum enim ſit, iuſtus ſit oportet. Et ſi iuſtus, quum nil eum fugiat, omnes iudicabit.

DE RESVRRECTIONE. CAP. XXI.

DIuina bonitas non ſatis habuit eſſentiam ipſis rebus dediſſe, niſi & bene eſſe, & quo non poteſt ſecundum eam ſpeciem dari melius, contulerit. Hoc in tota natura homine inferiore licet uidere. Nam omnia animantia, quæ in uſum hominis ſunt comparata, quoniam in eo finem ſuum ſummamq; felicitatem conſequuntur, ideo cumulum ſuæ felicitatis hic habent. Quod eo uel maximè patet. Nullum enim indicium ex quocunq; animante unquam capere licuit, quod alio quàm pręſentis uitę deſiderio teneretur. Vnde ſequitur, quum uixerint illa, & utilitatem homini attulerint, eſſe finem, ſummumq; bonum per omnia conſequuta. Nam & natura dediſſet alioqui motum quendam, & appetitum rerum maiorum, ſi ulterius quicquam illis defuiſſet. Non fecit. Ergo ipſorum benè eſſe, uita & ſenſus eſt. Quòd ſi ab admiratione minimi omnium animantium ordiamur, quis non obſtupeſcat, & ſenſu potius priuetur, quàm illam uim, qua uiuunt, ita coactam, & ex materia ad formam adductam capiat? Quis non uideat prouidentiam in omnibus præſentem? Omnia ſui & poſteritatis curam habent. Fugienda ſibi & expetenda ad uitæ conſeruationem norunt. In ſumma, nullis moleſtijs premuntur. Nam ſenſu quidem triſtitiæ & uoluptatis affici conſtat: at ſe affici non cogitant, nec cognoſcunt. Patiuntur quidem omnia, & dolore æquali hominis affectibus: uerum ideo malum illis non eſt, quod non intelligant eſſe malum. Nam quamuis nociua fugiant, id ſponte, naturæq; ſuæ ductu faciunt, non cogitatione & intellectu. Alioqui enim ſeſe collegiſſent, & arma in homines eorum opera utentes & abutentes inſurrexiſſent. Itaq; iugulantur, necanturq; in medijs gregibus, nulla cognitione alieni ſuiúe mali. Nam nec præteritorum ſenſu afficiuntur, niſi quandiu recens eſt obiectum, aut eius actio. Memoriam enim habent, ut diximus, ſed non reminiſcentiam, nec futurorum ullo iudicio aguntur: niſi quum etiam inſtat obiectum. In quibus omnibus dignoſcendis uoluit Creator eſſe illa multò certiſſimo & acutiſſimo ſenſu, & longè perfectiore quàm in homine uideatur. Quanto enim incautiora futuri, aut magis obliuioſa præteriti uoluit ipſa conſtituere Deus, tanto ad præſentia ſagaciora fecit: ut præſentibus obiectis acutiſſimè mouerentur. Canis ideo, qui quum abeſt hoſtis, iam non cogitat ſe habere hoſtem (multos uerò hoſtes habeat oportet animal, omnia ferè uiuentia impetens) ſi ad ſtadium acceſſerit aduerſarius, ita odoratu pollet, ut ſtatim latratu prodat, ſibiq; uiribus aut fuga conſulat. Res itaq; ab obiectu perſpiciunt, non agnoſcunt, nec naturam perpendunt. Quum autem corporeas omnia calamitates patiantur, tamen ſe pati non iudicant. Itaq; proximè ad indolentiam Epicuri accedunt. Nec ſunt ideo ſuæ felicitatis & ſummi boni expertia. Sunt igitur in ſuo fine & ſcopo, quum uixerunt, quia homini ſi potuit uti, uixerunt. Nam ſi abutatur, nil illi uiuit, prodeſtúe, quum magis pereat, ut hydrops potu, plethoricus cibo, doctus oſtentator arrogantia, furioſus gladio, ipſis rebus nil in ſe uitij habentibus. Iam ſi quis ſpectet, quanta induſtria Creator illa texerit, & armârit contra hoſtes & pericula omnia, quis non admirando deficiat? Pelle duriſſima omnia, iſta pilis, illa ſetis, uelleribus, uillis ueſtiuit.

Squammæ piſcibus datæ, pennæ plumæq́ auibus. Teſtas cochleis, arboribus cortices nonnunquam quadruplices tribuit. Quum homini cæteris animantibus imperaturo, nil aliud quàm rerum omnium nuditatem; & ſummam imbecillitatem contulerit. Quis neget iſta optimum finem eſſe in hac uita conſecuta, quum uel una re ſint homine illis præfecto feliciora, quòd opinionibus non urgeantur, quibus certè (ſi nulla uita alia ſequeretur) fieret animantium omnium princeps omnium miſerrimum. Quo quid abſurdius cogitari poſſit, nõ uideo. Nam ſi illa facta ſunt finis cauſa, etiam homo cuius cauſa ea ſunt, finem conſequi debet. Quum habeant igitur optimum eſſe, dum uiuunt in rem hominis, certum relinquitur, etiam hominem ex Creatoris natura quoddam optimum eſſe, debere conſequi. Nam alioqui iniquiori eſſet conditione finis, quàm quæ ad finem, contra rationem, & rerum ordinem.

2 Homo porrò, ut uidimus, quo eſt melior in hac uita, eo infelicior eſt. Ergo non habet hîc ſummum bonum. Nam uidimus id conſequi illum ipſo animo: quæ pars hominis multò præclariſſima eſt. Quum autem bene eſſe rei non ſit ex parte tantum, ſed ex toto, neceſſe eſt corpus ipſum ſolidumq́ hominẽ, quòd nunq́ bene eſſe habuit, ſuſcitari, & animo iungi, immortalitateq́ donari. Ergo quandoq́ eſt futura reſurrectio. Ab æquitate diuina idem patet.

3 Quum enim ea conſiſtente ſit neceſſarium, animos eſſe immortales, ut prę mia arbitrij ſui bene uel male ſeruati recipiant: quum non ſoli bene uel ſecus fecerint, niſi acquieuerit corpus, opusq́ fuerit exequutum: ita etiam eſt omnino neceſſarium, adfutura aliquando corpora animis, & refici hominem, ut propria etiam corporis recipiat. Nec enim, ut iam dictum eſt, animus eſt homo, nec corpus eſt homo, ſed unà corpus animo iunctum, hominem componit. Opus ergo eſt, corpus humo excitari, & reſurrectionẽ ſolidi hominis quandoq́ fieri. Alioqui in Deo iniquitatem admittere oportet: quod uel cogitatu nephas eſt.

4 Ordinis etiam ratio idem ſuadet. Eſt enim ſapientiæ Dei proprium, ut ordinatiſſima faciat omnia. Forma uerò eſt ordinata ad materiam, ut materia ad formam. Porrò ſuprà iam oſtenſum eſt, hominem natum eſſe ad felicitatem longè maiorem, quàm concipere animus humanus poſſit. Præterea quũ æternam eſſe animorũ naturam pateat, ſequitur neceſſariò ordinis in uniuerſo ſeruandi gratia, ut denuò ad participandum communis operis precium forma ordinata ad materiam, et ediuerſo pro ſua aptitudine uniantur, utq́ illud idem corpus quod olim animo iunctum fuit, illi ipſi qui illud informauit, animo nexu uitali, præmia pro meritis ſentiat. Eſt uerò maximè fugienda impietas (nec enim eſt uocanda hæreſis) quorundam, qua affirmãt, olim nõ idem corpus quod nunc eſt, excitandum, ſed nouum, corruptioni & difformitati nõ obnoxium. Quo axiomate negatur Deus, dum illi ea iniquitas adſcribitur, ut præmiet, quod non laborauit: etſi tam impotẽs dicatur, ut nunc imperfectum corpus in reſurrectione perfici ab eo omnibus numeris nõ poſſit. Si enim præmia meritis tollis, deũ negas. Si das, non meritò, idem facis. Quum enim ſint actiones ſuppoſitorum, non partis tantum, præmia pertinent etiam ad totum, non ad partem, ad idem, non ad diuerſum. Supereſt igitur colligere ordinis diuinæq́ ſanctionis gratia, ut idem animus noſter denuò poſt dormitionẽ recreatus, & illud idem corpus quod nunc eſt, in ſummam perfectionem & plenitudinem ætatis Chriſti reductum, unà & coniunctim ad præmia bona uel mala denuò iungantur, & in æternum uiuant.

Eam opinionẽ concepit ex diſputationibus de glorificato corpore.

5 Optimum eſſe, eſt immortalitas: deterrimum, mortalitas. Deus immortalitatem homini conferre, ut ſummum bonum, aut nõ uult, aut non poteſt. (nam

ſuperius

ſuperius eſt demonſtratũ, hominem uirtute præditum præſtantiſſimo eſſe præmio dignum) Non poteſt non uelle perfectiſſima: aſt maioris imperfectionis eſt diſſolutio, quàm inſtauratio. Vnde uult omnia perfectiſſima. Quin poſſit autem, quemadmodũ & uult, nulli debet eſſe dubium. Nam non ſecus atq; partes ante compoſitum ſibi ſoli notas, in compoſitum induxerat: ita etiam diſſipatas aggregare poteſt. Quod ſi negemus in Deo, uidebitur multis artificibus impotentior, qui reſumptis compoſitionis partibus multa inſtaurant. In hoc differunt, quòd Deo non poſſunt elemẽta perire: artifici obeſt corruptio. Quũ itaq; uelit, poſſitq;, ſit etiam præſtantiſſimus, fore æternũ ſolidum hominem neceſſe eſt, corpusq; excitari, & uniri denuò animo. Ergo reſurrectio mortui hominis futura eſt. Verum eſt hîc duabus calumnijs impiorum occurrendum. Nam ſi Deus uult omnia præſtantiſſima & immortalia: ergo etiam (dicẽt) bos immortalis erit melior iſto mortali, ergo reſurget. Reſpõdeo: Vult quidẽ omnia Deus, quæ ad finem & Dei cauſa fiunt, nam eſt principium & finis. Quæcũq; itaq; faciunt ad finem, ea ſunt neceſſaria. Ceſſante uerò neceſſitate, res ceſſare oportet. In hac uita ob neceſſitates & uſus, hominis neceſſaria fuerũt animantia omnia: at quum homo ſuſcitatus nõ ſit futurus neceſſitati obnoxius, nil opus erit illi cæteris animantibus. Nam tunc nec bibet nec comedet homo, nec generabit. Omnis enim materiæ mutatio ceſſabit. Cũq; Deus & natura nil fruſtra faciãt, & non ſit tunc opus illis animantibus, in rerum natura non erunt. Homo uerò inferiorum imperator, Dei ob mundum creatũ laudandi, cognoſcendi, amandiq; ergò creatus, erit ſolum neceſſarius ex inferiori rerum ordine, abunde in cognitione Dei felix, abſq; ullo rerum corruptibiliũ uſu. Alia obiectio eſt: Impoſſibile eſt, ſi erit reſurrectio, omnes homines reſurgere. Nã innumeri facti ſunt cœna Thyeſtis, & conuiuia Tantali. Vbiuis terrarum fuere anthropophagi: ſunt etiam hodie in multis mundi partibus. Scythæ corporibus proprijs leſſum eorũ habentibus conuiuia dabant. Illi omnes qui deuorati ſunt, facti ſunt partes comedentium: ergo deerit iſtis, quod alij habuerunt. Nam ſi erunt integri deuorati, deuoratores erunt imperfecti, & ediuerſo. Hæ ſunt rationes aduerſariorum: quibus paucis reſpondeo. Ciborum quotidianorum natura nos docet, partem uſqueadeo tenuem nutritis corporibus iungi ex his quę intra ſumuntur, ut uix poſt multos menſes ulla acceſſio fieri uideatur. Nam quum maximam partem & magis corpulentam egeſtionibus & recrementis abijciamus, minima pars uidetur ea quæ ſupereſt in corpore: pro qua ſi iam corpus attigit ſummum incrementum, tantum propriæ ſubſtantię defluere certũ eſt, quanta ſit acceſſio: quod ipſum nec philoſophi nec medici negabunt. Nam naturam egere potu & cibo conſtat ob fluorem ſubſtantiæ, ut dicũt, proprio ſanè uocabulo. Etenim corpus noſtrum undiq; confluxile & perſpirabile, ut inquit Hippocrates, continua actione aliquid deperdit, quod cibo inſtaurari oportet. Itaq; non intrat corpus in aliud corpus, ſed aliquid tenuiſſimum & partibus familiare accedit, quantũ ſcilicet aliunde deperit, nec quicquam amplius. Corpora etiam ſunt per ſe integra ſine acceſſione cibi, & in multos dies ita durare poſſunt naturaliter, præcipuè aſſuetis. Videntur uerò multa exempla hominum, qui uita ſunt uſi in multos annos, ſine ullo uſu cibi, potuſq;, & reiectione recrementorum. Meminit Carolus Bouillus in epiſtolis cuiuſdam uiri, qui ad 12. annos integra ualetudine abſq; cibo & potu uixit. quum ſeptimam diem Ieiunij mortiferam homini ſcripſerit antiquitas. Erat paulo antè homo Schotus Romæ, & pòſt in Gallia, & Syria, qui

Hanc obiectionẽ pulchrè etiã ſoluit Methodius in Sermone de reſurrectione apud Epiphanium.

27.die parum cibi ſumebat, non tam religione,quàm conſuetudine.Multos ſo
la euchariſtiæ ſumptione octonis diebus uixiſſe,teſtantur ſancti patres. Sed ho
dierna impietas ea improbat.Taceo eum,qui uiſus eſt multos annos ἄσιτος ϗ ἀ-
πότος temporibus Nicolai 5.pont.max.quiq; à Poggio Florentino temporibus
ijſdē eſt ſcriptus.Puella iam bienniũ uita angelica uiuens,in finibus Heydelber
gę,nulli non innotuit fama.Ex quibus exemplis conſtat,parum admodum ac-
cedere cibi ipſi corpori,quinetiam ſine cibo uitam ducere poſſit:quod non fate
rentur medici,niſi fieri probatum haberent.Itaq; illa minima partium humidio
rum abſceſſio non poteſt toti abeſſe,quin potius aptius reddit.Nam corpori nil
patienti tanta humorum copia nō erit neceſſaria,quanta nunc. Nunc enim ob
pericula,natura theſaurizat:& uſqueadeò, ut non rarò putrefacto theſauro in-
flammentur in ea febres. Habitudo uerò corporis, quum ſit futura expers o-
mnino uitij,facilè erit etiã,quod exundet.Exemplum reſurrectionis Ieſus Chri
ſtus dux noſter fuit.Huius exemplo ſperamus futuram omnium ætatem & pro
portionem.Verum quum in illius arbitrio ſint illa ſita, de illis non audeo quic-
q̃uam dicere.Satis habeo,nihil obſtare reſurgentibus corporibus,quod à reſur-
recturis pariter ſint deuorata.Nam tantundem illis perijt,quantũ aliunde adue
nit.Et ſi paulo plus acceſſit,(ut in adoleſcentibus) id tam exile eſt, ut ſenſum fu
giat, & quo facilè ſine ulla imperfectione carere poſſit, qui reſurget.Vt paucis
igitur ad obiecta repetendo reſpondeam: Deus uult reſurrectionem hominis,
ut eius felicitatis,& diuinæ laudis gratia,neceſſariam:non item eorum,quę cau
ſa hominis facta ſunt,quoniam tunc eſſent ſuperflua.Poteſt etiam undiq; repe-
titis partibus ueluti creauit,ita & reformare.nec illi quicquam obfuerit.Ratio-
ne ergo,bene eſſe hominis,quod in hac uita non eſt conſequutus, diuinæ præ-
terea bonitatis & æquitatis argumento,& quòd nemini inuideat,quæ ſunt præ
ſtantiſſima,erit futura reſurrectio humanorum corporum.

6 Quæcunque corporis cauſa in hac uita expetuntur, ea ut ſtatim aduene
re,ſolent eſſe faſtidio,nauſeæ,ſatietati, obliuioni & neglectui. Solæ uirtutes ue
ra animi bona,quo plus habentur,magis appetuntur,minus ſatiant:ut omnino
ſint iſta contraria inuicem cōditione,quemadmodum & res, quarũ gratia ſunt
cōparatæ.Vnde ſequitur, apicem omnium uirtutum eſſe cœleſtem,& immor-
talem,& poſſe indipiſci.Nam alioqui nō ita ineſcaret miſerum animum Deus,
niſi æternum aliquid,& fluxis rebus maius,eſſet in fine conſequuturus.Habet
ergo animus uerũ in cœlo & cum Deo abſoluta uirtute ſcopum,(ſi illam ſecte-
tur:pœnam,ſi uitium) ubi nō poteſt ſolus præmia percipere.Nam totus homo
non eſt animus.Ergo erit reſurrectio corporis: quod animi motus eſt ſequutũ.
Integerq; homo præmium referet,non tantum pars.

7 Rebus omnibus differentibus ſunt fines differentes. Nec enim poſſunt
differentium rerum ijdem fines eſſe. Homo autem quum differat maximè à cæ
teris & rebus & animantibus,differentem ſcopum habere debet.Eius itaq; ſco-
pus nō poteſt eſſe uoluptas corporis,in qua comites habet beſtias. nec indolen-
tia: nam ſaxa eſſent eo feliciora. Vnde ſequitur, eſſe aliquid his rebus maius:
cuius non debet ſolummodo eſſe particeps animus,quoniam non ſolo eo con-
ſtat homo.Igitur ſuſcitari oportet corpora, ut ſolidus homo ſolidi immortalita-
tis gaudij particeps fiat.Omnia argumēta quæ in Cap. de neceſſitate Dei incor
porati, & de animorum immortalitate ſunt à diuinis deducta proprietatibus,
hunc poſſunt referri.Quęcunq; enim animorum immortalitatem probant,ea-
dem

dem & hominis naturam ſolidam æternã fore demonſtrant, felicitatemq́ æternam habiturã. Hoc igitur breui dignetur facere Deus, ut ab hac tyrãnide mundi & corruptione in incorruptibilem materiã mutari ualeamus. Nam ſumma huius mũdi felicitas, ſumma miſeria eſt. Demonſtratis locis, quibus animi æterni ſuis corporibus repetendis, & in felicitatem communem adſciſcendis uidentur obnoxij, ſupereſt cataſtrophen adducere, & imponere huic operi colophonem. Paucis itaq; de immutatione uniuerſi eſt diſceptandum.

DE IMMVTATIONE MATERIAE *neceſſariò futura.* CAP. XXII.

EVndem ordinẽ, & ab omni parte ſibi ſimilem, Deum in natura tota ſeruare uelle, id in rebus omnibus clariſſimè patet, & omnium philoſophorũ iudicio, authoritateq́ conſtat. In toto rerum uſu differt finis, & quod in finem tendit. Præterea finem eſſe longè præſtantiſſimum, & naturę & artis, nulli dubium eſſe poteſt. Niſi enim ita eſſet, ut meliora eſſent, quæ ſunt finis, quàm quæ ſunt ad finem, omnia fruſtra fierent, nec quicquam ageret ex ordine & deliberatione. Nam ſtultũ planè & mente omnino carens id eſſet, quod actionem fruſtra cõſumeret, & inde nil præter actionem & ſpontaneum laborem reportaret: aut ſiquid ultrà, deterius, uel planè par, & ſimile. Quæ omnia, ut abſurdiſſima ſunt, ita rerum ordini, & ſenſui, & authoritati refragantur. Actio ergo actionis perſimilis, aut motus cauſa eſſe non poteſt. Sequitur igitur, quod ſcriptum reliquit philoſophus, & ſenſus docet, omnem motum cauſa quietis fieri. Quum autem omnia hîc ſint quodam modo in motu, etiam aliquãdo adfuturam omnibus rebus quietem, certum & neceſſe eſt: quod concedere de elementis non dubitat Ariſt. immò affirmat. Stabit ergo aliquando motus in quiete, & pace æterna, ſine ullo motu. Nam pereuntibus, aut agere & pati ceſſantibus his fluxis rebus, motu cœleſti, qui harum rerum generationis, corruptionis, alterationisq́ cauſa ſit, non erit opus. Quum uero materia nunquam poſſit tota ex ſua natura exterminari, & ſit neceſſarium ad futuram aliquando quietem, immutari illam materiam neceſſe eſt. Quamdiu enim erit, qualis nũc eſt, obnoxia paſſionibus ſit neceſſe eſt. Si ſint defuturę actiones & motus, ut eſt neceſſariũ, etiam immunis corruptionis materia præſtantiſſimum eſſe cõſequetur, & fiet incorruptibili formæ perſimilis: quod ſancti uiri diuinitusq́ inſpirati homines oraculis affirmarunt. Quale uero ſit futurum optimum eſſe eius materiæ, quæ à conflagratione uniuerſa ſuperfuerit, non poſſumus cognoſcere, quoniã exemplum omnino deeſt. Conſiderantibus tamen gemmarũ diuerſa genera, & perfectiones, quomodóue naturaliter apud omnes homines ſint in precio, quãuis earũ lateat uirtus, poteſt in mentem uenire, ut ſit futura quædã affinitas mole elementaris cum ipſis: nõ quidem ut ſint in iſtarum modum, ſed (ueluti unus adamas eſt argumento) nulli potentiæ cedãt. Deerit enim tunc hircinus ſanguis, ſi materia fiat adamantina. Quis non admiretur pyropos? carbunculos? hyacinthos? balauſtia? granatula? Quem in mentis ſtuporem nõ uertat uiror ille pellucidus ſmaragdi? Quis capiat claritatem & ſoliditatem adamantis? Et tamen, quũ ea ſint ſumma apud nos, uidentur uix eſſe umbra & ſomnia futurorũ. Nam ut nil perfectius & magis incompræhenſibile ipſo Deo & cauſa prima dari poteſt, ita ſummo eius effectu & nixu nil eſt magis incompræhenſibile? Cuius tamen in natura iſta parua fruſtula & rudimenta uoluit reſpergere, non ut ornarent ſcorta principum, aut

cupiditates immortales in nobis excitarent: ſed ut in admirationem & contemplationem futurorum nos raperent: à quo ſcopo quàm ſimus alieni, quis non uidet? At quia nil perfectũ poteſt eſſe, niſi feces & ſcorię, recrementaq; omnia abſumantur: ideo ignis etiam rerũ abſolutiſſimarũ probator, operas creatori locabit, & defecabit omnia: quod ſenſim & arte & natura uidetur aggredi. Abſolutiſſimæ terræ quaſdã imagines aurũ bene ab igne excoctum repræſentat, aquæ adamas. Nec enim iſta duo ſimpliciter poſſunt ſolui ab igne, niſi admiſceas pharmaca. Vt ergo iſta fruſtula ad bene eſſe opera ignis purgãtis probantiſq; egent, ita & uniuerſum ad purgationẽ opus habet. Sunt itaq; tria tempora Creatoris reſpondentia potentiæ, & quodammodo noſtris iſtis ſub motu conſtitutis ſimilia. Nam apud nos præteritum, præſens, & futurũ eſt. Infinitum eſt præteritum reſpectu inſtantis, quoq; nunquã uti licet. Præſens in poteſtate eſſe uidetur: ſed reuera nil poſſumus in eo agere, quin præterierit. In futuro ſola felicitas eſt. Apud Deum fuit æternitas ſine materia. Præſens & inſtans reſpectu præteriti inſenſibile quiddã eſt, cum materia generationi & corruptioni obnoxia, quæ eſt mundi duratio. Futurum æternũ cum uera fruitione materiæ adductę ad perfectionẽ & corruptionis immunitatem erit: cuius exempli faciunt omnes noſtræ actiones fidem. Nam omnia effecta habent tempus præteritum in mente, præſens in opere, futurũ in fruitione: quæ ipſa quũ in nobis ſint, & præſtantiſſima, nos habere ab exemplo diuinitatis conſtat. Analogiam enim habet natura & ſecum & cum arte. Omnium aũt artium finis quies eſt: ergo etiam naturę creatæ. Deoq;, qui ſuo beneficio (quum eſſet per ſe feliciſſimus, cuiq; nulla materia aut creatio potuit adferre ullam perfectionem) hæc omnia inferiora hominis cauſa, hominem diuini honoris & cõtemplationis (in qua eſt ſumma felicitas) gratia cõdidit: ut ex hac corruptione & aſſiduo labore, ubi ueluti tormentis optimi probarentur, et excoquerentur, tandem in eam felicitatem traduceret, quę æterna Deoq; ſimilima eſt: ad quã nos ſua miſericordia conducere dignetur. His argumentis ex rationis penu depromptis tradere uiſum eſt ea placita, quæ ueritas ipſa Deus in Deo filio orbi aperuit, ſuaq; authoritate ſine adhibitis rationibus credi uoluit: ut impietati nunc in toto orbe terrarũ oborienti & regnanti occurri poſſit. Quod ut pateat, placita authoritate fulta demonſtrationibus ſubnecto.

RELIGIONIS CHRISTIANE PLACITA *eſſe præcedentibus demonſtrationibus conſimilia.* CAP. XXIII.

AVthoritate traditũ & creditum eſt, Deum ab æterno exiſtentem, trinum & unum eſſe. Potentiam enim, ſapientiam, & uoluntatem habere, quas perſonas attributáue perſonarum dicimus. Primum ab æterno generantem à ſe ſapientiam, patrem illum, hunc filium dicimus: uoluntatem uero à potentia et ſapientia procedentem, ſpiritum ſanctum nuncupamus. Ab eo, per eum, & in eo creatus eſt mundus, ſubſtantia corporea & corporis experte cõſtans: quæ uiſibilia & inuiſibilia dicimus. Per inuiſibilia intelligimus ſubſtantias ſeparatas, tam bonas et in bono confirmatas, quàm ſuapte ſponte deprauatas, perniciemq; hominibus adferentes. Credimus omnia uiſibilia hominis cauſa facta, hominem uerò cauſa Dei & ſui: ut glorificãdo Deum ſit immortalis. Curam uerò Deum agere rerum humanarũ etiam minimarum. Ipſum autẽ primũ hominem quum eſſet præſtantiſſima conditione, ſuo arbitrio naturã labefactauiſſe, & omnes ex

eo natos ruinæ & morti obnoxios, atq; ex traduce labem perditionis adferre in hãc uitam. Ad quam naturam reparandam opus fuit ſummo mediatore Dei & hominũ IESV CHRISTO: qui ante ſecula genitus, tandem quũ uiſum eſt diuinę bonitati, uoluit carni noſtræ iungi, atq; puriſſimã ex uirgine carnem ſumere. Ita ſapientia diuina ab æterno genita, noſtra carne ueſtita, uoluit omnia ſuppliciorum genera, & demũ mortem acerbam pro recõciliandis illis hominibus Deo perpeti, qui homines in illius mortis ſanguinẽ abluti, ſpeq; eius reſurrectionis ſublati, uitam æternam à ſe ſuapte natura perditã eius meritis ſe poſſe recipere credũt. Demũ ille poſt mortem & reſurrectionem repetens cœlum, reliquit myſteria, quibus in nomine eius initiarentur credentes, et ueluti quotidianis remedijs leuarentur. Tandẽ poſt huius uitæ curſum ſuperſtites animos immortales à Deo præmia uel pœnas recipere: quo ad iudicij tẽpore ſolidus homo ſuſcitatus, iudicatusq;, propria corporis recipiat, prout geſſit. Demũ igne totum orbem purgante fieri omnium cõflagrationem, ac deniq; immutationem, & præſtantiſſimũ eſſe totius futurũ, atq; æternitatem creaturę, ueluti & creatoris. Hæc ſunt præcipua rerũ capita: ſine quibus ulli homini adeſſe ſalutẽ, eſt impoſſibile.

DE ORBIS CONCORDIA
GVL. POSTELLI BARENTONII LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO IN SECVNDVM LIBRVM DE ORBIS *concordia, & adhortatio ad uerè pios homines, ut ſe ad congrediendum literis & rationibus cum fœda Muhamedicorum colluuie parent, principumq; occupationibus ſuccurrant.*

QVANTAM orbi terrarũ impotens regnandi ſtudium labem ad hanc diem attulerit, quantum ſocordia luxusq; multorum inter mortales diſpendium inuexerit, quanta lues ex inani cõtentione complurium ſua domi negligentiũ & euertentium, aliena uerò & parũ ſalutaria adpetentium indies oboriatur, neminem qui aliquo rerum uſu polleat, aut in hiſtoriarũ monimentis ſit uerſatus, ignorare iudico. Poſtquam enim compendij & libidinis potius quàm ſalutis popularium gratia, aut oboriuntur, aut diutius conſeruata augentur imperia, proculdubio, licet quadam ſpecie prima fronte occaſiones uideantur iuſtiſſimæ, contingit non infrequenter, nõ minus uictoribus quàm uictis bella attuliſſe ærumnarum, poſt ſeq; parem infelicitatis ſenſum utriſq; populis reliquiſſe. Verum ita diuina permittente prouidentia, ob hominũ improbitatem ſenio augeſcentem, à quo maluit alieno quàm ſuo arbitrio homo regi, hominemq; alium quàm rationem ducem ſequi, nunquã non eſt bellis attritus mundus. Hæc eſt neglecti officij pœna. Hæc æterni improbis & ab hac tantum larua rerum humanarũ pendentibus ſupplicij arra eſt: pijs uero, Dei, ad ſe ſuos per calamitates reuocantis, ſignum beneficij. Ideo Deus optimus maximus cõpenſare iacturam rerũ externarum, & detrimenti in bellis accepti, aut feſta quadam pace, aut legibus & meliori animorum cultu ferè ſemper ſolet. Noua enim imperia ſolent uiciſſitudine pacis recreari, obliuionemq; quarundam rerũ corruptarum inducere: pares uerò cęteris, aut etiam inferiores infimis, qui ſecundo rerum ſucceſſu antea elati in cæteros, tyrannidem exercebant, reddunt, nouaq;

principia & rerũ & opinionum inducunt:ut quãto inſalubrius bellum his quos opprimit ſe offert,tanto feliciorem ſuperſtitibus rerũ conditionem adferat. præterea cultus,mores, perſuaſiones, literæ,leges uictorũ ſolent uictis nonnunquã maiorem longè quàm ante uictoriam utilitatem relinquere. Sic factũ eſt,ut quãuis Romani & Græci, quorũ latiſſimè ſecundũ populos orientis patuere clarue req; imperia,toto ex orbe nobis olim cognito reportarint uictoriam,prędas egerint,non raro crudeliſſimè uictoria uſi ſint:tamen legum & morũ naturę magis affiniũ ubiuis ſeminaria & uſum in detrimenti accepti cõpenſationem reliquerint. Reliqua certè mutationum genera, ut quæ à Scythis & barbaris accidere, quicquid ornamenti & literis & moribus hæ duæ nationes contulerant, frequẽtius penè funditus extirparunt. Sunt itaq; Barbarorũ incurſiones naturæ infenſiſſimæ,& ueluti in eius perniciẽ omnino armatæ. Hoc tamẽ uel minus mali habent,quòd quanto præſentiorẽ corporibus humanis cladem adferunt,tanto minora animis adferũt nocumenta. In ſummo enim felicitatis gradu ponẽtes corporis bona,nec multas nec peruerſas leges adferũt,ſed potius cõpoſitis rebus & à bello reſpirantes,quũ qua ante uterentur felicitate & ocio ſub legibus ſuis populi uicti cõſyderant,eas leges amplectunt. Id docent Scytharũ et Gothorũ multæ tam in Aſiam quàm Europã incurſiones, Hunnorũ, Herulorũ, Alanorum, Saxonũ, Normannorũ, Vuandalorũ,Longobardorũ inſultus,& fixę ubiuis in Europa ſedes.leges enim illi omnes à uictis accepere,quũ propter utilitatẽ, quũ ob literarum & diſciplinarũ ignorationem. Imperia ergo cætera hoc habẽt,aut ut leges & cultũ loco prędæ uictoriæq; uictis adferant, aut ut labem corporibus tantum,non item animis fœdę cuiuſdam ſuperſtitionis cæcitatem ingerãt. Vna uerò Arabica colluuies tam fœdã & corporibus & animis inuexit cladẽ fermè in uniuerſo orbe,ut quicquid unquã peſtium expertus ante eſt,in felicitate id ponere debeat,ſi rerum iuſta cõparatione utatur. Pręterq; quòd enim id ſuadet impia perſuaſio,nil eſſe præſtantius, nullamq; ad felicitatẽ uiam cõpendioſiorem, quàm ſi nomine diſſentanei dogmatis quotquot ſunt mortales conficiat, qui in eius uerba iurauit,perpetuũ prædonum ſeminarium etiã inter ſuos nomine militum Dei alit,fouet,tutatur,et colit miſerè lactata gens, tenebriſq; pluſq; Cimerijs capta. Quũ itaq; Deus hominem,cuius cauſa cætera cõſtant,durationis cauſa creauerit, leges, imperia, & quotquot genera ſunt magiſtratuũ,eius unius in uita diutiſſimè conſeruandi rationẽ in primis habeãt, omnia & corporis & animi adminicula undiq; reipub.habenas moderantes eius ergò cõquirant, cumulent,ſeruent:una hęc perfidi tyranni lex authoribus Furijs,cõtra,Dei maieſtatẽ, naturæ humanę incolumitatem,animorũ & corporũ ſalutem,pacemq; publicã inſurgens & armata,tantã mortalibus cladem rebuſq; omnibus pręterquàm uoluptati & uitio perniciem attulit,ut reuera orbis uaſtitas nũcupari poſſit, & debeat:ut quæ nec ſuis pace, nec externis quiete frui unquã permittat. Viginti millia urbium olim Aegyptus habuit:nũc uix decẽ municipia, & ſex urbes. utranq; Aſiam pluſquàm dena millia urbiũ olim ornabãt,nunc ducentæ uix ſuperſunt. Vaſta omnia,dumiſq; & ſentibus ob Nomades religioni adſcriptos milites obſita. Quãtis ineptijs animos ſibi addictorum irretiuerit, toto huius libri tenore palàm fiet,potiſſimũ in Alcorani excuſſione:demum quũ aperuero,quàm craſſè de Deo,dæmonibus,de rebus naturalibus ſenſerit,ſanxeritq;,oſtendã paucis quantis calamitatibus ſint obnoxij,qui Muhamedico ſubſunt ubiuis terrarũ imperio. Quũ itaq; omnium decretis cõſtet,bella & rerum mutationes eſſe prouidentiæ permiſſione in animaduerſionem ſcelerũ introductas: opus certè eſt, ut

quæ

quæ ſunt acerbiſſimæ, etiam maximorũ ſcelerum uindicandorũ gratia cõparatę ſint. Nec moror quicquã, quòd multi dicant, eſſe rerum certas periodos, temeritati fortunæ & hominum improborum libidini iunctas, unde bella oboriri ſoleant. Si enim admittant, mundũ habere cauſam, & prouidentia regi (alioqui enim cum Fortunarijs non ago) negare nunquam poterunt, quum ſit illi creandorũ & cõſeruandorum ſingulariũ cura, quin longè maximã multitudinis, aut in urbe, aut in prouincia, aut in quouis regno cõſeruandæ habeat ſollicitudinẽ. Niſi enim frenaret æternis imperijs hanc molem, omnia cõtinuò bellis arderent. Vt igit̃ ad rem redeã, quo maiora ſunt delicta, eo maiores pœnas permittit Deus infligi, nõ tantũ illis qui delicta admiſere, ſed & eorũ poſteris, & cõmercio familiaribus: ut inflictis pœnis diſcant, aut non cõmittere ſimilia ſcelera, aut admiſſa expiare. Quibus ſceleribus olim maximè populi à lege Dei alieni irritauerint Deum, quũ nullo uitio lege diuina deſtituti nõ fœdiſſimè laborauerint, non facilè dixerim. Mutuas enim in cędes quotidie ruebant. Verũ fidem faciã dicti mei ex ſacris, pauca percurrendo. Pro deprauatis & nõ emendatis à patre Ophni & Phinha, cęſus totus populi Dei exercitus à Philiſtæis eſt. Quia tanto grauius crimen eſt, quãto maior qui peccat habetur. Dauidis peccati expiatio id inſinuat. Captiuitas Babylonica derelictũ iampridem Deũ etiã à ſacerdotibus & principibus, ut Baal adorarẽt, uindicauit. At quia nunquam ullũ immanius ſcelus admitti potuit, quàm Ieſu Chriſti Dei à ſuis occiſio: ita nec ulla unquã clades tam memorabilis facta eſt, quàm ſub Tito & Hadriano in terra Iudæa, in qua duabus expeditionibus ſexageſies centena hominũ milia ad unum cęſa ſunt. Reliquiæ uerò Iudaici populi ſunt ab eo tempore ex prędictione Chriſti ubiuis terrarũ in captiuitate. Plures innocentes quotidie per calumnias occidunt: at hominem Deum occidiſſe à ſuis ſacerdotibus, eiuſque legis conſeruationẽ prę ſe ferẽtibus, ſcelus eſt omni pœna immanius. Quid uerò ſanctius fideli & perfecto Chriſtiano, cui uirtute pietatis in nomine Ieſu tota natura paret? Certè nihil. Grauius ergo quouis mortaliũ peccat, qui ſub tam ſancta lege peccat. Seruus enim ſciens uoluntatem domini, & non faciens, uapulabit multis. Non reticuit antiquitas, obortas fuiſſe ſæuiſſimas perſecutiones in Chriſtianos, quòd iam multi initiati myſterijs ſacris parum ſanctè, alij uero etiã impiè ſe gerebãt ſub ſacroſancto innocentiæ titulo. Itaque ut ad rem ueniam, cõiectura ducor, ob immania ſcelera falſorũ Chriſtianorũ hãc peſtem legis Muhamedis fuiſſe in orbem terrarũ immiſſam, ut qui impiè lege ſanctiſſima abutebantur, Deum in peſte perpetuò ſæuiente ultorem ſentirẽt: & ne poſteritas luxu & gloria cõtentioneque amplius certaret, & peccaret, rerum temporaliũ adminiſtratio eſt huic tyrannidi oborienti permiſſa. Venit primũ in hoſtis poteſtatẽ nullo negocio Ieroſolyma, in qua prima ſanctę religionis patriarchę. Non multo poſt Alexandrina & Antiochena ademptę: quũ tamen antè ibidem ſupra trecentos annos pacificè Chriſtiani utriuſque magiſtratus poteſtatẽ habuiſſent. populares uerò ibidẽ iam ſexcentis antè annis nomina Chriſto dederãt: niſi certè quædã ſcelerũ immanitas & rerũ quę à pietate acceſſerãt abuſus, inque luxũ & ingluuiem intenta gens, olim Deo chariſſima, Dei fauorẽ ab orbe Chriſtiano abegiſſet, nõ potuiſſet fieri, ut rerũ omniũ nuda barbaries, multitudineque tantũ potens, uictoriã de illis populis reportaſſet, qui ſine armis erãt toto in orbe formidabiles. Contẽdebat luxu et inerti otio cũ perditiſſimis nomine indigniſſimus imperator Heraclius, quũ cœpit oboriri hęc in Arabia factio. Nõ ſatis habebat pontifex Romanus negligere orientalis religionis partes, primũ inter patriarchas in conſilijs locũ habere, niſi etiã ambitioſè nomen illud Papæ,

cuius odio tanta excitãtur incendia, adpeteret, ut qui ſummus & erat, & eſſe cu
piebat, ueluti per ἀντωνομασίαν ita uocaretur. Omnes uerò ante eum ſacerdotes
ita uocabantur: quod ex epiſtolis Hieronymi, Auguſtini, & cęterorũ Latinorũ
uidere licet, pariter ex uulgari ſacræ dignitatis in Græca eccleſia uocabulo. Pa-
pas enim ſacerdotes uocãt. Forſan cœlitus tam auguſtũ nomen aduenit, à Ioue
Papa, qui à Bithynijs puris & ſine ullo cultu manibus uetuſto erroris ritu coleba
tur. unde profluxerit nomen, nõ admodũ laboro. Conceſſit illo uti Phocas Bo-
nifacio quarto. Sed iuuat paulo latius cauſam huius morbi perſcrutari, ut ſaltem
poſtq́ tam altè totos Chriſtiani corporis artus medicorũ eius temporis incuria,
aut maleuolentia, ignorãtiaq́, eſt depaſtus, nobis ipſis proſpiciamus, atq́ ſecun-
dum prouerbiũ uel ſerò Phrygicè ſapiamus, periculoq́ iuuemur alieno. Vt ue-
rò tantę calamitatis initium clarius pateat, res imperij qua eſſen conditione, de
mum ſacri magiſtratus res perſequar. Fuit Gregorius pontifex & pietate inſi
gni, & eruditione: ut qui inter ſacros doctores quartũ locum ſcriptorũ gratia e-
tiamnũ habeat. Huius pontificatus incidit in tempora Mauritij imperatoris, qui
reluctantem Gregoriũ, & etiam ſecretò per literas ab ipſo tanti honoris & one
ris munus renuentem, in ſede pontificia iniquiſſimis temporũ conditionibus
cõfirmauit. Viſus forſan eſt Imperatori homo ille uitę ſolitariæ ſtudioſus, aptus,
& cui curas tantorũ negotiorũ & periculorũ ob bella Longobardorũ imminen
tium cõmitteret, et quem ridere & cõuicijs inſectari pro arbitrio poſſet. Cęteris
alioqui in rebus pietatem Chriſtianam ſatis fideliter tenuiſſe traditur. Duplici
itaq́ occaſione quũ diutius in imperio fuiſſet, hominũ Italorum à ſe animũ alie
nauit, quòd ſanctiſſimũ hominem conuicijs etiã publicè agitando ridendoq́ la
ceſſeret, quòd quam negligeret curam nõ ſegnius quouis milite & duce ſuſcipe
ret, & non paucas urbes in fide imperij nõ ſine uitæ diſcrimine retineret. His in
eum moti odijs milites, gregarium militem imperatorem creant. Oraculo moni
tus Mauritius noctu fugam captans, Chalcedone captus, in urbem Romam no
uam reductus, capite truncatur. Creditur hęc factio ſuſcitata ab Heracliano, ma
gnæ in ea urbe authoritatis uiro: ut amico militi nulla generis fiducia nitenti, id
daret imperij, quod poſtea ſublato Phoca filio Heraclio tradere poſſet. Ea enim
eſt ambitionis natura, ut ſub ſpecie pietatis ueluti per cuniculos in fraudes ruat,
obijciatq́ periculis & inuidiæ, quibus ſe bene uelle conſultum ſimulat. Sublatis
patricijs & aduerſę factionis uiris, ut in militari factione ſolet, imperiũ octo aut
circiter annis obtinet Phocas. Totus eo tempore Oriens in motu erat. Perſę nõ
tantum ab imperio defecere, ſed impetum in Romanã ditionem, inq́ fines uſq́
Aſiæ minoris irrũpunt, imminẽt Africæ & Aegypto. Cura rerũ bellicarũ præci
pua datur Heracliano, & Priſco genero. occurritur ab Africa & Aegypto, ſuſti
neturq́ hoſtilis impetus potius quàm retunditur: & interim factiones uarię à ſa
cro ordine Conſtantinopoli oriuntur. Contendit de primatu pontifex Romæ,
orientalis cũ occiduo, uultq́ dici οἰκουμενικός, id eſt totius habitabilis pontifex ſum
mus Ioannes Conſtantinopolitanus, refragatur † Gregorius Romanus: cuius
cum parte Italica fauorem demereri cupiens Phocas, locum primum noſtris de
dit, quũ tamen nõ tantopere ambiret Gregorius præferri occiduam eccleſiam,
quàm ne alter qui parum ſanctè in multis de dogmate Chriſtiano ſentiret, leges
omnibus daret. Sed iſta ſuo loco. Capta Hieroſolyma à Perſis, occaſionem na-
ctus Heraclianus, militem contra Phocam incitat, quòd eius ſegnitie periclita-
retur imperium, eum obſcuro loco natum & inertem. Itaq́ quas comparat co-
pias,

Videtur memoriæ lapſu. Non enim Gregorio Magno ceſſit titulus œconomici, quẽ con

piãs, ueluti hoſti occurſurus, re prius egregie ad proditionem inſtructa, præmittuntur partim in Greciam duces delecti, Priſcus gener, & Heraclius filius: ut capτato ad opportunitatẽ Phoca adueniente Heracliano cũ copijs ſtatim eum obtruncarent. Ita quibus artibus imperium parauerat, ijſdem amiſit. Heraclius itaq; imperator à milite iam largitionibus patris ſubornato ſalutatur. Principio imperij magna belli moles imminet. Non enim tum de augendo imperio erat agendũ, ſed de arcendo à penatibus hoſte cogitandũ. Illud bellum iam à Mauritij temporibus obortũ fuit, hodiernæq; calamitatis occaſio primaria eſt. Fractis aliquot bellis hoſtibus, in deſidiam & luxũ omnino ſoluitur Imperator, donec hoſtis qui in proximos fines Greciæ nõ irrueret, totam Aegyptum & Africam ſubiugaret, tantaq; potentia inſaniret, ut pacem quouis precio uenalem Heraclio negaret. Vrgebat ex hac parte hoſtis inſolentiſſimus, ex altera religionis noſtre probrũ, lignum in quo Chriſtus pependit, iam à decennio in manu hoſtium euerſa Hieroſolyma conſeruatũ. Multo uerò uehementiſſimè inſtare proceres, orare, obſecrare, precibus minas addere, ni faciat, & proceres & militem ſibi ducem quæſituros, qui in tanto rerũ diſcrime ſuccurrat. Coactus & excitatus non tam ratione officij & timoris, quàm ne ulla infamię nota perſtringeretur (ſolent enim magnates, quo ſunt uita cõtaminatiore, eo magis præferre uirtutem, infamiæq; notam fugere) rem aggreditur, bellumq; ſuſcipit cõparato maximo exercitu. Cuius motu præter expectationẽ territus Choſroes, miſſa inſolentia fugit, locumq; iuxta Azotum, in quo cõfligere decreuerat, relinquens, trepidus ſe ad ſua tranſmiſſo Euphrate recipit, ſegetes quà iter facit igne abſumens, ut aduerſario ſequendi facultatem adimeret. Non ſegniter inſtat Heraclius (ut rara & inſolita ardent) omnia euertit, populaturq;, Meſopotamiam inuadit, Salbarumq; ducem ad Saronem fluuium præſidia habentem deturbat, fugatq;. Illi ſucceſſit alter Says nomine, cum toto exercitus robore: cum quo anceps diurnumq; prę lium cõmittitur, donec ad ueſperũ inclinante ad Perſas uictoria Deus optimus max. ſuis opitulari uoluit. Tantus enim repente aëris fragor, tam horrendo ſtrepitu, tam atro nymbo grandine & pluuia Perſarũ ora diuerberante exortus eſt, ut attoniti Perſæ cęſi fermè ad internecionem fuerint. Reparatis à Choſroa uiribus, res nihilo felicius tentata eſt. Copias Arabũ quorundã iam nomine Muhamedis eam orbis partẽ infeſtantes, ad eam expeditionẽ Heraclius conduxerat. Quæ res mihi uidetur magnum feciſſe gradum ad ea quæ poſtea ſequuta ſunt. Victor Heraclius cum cruce uiuifica ſeptem & uiginti militaria ſigna hoſtium reportauit. Syrochius uerò filiorum Chroſrois maior natu, quòd prætermiſſus à patre eſſet, quum minorem natu Medarſem participem reliqui imperij feciſſet, inito cum Heraclio fœdere, & patrem & fratrem ſuſtulit, ut regno potiretur. Qui uix annum patri ſuperuiuens, rerum habenas Adheſero filio reliquit. Poſt quem Hormiſdas eſt ſuffectus. Cum quo cõgredientes Muhamedis exercitus, illi imperium cum uita abſtulere, & popularibus delyramenta perſuaſionis pœna mortis credenda obtruſere. Is fuit rerum Perſarum exitus. Heraclius ouans ſignum noſtræ redemptionis Ieroſolymam retulit. Zachariam pontificem, qui totis 14. annis comes exuli ligno fuerat, in ſede repoſuit, ſupplicationibusq; ex more habitis ab Aelia diſceſſit. Cæterum ueluti nullus in toto orbe illi ſupereſſet hoſtis; illic conſtituto Arabico militi (cuius opera egebat) ſalario, ſoluit longè à patria Romanũ exercitum, prædabundumq; & palabundum in Syria reliquit: ex quo non pauca colluuies, prædonum omnium principi Muhamedi

ſtantiſſime reſpuit, ut notam Antichriſti; ſed Bonifacio tertio. Ita ergo legi poſſet: Gre. Romanus. Tandem uero Ro. epiſcopi cum parte Italica, &c.

hamedi ſe (ut uero ſimile eſt) iunxit. Ipſe uero Imperator ſtatim ad inſtitutũ olim uitæ genus rediјt, uoluptatiꝗ priori hoc addidit: ut totus à magicis impoſturis penderet. Monothelitarũ uero hæreſim ſuadentibus Pyrrho & Cyro epiſcopis *Conſtantinopolitanis ſectaret, & foueret, quũ olim fuiſſet eam inſectatus. Præclarũ uerò dedit libidinis argumentũ, quòd ſororis filiam in uxoris loco habuit. Verum ut infelicitas infelicitatem trahit, profligata in luxũ pecunia publica, nõ potuit ex pacto externo militi ſatisfieri. qua de re irritatus Arabicus miles, & etiam à quæſtoribus conuicio exceptus, arma ſumpſit in imperium, & paucis annis uaſtando Syriam & Aegyptum, prȩclariſſimas Syriæ occiduæ urbes Damaſcum, Antiochiam & Aeliam Capitoliadẽ, quæ eſt Ieruſalem, cepit, populauit, falſamꝗ perſuaſionem timore mortis multis ſuaſit. Huiuſmodi fuere rerum peſtiferarum initia. Oraculo, quum diuinos conſuleret, admonitus Imperator fuerat, ut à gente circunciſa caueret: magnũ enim imperio malum ab ea impendere. Ille uerò de Iudæis, quos ſolos circunciſos putabat, oraculum interpretatus, eos omnes in toto imperio ui adegit ad baptiſmũ. Verum aliò res tendebat, ad Muhamedicos ſcilicet, circũciſionem obſeruantes. Ea occaſio, cum recepta cruce, fuit in cauſa, ut optimus putaretur, qui fuco orbi impoſuit. Egit uerò literis cum principibus uicinis, ut perinde Iudȩos ad fidem Ieſu Chriſti cogerent. Erat omnino illud ſeculum morbo plenum. Nulla enim regio in tota habitabili ſuo motu caruit. Italia à Gothis, Longobardis, & Arrianis ita agitabatur, ut nulla ferè urbs factioſis careret. Vbiuis ferè erãt duo epiſcopi: unus catholicus, alter Arrianus. Siſebutus Viſigothorum rex in Hiſpania omnia Romanis ademit prȩſidia. In Gallia (quod neſcio, ſi antè aut ab eo tempore contigit) Theodebertus à Clotario & Theodericho fratribus eſt ſublatus. Erãt illi homines, quod nomina indicãt, magis feritati Gothorum, quàm humanitati Gallorum, nulli nõ cognitæ, affines. Puto ſanè hoc infelicitatis initiũ ex fœda Imperatoris cũ hoſte Chriſti confœderatione profluxiſſe, inꝗ ipſum imperij caput confœderatum primò recidiſſe. Nec enim ullus unquam colluuiei Muhamedicæ fidem dedit, quin ſtatim luerit ab eadem gente pœnas. Faciat hiſtorię fidem in primis infauſtum Heraclij cõmercium. Prodeant ſecundo loco ipſi inter ſe comparati. Paulo pòſt occupatũ Perſidis imperium ſollicitati ſunt Turchæ, gens tunc ignobilis, ad ſtagnum Caſpium pertinens, à Muhamede Perſidis principe, cõtra Imraëlem Chalipham Babyloniæ: quò cũ ueniſſent, ſtatim deuicto hoſte, ſpoliatoꝗ ſua regni parte, qui eos accerſiuerãt, imperiũ occuparunt, et ad hãc fermè diem retinuere. Inita etiam amicitia cum adminiſtratoribus Aegyti, idem contigit: regnatumꝗ illic eſt quoad Chircaſſi, qui et Mamluchi, dominis præfuere, aliundè etiã ſtipendio cõducti. Rodericus rex Gothorũ in Hiſpania uim inferens uirgini, Iuliani Romanorum in Mauritanijs procuratoris filię, fecit ut dolore uictus pater innumerã colluuiem nephariæ gentis in amicitiam accerſeret, traijciendiꝗ in Hiſpanias ad ſcelus in filiã admiſſum uindicandum poteſtatem faceret. Quo factũ eſt, ut cõfecto rege, ante triennium Hiſpaniæ fermè omnino in poteſtatem eorũ uenerint: unde nunꝗ potuerunt deturbari ad Friderici uſꝗ tertij imperatoris tẽpora. Dedit uerò imprudentię pœnas perfidę nationi Iulianus, amiſſa cum prouincia uita. Nolo adferre, quanto diſpendio inuitati in Italiã ſint tempore factionis Frederici Barbaroſſæ, & Alexandri 3. Pontif. Nemo certè unꝗ niſi ſuo magno malo, uel auxiliũ uel fauorẽ eius nationis eſt expertus. Faciat fidem imperator Trapezuntius, à confœderato cõfectus. Teſtentur Sultani Aegyptij, à ſeruitijs frequen-

*Alter fuit Alexandrinus. igitur ſic poſſet legi, Epiſcopis Conſtãtinopol. et Alexand.

frequentiſſime cęſi. Dat nunc imperium Conſtantinopolitanum dementię pœnas, quòd maluerint Palæologi hoſtem Chriſtianitatis in auxilium contra proximos, parẽtes euocare, quàm æquo quodam iure cum illis ſine ſanguine componere. Fœdus cum ea gente ex rege Hungariæ Vuaiuodam fecit, id eſt prætorẽ, ex Myſię Valachia regulum. Si uellem huiuſmodi infelicia fœdera perſequi, me deficeret dies. Redeo ad inſtitutum, quæ ſcilicet in eccleſia Chriſti eſſet rerũ conditio, quũ inualuit pernicioſum Alcorani dogma. Contentionem obortam de primatu tempore Phocæ, uidimus inter Orientalem & Occidentalem eccleſiam, ſed longè diuerſa ratione. Contendebat enim iampridem Ioannes de authoritate, & nomine uindicando: cõtrà ſanctus Gregorius quum in ea ſede eſſet, quam totius eccleſiæ conſenſu primam eſſe cõſtabat, à nullo mortalium tam ambitioſum uocabulum debere agnoſci dicebat, in cuius rei ſignũ uocabulum humilitatis Seruus ſeruorum Dei, primus ſumpſit. Quum hæc pridem eſſet orta altercatio, & iam à tẽporibus Mauritij & Gregorij Phocas, ut dixi, ineundæ apud Bonifacium quartũ amicitiæ gratia fecit, ut πάνθεον, id eſt omnium deorũ templum Romæ falſæ religionis tempore conſtructum, M. Agrippæ opus, memoriæ uirginis matris & cæterorum diuorum dicaretur: præterea ut pontifex Papę uocabulo uteretur, primariaq́ eſſet ſuper omnes eccleſias authoritate, Romana. Quod quãuis omnium fidelium conſenſu ad eam diem habuerat, tamen quia de ea re nemo litẽ intenderat, nulla adhuc eam ob rem imperatoris potentia decretis ue uſa fuerat. Itaq; quod optimo ſtudio defenderę, ne ipſe aut alius occuparet, pontifex ſanctiſſimus † ſtuduerat, ſtatim à morte illius aliò tractũ eſt quàm uolebat. Inter illum enim & Bonifacium tantũ ſedes occupata biennio à duobus eſt. Horũ prior fuit Sabinianus, homo nequam, & in Gregorium iniquiſſimus, qui ſedit menſ. 17. alter Bonifacius iij. qui ſeptẽ. Fuit Sabinianus homo factioſus, qui cõflata ſancto pontifici infamia, ex ſumma inuidia probitatis eius, malis artibus populum captando adeptus erat pontificatum. Quũ itaq; in hominis ſanctiſſimi corpus odia exercere nõ poſſet, uolebat ſcelerato edicto opera eius abolere, coſtituereq́; ne quis illa domi haberet. Ea uerò una re agitabat eum apud populũ, quòd uarias ſtatuas antiquorũ & urbis ornamenta deieciſſet: quod erat falſiſſimũ, nam nil aliud quàm idola & ueteris ſuperſtitionis reliquias abſtulerat. Quum uerò in ſumma annonæ charitate à populo moneretur, ut eleemoſynis imitaretur ſanctum uirũ, calumnias calumnijs addebat, dicendo Gregorium totum eccleſiæ ærarium abſumpſiſſe, ne quicquam erogaret. Erat uerò in baſilica Lateranenſi maxima auri in pios uſus cõuertendi uis. Nam quum Seuerinus, 29. poſtea annis pontifex creatus à populo cleroq́; pro more eſſet, cõfirmanduſq́; ab exarcho Rauennato nomine Heraclij foret, Iſaacus exarchus ut ab imperatore rei numarię (ut ſolent uoluptuarij ſemper) egente gratiam iniret, ſibiq́; conſuleret, non aliter ſe approbaturum ſuffragia populi, quàm ſi ærarij Lateranenſis illi nomine imperatoris poteſtas fieret, dixit. Annuit coactus, & alioqui bonus, pontifex: ſacra pecunia partim imperatori mittitur, partim militi datur, partim Iſaaco cedit. Fugerat ſuperbum titulum ſanctus pontifex, arripuit alter. Collegerat ex pietate pecunias in pios uſus conuertendas: illis ſceleſtus ſucceſſor parcens in ſumma rerũ inopia, ut quandoq; illas deuoraret, eaſdem reliquit ſucceſſuro paulo mox, ut precium ſacri muneris forẽt. Factionibus tum totus Orientalis eccleſiæ ſtatus cœpit nutare. Patriarchæ nomen ſumpſit propria authoritate Conſtantinopolitanus pontifex, unde peſtis oborta.

Gregorius magnus.

oborta, fuere ſtatim quot capita, tot ſenſus. Erant enim multi Arriani, non pau
Neſtorij ci errore Neſtoris imbuti. Monothelitarum factio etiam imperij arcem occupa
uerat. Quod facit, ut libens ad ſententiam accedam eorum, qui uolunt à quo-
dam Sergio monacho adiutum Muhamedem, id eſt, quod nullos alios eſſe bo-
nos Chriſtianos in toto Alcorano ſuadere uoluit, quàm qui more Neſtoris in
Chriſto diuinitatem non agnoſcerent. Sunt itaq; etiam hodie multi in Orientis
partibus Chriſtiani, ſed fermè ſunt illi dogmati affines. Geberus quum in ſuo
Almageſto tradit faſtos celebrium populorum, Neſtorianorũ & Iacobitarum
qui utriq; Muhamedi fauebant, feſta deſcribit. Habent multa Romanæ eccle-
ſiæ incognita, aut inuſitata, ueluti feſtum baptiſmi Chriſti, apparitionis crucis
in cœlo, coronæ, ſpicarum, uuarum, & huiuſmodi. Hæc impiæ perſuaſioni fe-
cerunt uiam, dum aut ſtertimus luxui dediti, aut nobis ipſis malum in caput a-
liorum cauſa & odio accerſimus, malumusq; utriq; perire, quàm poſtpoſita am-
bitione ſecundũ præſcriptũ Pauli ſeruare in unione pacis uinculum. Dedimus
iam fermè 950 annis eius ſceleris pœnas. Vnde facilè adducor, ut credam, non
minus ſceleris à nobis, quàm ab illis admiſſi ab eo tempore diuinæ bonitatis cle
mentiam auertiſſe à proſperitate ſtatus Chriſtiani, ut ad uiuum ſcoria noſtra, ut
& in Orientali & Græca eccleſia excoquatur. Aurum enim noſtrum, ut aiebat
propheta, uerſum eſt in ſcoriam. Certe ſi res ipſas ad ſuorum principiorum nor
mam uolumus expendere, nulla hodie eſt conditio quamuis ſpecie ſanctiſſima
in ordine Chriſtianorum, in qua perfectiſſimus hac ætate ad eorum, qui parum
probi olim habebantur, perfectionem accedat. Fac eſſe quoſdam: numero cer-
tè tam exiguo erũt, ut uix quot Thebarum portæ, aut ditis hoſtia Nili, reperias.
Quid aliud fermè eſt hodie (ſi illos qui matura iam ætate acceſſerint ſuapte
ſponte, excipias) monaſticus ordo, quàm exhæredatorum refugium? Certè niſi
Deus reliquiſſet nobis ſemen, ueluti Sodoma eſſemus, et Gomorrę non diſſimi
les. Ex quatuor mendicantium ordinibus multi ſemper fuere ſingulari eruditio
ne uiri, quorumq; opera negligentia multorum curionum eſt compenſata. Vn
de ſanè apparet, quamuis illi homines ſunt, & ſuis laborent imperfectionibus,
rerum tenuitatem in monachiſmo eſſe præſtantiſſimam. Si enim uideas illos
qui Benedicto, Bernardo, & cæteris nomina arctioris profeſſionis cauſa dede-
re, ad nonaginta fermè diſtinctiones, proculdubio uix centeſimum quouis ſe-
culo reperias, qui præter οἰκονομίαν quicquam exercuerit homine dignum. Mo-
do enim communi uulgo uiuendi norma uixerint, id uero prẽſtantiſſimum pu
tant. At bone Deus, quantum differt ab ea priſci ſeculi conditione hoc uiuendi
genus? Nolo per ſingulos ordines diſcurrere. Vbiuis enim tam multa parum of
ficio digna ſe offerunt, ut ſilentio tegenda quàm agitanda melius iudicem. No-
bis ad hanc diem Deus opt. maximus indulſit, ſi forſan reſipiſcamus, luxumq;
iſtum pluſquã Sybariticum relinquamus. Iam ſecuris ad radicem poſita eſt. No
bis illud idem imminet, quod toti Orienti contigit. Agite ergo fratres chariſſi-
mi, quum principibus non liceat per illorum occupationes hanc terris auertere
peſtem, occurramus, opponamus nos ob Ieſu Chriſti nomen, in impiam natio-
nem rationum gladios acuamus prima quaq; occaſione perſtricturi. Nos non
pudet unicum in Europa dominationis angulum eſſe tantũ relictum Chriſto?
Quam deſidiæ noſtræ rationem ſumus Deo reddituri, quòd tantæ calamitati
nullus ſe opponat? Certè multi martyres miraculis poſt mortem clariſſimi, do-
cent gratiſſimam hanc eſſe cauſam Chriſto. Multi enim quotidie ſe opponen-
tes

tes peruerſo dogmati,poſt mortē ſanitates illis reddunt,qui nomine Chriſti eorum adeunt buſta.Putamus ne defuturum ſuis Chriſtum, qui fecit,ut Africanis epiſcopis abſciſſæ ab Arrianis linguæ ueritatis aſſertrices renaſcerentur? Vnde iſthæc fatua & futilis opinio inter multos ueluti ſanctiſſimum decretum habeatur,tempus martyrum præterijſſe? Quaſi uerò uſquā occaſio ſe Chriſto probandi uitę etiam diſcrimine deſit.Si deeſſent impij,& à cauſæ primæ cognitione alieni,non deſunt hæretici, impia principum facinora,ſceleſtorum tyrannorum nequitiæ.Si & impij & hæretici abſunt,nunquam ab orbe ſunt res abſuturæ, in quibus arguendis animus Deo fretus ſe exerceat,Deiq; teſtis fiat.Nolo adferre primorum exempla,quum innumeræ martyrum myriades loquantur. Increpatio Herodis Ioanni Baptiſtæ mortem attulit. Libera repræhenſio Valentis imperatoris Baſilio magno,ſi permiſiſſet prouidentia, attuliſſet cum morte exiliū. Quoties uitæ diſcrimine Eudoxiæ imperatrici Arriana hęreſi infectæ ſe oppoſuit Ioannes Chryſoſtomus? bis paſſus eſt propterea exilium.Thomas Cantuarienſis ob libertatis eccleſiæ conſeruationem capite cæſus, miraculis poſtea claruit. Hæc omnia oſtendunt, nulla in re nos magis debere probare Deo, quàm in uero ſuadendo, & aſſerendo. Non erat à morte Chriſti uberior ſeges Chriſtianis propoſita,quàm nunc. Quid enim differt,aut hominem ueritatem nunquam nouiſſe, aut illius fuiſſe oblitum? Totus orbis eſt in maioribus tenebris, quàm quum uenit Chriſtus in uineam operarios miſſuros. Certè ut nulla peſtis ſuperſtitioſa unquam uſquam gentium Muhametana immanior fuit, ita nil nomine Seruatoris fieri gratius poteſt, quàm totis uiribus illi obſiſtere. Angelus Siculus glorioſè Chriſtū Mauris prædicando,poſt diuturnos carceres uitam gladio finiuit.Quinq; martyres Frāciſcani,Berardus & ſocij,eam ob rem in Mauritania capite cæſi ſunt,miraculis ſtatim ab ipſa morte glorioſi.Antonius, qui à loco ſepulturæ Paduanus dicitur, fecerat huius rei periculum in iuuentute:ſed re infecta,ob linguę ignorationē redire eſt coactus. Lingua una Arabica opus eſt, præter facultatem congrediendi cum Chriſti hoſtibus,quæ aperit uiam ferè uniuerſum orbem peragraturo. Nulla enim unquam, quod literarū memoria extet,tantum orbis terræ occupauit.Mauritaniæ duæ,Numidia,Africa, Aegyptus,Aethiopia,Arabiæ,Syria,Aſia minor,Armeniæ, Meſopotamia,Aſſyria, Perſis,Parthia,Aria,Gedroſis,& maior Indię pars illā pernicioſi dogmatis gratia amplectitur. Iuſſerat Clemētina de magiſtris,primarias Academias illius debere habere doctores binos, ut ſingula ſecula haberent homines ad eam perſuaſionem ex hominum mentibus cōuellendam idoneos. Non eſt adhuc factum. Ieci nūc uobis,ut per meam tenuitatem licuit, fundamenta eius eruditionis excuſa grammatica. Ingens,ut in raritate, eſt mihi librorū huius linguæ ſupellex. Verū quod maximè uos paratos,& ab omni parte inſtructos reddere poteſt, refutatio inſani dogmatis eſt.Id uerò operis ſum aggreſſus,nō eorum qui ante me ex uerſione,aut(ut melius loquar) inuerſione latina Alcorani idem operis ſunt aggreſſi: ſed ex ipſis Arabicis exemplaribus. Agite igitur ô fratres chariſſimi, uos præcipuè qui mundi contemptum profitemini: adiuuate me, & opera & precibus. Sequimini quamuis non ſatis peritum ducem. Etiam ſumma ingenia à tyrocinio incœpere. Ab his principijs nos Chriſto probando,pergemus ad maiora. Ita fiet,ut ſtudium Principū in eam partem excitetur,& in hanc curam procumbat. Modica flamma non raro maxima incendia excitauit. Quid tantam uitæ charitatem habemus, quæ nobis etiam inuitis eſt relinquenda? Quan

to certius illam Chriſto cõmittendo agemus, apud quem periiſſe uixiſſe eſt? Vidimus quatuor aut quinq; expeditiones in Muhamedicos animoſe unius aut alterius hominis ſuaſu ſuſceptas, quæ certè ſi rationibus ad dogma euertendum aptis perinde ut armis fuiſſent inſtructæ, funditus interiiſſet Arabica lues. ſolent anteire in periculoſis arma. Præcedant literæ, arment pietas fidesq;. Alioqui, ſi pari deſidia utemur ei, quæ ad hanc diem durauit, proculdubio inuiti ſubibimus iugum fœdę ſeruitutis & animorum & corporum. Si nolis ſanus, ut inquit Horatius, cures hydropicus. Luget ſub ea peſte afflictus orbis: & quam rerum conditionem, dum libera eſſet, ſeruare, ut debebat, noluit, ea nunc inuita utitur. Græca eccleſia opibus ad luxum eſt abuſa: nunc illæ cedunt militi, & uires ad eam opprimendum faciunt. Ita inſtituit Deus; ut poſtquam diutius nos ad pœnitentiam expectauit, inuitos trahat: & quibus rebus in perniciem & luxum ſuperbiamq; utimur, illas aliò traducit, ut afflictionem quidem, non autem uoluptatem inde recipiamus. Immanis ille tyrannus Muhamedes, qui Conſtantinopolim cepit, quum opum aceruos, quibus patriarchatus diffluebat ornatu, pompaq;, & rationum libros cerneret, fertur dixiſſe: O impii homines, in caput ueſtrum hoc recidet. uos his opibus tam copioſis contra legis ueſtræ præſcriptum abutentes, ruinam uobis acceleraſtis. faciam ut poſteritas luat peccati ueſtri pœnas. Militi res Chriſtianas affligenti, hæc pecunia cedet. Nec mora fuit, quin conuehendas illas opes in unum ærarium iuberet, ex quo liceret tantum in belli aduerſus religionis Muhamedicæ hoſtes expeditionem, & in uſum pauperum, peregrinorum & tenuium hominum, qui in re literaria uerſantur accipere. In hanc partem, quotannis aureorum ſexaginta milia nomine eleemoſynæ expenduntur. Semel eſt à Sultano Selimo Sulimani regnantis patre exhauſtum illud ærarium, contra aui inſtitutum, quum ad bellum Perſicum, in Chalderandagis feſtinaret. Cumulauit itaque patriarcha poſteris æternam cladem. Nihilo uerò feliciores, inferiores eccleſiæ illius ordines fuere. Quicquid enim, ſeu decimis, ſeu alio prouentu eccleſiis debebatur, id totum militi ceſſit. Vt non ſit mirum, illos Principes æterno copioſoq; milite abundare. In demortui enim locum, non ſecus atque hic curiones, ſtatim ſufficitur alter. Niſi tempeſtiuè medeamur, tantundem nobis imminet. Relinqui quidem inter uictores ſolet cuilibet nationi liber ſuæ religionis, in ſumma tenuitate uſus: ſed imperatoris edictum quotidie iuuentutem ex toto imperio à parentibus Chriſtianis abducit, ut in militiam adſcribatur poſt aliquot annorum tyrocinium: atque demum, quod eſt omnium deterrimum, in uerba Alcorani abnegato Chriſto iuret. Et nos iſta non permouent? Quum uariarum religionum ordines ſunt inter nos oborti quodam feruore, primò ſumma in illis pietas uiguit, iramq; numinis ne deſæuiret in cæteros mortales, piis precibus auerterunt: paulatim uerò, refrigeſcente illa bona lite, ut uocat Heſiodus, ad priſtina mortalibusq; conſueta ſtudia rediere, differreq; cæteris, paulo ultra externum cultum cœpere. Ideò uaria ratione, pars una eccleſiæ, unicum tantum probauit ordinem, quod omnia cum tempore corrumpi cerneret: alia corruptis, alios melius ſubſtituit. Nam inter Græcos, & in toto ferè Oriente unicus Baſilitarum ordo reperitur. Auguſtini ſectatoribus ſucceſſere Benedictini. Eò uerò bonorum illorum uirorum ſtudium tendebat, ut Apoſtolicum illud uitæ genus, quod quum alibi multis in locis, tum potiſſimum in deſertis Aegypti & Syriæ, ad trecentos fermè annos innumerabilibus inſigni ſanctitate uiris inclarue

rat,

rat, quàm plurimi amplecterētur: nec infeliciter ſucceſſit. Clariſſima enim mundi lumina id inſtituti placuiſſe Chriſto, docuere. Ex grege Benedicti, Berno eſt obortus, qui Cluniacenſibus originē dedit, Bruno Cartuſianis, Ciſtercienſibus Ardingus, Præmonſtratenſibus Norbertus, Stephanus Grandimontenſibus, Valli umbroſæ Galbertus, Bernardus Clareuallenſibus, Camaldulenſibus Romualdus, &c. omnes uerò non aliam ob rem, à priſco uiuendi ritu & conſortio differre uoluere, niſi quia parum ſanctè inſtituta inter copioſas opes ſeruari cernerent. Ideo ad uiam arctā contendentes, deprauata fugiebant cōſortia. Verum quia medijs in opibus, uix poteſt ſeruari integritas, ad poſtremum oborti ſunt quatuor ordines, opibus & priuatis & communibus deſtituti, quibus præter primos Apoſtolis proximos nulli meliores fuere. Licet enim homines ſint, ueluti & cæteri, non habuere tamen ſuas ab opibus peſtes, ut illi. authores, Elias & Auguſtinus abſentes, & iam pridem uita præſenti functi, Franciſcus & Dominicus præſentes inſtituere. Sed quorſum hæc? Vt pateat, quū ſit tanta meſſis in toto terrarū orbe, & tam pauci operarij, multos eſſe qui operas hilari animo patri ad uineam colendam ſunt polliciti: uinea tamen non tantum ab illis non colitur, ſed ita negligitur, ut ne uinea quidam appellanda ſit. Iam incipit ſerpere Chriſti euangelium in orbe nouo. Scribit Petrus Martyr, illic iam multa cœnobia ad catechiſmum eſſe introducta à Franciſcanis, & Dominicanis. Quandiu magna erat literarum ignoratio, nulli fermè curiones ſacrarū literarum periti, librorū multa penuria erat, magis neceſſaria fuit opera ueſtra Fratres. Nūc uerò quū uobis inertia, & nimia multitudo alieno impendio uictitantium probro detur, & iam à pueris obijciatur, eluite illam notam, priſcorum patrum animos cōcipite, audete aliquot. Nunquam ſunt defuturi ſectatores. Quanto ſunt immaniores Muhametani, in eos qui uel mutire contra impoſturam Alcorani audent, tanto præſentiorem ſuis Chriſtum adfuturum, eſt ſperandum. Fiet tandem unum ouile, & unus paſtor. Si uerò amplius cunctabimur, periculum eſt, ne iſte paruulus orbis angulus, in quo imperium Ieſu adhuc floret, etiam noſtra ſocordia illi pereat. Non eſt more hæreticorum, & impiorum, differendum. Aiunt enim illi, non eſſe obſiſtendum Muhamedicis, iniquitates noſtras uindicaturis, in que hoc à Deo miſſis. Hi uerò, ſuum Chriſto imperium eſſe relinquendum, ut illud ipſe tutetur. Nil ſine humano arbitrio, quum ab eo poteſt fieri, ſolet facere Deus. Eos opus eſt, qui ſunt ſui, ſi uelint eius frui felicitate, etiam toto & corporis & animi nixu conari, ut eius doctrina quàm latiſſimè pateat. Si ſemel peruerſi dogmatis placita uno in loco conuelli cœperint, nullo negotio tota moles illa concidet. Modo ſentiant principes retineri poſſe imperia ſub Chriſti doctrina, facile cedent, uictoriamq́ʒ, qua nulla unquam fuit futurá ue eſt memorabilior, reportabimus. Quod faxit Deus. Quum enim tam latè pateat eius perſuaſionis linguæq́ʒ uſus, ut à columnis Herculis per Africam in centeſimum octogeſimumq́ʒ gradum ſecundum tropicum extendatur: ſi ſemel qui illa utuntur, ſuntq́ʒ magna quadam authoritate apud ſuos, rationibus à nobis uinci poterint, accingentur operi, unaq́ʒ nobiſcum Chriſti doctrinam alijs tradere ſatagent. Non eſt ut uulgo creditur, tam arduum cum illis congredi. Rationes enim noſtras ſuſtinere nunquam poterunt. Ideo ſtatim ad ſupplicia recurrunt, ſi quis uel unum uerbum dicat contra Alcoranum, aut eius placita. In patientia poſſidebunt animas ſuas, qui ſe obijcient. Miraculis uincentur. Aderit Chriſtus, ſi ſemel fide armati congredi ſuſce-

ſui cœperint. una Ieſu Chriſti mors, & diuinitas eſt illis ſuadenda. Cætera enim de ipſo perſuaſa habent, iudicemq́ uiuorum & mortuorũ, eum poſtquam obierit expectant. Verum eius laudes tam ex Alcorano, quàm cęteris eorum authoribus, in fine libri huius, cum Compendio tertij capitis primi, & epitome ſecundi ideo addam, ut à diſſimulata beneuolentia illos ualeamus noſtra inculcando adoriri, ſenſimq́ irrepere. Ea uero iam ſunt Arabice à me uerſa, ſed ideo non edam, quòd deſit adhuc nobis lexicon Arabicolatinum. Quod quum in noſtra peregrinatione aut uertere, aut recuperare potero, ſtatim ad uos adferam, uobiſq́ eadem Deo iuuante Arabicè excudam, quæ & Latinè, ut ab ignoratione linguæ non ſimus amplius imparati. Vnum id uobis in principio eſt conandum, ut egregiè obſiſtere poſſitis etiam Latinè nefarijs eius pſeudoprophetæ opinionibus, uel eam ob rem, quòd nunc excuſo Latinè exemplo Alcorani, & per manus Chriſtianorum uolante, non ſunt defuturi, quibus ea præſcripta arrideant, impij præcipue Lucretiani, Epicuræi, & naturales: quos omnes peruerſa Euangelij interpretatio nobis genuit. Quid enim non placeat, quum arbitrarium uxorum numerum, & earum repudium, ancillarum & puellorum legitimum uſum, uenerem brutalem, & ſimilia in eo perditi legent homines? Quum illis præſtantiſſima ueluti morbo omnino uictis, ſint periculoſa, morboſa, & uenenata, quid futurum à peſtiferis putamus? Verum de his ſatis. Animos ergo in eam perniciem concipientes, ruinamq́ eius apud uos meditantes, à pſeudoprophetæ uita exordium ducite.

Euangeliũ audiẽtes et legẽtes, Alcoranũ recto animo iuuãdi rem Chriſtianã editũ adeò nõ ſollicitabit ad defectionem à Chriſto, ut etiam infirmos in fide Catholica magis cõfirmet: quos nec fœtidiſſima Ro. ſynagogæ ſentina, nec portæ inferorum permouent.

MVHAMEDICAE PERSVASIONIS EXPOſitio & refutatio. Vita Muhamedis legiſlatoris Arabum. CAP. I.

QVoniam multa uariaq́ ſe offerunt, ut quibus artibus euectus ſit Muhamedes ad rerum faſtigium, ubi aperiatur, ſtatui, quo facilius poſſint comprehendi, & memoria ſeruari, argumentis quibuſdam & locis, eius uitam more Suetonij in Cæſaribus deſcribere. Ita enim fiet, & quæ ad res eaſdem pertinent, ut colligi facilius poſſint, & collecta id lectori relinquant ut ſine ullo tædio, res alioqui parum lectu auditu'ue gratas, explicare ualeat. Quo genere itaque ſit natus, quibus artibus educatus, qua fuerit indole, quo animo, quibus fautoribus in ſacris ſuadendis, quibus in comparanda potentia ſit uſus, quibus cum affinitatem contraxerit, quot uxores duxerit: demum quibus expeditionibus comparauerit eam, quam Coraiſinis poſteris potentiam reliquit: quo demum fato ſit functus, & ubi ſepultus, primo loco tradam. Demum eadem arte Alcoranum excutiam, in que locos communes reducam, quæ tractata uoluit, quid ex ueteri Teſtamento, quid ex nouo ſumpſerit, quæ errata in illis ſint admiſſa, quæ'ue ſunt illi propria. Poſtremò, quibus authoribus ſecundum Alcoranum utantur, qui in illius uerba iurarunt. De rerum ſucceſſione poſtremo loco dicam. Sed nunc rem aggredior.

QVIBVS PARENTIBVS ORTVS SIT Muhamedes. CAP. II.

QVamuis ad rem parum faciat, quibus maioribus oriare, dummodo optimis ſis ſimilis; tamen genus & maiores hominum ideo perquirimus, ut

quibus

quibus adminiculis potuerit ille qui deſcribitur, uti ſeu ad uirtutis, ſeu ad uitij uiam, cognoſcamus: & ita quid maioribus debeat, quid propria induſtria ſit cōſequutus, diſpiciamus. Maiores habuiſſe Mechæ ciuitatis Arabiæ ciues Muhamedes traditur, ignobili familia. Choreiſſos uocabāt, mercimonijs à Perſide Syria & Aegypto in Arabiam conuehendis deditos. Patre natus eſt Hebdalla mutalibo, homine (ut uolūt) diuite & opulento: matre Imina: ethnicis, ciuibus Mechæ, ut quidam ſcriptum reliquerunt. ut alij, in Ietriba natus eſt, quam alij Ieſrabam uocant. Communior eorum ſententia, eſt ortum eſſe Mecha. Oriundus uerò ſcribitur ab illis, quorū opera uſi ſunt poſteri Chaliphę in perſuaſione tradenda. Nam Ieſrab ideo Medina alnabi, id eſt ciuitas prophetæ dicitur, quòd illic natus ſit & ſepultus. Alij uerò ob habitationem & ſepulturam tantum ita uocatam affirmant. Hæc originis eius obſcuritas inde uenit, quòd ſeptem uiros habuit in ſumma familiaritate totius fabulæ decennio conſcios, quibus alij ob inuidiam ſe oppoſuerunt, & Chronica quædam uitæ illius omnino ab illorum ſententia diuerſa ſcripſere. Septem primi hi ſunt: Aſſerus filius Ameri, & alter eodem nomine filius Chetiri, Homarus, Humeranus, Eleanſarus, Aeonus, & Napheas. Iſtorum eſt cōmunior & prima ſententia. Nam etiam participes legis Alcorani dicuntur, & à propheta in conſortium adſciti: de qua tamen lege interrogati ſępius, ſe nihil ſcire affirmarūt. Illis ſe oppoſuere recentiores, et ab inſequentibus Chaliphis inſtructi, Abozeidus, Ibnabdallaus, Muhamedes Ezræ filius, Alphalus Iagphari filius, Abohumarus filius Zeidi, & innumeri alij, ut maiorem authoritatem darent minori urbi, in qua ſepultus eſt. Nec uerò ſatis habuere à primis deſciuiſſe: etiam excogitarunt duas genealogias confictis nominibus: unam ab Adamo per Iſmaëlem, cum quadā luce à uiris in fœminas tranſeunte, uſq; ad patrem eius: aliam ediuerſo à Muhamede in Adamum. & ne parum uiderentur mendacij dixiſſe, unius ancillæ Halimæ teſtimonio uſi (illa pupillum educauerat) matrē ſine dolore peperiſſe, & quamplurima talibus authoribus digna excogitarunt. Vbi ubi ſit natus, cōſtat omnium calculo fuiſſe poſthumum. matrem uerò biennio, aut ut alij uolunt, quadriennio poſt eius natiuitatem obijſſe traditum eſt. In tutelam uerò aui Abdemutalibi receptus, curaq; Halimæ miſellæ fœminæ ex prouincia Venizat ortæ, educatus eſt tenuiter ſatis, ut ex multis uidere licet. Nam & ipſe de ſe fatetur in Alcorano dicens, Pauper eras, & es ditatus, pupillus eras, & es collectus. Pręterea curam domeſticam camelorum habuit in domo cuiuſdam affinium, quoad more maiorū iam grandæuus camelos onerarios, (quibus quicquid eſt mercium, uehi in illis regionibus ſolet) ultro citroq; ex Arabia in regiones uicinas agere cœpit. Quæ omnia nec nobilis, nec potentis familiæ argumenta eſſe poſſunt, ſi res apud nos æſtimari ſolitas ſpectemus. Hæc ideo dico, ut perpenſa diligentius hominis origine, uideamus, unde primum fecerit potentiæ gradum. Poteſt tamen fieri, ut paternæ opes tam anguſtæ eſſent, ut illi & fratribus, quorum duodecimus erat, uix ſatiſfacerent. Si ad rem faceret, eorum nomina ederem. Sed de illis nil aliud ſcire iuuat, quàm quòd hoſtes illi ob impoſturam infenſiſſimos fuiſſe conſtat: duobus exceptis, qui à cultu idolorum ad ſtultas eius nugas tranſiuere, Porrò reliquos occidit. Tanta erat in homine uel generis charitas. Sed de illis mox.

DE MECHAE HABITATORIBVS, ET *quas occaſiones factionis habuerit Muhamedes.* CAP. III.

ET ſi iſta non uidentur argumento conuenire, ut quum de hominis uita dicendum eſt, de loco dicatur: tamen quia & loci & temporis ratio plurimũ ad res ipſas dignoſcendas confert, ideo antequam ulterius progredior, de cõditione hominum, qui tunc Mechæ habitabant, quum natus eſt Muhamedes, dicendum cenſeo. Mecha emporium eſt in Arabiæ felicis occidua parte ſitum, ad centena milia paſſuum diſtans à littoribus Arabici ſinus, quem nos rubrum uocare in ſacris ſolemus. Eò quidquid eſt aromatum in regione Sabæa, ob frequens omnium nationum cõmercium conferri ſolet. Gens corruptis moribus admodũ, & quæ præter uoluptates corporis nil in bonis ponat. Vſuuenit ſimilibus locis, ob aſſiduam uarij cultoris & indies mutari ſoliti frequentiã, uaria etiã ſacrorũ genera haberi, ut unaquæq; gens etiam quos deos ubiuis terrarum patrios habet, in magno & frequenti emporio reperiat. Præcipua pars hominum illic agentium, quum rebus nouis ſtuderet Muhamedes, idolis ſeruiebant, quæ Ellet & Aluza dicebantur (uolunt quidam fuiſſe Palladem & Venerem) Iudæi Moſaica templa colebant. Quibuſdã Chriſtianis Iacobitis & Neſtorianis erant ſua ſacra. Sed longè maxima pars ethnicorum erat in quoddam templum media in urbe ſitum ſacrorum gratia conuenire ſolita. Qui res Muhamedis ſcripſere, ut authoritatem religionis ad altiſſima principia referrent, uolunt hoc templum, ubi turris dicta Alquibla eſt, iam à temporibus Iſmaëlis conditum fuiſſe, ſacrumq; ritum ab Abrahamo Iſmaële & † Cahidaro eius filio inſtitutũ. Cuius rei fidem facere uolentes, addunt Cahidarũ ne idolum ignoraretur, qua in parte turris erat, illic lapidem marmoreum è regione poſuiſſe, ut qui ingredi templum per occupationes non poſſet, ſaltem uiſo ſigno adoraret. Interim illi boni hiſtoriographi nõ aduertunt, quòd dum antiquitatem prophetici generis quærunt, illius generis primores idololatriæ authores conſtituunt, quum alibi mendaces parum memores, in Hazear dicant ex iuſtiſſima & religioſiſſima gente natum. Et ipſe de ſe fatetur, fuiſſe in errore manifeſto, & idola illa coluiſſe, ſaxumq; adoraſſe in Suna ſcribitur: ita ſibi conſentit mendacium. Ne autem patrius ritus omnino aboleretur, etiam hodie ſaxum illud colunt in patrũ memoriam. Aiunt uerò in ea urbe, aut circà, ſacrificare uoluiſſe Abraham filium ſuũ: & ideo multas admodum in peregrinationibus, quæ quatuor menſibus fiunt, ceremonias obſeruant, ueluti ab Abrahamo ibidem inſtitutas: inter quas nulla frequentior eſt occiſione ouium multarum, in eius agni memoriam, quem Abraham loco filij ſacrificauerat. Verum de his ſuo loco. Nunc ad educationem eſt ueniendum.

† Is eſt Cedar filius Iſmaëlis, quẽ aliqui Caidrũ uocant.

DE ADOLESCENTIA MVHAMEDIS. CAP. IIII.

EGregij illi hiſtorici, de quibus mentionem fecimus, ex fide Halimæ nutricis huius prophetæ recitãt quædam digna authoribus. Natum enim cum circumciſum dicunt, ne non ſat cito mentiri inciperent: quo nato, angelos poſuiſſe principem dæmonum in mare, unde uix poſt quadraginta dies exijt: & ſexcentas tam abſurdas ridiculasq; & aniles fabulas, ut legere pudeat. Sed ex his diſcant cæteras, quibus talia placent. Vbi natus eſt, conuenit omne auium

genus,

genus, nubes, uenti, & angeli. Volebant ex fructibus aues eum nutrire, quia facile poſſunt multos colligere. Contendebant uenti, ſe id melius longe poſſe facere ex odoribus undiq; collectis. Nubes utriſq; cõtradicebant, ſe poſſe omniũ aquarum dulcedine alere affirmantes. Itaq; nulla cura ſuperfuit angelis. Altercantes uerò cõpeſcuit Deus dicens, debere ali cura hominum. Hæc & innumera multa narrauit Halima: quæ tamen nondũ eò uenerat. Nam natus eſt ſecundum iſtos in Ieſrab: unde mater fame coacta eſt petere Mecham, cauſa famis & inopiæ totam regionem diuexantis. Ita tota fides Alcorani, aut ſaltem libri Haſſear, qui eſt pari authoritate, à relatione Halimæ pendet. Sed ô cordati lectores, æquo animo audite hoc miraculum, & ab uno diſcite omnia. Quum quadam die natus, circiter quinquennium adijſſet paſtorum caulas, ab angelo ſe correptum retulit (natus iam annos quadraginta id excogitauit, teſtemq; adhibuit Halimam) ſeorſimq; ab alijs ductum nouacula exenteratũ, ab eodem angelo: qui corde à corpore extracto, ipſum fidit medium, & ex eo quandam particulam nigram abſcidit, ac ſtatim repoſuit, & ſanũ reddidit. Dixitq; prophetæ, eam particulam eſſe illi ablatam, qua diabolus tentat homines. Habetis, uidetis, iudicate de ipſo. Nil amplius traditum reperio uſq; ad 15. ætatis annum: quo datus eſt ad camelorum curam. Interea uerò fortunæ tenuitatem, aut totius gentis ruditatem arguit, quòd nec literas nec nare nouerat. Crediderim uerò facile, aſſiduo colloquio puerorum uario cultu formatorum quaſdam nænias de ſingulis religionibus audiuiſſe: atq; demum, quum adoleuiſſet, ea in memoriam reuocaſſe, artiq; ſuę applicuiſſe. Frequentes enim Iudæi captare poterant puerum, ut tunc maxime unum proſelytum facerent duplo ſe peiorem. De eius animo, & forma corporis, quum nil ſit traditum, nil poſſum niſi ab effectibus iudicare. Nam nil ſcriptum reperio, niſi ab illis Chaliphorũ chronographis, qui illum angelis pulchriorem faciunt. Fuiſſe corpore ualido, arguit eius ſalacitas, qui una hora duodecim fœminas inibat: & ipſe in lumbis ſe 40. uirorum fortitudinem habere dicebat. Animo certè fuit uindictæ cupidiſſimo. Verũ nil de eo ad 25. uſq; annum compertum habeo, quid ue geſſerit.

QVO PRINCIPIO AD FORTVNAM SPLENdidiorem tranſierit. CAP. V.

DAtus, ut dictum eſt, anno ætatis decimoquinto ad camelorum curam in familia cuiuſdam parentum, ultro citroq; peragrauit mercimonij cauſa; uariosq; ritus hominum obſeruauit ex loci opportunitate. Locus enim ille æquali ſpacio à Babylone Aſſyria & Aegyptia atq; à præclariſſima totius orientis (quandiu res ſecundæ fuere) urbe Hieroſolyma aberat. πολυτροπία illa imbutus, uerſutiaq; iam cœpit meditari magnitudinem. Illi hoc felicitatis acceſſit, ut ob corporis uires Hadeiaga diues & præpotens mulier, quæ illius parenti, cuius res agebat, nupſerat, eius amore caperetur, conſuetudineq; furtiua uteretur eo, quoties liceret. Quo factum eſt, ut miſero marito non ſine ueneni ſuſpicione ſublato, heram ſeruus uxorem duxerit, amplasq; facultates ſit conſequutus. Tantum poteſt fœminea libido. Non multo poſt quàm cœpit agere familiarius Hadeiaga cum marito nouo Muhamede, ſenſit hominem uehementer morbo comitiali corripi. Quod antè & ille cautè diſſimulauerat, & ipſa ignorauerat. Cœpit tum Hadiſam facti pœnitentia: nec tamen repudio iuſtiſſima occaſione erat locus, antequam iſte furcifer edita lege quauis occa-

ſione illi faceret uiam. Tanto ſanctiór erat lex ethnicorum, quàm Muhameta-na. Cœpit tunc conqueri uehementer de ſua ſorte, hominem perfidiæ accuſare, qui illi ita impoſuiſſet, nec unquam ex anteacta familiaritate aperuiſſet, fortunę tenuitatē obijcere, mancipij & ſeruitutis nomen probro uertere, improbitatem damnare, ſe miſeram inclamare, fortunam accuſare. Ille nouū eſſe, antè non ex-pertum quicquam ſimile, nil diſſimulare, futurum minimè diuturnum, quod ſemel aut iterum contigiſſet. Interim magno animi dolore motus, cœpit apud ſe meditari quánam ratione uxoris mentem lenire, morboq; prætextum adfer-re ualeret. Quū itaq; eſſet uinoſus, perinde atq; mulieroſus (nam uinum & Ve-nus mutuò ſe concomitantur) ebrietatem prętexere cœpit, uini uapores uiolen-tius illi occupare cerebrum, inde hos affectus accidere, & quotidie neceſſariò id accidere, non ſecus atq; bibere affatim erat coactus ob uitæ conditionem & cō-ſuetudinem. Cœpit minimè ſuſpicax mulier in eam ſententiam adduci, homi-nemq; rogare uehementer, & per amorem obteſtari, ut paulò modeſtius uino uteretur, ut ſenſim etiam morbus profligaretur: alioqui poſſe fieri, ut altius agat radices. Obtemperat uerſipellis nebulo, à uinoq; abſtinet, ſenſimq; ſibi ſubducit eam uoluptatis partem, ne opum facultatem, qua ueluti dominus, cœperat iam eſſe multum gratioſus, perderet. Sciebat enim tam magnis opibus nunquam ſi-bi fore licitum pro arbitrio uti, niſi per uxorem id permiſſum eſſet. Interim mul-ti labuntur anni, dum credula mulier adfuturum morbo finem expectat. Ita ab-ſtemius factus Muhamedes in gratiam uxoris redijt, & fortunarū fit compos, aliud (nam ſciebat ſe nil proficere) morbi excuſandi commentum multò excel-lentius excogitat, & cui uix poſſet obſiſti. Sibi reuelatum eſſe ab angelo Gabrie-le, ita illam paſſionem diuexauiſſe, quòd non attenderet prophetiæ muneri, ad quod à Deo eſſet conſtitutus. Itaq; cœpit ordiri mirabilem quandam fabulam, toto die, non raro nocte ſecedere ab hominum conſortio, ſpecum non longè ab urbe indies ad multas horas ſubire, illic ieiunijs ut aiebat exerceri, colloquia pa-ti diuina, ecſtaſes crebras ſentire: donec non tantū in ſanctitatis opinionem fœ-minam, ſed & multos potentes uiros in ſententiā traxit, ut erāt rerum omnium & maximè diuinarum imperiti, & ferè omnes ſuphehę, ut uocat, id eſt ſtolidi & rudes. Mulier quidem quamuis ferè in ſententiam traheretur, tamen quòd intus & in cute hominem noſſet, aliquid fraudis nō ſubeſſe in hac prophetia, uix ſibi perſuadebat. Nam crebrò id obijciebat, angelum non uideri bonum, qui homi-nem ad ſpaſmum & apoplexiam uſq;, adq; oris ſpumas & ſudores totius corpo-ris torqueret, poſſe ſuadere diuina minori diſpendio. Præterea, ſi ipſe eſſet pro-pheta & amicus Dei & angelorum, poſſe impetrare ab illis, ut non adeſſent ita intempeſtiua hora: ut aliquādo à ſomno, à menſa, modò à cibo, in ipſo coitu, & ſimilibus occupationibus corripere deſineret. Aſt ubi ad amentiam uſq; proce-dere rem uideret, dicebat eſſe diaboli operas, & non Dei. quod illum malè ha-buit. Nugis tamen, & reſponſis ueluti à Deo in ſpaſmo datis, mulieris obiectio-nes, ut poterat, eludebat quàm ſoluebat potius. Audiuerat credo, aut fortaſſe (ut in multis locis ſupererāt fatidicæ uates) uiderat furore correptas reſponſa dare. hoc eſſe uetuſtum impoſturæ genus nouerat: multos illis ſtrophis ludi ſciebat. pręterea congreſſum cum dijs Lycurgi, Solonis, Zamolxidis, Numę forſan au-diuerat: quorum exemplo tamdiu ſpecum ſubire uoluit, tandem futurum ſpe-rans, ut ſuaderet. In eo uerò parum prudenter ſe geſſiſſe uidetur, quòd technas illas quibuſdam conſcijs eius conatus aperuit, unde poſtea aperiente ſeſe & pro-

dente

te, dolo obijci ſolebàt etiã ab imperitioribus, hoc genus impoſturæ eſſe figmentum antiquũ. Quibus frequenter in Alcorano ſatisfacit ex angelicis reſponſis, & iuramento affirmat, ſe nil finxiſſe. Fecit tandem illis morbi diuexationibus, ut eſſet à ſpecu præcipuè rediens, longè opinione ſanctior. Nam qui uitã & mores eius domeſticos non nouerant, admirari, congreſſum deorum credere, ieiunijs ita & pietate affligi ut iſta pateretur: ſtatim uerò ubi ſe collegiſſet, erumpebat in hæc uerba, biſmi lahi rachmani rachimi: quod eſt, In nomine Dei miſericordis propitij. Demum aliquid ſomnij ſubiungebat, cui attentos ſpectatores redderet. Ita à 35. uitę anno ad 45. ſenſim ex uitio, pietatis ſummam opinionem eſt aucupatus. Et ne tam longè quærendus Deus uideretur, domi locum ſacrum conſtruxit, ubi nocturnos cum ſectatoribus cõuentus agebat: aliquid nugarũ recitabat, decantabatq́, quouſq́ magnus admodum concurſus Iudæorũ ciuiumq́ eò eſt factus. Eo uerò facilius multos traxit in ſententiã, quoniam de uno Deo crebrò uerba faciebat, eumq́ dicebat potentẽ, ſapientem, iuſtũ, miſericordem, creatorem cœli & terrę. In religionem uero ethnicam inſurgebat, nil poſſe idola, non uidere, non audire, dęmonia eſſe, damnatos eſſe qui illis credant, Deum omnia creaſſe, & cætera huiuſcemodi: quibus Iudæorum animos pelliciebat, territabat idololatras, & Mechæ ciues, ut bona pars illi faueret.

QVIBVS FAVTORIBVS POTENtiam collegit. CAP. VI.

MAgna Iudæorum ubiuis terrarum ſuos Meſſias quæritantium multitudo agens Mechæ, quum uideret hunc hominem conſentanea ſuæ legi dicere, & ita affici præter cæterorum hominum conſuetudinem, nil inſaniæ aut morbi ſubeſſe putans, ſe homini adiunxit, & eo facilius illius placita probare cœpit, quòd ferè arbitrio Rabinorum ceremonias inſtituebat. Nam crebris ablutionibus cum illis conuenit. adorauit etiam multo tempore uerſus templum Hieroſolymitanum, quod ab ea parte ſpectat ſeptentriones. Donec fucum ſibi fieri ſenſere Iudæi, technasq́ hominis ad tyrannidem aſpirantis, cæterum planè inſani & delirantis, nouerũt. Eò enim illi proceſſit morbus, ut uix multis diebus ſemel lucido frueretur interuallo. Quod uitium excuſare uolentes authores libri Aſſiffai dicunt, prophetam ita ſe ieiunijs & uigilijs maceraſſe, ut illi ſenſus deficeret, & attonitus à Deo redderetur, ut perpetuò ſe uocem audire uocantem crederet, conuerſus tamen neminem cerneret. Quod ipſum frequenter dicens mulieri Hadiſæ, illa non iam angeli, ſed dæmonis tetri uaframenta eſſe, & maritum planè ſtultum & amentem iudicat. Vnde tanto dolore eſt correptus, ut ſeipſum præcipitem è feneſtra uoluerit dare, malens mori, quàm uideri ſtultus. Tam egregia uerò prophetia eluſit fœminam, ut diceret, adfuiſſe ſtatim Gabrielem, illiq́ dixiſſe: O Muhamed, te ſalutat Deus, tibiq́ per me ſignificatum uult, te futurum prophetam, & omnium creaturarum perfectiſſimam. Hæc illi in ſuis libris. quibus non uident miſeri, ſuos authores alios ſe iugulare. Nam quomodo poterat eſſe propheta ab æterno deſtinatus, lumine donatus, naſci circunciſus, ab angelis uiſitari, exenterari, & ſimilia pati, qui ante quadrageſimum uitæ annum non acceperat ab angelo, ſe futurum prophetam? Iſte liber omnino fidem abrogat chronico Aſſear, quod illi maximè probant. Sed ad Iudæos redeo. Illi Meſſiam futurum exiſtimantes, ſe homini iungunt: inſtituunt ſacra, etiam affinitatem cum

eo contrahunt. Nam duxit uxores Iudæas ditiſſimas, quum tamen potius Iudæi perimant prolem, quàm ut dent in matrimonium homini ab eorum cultu alieno. Dant illi homines à ſecretis, quos credebant excellentiſſimos, qui poſſent ipſi per ſe etiam legi addere, uel diminuere. Primus nomine Abdalla ben ſalem egit cum eo ſeptennium. Volens uerò periculum facere legis & legiſlatoris, quum quotidie id exciperet quod ſomniabat impoſtor, mutabat omnino rhythmos, & finales homophonias, quibus ſcatet rhythmica lex: quumque propheta recitaret quę dictauerat, nullo pacto aduertebat ſecrętarij aſtum. Vnde iſte relicto propheta, repetijt Iudaiſmum, autorq́; eſt factus magnæ Iudæorum defectionis, apertis hominis uaframentis, & ſupina ignorantia. Aiebat enim, nō poſſe inſpiratione diuina tam improbum nebulonem donari. Illi ſucceſſit alter Iudæus, qui facto per trienniū periculo, idem planè eſt expertus. Vnde ad defectionem cæteros omnes Iudęos ſollicitauit: qui ſenſim deſciuere, & ad priora inſtituta miſerè lactati, ſe ferè omnes recepere. Nam ut facilimè in eius uerba iurauerant, ita facilime diſceſſere, gens rerum nouarum auida, quæ cuiuis tyranno dabit fidem, modo uocetur Propheta, uel Meſſias. Cauſa tam facilis tranſitus erat illis iam in procliui. Nam circumciſio ab ipſis Muhamedi data (quæ eſt principium utriuſq; perſuaſionis) & ferè quæ olim ex colloquijs uariorū perceperat, illa cum Iudaicis admodum conueniebant. Nam nil aliud in ſuis libellis ſcribendum dabat, niſi quæ aliquando uario hominum cōmercio didiciſſe, legi partim cōſentanea uidebatur. Aut ſi quid etiā recenti audiſſet colloquio, id in alios dies ſeruabat, fabuliſq; & cōmentationibus locupletabat, ne uideretur aliena ſibi adſcribere. Circiter decem ergo, aut duodecim annos ſectatores Iudæos totius Arabiæ (ad quos ſaltem eius fama peruenerat) habuit. Quibus in multis ſatisfacere uidetur. Nam quū ſe eſſe prophetarum ſummum & ultimum mentiretur, illi uerò ſperarent ſuum Meſſiam daturum leges lingua hebræa, obijciebant frequenter, quare nō ſcriberet alia lingua. Quibus duobus argumentis reſpondet: Illos planè idē obiecturos, ſi in alia ſcriberet: demum oportere etiam Arabas habere ſuam legem Arabicè ſcriptam. Aegyptij petebant, ut ægyptiacè, Perſæ ut perſicè ſcriberet. Poſtquā autem deſciuerunt Iudæi, à quibus ut à cęteris multum pecuniarū, alzache, id eſt decimarum nomine emunxerat, diuites primū fortunis nomine religionis ſpoliauit, uniuerſos uerò fregit undecim expeditionibus: ut diceť de bello. Interea dum uidet ea acceſſione Iudæorum, ſe uires magnas collegiſſe, quauis arte etiā aliarum perſuaſionū populos in ſuā ſententiam trahere uolens, decretū diuinum ponit, ut quicunq; ſeruus Chriſtianus, aut Iudæus, fieri uellet Muſſulman (noſtri Sarracenū eam uocē ſemper uertūt) eſſet liber, etiā inuitis dominis: incœpitq; à ſuo, quē domi habuit Zeidū nomine, quēq; maxima turba transfugarū undiq; eſt ſecuta. Eo uerò aſtu fecit, quòd rerū habenas penes ethnicos eſſe cerneret, Chriſtianos uerò, & Iudæos, ut unius Dei cultores, & ab idolis alienos, multis moleſtijs ab impijs iudicibus premi, & captiuitatibus ut plurimū uexari uideret. Erāt uerò illi Chriſtiani, aut Iacobitę, aut Neſtoriani, aut quauis hæreſi infecti. Quadrageſimo ergo uitę anno, quū iam eius potentia uidereť formidabilis, cœpit domo & latebris prorepere, publiceq; ſe prophetā affirmare, Gabrielem illū eo anno illi diuinitus attuliſſe legē, quę de unitate Dei doceret homines, quę inter uetus, & nouū Teſtamētum media eſſet, quæ omnes religiones ſeruaret, omnes in eius legis uerba iurare debere. Hac lege doceri, Deū unū eſſe, omnia curare, producere, alere, de impijs

pijs pœnas ſumpturum, præmia bonis daturum, futurum omnium hominum iudicium & reſurrectionem, & conſimilia præcepta ex ueteri & nouo Teſtamento decerpta. Cuius perſuaſionis ut fidem faceret, libellos quoſdam paruulos dabat ſectatoribus recitandos, cantandos, & ediſcendos: demum repetitos omnes certis capſulis & arculis recondebat, à quo loco nunquam extrahebat amplius. Itaq; ſi rogaretur aut iterum dare aut ſcribere, remittebat ad ſeptem illos uiros, in quibus totum Alcoranum eſſe dicebat. Rogati, nil ſe ſcire dicebant. ab illis ſeriò rogatus (habebat enim familiariſſimos) ut iterum ediceret, dicebat diabolum illi induxiſſe eorum obliuionem. Qua de re quum aduerſam de illo opinionem conciperent, ſententiam mutando dicebat, Deum & Gabrielem ideo illi è memoria tollere, ut meliora ſupponeret. Quum uerò editionem omnium aiet, id eſt miraculorum (nam ita uocant omnes Alcorani periodos) flagitarent, ne illius imperitia & technæ ſe omnibus propalarent, aiebat nolle Deum, antequam omnia præcepta cœlitus uenerint, ut ederetur. Ipſo itaq; uiuente nil quicquam legis illius publicè prodijt: ſed plurimis arculis omnia ſunt ſeruata ad poſteros, ſoricibusq; multa eroſa, utinam omnia. Sed redeo. Cum illis ſeptem uiris etiã acceſſit Hubecharus ciuis Mechæ potentiſſimus, relicto cultu idolorum, cuius filiam uxorem duxit Muhamedes: quem ſecuti ſunt Homar alhatabus, ciuitatis item tantum non princeps, ſtatim etiam factus gener Muhamedis: & item Hamzaus Alabezus, & Haly Butelibus parentes illius, omnesq; eadem die appellæ facti ſunt, dederuntq; nomina prophetæ. Eorum ergo eſt fauoribus auctus, (nam erant inter ciues gratioſiſſimi) publicè prædicata lex eſt, ſeditioq; orta. Cenſebant enim idololatræ, è medio tollendos nouitatis auidos homines, necandum pſeudoprophetam dæmonijs agitatum. Factioni illi aduerſæ nouem fratres illius ſe præbuere duces: & reuera niſi ueluti amens & ſtultus habitus fuiſſet, necabatur. uerum æquitas illa ſumma eos retinuit, iudicantes hominem amentem & ſtultum, probroſum eſſe è medio tollere. Senſim itaq; reſederunt animi multitudinis. perſuaſio uerò latius ſerpere cœpit, & partim palàm, partim clam ſe inſinuare, ad 53. uſq; uitæ eius annum, 13 ſcilicet à publicata perſuaſione. Quum uerò cerneret ſibi non eſſe liberum de religione immutanda in Mecha diſceptare, aſſumptis aliquot comitibus, Hubecharo ſcilicet, Haly nepote, & Zeido quodam, ſe contulit in Echeheph uicinam urbem, ubi prophetæ nomen eſt publicè profeſſus. Inde ultro citroq; modò Mecham repetens, modò uicos uicinasq; prouincias luſtrans, toto decennio diſſeminauit placita rudibus & agreſti multitudini. Atq; ita rem peregit, ut ferè nulla domus eſſet, in qua non haberet aſſeclam. Exacto decennio, quum eſſet in Alabach loco Arabiæ, ſe illi iunxere 60. uiri prædones, & rerum nouarum auidi, dixereq; non amplius in celeberrimo totius Arabiæ loco, unde eſſet ortus propheta, clanculum Alcoranum prædicari debere, ſed publicè & duce gladio religionem Dei eſſe introducendam. Annuit propheta, ſequitur, irruunt in turrim Alquibla, (de qua iam dixi) deturbant idolorum ſacra, cultores fugant: occidunt, ſi quis ſe conatibus opponit. Occupato templo recitatur prophetia, auditurq;, donec tumultu excitato, loco pellitur Muhamedes. Nec ſatis habent ſacro loco deieciſſe hominem ſeditioſum: ſed & ædes eius erant incenſuri, niſi fugiſſet. Salutem ergo ſibi fuga quærens, adit Ietribam urbem, quæ uergit ad ſeptentrionalem felicis Arabiæ partem, trium dierum itinere à Mecha: illicq; cum ſocijs agit circumerrans in regionibus finitimis circiter triennium, aut ut alij, ſexennium,

nium, donec comparata maiori manu, magnis uiribus urbem Mecham adoritur, & capit, ciuesq́ eius omnibus fortunis ſpoliat. Hoc temporis, quod ab exilio eius ad regreſſum fluxit, uocant Arabes alhigera, id eſt exilium, rationesq́ temporum ſupputant à primo anno. Quamuis enim propheta iam 13. ante annis fuiſſet, tamen uerum legis tempus & principium fuit, introducta in Mecham perſuaſione, & deiecto idolo, turriq́ diruta, & denuò conſtructa. Dux expeditionis fuit Achmar, qui ſtricto enſe primus fecit legi illi uiam. Quē ſequuti ſunt quum plurimi alij, tum illi potiſſimum, qui in uerba prophetæ ante exilium iurauerant. Nam & illi ob factionem fuerant eiecti. Factæ ſunt his omnibus cæterorum ciuium fortunæ communes, quinta parte ſeruata, nomine prophetæ. Magna eſt admodum inter eorum authores diſcordia, quoto exilij anno ſit Mecha potitus, unde ſæpius expugnatam & amiſſam crediderim. Alij enim ſecundo, quidam tertio, alij quarto, & ita dubitando ad octauum uſq́ annum ueniunt, quo magiſtratus ſacros & prophanos in ea inſtituit. Menſis Ramadham 13. Moadus itaq́ præfectus eſt urbi nomine prophetæ, qui ſacros ritus nuper cōſtitutos ſeruandos curaret. Interim dum obſidet Cambichum urbem uicinam, ne motus ullus oboriatur Mechæ, eò mittit Vbecharum, de quo diximus, curamq́ reipub. illi demandat, ut inter cætera caueret, ne ullus in eam admittatur, præter initiatos. qui uolebant legem recipere, ea lege admittebantur. Curabat uerò fiſcum prophetæ mitti, ut in expeditionibus ſatis eſſet. Res eo pacto ſunt ei confirmatæ. Acceſſit etiam magna rebus facilitas. Nam quum rura uicosq́ & uillas peragraret, ea lege erat infenſus, ut qui non darēt tributum aut nomina perſuaſioni, & fortunis & corpore periclitarentur: qui crederent, & ſe illi iungerent, immunitate (niſi quod ad fiſcum) gauderent. Fiebat illis artibus, ut magna multitudo hominum quotidie ad eum accederet. Timor iſtos urgebat: pœnitentiam alij ſimulabant: prædabundi & uicinos infeſtantes ſe adiungebant innumeri, illiq́ perditiſſimi. Itaq́ pauco admodum tempore magnus exercitus coaluit, eſtq́ colluuies uſq́ adeò in immenſum aucta, ut non raro in Alcorano conqueratur plures eſſe quàm par ſit, uenireq́ uiuendi & nō bellandi gratia. Ita nec ſub eo, nec ſine eo quicquam erat tutum. His artibus, his ſocijs, hoc modo comparauit potentiam. uerum paucis de eius aſſeclis, quorum doctrina uſus eſt, agendum. Meminere authores chronici Aſſear duorū hominum Chriſtianorū, qui in eius uicinia morabantur, enſium cuidam fabricatori operas locantes: quorum conſortio quum Aſſuar mechiet, id eſt, capita Alcorani in Mecha ſcripta Mechæ ſcriberet, uſus creditur. Nam illi habebant quædam parua admodum principia noui Teſtamenti, qualia ſanè innumeris fabulis aucta, ſcripſit uarijs in locis. Non ſemel in Alcorano excuſat id facinoris: neminem habuiſſe doctorem: eſſe tam ornatè compoſitum, ut in toto mundo non poſſit ſimile niſi à Deo ſcribi. Quot Iudæos habuerit, iam ſatis patuit. Scriptum reliquerūt quidam homines noſtri proximi illius ſeculis, transfugam quendam monachum Sergium nomine ✠ Neſtoris uitio labefactatū, quòd quum Conſtantinopoli uiolatæ noſtræ religionis reus ageretur, eò ſe contulerit, & hominem ſemichriſtianum fecerit, multaq́ ſuaſu Iudæorum contra Chriſtum ſcripta delere induxerit. cui narrationi ideo lubentius fidem adhibeo, quòd Chriſtiani illi, qui hæc ſcribunt, erant ſumma authoritate, & ferè ijſdem temporibus, atq́ ſimilibus doctisq́ ſcribebant: unde illos falſa obieciſſe, non eſt credendum. Tamen nec illorum hiſtoriæ meminere illius, quòd legerim, nec ulla opera exculti hominis

Neſtorij

in

in Alcorano uidetur. Quæ hiſtoriæ cõtra eos faciebant, exuri & mergi curaue re primi Chaliphæ, ne arguerentur. Auſim uerò deierare, ſi quotquot anus deliræ unquam coluere hanc uitam, abſurdiora ſua ſomnia (præter pauca, quæ à Moſe & Chriſto ſumpta ſunt) admiſcendo quandoq; nomen Dei, creatoris, inferni, paradiſiq; collegerint, inq; unum compoſuerint, atq; legem uocauerint, non poſſe tamen iterum maiores ineptias, aut minori ordine, contextu & iudicio digeſtas cõponere. Fuit quidam Bahira regulus Arabiæ Petreæ, cui Iacobitæ Chriſtiani obediebant. Ille fertur tunc captaſſe Muhamedem muneribus, & fœdus iniſſe cum eo. Verum de Alcorano nihil.

QVIBVS CVM AFFINITATEM IVNxerit. CAP. VII.

TAnta fuit huius impoſtoris ſalacitas, ut nil prius ab amicis uoluiſſe conſequi uideatur quàm fœminas, ſi quæ forma elegantiori uiderentur. Prima fuit, quæ iam ſcripta eſt, quam Hadeiam uocant, totius fabulæ teſtis: cuius opibus comparauit potentiam. Præter illam, quum uenit ad rerum faſtigium, duxit alias quindecim uxores, aut ut minimum undecim, & quot uoluit concubinas: quas una hora ſe inire gloriabatur. Vt nullus taurus poſſet una die plures uaccas inire, quàm ille fœminas uirtute prophetica ſubagitare. De eius intemperanti libidine nullum eſt clarius exemplum, quàm quod Aſſam Vbechari filiam 8. annos natam, deſponſatam cum accepiſſet, nec naturæ leges, nec infantis tenellam ætatem reſpiciens, ubi ſtatim formam uirginis conſpexit, Veneris ſoluit cingulum, propheticè ſanè. Verũ dum uolo uitia eius attingere, uſq; adeò trahor diuerſus in uarias partes, ut à qua parte mihi ſit exordiendum, neſciam, ita mole obruor. Vitæ itaq; eius finis eſt concludendus. Demum locis & argumentis quibuſdam hominis ſceleſti facinora tractanda erunt. Præfecto, ut diximus, Mechæ Vbecharo, uicinas regiones exercitu formidabili uicit, & legibus parere iuſſit, coëgitq; in Perſidem, Syriam, Aegyptum uſq; ſparſa potentia incurſiones. Fretus etiam eſt potentia regulorum Armeniæ, in fines uſq; Cœlæ Syriæ incurſationibus finitimos uaſtantium. Multo uerò maxima occaſio mihi uidetur illi ad augendam potentiam data, ex noſtrorum errore et ſocordia. Etenim facilè adducor ut credam, ob immania ſcelera à multis noſtrorum ſub pietatis prætextu admitti ſolita, eam peſtem omnium animos labefactaſſe, atq; in ſcelerum ultionem, permittente Deo, à Satana ſuſcitatam fuiſſe: ita facilè mihi perſuadeo etiam impium militem ei non defuiſſe, qui à nobis deficeret. Recens tũc erat uulnus, & uix pure depulſo, in ſpem curationis uenerat ab Arrianis, Neſtorianis, Eunomianis, Ebionitis, Pelagianis, Donatiſtis, & ſexcentis huiuſmodi monſtris uix reſpirans eccleſia, primum collegerat ſpiritum. Vix erant ulli legitimè in exterioribus regionibus confirmati, quum nondum obducta cicatrice oborta hæc peſtis eſt: in quam quicquid unquam perniciei & erroris eſt excogitatum, ueluti in Augiæ ſtabulum & cloacam confluxit. Eò uerò (tanquam ſatanas parum feciſſet labefactare animos) imperatoris Heraclij ſocordia maximum diſpendium omnium fortunarum adduxit. Nam interim dum uenatur perdius, pernox ſcortatur, aleam ludit, Apitij artis periculum facit, totam imperij molem exemplo effœminat, militi munerum uacationem remittit, fiſcum inter ſcorta, mœchos, adulatores, nugiuendulosq; dilapidat: utq; paucis dicam, quũ omnia ſua conſilia uno in capite circũferret, 600 circiter à Chriſto paſſo an

no,rex Perſarum Choſroes Syrias,Aegyptum,Africam, cęteraſq; imperij prouincias præſide deſtitutas adoritur, uincit, adq; Mauritanias uſq; à Babylone nullo repugnante procedit. Cuius filius à ſeptentrionibus adoritur Thraciam: nec tamẽ prius lethargo excitatur imperator, quàm quũ minantur proceres,niſi uirum præbeat,ſe aliunde quęſituros: actum eſſe de imperio,niſi paucos intra dies ſuccurratur: non eſſe domi expectandam pacem uænalem, quam barbarus Chartagini longè domo uendere noluerit. Ad hæc ingens probrum in Chriſtianũ nomen urgere, euerſis Ieroſolymis ſacroſanctam Ieſu Chriſti crucem in manus hoſtium ueniſſe: ultorem Deum noſtræ ſegnitiæ futurũ, niſi excitemur, orbiſq; cõpeſcamus incendiũ. Ideo magna ab eo permitti imperia, ut ſuperbos debellemus, & ſuccurramus oppreſſis. His motus imperator, exercitum quàm poteſt maximũ cogit, filij Choſrois copias conficit,recentiq; fretus uictoria adit imperij barbarici umbilicum, Meſopotamiamq; tranſgreſſus Chaldæam petit. Inſperato motu perculſus barbarus,relicta Africa, domũ celerrimo gradu repetit: & qui de imponendis orbi legibus pauloante cogitabat, de aris & focis cogitur eſſe ſollicitus. Redeunti cũ maxima manu fit obuius Heraclius, proſternit hoſtem,crucem recuperat, leges uicto dicit,ille paret. Itaq; Heraclius ouãs cum ſacro munere petit Hieroſolyma, temploq; inſtaurato noſtræ redemptionis ſignum reponit. Quibus confectis,feſſus iam,tanquã orbem ipſum ambiuiſſet,nulluſq; toto in orbe hoſtis ſupereſſet, in media Syria longè domo militem mittit. Is rerũ tenuitate in ſummam rerũ omnium inopiam adductus, illos infeſtare cogitur,quos conſeruatũ uenerat. Miles in rerũ deſperationem adductus,non quibus proſit,ſed quibus noceat, perquirit. Sceleratiſſimus quiſq; & audaciſſimus, hominibus deſperatis eſt dux probatiſſimus. Hoc milite palabundo adiutus,tãtam cõparaſſe potentiam mihi uidetur Muhamedes. Nec enim fieri potuiſſet ſine opera militis ueterani exercitatiq;, ut multas in Syria, Perſide, & Aegypto urbes munitiſſimas,neſcio quot,nudi Arabes uincerent. Acceſſit maior facilitas, audito rumore exercitus imperatorij,omnia trepidationis plena erant. Fractæ uires,afflictæ res,ſublati magiſtratus Romani. Quibus nec Choſroes ſuos potuit ſubſtituere,nec ſocordiæ & ignauiæ deditus imperator curauit reſtituere. Hæc omnia mihi magnã ad res nouas moliendas facultatem Muhamedi tribuiſſe uidentur. Vt ut res habeat, Arabia & eius finibus eſt potitus. Vt autẽ magis animatum redderet militem, frequens erat Alcorani lectio. Peregrinatio etiam crebrò fiebat. Scripſit uerò tria capitula in Alcorano de lege militari: ut omnino ſit futurus felix, qui bello Dei occiditur. Ita mortuos uelle reuiuiſcere,ut iterum moriantur. Omnia eſſe militũ fidelium, & prophetæ. Cæteros qui credere nolunt, eſſe aut necandos,aut in ſeruitutem agendos,aut ſaltem eorum facultates eſſe diripiendas. Ter eſt peregrè profectus, cum exercitu Mechę templum adiens, ſacra ea faciens quæ à maioribus fieri ſolebant. Nam ut erat uerſipellis, quaſdam ceremonias à Iudęis,quoad illos retinere potuit,eſt mutuatus. ut uerò etiã gentiles ceremonijs retineret,circa turrim Alquibla in nomine Dei eadem curauit,quæ fieri ſolita erãt in honorem idolorum. Porrò à quo tempore factus eſt exul,aut non eſt auſus ob malefactorum conſcientiam, & quidem meritò timere debebat inſidias, aut quòd nollet apud gentem ſcelerum amentiæq; eius conſciam Mechæ agere, urbem uerò Ieſrab prædonũ incurſionibus pauloante dirutam, paucisq; Iudæis habitatam adijt, illicq; manſit, quũ domi egit, ui de ſua poſſeſſione deiecto (etiam ante deuictam Mecham) pupillo fabri cuiuſdem fi-
lio,

lio, cuius domum, prædia, aream occupauit. Illic firmata ſede Meſgedam conſtrui curauit, in qua legeretur Alcoranum. Obijt uerò in eadem urbe anno ætatis 63. correptus tam uehementer ſuo ſontico morbo, ut muſculis contractis, omnibus membris formam circularem repræſentare uideretur, digitis potiſsimum. Vnde egregij quidam etiam ſignorum eius interpretes, licere præpoſtero ſcelere fidelibus eius uti, ſunt interpretati. Ideo qui apud eos ſunt inſani, & Prophetæ ſimillimi, quiq; animalia omnia ſubagitant, creduntur ſanctiſſimi. Quod uerò etiam à dæmone agitaretur, prꝗterquam quòd ducenties eſt illi obiectum, ut nunquam in Alcorano non repetit, etiã cataſtrophe uitæ eius demonſtrauit. Nam ſi omnino aſtu, & prudentia humana impoſturas excogitaſſet, nunquã ſe reſurrecturũ tertio die prædixiſſet: ſed potius curaſſet, ſtatim more ueteratorũ deorum euaneſcere. Verũ fuit ſuo imperio ad triduũ ſub dio expoſitus, ad expectationẽ reſurrectionis, donec fœtore omnes à ſe abegit, eſtq; per ſeditionem urbe eiectũ cadauer, populareſq; omnes lactati repetiuerũt priſtinos ritus, quo ad ſunt reducti ab hæreditario milite, quem Dei uocant, ſuntq; tributa pendere coacti. Vbecharus enim, qui illi ſucceſſit, ait, Teſtamento legaſſe grãdem pecuniam in militem religionis cõfirmatorem. Qua prædonum peſte hodie omnes Arabiæ & Syriæ, atq; adeò tota Africa eſt afflicta: ut nulli unquã tutò liceat illò cõmeare, niſi ſit in carauana, ut uocant, id eſt in tam magno conſortio, ut incurſionibus terreri non poſſit. Licet enim cuiuis latroni, & perditiſſimo, ſe militem dei uocare, & in omnium facultates inuolare. Cogitur quotannis Turcarum princeps potentiſſimus ſtipendia dare 60. milibus eorum hominum, ne colonum diuexẽt, aut cultas prouincias inficiant. Eiectum urbe cadauer Prophetæ, eius proximi Haly, & Zeid, & neſcio quot curauerunt ſepeliendum, & condierunt, repoſueruntq; in quadam crypta in Meſgeda Iezrab, non in Mechæ templo, ut uulgo fertur. Quotannis itaq;, dum aditur Mecha peregrinationis ergò, primò eundum eſt ad Medina Alnabi, id eſt ad urbem prophetæ Iezrab, ubi ſeruatur corpus. Demũ ob memoriam ſacrificij Abraham, aditur Mecha, ubi etiã duobus in locis uota perſoluũt, in urbe ad turrim Alquibla, & in quodam monte non longè, ubi iaciunt lapides à tergo, quibus profligari dæmonẽ, perſuaſum habent. Expeditiones eius repetam, quum de origine imperij dicendum erit.

DE MIRACVLIS MVHAMEDIS. CAP. VIII.

SOlent prudentes philoſophiq;, dum cogitant, qua ratione homines aſſenſum præſtent rebus abſurdis, & extra rationis leges poſitis, id primũ perquirere, quo facinore fuerint perſuaſæ. Multis ſanè rationibus illis poteſt ſatisfieri. Muhamedes primum poſtquã publicè celatum morbum in opinionem ſanctitatis conuerterat, non rerũ peritos homines ſibi eſt adiungere conatus, ſed ſellularios in urbibus, in agris rudes ſtupidoſq;: quos omnes etiã dum captat nenijs, ridet. Vocat Supheha & Ahrab, ineptos & ruſticos, quibus tamẽ primũ tam ad prædas ex inſidijs agendas, quàm ad iuſta bella gerenda eſt uſus. Illorum opera parentes fortunis ſpoliauit, quòd abſurdis ineptijs ſubſcribere nollent. Iudæos deſciſcentes fregit, expilauit, ſpoliauit, hoſtes domuit. Secunda ratio eſt ineptię, & ſupina rerum omnium ignorantia in popularibus, qui ſine ulla diſcuſſione quæcunq; dicuntur, ut plurimũ recipiunt, probant: & eo magis, quo ſunt abſurdiora. Vnde abſurditatem harũ ineptiarũ colligere licet. Nam ipſi ruſtici etiam illum ridebant, poëtam, id eſt rythmicũ modò, modò impoſtorem, modò dæmo

niacum,& huiuſmodi titulis nominando: diſſimulabātq; maximè eius credulitatem,quod centies illis obijcitur, morbumq; in eorū animis eſſe dicit. Ideo uerò ſectabantur hominem,quòd pręter eas rationes,quas ſuperius attuli,etiam à fiſco illos immunes facturū ſe pollicebatur. Quū enim regulorum arbitrio premerentur,nulliq; ſint populares,quin aliquid fiſco neceſſariò dent,putabant miſeri ſtatim adfuturam de cœlo libertatem, & immunitatem. Ideo quum maximè illos premeret,ſemper illud in ore habebat,Sequimini prophetam,ſequimini illos qui non petunt à uobis præmiū,& ſunt gratioſi. Illa expectatione lactati,omnes à ſuis principibus rebus'ue pub. deſciſcebant, & timore & ſpe adacti. Fuit & alia quędā,& urgentior ratio. Quoniam quū ea gente nil in toto orbe ſit mollius,effœminatius,inq; libidinem magis procliue, uitijs omniū applaudere uoluit. Nam quòd obijceretur illi pluralitas uxorum, quæ lege patria non concedebatur,aliquando una uxor 12. uiros habebat: dixit licere prophetæ,quo numero uellet,eas ducere. Et ideò Deum dixiſſe, ut priuati quatuor, aut quot alere & regere poſſent, haberent, quæ certis legibus repudiari & recipi poſſent. Cum illi præterea obijceretur lege patria illicitus concubitus ancillarum & ſeruarum,quaſi lege diuina ſanxit,ut liceret itidem cuiuis. Eſſe enim hominis pecuniam ipſos ſeruos: & ideo ueluti ſolū in ancillis arabilem. Si quis quicquā uitij flagitioſiſſimi commiſiſſet, modò eſſet Muſulman, & ablueretur, mundum futurum,& Deum eſſe fidelibus (ita uocat ſuos uoce Arabica,quos nos Saracenos,uocabulo eorū literis incognito dicimus) propitium. Quadrageſimā quidem inſtituit. Sed ne eſſet grauior,& ueluti Deus eſſet diei, & non noctis, crapula nocturna in auroram uſq; compenſari uoluit. In ſumma, quicquid libidini, gulæ,aut pudendis collibitū eſt,id permittere omnibus ceu Deo authore uoluit. Illectos illis occaſionibus luxui deditos homines nil mirum eſt. Tamen eò acceſſit aſtus,& uaframentū nebulonis longè maximum. Quū ſeipſum prophetam diceret,obijciebant ſectatores, omnes prophetæ ſancti fuere, & miraculis clariſſimi: tu ergò ede aliquod familiaritatis diuinæ ſpecimen, miraculum aliquod oſtende,& te ſequemur. Si urgeretur,dicebat ſe non eſſe Deum,miracula eſſe Dei ſolius,ſe eſſe præmonitorem tantum & prædicatorem. Fuerunt & alij, qui utrunq; dicebāt. Replicabat, ideo nolle Deum,illum facere miracula,quòd in prioribus repudiata & calumniata eſſent: aut ne crederent eſſe Deum,& adorarent,nil aliud illum debere facere,quàm admonere miraculorum,& libri Dei (ita uocat res naturales & artificiales) & de die iudicij uerba facere,& de paradiſo,& inferno. Porrò de paradiſo quoties egit, ſe accōmodauit perſonæ audienti. Nā uoluptates omnes corporis ſenſuros ſuos ſectatores,aſſeruit ſexcentis locis. Quum uerò uideret nihilominus multos, quibus ſtrophis & nugis, quū de miraculis agerent,ſatisfacere niſi aliquid inſoliti edendo non poſſet,etiam uerbis ſe edidiſſe multa miracula eſt profeſſus. Ex quorum numero iſta,ô cordate lector,ita te amet Deus,perpende. Dixit enim tantum ſe feciſſe: & ſi feciſſet,iudica quàm digna eſſent homine diuino.

Primum iam recitaui,quum natus quinquennium fuit à Gabriele exenteratus,cordeq; auulſo detracta eſt particula nigra,qua tentantur homines, deinde repoſitum eſt: uidit, ſenſit, narrauit nutrici, ea fidem adhibuit, recitauit magnis hominibus, qui id ſcripſere. uide, an homo poſſit iudicare ſibi hoc fieri, ſi fieret: & ſi factum ſit, perpende effectum & teſtem miraculi. Quomodo poſtea non fuit tentatus à diabolo, toto uitæ tempore ab eo occupatus, prædo,

latro, fratricida, ſeditioſus, impoſtor, perfidus, ſalax, &c. Audi alterum lector, & contine riſum, ſi potes. Ego enim non poſſum. Quum quadam die ſolus oberraret (nam omnia ſunt ſolo illo exiſtente & præſente facta) & uellet cacare (honos ſit auribus, uerba factis ſimilia hic placent) ardore ſolis urebatur illi caput. Iuſſit itaq; ut arbores, quas uidebat, purganti corpus umbram facerent: quæ ſtatim radicitus auulſæ currentes adfuere, umbramq; cacationi propheticæ fecere, cacatione uerò cõpleta, locum repetiuere. Nõnne hoc eſt magnum miraculum, & tanto propheta dignũ? Eſt ſanè. Et ne me finxiſſe putes, in libris Suneh maioris penè authoritatis quàm ſit Alcoranũ, hoc eſt ſcriptum: ut ſunt ſequentia. Tertium eſt non abſimile. Quum enim natus 16. annos datus eſt Hadegę ad curam camelorum, dicit, quum ſolus eſſet, et maximè ureretur illi caput ardore ſolis, ſtatim iuſſa adfuit nubes, quæ toto die cum eo ambulans, uindicauit ab iniurijs ſolis. Iudica de nubium arbitrario motu. Ad quartum uenio. Quum eſſet in ſpelunca ad eludendam morbi opinionem, uenit ad eum Gabriel, & attulit illi legem illam, quæ penè fruſtulatim, ut uidebimus, quemadmodum fuit 23. annis edita, perijt. Quinto miraculo alloquebantur illum ſaxa, montes, arbores, aues redeuntem à ſpelunca, poſtquàm audiuerat Gabrielem. Qua ſtropha eludere etiam uoluit amentiæ principium, quum undiq; ſe uocari cerneret. Hoc etiam Hadigæ fuit oblatum. Sextum eſt omnino memorabile. Quum quidam Bugellinus eius parens, recuſaret ſemper eas nugas, quas prædicabat, dixit tandem, Si facies ô Muhamedes id miraculi, quod cogito, fiam Muſſulman. Cui ille, Faciam, dic tantum. Fac, inquit alter, ut luna de cœlo deſcendat, & diuidatur in duo æqualia, mediaq; una parte intret per manicas tuas, dextra in dextram, & ſiniſtra in ſiniſtram, demum à ſinu tuo prodeat integra, & repetat cœlum. Rogatus facit, luna finditur, intrat manicas, redit à ſinu ſolida. Ille tamen non uult credere, ſed dicit eſſe incantationem manifeſtam. Habes miraculum. Luna 27. pars terræ, toti orbi ſeruiens, nullo aduertente prę ter duos homines, intrat manicas hominis. Hæc ſunt planè digna authore & credentibus. Patienter audi benigne lector: duo ſuperaddam. Quũ quadam die ſolus iter faceret, truncus in media uia erat, eratq; prophetæ ad latus uiæ modicum declinandũ: ne id faceret, truncus finditur medius, dans locum prophetæ tranſeunti, ſtatim uerò ſeſe reſtringit ſuapte ſponte. Aliud: Quũ proſcriptus eſſet, qua nocte illi erat diſcedendum, truncus palmæ in medijs eius ædibus aqua rigatus, flebat prophetæ diſceſſum. uocati Muſſulmani hoc omnes uidere. Quum fugientem expectarent aduerſarij in quodam loco inſidiantes, ne uideretur, poſito cinere ſuper caput equorum, non eſt uiſus ab hoſtibus. Hæc facta ſibi, & à ſe, narrabat. At quid patimur miraculorũ penuriam, quum omnes periodi Alcorani dicantur Aiet, id eſt miracula? non'ne totis 23. annis adfuit Gabriel, dans fruſtula legis? Non'ne magnũ fuit miraculum, quum primariæ eius fœminæ de præhendiſſent in adulterio etiam, poſt decies exhibita fidelitatis ſacramenta? Gabrielemq; attuliſſe legem, qua liceret prophetæ, quicquid lubearet? & non debere pendere prophetam à fœminis? habiturum aliunde alias, ſi hæ manere nolint? Quid miraculo inſignius, quo Deus dedit prophetæ uxorem Zeidi ſerui ſui, & nunciauit, ut illam repudiaret: quoniam nemo debebat habere uxorem, quæ placeret prophetæ? An non ſunt miracula bene diuina iſta? Reſipiſcite ô miſeri, reſipiſcite, & tandem impoſturam uobis factam agnoſcite. Reliqua miracula notabuntur, percurrendo ſingula Aſuar, id eſt cantica

& pſalmos Alcorani. Verum ne memoria fugiat longè clariſſimum (ferè enim oblitus eram) omnium miraculorum, quoniam ſatis multa ſe offerent in Alcorano, uolo illud ſubiungere.

Capite uel ſora 16. Alcorani, quæ uocatur benu Iſrail, id eſt filiorū Iſraël, ita ſcriptū eſt: Sobhan illedi aſrai bihebdihi leilan min elmeſgedi ilharani, illai meſgedi elacza, &c. id eſt, Laus ſit illi, qui tranſtulit ſeruū ſuum noctu à templo Haram, id eſt Mechæ, ad templum Acza, id eſt ſanctum Hieroſolymitanum. In illum locum interpretes cōueniunt. ſuffragatur Haſſear & Suneh, quòd intelligat de quodam magno & ingenti miraculo. Audite ergo narrationem Apolline dignam. Nocte quadam, quum hora circiter tertia antelucana altius dormiret, pulſu ingenti excitatus ſurrexit ab hoſpitio Haſſe uxoris in Almedina, quæ & Ieſrab. & ſtatim aperta ianua, uidet Gabrielem in uia publica cum 70. alis albiſſimis, & cum animali uocato Alborach albiſſimo, qui ait illi: Veni Muhamedes, monſtrabo tibi ſecreta cœli: conſcende Alborach. Alborach uerò formam aſini habens, dixit: Non patiar, ut conſcendat ſuper me unquā. Dixit Gabriel: Permitte. eſt maxima creaturarum Muhamedes, & faciet ut ſis feliciſſimum animalium, quia primum ingrediere paradiſum. Aſſumptum defert in Ieruſalem. In cuius itinere fuere duæ fœminæ, quæ uocauerūt Muhamedem: quibus prohibuit angelus, ne reſponſum daret. Futurum enim, ſi primæ reſpondiſſet, ut omnes Muſſulmani eſſent Iudęi. nam erat illa quæ euulgauerat Iudæorum legem. ſi ſecundæ, ut eſſent Chriſtiani. In templo omnes prophetas habuit obuios, rogātes, ut pro eis oraret. quod fecit in Machrib, id eſt ſancto ſanctorū. Demum exeundo de templo, oblata eſt ſcala à templi porta ad ſummū uſq; cœlum. Illa conſcendunt, inde hęc propheta retulit. In primo cœlo argenteo, à quo pendent ſtellæ cathenis aureis, erat Adamus, qui ſe precibus Muhamedi commendauit. Illic erant omnia animantium genera, cum angelis pro animātibus terrenis orantibus. Illic erat gallus maior toto mundo, qui dum cantat, facit ut cantent terreni. In ſecundo aureo erat Noë. In tertio erat Abrabam. materia erat lapis precioſus. In quarto ſmaragdino erat Moſes: demum Iachie, id eſt Iohannes Baptiſta. Qui omnes orarunt Muhamed, ut pro illis apud Deum intercederet. In ſeptimo Chriſtum reperit: quem rogauit Muhamedes, ut pro ſe oraret. Ita acceſſit ad Deum Muhamed, ad iactum baliſtæ, quod ait in quadam Sora quę dicitur Negium, id eſt ſtellæ: & ſe nil finxiſſe aſſerit, quum illum riderent omnes. Illic allocutus eſt Deum familiariter, & obtinuit quædam dona, quæ ſtatim ſubiungam. Hæc eſt ſumma rei, & maiora capita. Nam ſi quot ineptiæ illic ſunt, & angeli, quorum ſunt 700000000. capita, uellem tradere, & ſimilia ſequi minutim, certè maximus liber inde næniarum fieret. Et reperit, qui illa crederent. Confirmauit uerò uiſionē illam ſuis à Deo conceſſis priuilegijs, quæ ſubiungo. Primum, ut eſſet omnium hominum primus. Secundum, ut eſſet omnium filiorum Adam honoratiſſimus. Tertium, ut uocaretur generalis redemptor. Quartum, ut omnes linguas ſciret, quum uix unam noſſet.

Quintū, ut omnia ſpolia belli uel prædę eius eſſent. Hęc uis miraculi non paucos alienauit à ſecta. Iam à miraculis eſt aliò tranſeundum. Nam ſatis habeo iſta indicaſſe, ut innoteſcat, quàm ſtupido fuerit iudicio, qui illa obtruderet: et quàm rudes, qui illa recepere. Omnium uerò ſtupidiſſimi, qui ea literis mandata uoluere. Sunt in Suneh ſexcenta ſimilia. Liber de doctrina prophetæ, de Chronicis, & mashod, & in ſumma 700. libri approbati, illis ſcatent ineptijs.

De

DE CEREMONIIS À MVHAMEDE *inſtitutis.* CAP. IX.

ETſi iſtę res ad falſi refutationem uidentur parum momenti habere, adq; noſtrum inſtitutum parum facere: tamen multis de cauſis uidentur attingendæ. Illis enim cultibus, qui externi ſunt, populares & ruſtici facilimè capi ſolent, & uelut grandiores ſimiæ facilius ad id inducuntur, quod minus intelligunt. Attingam ergo illas non quàm latè patent, nam eſſet infiniti inſtituti: ſed quatenus ſunt omnibus communes, & à nobis differre uoluit, quamuis omnium inde exempla petiuit. À matrimonio non ineptè uideor mihi incipere poſſe, quoniam inde eſt hominis principium. In eo nec cum Iudæis, nec cum Chriſtianis conuenire Muhamedes uoluit. Nam neutri ſine ſacerdotis addictione uxorantur. Ille authoritate Cadhi, id eſt iudicis addicit, & repudiat uxorē. Eam omnes ducunt, præter quoſdam ſanctos & religioni addictos: qui ſi uolunt, poſſunt à profeſſione reſilire. Natus puer educatur à matre, aut nutrice, pro fortunarum ratione, & uiri continentia. Nam grauidas non ſolent inire. Ob id aiunt interpretes legis, multas permiſſas. Anno 14. ætatis, ſicut Iſmaëlis, circūciditur puer, ne octauo die cum Iudæis conueniant: alioqui ablutionibus quotidianis purificari ſaluariq;, ſi morte pręueniatur, aiunt, ne cū Chriſtianis uno baptiſmate conueniant. In ablutionibus uerò omnia ferè apud eos cōſiſtunt. Nam ante orationes quotidianas ſordida membra, facies, manus, & brachia cū tibijs abluuntur. Oratione diei Veneris totum corpus. Poſt emiſſum lotium, flatum uentris, ſperma, recrementaq;, ablui oportet. Fœminæ ideo & uiri crebrò ſunt in balneis, & potiſſimum die Veneris. Oratione à Iudęo differt Muſſulmanus. Moſaici enim ſemel in die orant utplurimum: ſolenni uerò die bis. Chriſtiani ſepties: Muhametani quinquies, antelucano, meridie, tertia à meridie, ueſpertina hora, & prima uigilia. Dies Iudæo in hebdomada ſacer, ſabbathum: Chriſtiano prima, quā dominicam uocant: Muhametano Veneris dies. Septuageſimam habent in ieiunio maiori, Chriſtiani quadrageſimam in minori: Muhametani triginta diebus obſeruant. Semel Iudæi & Chriſtiani cibum ſumunt, & unica hora: totam noctem uentri Muſſulman poſt ieiunium commodat. Orant Chriſtiani in ortum ob Hieruſalem: Iudæi in occaſum, aliqua ratione: Muſſulmani in meridiem, ob Mecham. Nam à Ieſrab, quæ eſt Medinat alnabi, Mecha eſt uerſus meridiem. Annum habent Chriſtiani ſolarem, Hebræi mixtum, Mauri lunarem. Vnde quouis anni tempore contingit eorum paſcha, in quo ſibi remittunt manuum oſculo: Chriſtiani uerbo & communione, Iudæi azymis. Efferuntur in pedes Chriſtiani: alij duo in caput. Sedet cadauer Iudęi, iacet loco amplo Muhametanum, in anguſto Chriſtianum. Orat Iudæus pro defuncto: orat & comedit cum pauperibus Muſſulman: Chriſtianus orat, eleemoſynasq; largitur. Peregrinationibus uerò 4. menſes proximi ante & poſt behiram, id eſt paſcha dantur. Paſcha Iudæis refert maris rubri tranſitum, Chriſtiano Ieſu Chriſti hominis Dei mortem & reſurrectionem, apud Arabes legis originem. Ita quum ſummopere cauit, ne conueniret cū cæteris religionibus, illexit illos ſupheha & imperitos, qui multitudinis primæ fuere principium. Sed nunc ad legem, & eorum præſcripta ueniendum: ut quibus authoritatibus, & quomodo rogatis iſta nitantur, uideamus.

DE ALCORANO, SVNEH, ET CAETERIS *libris Muhamedicorum, eorumq́; approbatione.*

CAP. X.

IAm ſatis aperuimus, quomodo eludendæ uxoris Hadegæ gratia, & morbi ſontici cauſa ſpecũ ſubibat Muhamedes, & pro reſponſis referebat ſomnia. Eſt ita receptum apud eos, quòd una nocte totam legem acceperit: quamuis ſe paulatim illam habuiſſe, alibi contradicit. Si autem illam habuit Mechæ, ut ſcriptum & receptum eſt, oportet (per eos) partem eſſe falſam. Nam pars magna eſt ſcripta in Medina: quod titulis capitum patet, præcipue quæ ad rapinas, furta, & belli iura pertinent. Itaq; non eſt tota diuina, ſi recepta in Mecha eſt. Si autem Gabriel iſte dederit illam in die illa felici in Iezrab (nam multi ambigũt, ubi data dicatur) pars multo maxima non eſt ab eo. nam eſt Mechæ ſcripta. ergo nec à Gabriele data. Si autem dicatur data particulatim & uellicatim, iam habet in ſe frequens mendacium, quòd una nocte aut die recepta ſit. Verum ut ut res habeat, ipſo uiuente non eſt edita, ne de ueritate eius queri poſſet. Libellos uerò illos poſtquam à ſcriba erant excepti, & à quibuſdam memoriæ mandati, recondebat uarijs in arcellis, nõnunquam in parietum foraminibus, aut alibi: unde quum eſt collecta, & lex facta, repetita eſt. Duorum uerò generum pręcepta & leges promulgabat, aut leges, aut priuilegia. priuilegia tantum ſibi conceſſit, leges cæteris. Sed antequam progredior ab hoc loco, uolo quaſdam ſibi peculiariter cõceſſas leges attingere, ut ex his cęteræ æſtimentur. Omnes Muſſulmanos contentos eſſe debere ad ſummum 4. uxoribus, præter prophetam, ſancitum eſt. Illi quot libebat, accipere licebat. Indicabo illa loca, excutiendo Alcoranum, quibus hi ſenſus eliciuntur.

Secundò: quũ omnes Muhamedici relictas uxores, repudiataſq; permittere cuiuis alij, ut eas ducat, lege permiſſum habeant, & fœminæ ipſæ ſibi alios deligere uiros poſſint, noluit id ſuis permiſſum: ne quum authoritate prophetica illas bene uel male haberet pro arbitrio, & illę quæ à magnis parentibus, & diuitibus ortæ cum ingenti dote acceſſerant, prophetam relinquere poſſent. Itaq; uoluit etiam, ut ne poſt mortem quidem alios uiros acciperent.

Tertium priuilegium quũ Mauri ex æquo debeãt tribus aut 4. uxoribus, aut quot habent ſcilicet, æqualiter & rerum uſum & corporis facultatem diſtribuere: alioqui experiri apud iudicem licet, libellumq; petere, unde innumera litiũ
Syra. 143. oboritur inter Muhamedicos ſeges. Prophetæ uerò ea lex non præſcribebat: quoniam quas uolebat, amabat, & ditabat: quas nolebat, relinquebat. Deperibat enim uehementer illam, quam ſupra dixi, 8. ætatis anno delibatam, filiam Vbechari, qui poſt eum regnauit, Axam nomine, & Haiezan Homari. Quãuis enim pręter eas 13. haberet, frequentius cũ illis cubabat. Vnde alię uehementer conquerebantur. Illas itaq; compeſcuit oraculo ſolito, quod tamen ſuſpectũ etiam fœminis fiebat. Dicebant enim, Deum admodum obſequentem prophetæ eſſe, qui ſtatim illi pro uoluptatibus leges daret. Lex dicebat, prophetam non debere curare uerba & obiecta mulierũ: ſibi licere, quicquid uellet in eas. Maximè uerò ſunt admiratę illius Dei indulgentiam, quum poſt ſacramenta neglecta, & periuria crebra, depræhenſumq; hominem in adulterio, cũ Iudæa dono ſibi à Baheira rege Iacobitarum data, etiam familiariter colloqueretur cum propheta. Quum enim fidem uxoribus ſeruare non poſſet ob Iudææ elegantiam, amoriſq; impatientiam, eam legem edixit ſubobſcurã paucis pòſt diebus: quod maxi-

maximè ſunt admiratæ prædictæ uxores, & obmutuere. Itaque inde natum eſt quartum priuilegium, quòd mulieres datas prophetæ, ipſe poſſet ſine dotali inſtrumento, & iudicis præſentia habere ueluti legitimas.

Quinto, quum nemini liceat alienam uxorem habere, omnes tamen hac lege non teneri. Nam neminem debere habere eas uxores, quæ placerent prophetæ. Vnde pro forma legis cogebat maritos oraculis, precibus, minis, aut uerberibus dare libellum repudij uxoribus, quas ſtatim ducebat. Hæ ſunt leges Prophetæ, quibus uoluit uti. Quamuis autem ſint innumeræ ſimiles, ex his licebit legislatorem æſtimare. Mortuo Muhamede, uires primum coegerũt ad compeſcendam multitudinem Vbecharus, Homarus, & Halys cognatus eius, omnes prophetæ ſoceri, quas demũ mutuò in ſe conuertere ſunt adorſi. Tamen ui teſtamenti perſuaſionis & uirium, Vbecharus fuit ſuperior, rebusq́ eſt potitus. Secundo in loco fuit, Homarus etiã attentus multitudini retinendæ. Tertio loco Odmanus, quum uideret populum non poſſe in officio retineri armis, legem, quæ latebat adhuc, & quæ tantum de auditu & memoria à quibuſdam ita prædicabatur, ut uiderentur eſſe tot leges quot homines, ſtatuit undique collectam, ſeu ab ore, ſeu à ſcriptis in unum uolumen compingere, à quo ſolo eſſet authoritas petenda. Itaque Mechæ primum, demum in Medinat alnabi, ſcrinia Prophetæ aperiens, uaria illa fruſtula, ut ſe offerebant, in unum redigere per ſcribas ſuos adoritur. Prophetiæ per ſe laceræ, mancæ, partim à ſoricibus eroſis libellis, partim iniuria temporis obliteratis, ut quandoque ſub arculis, quandoq́ in murorum foraminibus poſuerat, repetuntur, & fiunt capita uarijs nominibus ita connexa, ut nil ſit præcedens, nil conſequens, quin planè ex æquo quadret, etiam mutatis locis. Nam nil per omnia connexum eſt. Porrò quoniam à murorũ foraminibus multa fuere tracta, ita in religionem uerſum eſt, ut quicquid Arabicæ ſcripturæ reperiant Muſſulmani domi, in uia, aut ubiuis, foraminibus parietum ueluti ſanctæ legis fragmentum reponunt, repoſitum oſculentur, ne pereat eorum lex. Quæ fragmenta ex Axæ domo, & ſcrinijs (nã ea, ut dixi, erat fœminarũ princeps, & cui omnia credebat) fuere reperta, illa in Sorat ſeu Aſſuar digeſta, ſunt dicta Mediniet: quæ à Mecha collecta, uocata Mechiet: id eſt capita, cantica, ſeu pſalmi, aut prophetiæ Medinicæ, aut Mechicę, ibi ſcilicet ſcriptæ. Totum opus tum longè quàm hodierno die maius, uocatũ Alcoranũ, id eſt collectio, ſeu lectio. Quia uerò in uaria capita diſtinctũ eſt, ideo Alphurcan alio uocatũ eſt nomine. Aſuar, ſeu capita, quòd ſolerẽt legi & cantari, ueluti cantica & pſalmi dicta ſunt. ſingulę periodi Aiet, id eſt miracula nuncupantur. Et quia in illis aiet ferè omnia ſe mutuò euertunt, & iugulant, poſteritas quędam ipſorum uocauit Muhquemat, id eſt iudicantia, ſeu quorum ſententiæ ſtetur: alia Gair muhquemat, id eſt nõ iudicantia. Sunt præterea duorum generum. nam quædam dicuntur Naceh, id eſt poſitiua: alia Manſoh, id eſt, reuocatoria primorum. Quod ideo (non ab eo tempore, ſed aſtu neotericorum) factum eſt à Chaliphis, & Alphachijs, ne omnino periret perſuaſio. Quũ autem eſſet recens, & multò certiſſima cõſtantiſſimaq́ haberi deberet, tunc nullus fuit planè, qui cũ alio in ea cõueniret. Primũ curauit Odmanus uocari, cõſulisq́ parentes, & ſi qui ſupererãt ſeptem illorũ uirorũ, quos in tanta familiaritate habuerat propheta, ut diceret, illis ſeptem etiã eſſe legem creditã. Illi omnes, ſe nil certi habere: ſi qui uerò haberent, id ſinguli eſſe optimũ & uerum, cætera falſa. Alij ediuerſo affirmabant. Præterea, quemadmodum in nouis rebus ſolet,

erant multi alij, qui etiam prophetiam totam ſibi uendicarent, ut ita captarent populum, partiſcꝫ opibus potirentur. Maior authoritas fuit Odmani, alijs repreſſis. Nec tamen potuit ea lex ſatisfacere omnibus. Nam pluſquam ducenta Alcorana omnino diuerſa fuere ſcripta, ſibi unoquocꝫ librum habente, quũ uirtute eius habere imperium cerneret ipſos ſucceſſores. Quidam poſt duodecim ſucceſſores Muhamedis, detraxerunt multa ipſi editioni Odmani, ut à primo capite pluſquam ducentas ſententias ademerint, & neſcio quot ſubſtituerint. Quo exemplo multi ducti, idem facere cœperunt, ut planè euaneſceret fides prophetica. Qua de re motus chalipha Babylonicus (eò enim primæ ſedes poſt Arabiam ſunt fixæ) legis arbiter (nam utrancꝫ potentiam ſibi iungebant, & ſacram, & prophanam, primi illi ſucceſſores) coëgit concilium Damaſci. Illum alij Merbam filium Elhaſſem, alij Abobecharum uocant. Statuit autem, ut quicunque eſſet doctus eius religionis ſectator, ad concilium ueniret, adferretcꝫ quotquot librorum de lege tractantium exemplaria haberent. in quam rem maximos ſumptus fecit, libros coactos omnes redemit, incꝫ locum unum incluſit: unacꝫ cum illis libris, ſex uiros peritiores eius perſuaſionis, Muslimũ, Buheirum, Buhorum, Annecenum, Atermundum, & Daudem. Cura illis eſt commiſſa, ut ex tota illa librorum mole colligerent ſex uoluminibus, tractationem legis, originem & progreſſum, ita ut quiſque ſingillatim totum opus compleret. Hoc opus authoritate præcedit Alcoranum, fidecꝫ in rebus dubijs maiori eſt. Ideo Suneh, id eſt lex dicitur, ueluti δευτέρωσις. Eas ſententias quas ſex illi uiri tam ab Alcoranis, quàm ab eorum interpretibus collegere, quatuor authoritatibus muniere. Nam ſi quid à diſcipulis Muhamedis, & ab Axa uxore chariore, & fabulæ conſcia relatum erat, id ueluti ueriſſimum primo in loco eſt, atcꝫ ſecundum id iudicatur. Secundo loco eſt cæterarum uxorum ſola authoritas, uocaturcꝫ debilius teſtimoniũ. In tertio, relatio doctorũ, qui eo tempore uixere, poſita eſt. Vltimo, authoritate inferiori doctorũ quidẽ, ſed qui à tempore prophetæ fuerant. Re peracta, reliqui libri, unde ſelegerant, ad ducentorũ camelorum onera, ſunt proximo in flumine merſi: prohibitumcꝫ, ne quis alijs quam Sune, & Alcorano uteretur. Solent itacꝫ omnes ſcriptores ab eo libro ita citare: Talis, à tali, à tali, à tali, is ab iſto, iſte ab Aſſa, aut à propheta, aut à quouis alio eius familiari, habuit. Hęc eſt eorũ fides. Verum ſtatim poſt cõcilium, quod coactũ eſt centeſimo, aut circiter, anno à morte prophetæ, illa multiplex opinio ſex authorũ, genuit maiores dubitationes: donec paucis poſt annis quatuor uiris primarijs, in ea re cura cõmiſſa eſt, ut locis cõmunibus colligerent ex illis inſtituta religionis, & quiſcꝫ ſingillatim etiã omnia tractaret. Primus horũ dictus eſt Melichus, cuius placita probãt deſerti Arabes, Aegyptij, Afri & Hiſpani. Secundo nomen fuit Saphihius, quem ſequuntur Baldachenſes, & Mechenſes. Hannibal auditur in Perſide, Aſſyria, & Armenia. Abahaniphã ſectantur Syri & Alexandrini. Ita ut ſint obortæ inter Muhametanos non ſeptuaginta nationes aut ſectæ, ut uocant, ſed quot ſunt prouinciæ parentes his nęnijs. Prodijt ab utrocꝫ libro doctorũ, & Suneh unus, quem Anuar, id eſt flores uocãt: ubi conatur quidã aliquid, quod ſibi ex omnibus cõſtet, colligere. Eſt etiã innumera aliorũ librorũ multitudo, ut quorũ dicta faciãt fidem, ſint 700. uolumina. Sed in prima authoritate eſt Chronicũ Haſſiar, liber Ariſcele, liber Mashool, & Chronica regũ. Vnde facta prophetę, doctrina, et mores peti poſſunt, ex quibus iſta decerpta ſunt. Sunt præterea quidã interpretes in Alcoranũ apud omnes probati,

Buha-

Buhratias, Butzemamin, Mahinud Mechenſis, & neſcio quot alij, Alcoranum ipſum in uaria capita diuidunt, pro ratione & uſu regionum. Nam in Africa & Aegypto Hiſpaniaq; aliter, aliter in Arabia diuiditur. Sunt in quibuſdã Aſuar, id eſt capita 211. quatuor libris comprehenſa. In quorũ primo ſunt 5. in altero 12. tertius 19 habet. Reliqua ſunt in quarto, 85 ſcilicet: nam ultima capita ſunt quædam duorum aut trium uerſuum. Volunt alij eſſe 112. ut habeo in meo Africano. In Aſiatico uidentur eſſe tria minus. Verum iſta nil ad rem. Eſt quid contineat perpendendum; quid proprium ſcilicet, quid à nobis, quid contra nos, quid contra ſe.

QVIS SIT SCOPVS ET SVMMA Alcorani. CAP. XI.

PRincipio ſeceſſus in ſpeluncam uidetur, ut iam diximus, multũ fauiſſe Muhamedes Iudæis, donec deſciſcerent: tunc uerò in eos agere cœpit. Pariter & erga Chriſtianos bene affectus uidetur: & reuera fuiſſet, ſi alios quàm Neſtorianos nouiſſet. Nec enim mediam uiam ſtatim reperiſſe potuit, donec comparata ab utraq; gente potentia, ita apud ſe conſtituit. Nam ſi omnino Iudæos eſſet imitatus, Moſi gloria adſcribebatur: ſi Chriſtianis ſubſcribebat, Chriſtus omnino hominem deturbabat. At ne uideretur priſca authoritate carere, dixit, ſe legem Abrahæ ſequi, & docere. Quod in ſora Ionus, id eſt Ionas, ait: Non fuit iſtud Alcoranum abſq; Deo effictum, ſed authoritate certa nititur, inter uetus & nouum Teſtamentum. Dum itaq; uidetur toto opere docere cultum unius Dei, idolaq; damnare, inſurgit è diametro contra Chriſtũ, in quem uidetur ſcripſiſſe Alcoranum Muhamedes. Quoties autem nominat (niſi duobus aut tribus in locis) illi omnia ſumma tribuit, præter diuinitatem & mortem. In omnibus uerò ferè periodis non eſſe Deum ait, & nil creauiſſe, nunc non iuuare, & ſexcentas blaſphemias. Compendium itaq; & ſumma eius libri eiuſcemodi eſt. Deum eſſe tantum unum, creatorem cœli & terræ, & omnium quæ in eis ſunt. Creaſſe hominem ex luto, demum ex cartilagine, deinde ex carne, inde inſufflaſſe de ſpiritu ſuo in eum. Angelos creauiſſe, & dæmones: illos de cœlo, iſtos de igne. noluiſſe diabolum, iuſſum adorare Adamum, & ideo damnatum. Prophetas miſiſſe multos, qui prædicerent calamitates, quæ aduenerunt non credentibus. Etiam ſe eſſe prophetam, cui debeat credi, ne perirẽt increduli. & qui mendacem eum dixerunt, ſenſuros ſupplicium. Eſſe infernum paratum incredulis: uocem uenturã de cœlo, cum clamore, cum tuba, cum tympano, & mortuos reſurrecturos, & recepturos propria corporis. malos in inferno uoraturos uenenum, ſulphur, & fructus arboris Zaconi, malam eſſe illam † manſionem. Deum ſapientem, iuſtum, bonum, honoratum nulli facturum iniuriam, retributurum unicuiq;. bonos qui dederunt eleemoſynas, & fecerunt * aſſala, & bonũ, ſolueruntq; decimas, in paradiſis futuros, in quibus ſunt flumina lactis, mellis, & uini, omnia genera fructuum. Sunt catamyti œnochoi ueſtibus polymitis ornati, daturi quendam puluiſculum ſaluatis. Et aderũt fœminæ pulcherrimæ, oculis grandibus & cæruleis, quæ per 50. annos erunt uno actu uenereo, & ſemper uirgines. Puluinaria illic poſita, ubi aſſideant unà ſaluati, & colloquãtur mutuò, & cum angelis. Vnamquanq; harum ſententiarum ſaltem ſexcenties in Alcorano reperies. Et interim dum ea ſingulis ferè periodis inculcat, infercit omnia blaſphemijs & ineptijs, contra Moſis & Ieſu Chriſti placita. Occaſione enim

† *Pro cibo. niſi fortè locũ damnatorum ſignificet.*

* *Id eſt preces.*

enim iuſta accepta in idololatriam Mechenſium, nunquã ferè non habet in ore, Et ſuſceperunt præter Deum, deos, & non eſt deus præter Deum, & participem faciunt Deo, id eſt ſimulachra adorant: Deum poſuiſſe obſtaculum ante oculos multorum, ne uideant ſe: eſſe omnes in errore manifeſto. Quibus omnibus & Chriſtum, eiusq; ſectatores, & Ellet, atq; Aluza, eorumq; cultores in Mecha notat. Idq; eo aſtu faciebat, ut ſi retorſiſſent alij, de alijs ſe intelligere diceret, & e diuerſo. Plura hoc in loco congererem, niſi percurrendo Alcoranũ uellem omnia in eo excutere.

QVAE EX VETERI NOVOQVE TESTAMENTO habeat. CAP. XII.

CReat mundum Deus modò ſex diebus, modò octo: poſtea Adamum, &c. Hiſtoriam Noach attingit uigeſies, ad terrorem inijciendũ. Meminit *Heberi, quem uocat Hud. Refert Abrahamum & Lot frequentiſſimè. Pœnam Sodomæ & Gomorræ, quod pluerit marmore ſuper eas. Aliquid de Iacob & filijs Iſraël attingens, recitat omnino hiſtoriam Ioſephi. Moſis & Aronis acceſſus ad Pharaonem, eductionemq; filiorum Iſraël ex Aegypto, de Dauide & Salomone frequenter meminit, & de pſalterio. Iob, Ionas, Elias, ſemel adducuntur. Tot uero fabulis ueluti emblematis, & teſſellato opere omnia exornat, ut ſit infiniti operis ea attingere. fient illa inter excutiendum. Paucis ſunt etiam attingenda, quæ à nouo Teſtamento habet. Iachiæ, id eſt Ioannis filij Zachariæ tradit hiſtoriã ſuo more, ut à fabris didicerat. De Ioachimoq;, de Maria & eius ſalutatione, de natiuitate Chriſti, educatione & miraculis, deq; Euangelio multis in locis meminit. uno aut altero loco Apoſtolorum. non ſemel ſacerdotum & eorũ ſocordiæ mentionem facit: uerũ planè ſimili fide omnia atq; ſuperius. Eſt itaq; hiſtoria à capite repetenda, non ut à nobis ſtat, ſed ut à ſtellione eſt labefactata, ſomnijsq; locupletata. Iſta ex ueteri Teſtamento infecit.

Id eſt Eber, cũ Geneſ. *Sumpta à nouo.*

Dæmonem qui bonus creatus erat, uult fuiſſe à Deo creatum malum: & ita negat Deum, quum facit authorem mali. Adamum dum iubet adorari ab angelis & dæmonibus, quid aliud quàm impietatem & idololatriæ principium in Deum refert? quum dicit diabolum ex igne creatum, nunquid & mortalem ut ex elementis conſtantem facit, quum ſubſtantiæ ſeparatæ æternæ ſint? Sed quid mirum? eundem facit auditorem & teſtem atq; prædicatorem Alcorani, demum etiam Muſulmanum. Adnectit mille fabulas arcæ Noah: & in libro de doctrina eius, ſtercus, mus, porcus, elephas, & ſexcentæ nenię adiunctæ ſunt huic hiſtoriæ. Abrahamum facit idololatram, & Lazari filium: quod intellexiſſet de parabola euangelica Lazari, & diuitis, Lazarum uocaſſe Abrahamũ non filium, ſed patrem. Cæterũ mille fabulas & colloquia illius cum parentibus eius refert. Nil ferè integrum ex ea hiſtoria tractat, præter uiſionem trium angelorũ. omnia ſuo loco notabuntur latius. In Ioſepho addit colloquium & uim heræ, litemq; deciſam propter induſium fractũ à parte poſteriori, ſignum ſcilicet eſſe, aggreſſionis à muliere. In Moſe cum Magis, quid nõ comminiſcitur, quid cum puero & piſce non fingit? Iam prodeant in medium dæmones Solomonis, prodeant animalia loquẽtia, upupa legata, reginaq; Saba ab ea uocata, prædicata fides ab upupa, &c. Quid fœdius, ſtultius, amenius ſcribi poſſit, non uideo. Verũ ideo ſatis habeo nunc ueluti digito indicaſſe, quum inter percurrendum nil nos poſſit fugere. Admiſſa in nouo Teſtamento hæc ſunt, &c. Zacharia patre Ioannis

Labefactata in ueteri Teſtamẽto. *Deprauata in euãgelio*

hannis, dicit eum fuiſſe mutum tribus noctibus tantũ. De Maria quidem, quod enixa eſt ad pedem palmæ, quod de ſpiritu ſancto grauida fugit domo, quod à parentibus probris fuit excepta, quod erat ſoror Aaron, quum ab alia 1506 annis diſtaret. quod Chriſtus natus, eſt eam ſtatim allocutus, dixitq́, ut excuteret palmam, & neminem alloqueretur. Illum uero (Chriſtum dico) fuiſſe in faſcijs & cunis loquutum, feciſſe ex luto formas uiuentes ex eius flatu, eum dixiſſe ſe non eſſe Deum, de Muhamed prædixiſſe, quod eſſet uenturus poſt eum, quod non ſit paſſus. Hæc ſunt inſigniora erratorum loca contra nos. contra ſeipſum uero, nouem mille locis pugnat. Nam legem ſibi datam uno die, demum uiginti tribus annis ſuadet ſe eſſe prophetam Dei, demum neſcire quid de eo ſit. eſſe Prophetam ab ortu, & alibi pauperem, & idololatram, Abrahamum fuiſſe primum Sarracenum. demum ſibi à Deo datum, quod eſſet primus Sarracenorũ. Legem Chriſtianam & Iudaicam eſſe recipiendam. demum nullum poſſe ſaluari, niſi per illius legem. In capite Elmumin, & alibi, ſe nolle cogere ad credendum: quum alibi necandos & ſpoliandos curet, qui ſibi non credunt. Se nil ab ullo petere: quum decimas à fidelibus, & ſpolia ab alijs petat. Suam legem eſſe mediam inter uetus & nouum Teſtamentum, alibi legem eſſe Abrahæ. Deum eſſe unum, & non habere ſocium: quum tamen ubiq́ ſe in conſortium ei adiungat, dum ait, Credite & obedite Deo, & eius Apoſtolo. quum unũ dicat Deum ſolum, demum illi iungit Spiritum. Vt uno uerbo cõpræhendam, nil ita ratum eſt apud illum, quin contrarium locum habeat. uetat alibi uinum, alibi ad ebrietatem uſq́ nuper expreſſum poſſe bibi: quod à morbo eius habet originẽ. Alijs enim prohibuit, quod per morbum aut bibere non audebat, aut ferre non poterat. Nunc uero ad rem uenio. percurram totum Alcoranum, notatis quibuſdam locis: demum quæ damna inde illa gens habeat, tradam.

ALCORANI PER CAPITA SINGVLA SEV *Aſuar, excuſſio.* CAP. XIII.

MOrem imitans multorum, qui in hanc nugarũ farraginem ante me ſcripſere, locis quibuſdam fuiſſem conatus compræhendere inſigniores lapſus hominis, niſi duabus de cauſis potiſsimum decretũ eſſet per omnia currere. Nam quotquot in hunc hominem ſcripſere, locis cogere eiuſdem generis errata ſategere: inter quos primas habent, Ricoldus, qui Latine ſcripſit, cuius librum Demetrius Cydonius græcum fecit: & Ioannes Andreas Maurus, in noſtram demum fidem diuino Spiritu perductus, utrique linguæ Arabicæ periti. Sed is peritiſsimus & legis & traditionum & linguæ, in qua iam ab attauis inſtructus fuerat, Alphachius, id eſt ſummus interpres & curio. quo ſanè nullus doctius ſcripſit. Scripſit & Dionyſius Cartuſianus, & cardinalis Cuſanus, multiq́ alij, uerum linguæ illius imperiti. Vnde reuera urgere non poſſunt, ut duo ſuperiores. Plurimi ſparſim attigere, & uellicatim improbare uoluerunt eas ineptias. unde ad loca cogenda mihi non eſſe relictum locum uideo. Cauſa altera eſt, quum ſit Alcoranum ſolidum quoddam mendacium, & continua impoſtura, non poteſt alijs locis, quàm ſeipſo cogi.

Phatehet elchitabi, id eſt ingreſsio libri.

Ea eſt oratio cõmunis Muſſulmanorum, principiumq́ Alcorani, quæ eſt ſeptem miraculorum, id eſt periodorum. In qua uolo oſtendere lectori, quid ſit Aiet, ut inſequentia intelligat. Numeris pono ipſa Aiet. In nomine Dei miſericordis propitij. Hoc proloquium dicebat, ſemper à correptione morbi, ecſtaſiq́

ſurgens. Vnde obtinuit, ut ante principia omnium capitum Alcorani ponatur, & à religioſis philoſophis in principio operum. Sed attendite ipſis miraculis. Laus Deo domino ſeculorum, id eſt miſericordi propitio. Secundo, regi diei iudicij. Tertio, Heus ſeruiamus, & heus adiuuabimur. Quarto, Dirige nos (in) punctum rectum. Quinto, (magna pauſa) punctum eorum, in quibus tibi bene complacitum eſt. Sexto, Sine ira aduerſus eos, & non errabunt. Septimo, Habetis miracula: uidetis ſententias. Ita habet totum Alcoranum, ut ſententia completa, aut non completa, dicant miraculum: quo quid abſurdius, non uideo. Hæc precatio illis eſt communis, ut nobis dominica: & ita à quibuſdã ad battologiam uſq; recitatur, ut centies idem, aut duo aut tria uocabula repetant, dicendo, Alhamdu lilla, hamdu lilla, hamda lilla, & cætera eius uocabula eodem modo. Idq; facit in publica oratione taalima, id eſt ſacrificulus, pro his qui negligenter orant, ut aiunt, ut ea repetitione ſuppleat eorum erroribus. Quidam medio in campo tam aſsiduè, ut defeſsi concidant: alij circumagendo corpus, ut omnino extra ſe fiant, & demum (Muhamedem inuitando) aliquid nugarum & obſcuritatis profundũt, ut idololatria & fanatica reſponſa in illis uideantur reuixiſſe. ita nuſq; Satanas nõ ſe ingerit. Hęc pro penſo certis numeris ſolet repeti, quũ quinquies in die naturali orant. Sed de ea ſatis. Videtur nil habere cõtra nos. ſed quiſquis callet Arabica, uidebit, ubi punctum & punctum rectum uocat, Alcoranum intelligi. nam tzirat elmuſtequim, id eſt punctum rectum, eſt apud eos æquiuocum cum Alcorano. Rogant itaque dirigi in perniciem, quũ in rectum Alcorani punctum, confertum mendacijs, dirigi uoto exoptant.

Sora bacara, id eſt Canticum bouis, primum cap. 285 miraculorum.

Ego paulò exactius perpendam omnia in principio libri primi, in hoc capite potiſsimum prima parte, ut in alijs locis non ſit uſq; adeò immorandum, ſed
„ ſint ſubindicanda omnia, & cum his collidenda. Dicit itaque. Hic liber, in quo
„ macula dubiumúe non eſt, eſt directio timentibus, qui credunt in abſcondi-
„ tum, ſeu latentem (Deum) & fundunt orationes, & de eo quod habent, largi-
„ untur, & qui credunt id quod cœlitus inſtillatũ eſt ſuper te, & quod inſtillatum
„ eſt cœlitus, his qui fuerunt ante te, quoniam in futura uita erunt innocentes, illi
„ ſunt in directione Dei ſui, atq; proſperantes. Sunt ſex Aiet. Nullũ illic uerbum, quin ſit uanũ aut ſuperfluũ. Atqui Muhamedice, poſtquã ea probas, ea etiam facias oportet. Quod primũ dicit nõ eſſe næuũ, dubiũ, aut maculã in hoc libro, falſum eſt. nã nouies mille mendacia, & innumera pugnantia, quibus nil fœdius, cõprehendit, ut patebit, & iam notũ eſt. Vnde directio timentib. nõ poteſt eſſe. Nã omnes te ô Muhamedes, ut tyrannicũ prophetã timebant: nec tamẽ directi ſunt abs te, ſed perditi. uerũ uolebas ut illecti his uerbis, & timore Dei correpti rudes te timerent. nã te timeri debere poſtea dicis, Deoq; in timore iũgis. Chriſtiani credebãt ante te in latentẽ Deũ, orabãt, dabãt eleemoſynas plures quàm tui. inter Iudęos quamuis perditos, etiamnũ nõ eſt mẽdicus. itaq; nil illis addis. Credere uero in id quod cœlitus in te miſſum dicis, nemo poterat, quũ ſigna nõ faceres, uitijs omnibus fœdiſsime laborares, ui adigeres: prophetæ uero omnes uitæ innocentia, miraculis, futurorũq; certis prędictionib. claruere. In id aũt debere credi, quod ante te eſt cœlitus miſſum, certum eſt, & per te conſtat. Deus quũ ſit unus & uerax, nõ mutatur. quod ſemel tradidit ueritas, ratũ ſit oportet. Illi uero qui ante te ſunt miſsi, quum à Deo ſint, ſi illis cõtrauenis, tua falſa ſunt. atq; in omnibus ferè es contrarius, aut diuerſus. ergo non es à Deo. Quod ſi debes recipi, debent & alij, fac te eſſe bonum. Itaq; ô Muhametane, Euangelium

&

& Moſis legem, ut bona & uera cœlitusq; miſſa nuncia recipias oportet, ea à Deo omnino eſſe credas, aut in Alcorano mendacium ſtatim à limine eſſe dicas. Sunt itaque noſtra à Deo, tua authore dæmone inuenta: nec egent noſtra teſtimonio impoſtoris. Hic certe, ut alibi ſæpius, aliud dixit, aliud cogitauit: dũ omnes ad ſe trahit, omnium placita probare uidetur, ut captet rudes auditores, ſenſim ſua inſtillat, & optima receptaq; euertit. Confirmatum erat multis ſeculis & miraculis primas leges fuiſſe cœlitus miſſas: eorum uero authoritate tibi patrocinari cupiens, illis tua, idq; frequentiſsime infers. Talis fuit Propheta, & miſſus à Deo, talis & talis, iſte item & alter ita prædicebant, & ita contigit, ergo Muhamed eſt propheta. Perinde atque ſi quis ita colligat, ueſtis eſt alba, intuſium album, thorax albus, ergo & pileus, quoniam in corpore tegendo conueniunt. Vitam futuram ante omnes credebant, imò tu ab illis didiciſti, quum eſſes idololatra, & lege & parentibus, quod ipſe fateris. Sequitur: “At impij, ſeu illis annuncies, ſeu nòn annuncies, nõ credent. Sigillum enim obfirmauit Deus ſuper corda eorum, & ſuper auditum & uiſum eorum caliginem, itaque habent ſupplicium maximum.” Vocabulo impiorum nunc potiſſimum petis ciues tuos Mechenſes, ut captes noſtros & Iudæos: uerum poſtea Chaphirorum, id eſt impiorum uocabulum in nos torques, tanquam Deum non habeamus. Quod demum dicis, Deum obſtaculum poſuiſſe ſenſibus hominum, ut prædicatione reſipiſcere non poſsint: quid aliud quàm dum territare uis homines, eos in uitia protrudis, libertatem adimendo? Deumq; iniquum conſtituis, qui puniat quos non uult, permittit ue eſſe bonos? ſubiungit. “Porrò quidam hominum dicũt, credimus in deum & diem iudicij, ſeu poſtremum, & tamen non credunt, ſed Deum ſubſannant: qui uero credunt & non ſubſannant, niſi in animo ſuo, nequaquam proficient, in cordibus eorum eſt morbus, & auget Deus morbum, habentq; ſupplicium maximum, eo quod mendacij nos arguunt. & quum dicitur illis, non corrumpatis terram: ipſi dicunt, equidem ſumus boni. nonne ipſi ſunt corruptores? ideo non proficient.” Viden' quomodo poſtquam uiſus eſt iure petere ipſos idololatras, quomodo arguat cæteros, qui proba erant fide (fac fuiſſe bonos Iudęos, & Neſtorios Chriſtianos, nam ex multis malis eſt delectus habendus) & omnino in ſuam ſententiam traducere conetur? Omnes male credere ait, qui ſibi non credunt. Pergit uero eſſe impius in Deum, quum malis noſtris addere mala dicit. Vnde fruſtra admones, ſi Deus eſt author mali. Pergo ad cætera, & paucis iſtis uolo Interpretis latini imperitiã oſtendere: & quàm temere fidatur antiquis uerſionibus, ad eos arguendos, oſtendam. Nolo interim obmittere, quod eius tyrannis proximis uerbis latè patet. Nam niſi iam uiolentia eſſet uſus contra illos, nunquam pro re tam uana & futili, aliud ore, aliud corde fuiſſent profeſsi. Diſsimulabant miſere necati, cædibusq; & rapinis diuexati homines, ne deteriora paterentur. Vocabat hoc morbum cordis, quòd aliud ore proferrent, metu adacti, aliò conſcientiæ iudicio raperentur. Dicit poſtea. “Quando autem dicitur illis, credite ſicut magnates: dicunt, nos credimus ſicut Supheha, id eſt ſimplices & rudes. nonne ſunt rudes? & ideo non intelligunt.” Quid ſibi uolunt iſta? credite ſicut homines (ita enim dicit elnaſſ. homines cultos ſcilicet, & ciuiles.) Exemplum adfert rudibus, ab his magnatibus, qui ſe illi adiunxerant cauſa prædæ, & imperij parandi, quales erant Vbecharus & Homarus atq; alij. Itaq; populares, quũ iſta obijcerentur dicebant, ſe malle ſequi rudem & incultã multitudinẽ, quàm paucorũ potentiorumq; factionẽ. Nõ enim eſſe temere mouendã auitã religionẽ norant omnes, & ſubodorare poterant fu

cum,& potentiā iam emergere geſtientē. Cōferamus ex hac arte docendi, legis
huius cōditionē. Quū Moſes eduxit populū Dei, nō dixit, credite, quia ille no-
bilis, aut ille credit, ſed quia ita uult Deus. de qua re ſi ambigitis, inauditis mira-
culis mecū agere Deum, oſtendere ſum paratus, dicebat: ſignisq́ probabat. Sic
fecit Elias, ſic Ieſus Chriſtus. Hęretici uero omnes alio more irrepunt, quū ſibi-
ipſis & nō Deo gloriā quærant. Incōuenientia quædā obijciunt. Vitia hominū
in dignitatibus poſitorū notant, ſuadent inde multitudini imperitæ illa uitia nō
eſſe hominū, ſed ordinis: ideo malos eſſe ordines, & nō tolerandos dicunt. & in
terim miſera plebs diſcernere neſcia quid inter ordinē & ordinatū ſit, lactataq́,
impoſtores rerū nouarū auidos ſequitur. Vt aūt maxime inſtent, ſi cuiuſquā iu-
dicio nō improbetur nouitas, id probari à magnis uiris aiunt, quorū iudiciū eſt
ſincerū. & affingendo iam magnū credentiū conſortiū, turbas cogunt, & inſur
gunt in cęteros impios (ut uocant) homines cauſa perſuaſionis, interim in opes
& fortunas meliorū & conſtantiū hominū inuadūt. Sic pertraxere hæretici in-
numeros in interitū, ſic factiones incitarunt in Rebuſpublicis. Ita ſuaſit Muha-
medes Mechenſib. ab incōmodis falſę religionis, & ab authoritate magnatum.
At obijciet quidā Alphachius, nōne iuſtiſsimè ſe oppoſuit uaniſsimo cultui ido
lorū? Si quis pro malis mutet peſſima, imprudentiſ. ſit opus. At idolorū cultu nil
eſt Deo ingratius. Deum uero unū colere, nil mali habet. Si bene colatur Deus,
nulla res præſtantior. Si male, & ſub eo nomine uitia maxima tegātur, ſatius eſt
longe ignorare illū, & præſcripto naturali duci, quàm cognitū blaſphemare, &
ſcelerib. colere. Nā ut ait Euāgeliſta noſter Ieſus Chriſtus, Seruus ſciens uolun
tatē domini, & nō faciens, pœnas plurimas dabit: qui neſcit, & nō facit, paucio-
res. Duabus rationib. præſtitiſſet Mechenſes eſſe idololatras, quàm Muhameta
nos. Nā ex illis uerū Deum ignorantib. ſi quis optimus naturæ ductu fuiſſet,
quamuis de Chriſto nō audiuiſſet, ſaluari poterat: quum nullus Muhametanus
poſsit, potueritue unquā ſaluari, niſi reſipiſcat ad Chriſtū. Altera ratione etiā li-
quet. Nā ſi Chriſtū prædices idololatris, facile credunt, & uerā fidē amplectun-
tur: Muhametani Chriſtianos etiā perſequūtur, & necant. Male ergo, & à malo
exordio docuit Muhamedes, quū eſſet ruſticorū etiā ethnicorū fides minus ma
la. Nā ethnici facile credūt Euangelio: & ſi perijſſent, ſoli perijſſent. Omnis ue
ro Africa, & maxima pars Aſiæ ſub peſte Muhamedis perijt. Dein. Quū aūt
„ capiūtur, qui crediderūt, dicunt, credimus: et quū receſſere ad dæmones ſuos, di
„ cūt, uobiſcū ſumus, certe nos ridebamus. Deus ridebit eos, et obſtinatos reddet,
„ in peruicacia ſua perſiſtent. Illi ſunt qui opinati ſunt tenebras eſſe directionē, &
„ nequaquā reſpiratio ſupererit illis, & nō erunt directi. Exemplū eorū eſt, uelut
„ exemplū eius qui quandoq́ cōpoſuit lucem, & nequaquam eſt ſplendor circa
„ illum. retraxit Deus lucem eorum, & reliquit eos in tenebris, ne uideant. Sur-
dus, mutus, cæcus (populus) ipſi tamen non reſipiſcunt. In eoſdem agit terri-
tando, & pergit adimere iudicium ueri ipſis hominibus, & Deum authorem
nequitiæ conſtituere. Si Deus adimit lucē, quis credat? Itaq́ oportet in luce dia
boli credidiſſe ſectatores, qui ſine luce Dei ſunt Muſſulmani. Si ſint enim ſurdi,
cæci, muti, & iudiciū non habent cognoſcendi lumen, ſequitur aliunde duci in
perſuaſionē, non à Deo, qui ſuſtulit lucē, ne uideant: ergo à diabolo, quod uerū
„ eſt. Sequitur: At quādo procedent (diſtillabunt) de cœlo tenebræ, tonitru, ful-
„ gurq́, ponēt digitos ſuos in aurib. ſuis, ob fragorē tremoris mortis, & Deus de-
„ lebit impios. certe fulgur labefactabit oculos eorū: & quo magis illuſtrabit, illis
„ deterius erit. Quando autem obtenebratum fuerit ſuper illos, & opes eorum,

ſurgent,

ſurgent, & ſi uellet Deus, abſtraheret tolleretq́ auditum eorum, & uiſum eorũ. quoniam Deus eſt ſuper omnia potens. Hæc eódem ſpectant, atque ſuperiora. inculcat enim ruſticis illis, quæ Chriſtiani certiſsima habent, quamuis qualitate non ſimilia. Sed paulò altius pergo. Heus uos homines, ſeruite Domino ueſtro, qui creauit uos, & illos qui ante uos fuere, ſi quando timeatis. Qui poſuit uobis terram in ſolum & ſedem, cœlum uero in ædificium excelſum, & emittit de cœlo aquam, & educit cum ea fructus in opulentiam ueſtram. Et ne ponatis Deo ſimilitudinem, & uos ſapietis. Iſta omnia à nobis longè antè, & melius ſunt credita. de ſimulachris autem eſt ſatis cautum. Verum uerbum ambiguum ſemper ponit, cum de participe ait, ut in idola, imagines, & Chriſtũ agat. Subiungit. Et ſi eſtis in dubio (iam Deus loquitur, ut uideatur cõmune uerbum Dei, & Muhamedis, quod toto in libro fit) de eo quod cœlitus inſtillauimus ſuper ſeruum noſtrum, uenite cum Sora, id eſt cum quodam capite, uel Pſalmo huic ſimili, & uocate teſtes ueſtros præter Deum, ſi eſtis ueraces. Iam palàm inſurgit in nos, & quos dixerat paulo antè cœlitus accepiſſe libros, nunc non habere caput unum apud ſe, huic æquiparandum, & quo poſsit in hoc agi, dicit. Quum de ſe loquitur, facit Deum loquentem, terrendi cauſa. quos autem teſtes noſtros uocat, præter Deum, intelligit Chriſtum. Itaque maxime patet quod à principio dixi, dum fingit agere in idololatras, in nos ruit totus. Nam quod caput potuiſſent afferre idololatræ, qui cultum ex uſu, non ex lege habebant? Inter Ethnicos enim, quamuis eſſet falſus cultus, tamen ſi lege firmabatur, illa non prodibat publice. Porrò ſatis aperui libro primo Chriſti diuinitatẽ, & quomodo neceſſariò ſit credendus Deus, etiam humanis rationibus, ſi cuiquam deſit fides. Addit. Quod ſi nõ feceritis, non faciatis, ſed timete ignem, qui ipſe perforabit homines & ſaxa, qui promiſſus eſt impijs. Vult terrorẽ earum rerũ quas credimus obijcere, ſi non attendatur. Subiungit. Annuncia illis qui crediderunt & fecerunt bona, quoniam habent paradiſos, ſub quibus fluunt flumina, ut hæreditent à fructibus eius opes. Dixerunt, hoc eſt quod in opulentiam nobis iam ante promittebatur, & dati ſunt in eo paradiſo ſimiles, & habent in eo coniuges admodum formoſas, & omnibus cõmendabiles, ſuntq́ in eo ſedentes & colloquentes. Nec ſinet Deus, ut quid proponatur ſimile, ſiue circa, ſiue ſupra, & certe qui crediderunt & intelligunt, quod eſt uerũ à domino ſuo. Hic eſt ille nobilis Epicureorum & porcorum paradiſus, digniſsimus authore, brutis animantibus ſimilimo. Spiritus ante reſurrectionẽ in paradiſis comedunt & cõcumbũt: corporibus uero receptis, quum nulla ſit futura amplius generatio aut corruptio, dabitur gulæ & Veneri opera, & quæ in hac mortalitate ob neceſsitatem & uoluptates corporis appetuntur, in immortalitate ubi erit tota in Deo contemplando fœlicitas, (quæ etiam hic in perfectiſsimis eſſe ſolet) in uſu erũt quæ hic ad fœlicitatẽ uiam impediunt. Nam uentris & Veneris mancipio nullum eſt infœlicius. Relictis ſanctiſsimis ſcripturis, quæ de uera & abſoluta fœlicitate tractant ſobrie & rationabiliter, iſta fuere ruſticis ſellularijsq́ Arabibus digniſsima introducenda: uerum nil frequentius occurret his paradiſis. In fine uero periodi, ubi ait, Qui crediderunt, quod eſt uerum à Domino ſuo: intelligit uerum ſuum, in quo credendo tales paradiſos habebunt ſequaces. At impij dicent, quid ſibi uult Deus in hac parabola? Multi errant cum eo, & diriguntur cum eo multi: & nequaquam errant cum eo, niſi corrupti. Parabolam uocat hic Alcoranum. Obijciebant enim, qui nugas improbabant, quum multi nequiſ-

ſimi hominum eſſent cũ legiſlatore:quid ſibi uult iſta lex Dei,in qua ſunt multi nequam, & multi directi:ut ſi dicerent, ſi eſt Dei, non debent fieri mali homines eius pręſcripto.ſatisfacit,Nõ ſunt,inquit,mali,niſi mali.optima demonſtratio,non eſt uinum niſi uinum,& non eſt gladius niſi gladius,&c.Qui uero falſum inducunt & defectum, priuat Deus poſtea certitudine, & abſcindũt quod præcepit Deus in ipſa,comburentur & corrumpentur in terra, & ſunt damnati. Territat ne ſua,quæ libellis diſſeminabat,corrumpantur,& ut pro diuinis habeantur, quum tamen ſeptem annis ſibi factum fucum à ſcriba,omnia pro arbitrio immutante,non deprehenderit,niſi poſtquam reliquit impoſtorem,& ſollicitauit cæteros ad defectionem.Ideo quod aperuiſſet fraudem eius, illum dormientem necari curauit: quo exemplo in inimicos,ueluti licito, omnes Muhamedici, potiſſ.principes utuntur. Quum facti eritis impij cum Deo, tunc efficiemini mortui, & uiuificabit uos: demum mortificabit uos, poſtea uiuificabit uos,tum demum ad eum redibitis. Terriculamenta ſunt iſta, ne à lege eius deſciſceretur. Sequitur. Ipſe eſt qui creauit nobis quicquid eſt in terra tota, demum aſcendit ad cœlos,& æquauit eos ſeptem cœlis,& ipſe eſt in omni re ſapiens.Deum hic facit moueri motu locali,& finitum,unde etiam corruptibilem. & rerum inuertit ordinem: nam priora dignitate, præceſſere creatione, præter hominem, qui finis eſt inferioris & mundo incluſæ materiæ.Ideo dixit Moſes, In principio creauit Deus cœlum et terram:cœlum & cœleſtia,ut cauſas primo loco:elementaria,ut effecta, ſecũdo.nõ quod ſucceſsiuo motu illa prius,iſta poſterius, ſed quòd intellectuali diſpoſitione, ea ita cognita creauerit ſimul, quæ aliter capi à nobis non potuiſſent,niſi ita ſcripta eſſent. Deinde dicit. Et quando dixit angelis,Ego pono in terra pręfectum:dixerũt,ponas in ea, quod corrumpatur in ea,& effundat ſanguinem. Nos autem laudabimus te cum celebritate tua,& ſanctificabimus te.dixit,ego ſcio quod uos neſcitis. Et docuit Adamum nomina omnia, & latitudinẽ ſeu accidentia eorũ ſuper angelos. Et dixit, uocate,id eſt celebrate me in cœlo, ſi eſtis ueraces.& dixerũt,laudamus te, nec eſt nobis ſcientia,niſi quam nos docuiſti: quoniã tu es ſapiens iudex. Hæc omnia ſunt ſomnia nullibi ſcripta,eò tẽdentia,ut quod ſacroſancta dixerat trinitas (fac loqui Deum, quin alioqui exprimere non poſsimus diuinæ mentis conceptus) faciamus hominem ad ſimilitudinem & imaginem noſtram,eludat fabuloſis ſomnijs.Cęterum uerbum Pheſeda,quo eſt uſus pro corruptione, non tantum ſignificat illam neceſſariam naturalem,& generationi oppoſitam,ſed ubique capitur pro corruptione peccati:qua ſignificatione, ſi accipit Deum authorem mali,facit ut ſuprà uiſum eſt, negatq; eſſe Deum: manifeſte uero angelos & Deum malos conſtituit,qui hominem homicidam productum uolunt.ab ea enim impietate etiam Abenreis eſt alienus. ô prophetam Satanæ, & diaboli inſtrumentum. Nil enim malum creauit Deus.Sequitur.Dixit, Heus Adam uoca ea nominibus eorum.& quum uocaret ea nominibus eorum,dixit, Nunquid dico uobis, quoniam ego noui occulta cœlorum & terræ, & noui quod propalatis & occultatis? Videtis quàm diſſoluta & abrupta coniungit,quũ quid uocet Adam,non dicat.hoc eſt emblema laceratum,ab impoſitione nominum animantium & rerum. Addit, Et quando diximus angelis,adorate Adamũ, & adorauerunt, præter diabolum, qui ſuperbiuit, & fuit de impijs.Perpende ô lector cordate,Deum Muhamedis,mali authorem,iniuſtum,homicidam(nam qui eſt in cauſa, eſt in culpa) & idololatrã,Deus benedictus uult coli ſuper om-

nia, iubet nunc Deus Muhamedis angelos adorare hominem, mortalem,pec-
catorem,ſanguinis effuſorem.ô amentiam & impietatem cogitatu nephariam.
angelus fit damnatus, quod impium cultum nolit homini impendere. Diuina
certe lex,quæ talia præcepta habeat. Poſtea. Diximus autem,heus Adam,
habita tu & uxor tua paradiſum,& comedite ex eo fructus,prouentus'ue ſecun "
dum proprietates ſuas, & ne accedatis ad iſtam arborem, ne fiatis iniqui.& am "
bos ſeduxit ſatanas ex eo, & eduxit eos inde.Dicit ſacra ſcriptura,ne comeda- "
tis: iſta aũt:ne accedatis.Dicit ſcriptura, præbuiſſe uxorem aſſenſum tentatori,
hic liberum arbitrium homini adimit,quum dicit feciſſe Satanam, quod fecere
aſſentiẽdo. Et diximus egredimini,mutuo hoſtes facti, & habeatis in terra la- "
borem & afflictionem ad tempus. & percepit Adam Domini ſui uerbum, & "
cõuerſus eſt ad eum,quoniã eſt cõuerſor pius.Et diximus:abſcedite ex eo unà. "
Certe ueniet uobis à me directio,& quicunq; ſequuti fuerint directionem,non "
eſt illis timor, nec erunt confuſi. Videtis interim dum miſcet omnia falſis, rem "
ſuam agere. Nã huda,id eſt directio,pro Alcorano poni ſolet.& hic dicit, pro-
miſſum fuiſſe Adamo.Nõ ignoro, quandoq; pro alijs directionibus capi:ſed ſi
Maurũ roges,quid primò intelligat ea uoce,dicet muſtequim elzirat, id eſt pa-
ctum rectum. Conſequenter. Et qui impie egerunt,& falſa dixerunt mira- "
cula noſtra,illi ſunt conſortes ignis, inq; eo ſedebunt & conſiſtent.Pro ſe iſta di "
cit,ut impij illi uideantur,qui illi refragantur, impietatẽq; ac nugas improbant.
O filij Iſraël recordamini beneficij mei, quo benèfeci uobis,& cõſeruate fœdus "
meum conſeruatione fœderis ueſtri,& perſiſtite. Et credite id quod cœlitus im "
miſſum eſt certiſsimum,ad id quod eſt uobiſcum, id eſt legem ueſtram: & ne ſi- "
tis primi impij in illud,et ne diſceptetis de miraculis noſtris,ne tantillum quidẽ, "
ſed timete.Satis hoc in loco aperit aſtum,quum dicit confirmationẽ eſſe ueteris
Teſtamenti, unde expectabundæ genti, & rerũ nouarũ auidæ, ſe loco Meſsiæ
obtrudere uolebat. Illis enim captatis,putabat facile futurum,ut facerent illi gra
dum ad cæteros captandos. Si autem Alcoranum confirmat,legem Moſis non
debet illi contrauenire,quod in multis facit. Terret tamen, ne perquirant de do
ctrina,ne ſe fucus prodat. Ne confundatis uera cum falſis. Tegite & occultate "
uerũ,& eritis ſapientes.Hoc in loco palàm ſeipſum prodit, dũ illis ſuadet ut ue-
rum celent. quod ipſum ſanè fecit,falſiſsima omnia obtrudens. Iſte locus nullà
eget refutatione. Deinde. Orationibus noſtro more inuigilate,ſoluite deci- "
mas,parete cũ parentibus,alloquimini homines cum innocentia,purificate ani "
mas ueſtras, & legite librum, ſi quo pacto intelligatis.Iuuetis uos mutuo cũ pa- "
tientia & oratione,quoniã ea eſt magnitudo,niſi peruerſis.Hæc omnia ſunt ex "
Moſe & Chriſto,præter lectionẽ & Hazala more Muhamedis. Sequitur.
Qui putant quod euadent dominũ ſuum, certe illi ad eum redibũt. O filij Iſraël "
recordamini beneficij mei,quod in uos cõtuli:benefeci uobis in generationib. "
timete diem extremum, non præmiabitur anima pro anima ullo modo,& non "
recipietis ab ea miſericordiam, & non recipietis ab ea iuſtitiam, & ipſi non iu- "
uabuntur. Nebulo hic applaudit Iudæis, & in Chriſtum Ieſum inſurgit. Id e-
nim ſolet: quod non audet in unum effundere,in alium dicit. Verum ſatis con-
tinui ſermonis ſum ſecutus ordinem, nunc loca inſigniora perſequor. Et quum "
dedimus Moſi Alphurcan: hoc eſt falſiſsimum. Nam ubiuis in Alcorano
Teuriet, id eſt legem ſignificat Moſis, Alphurcan & Alcoran idem ſunt. Nunc
uero ut uideatur idem docere atque Moſes, uult illi adſcribere ſuum titulum.

Nam ante Muhamedem uox aut titulus ille Alcorani & Alphurcani erat inauditus, at iam bis mille 120 annos præceſſerat Moſes tempora Muhamedis. Et quum diximus Moſi, percute cum uirga tua petram, & profluxere ab ea duodecim fontes. Numerũ hic addidit de ſuo, ut Iudæis prophetica reuelatione illud plus quàm Moſes habere uideretur, & gentem mobilem ad ſe traheret. Quod autem ſequitur. Et quando dixiſtis, ô Moſes non poſſumus amplius tolerare ob cibum unum. Ideo inuoca nobis dominũ tuum, ut producat nobis de eo, quòd producit terra de fabis, cucumeribus, blitis, lentibus & cępis eius dixit, permutare uultis malum, & incertum pro bono. Abſcedite in Aegyptũ, & fiet uobis petitio ueſtra. Hæc omnia addita ſunt credulitatis Iudæorum gratia. Ex quibus conſtat eſſe mendacem authorem, quum dicat nõ eſſe iſta niſi ſcripturas antiquorum: et demum centies pœnitentia ductus, idem negat, quoniam aſtus patebat. Sed audite ſcopum nebulonis: Qui autẽ credunt, & directi ſunt, ſeu Chriſtiani, ſeu apoſtatæ: quicunq; in Deum, & diem iudicij credunt, & faciunt bonum, habẽt præmium ſuum apud dominum eorum, nec eſt illis timor, nec confundentur. Axioma iſtud prodit authorem, omnes nationes profitebantur religiones ſuas ut bonas, nec meliori opus eſſe dicebant, ideo & nouam Muhamedicamq; nolle recipere: illis ſuadet eſſe ubiq; ſalutem, ut quum cogitauerint omnia eſſe paria, tam coacti & preſſi eius importunitate & tyrannide, in illius præſcriptum tranſire non differant: ea eſt intentio. Verum rogatos uellem omnes Muhamedicos, poſtquam leges omnes benefacientibus ſunt bonæ, Nónne ergo idolum colens, & naturali pręſcripto bene utens, bonumq; faciens, ſi iudicium credat (nam idololatra quærit aut nouit Deum) eſt æque in uia ſalutis, atq; ille, qui diuinitus legẽ accepit? Iudæus & Chriſtianus, ſi id dant: ergo Deus fruſtra dedit illas leges, quum boni & mali ſint ubiq;, & boni ethnici perinde ut boni Chriſtiani & Iudæi, ſint ſaluati. Vide quò recidat hæc propoſitio. Ergo lex Muhamedis non facit hominem meliorem bono idololatra: ut reuera deteriorem longe facit, quod diabolus author huius præſcripti, coactus fuit per os huius prophetæ dicere. Verum fac eſſe Muſſrechine, id eſt idololatras deteriores, ſi in omnibus legibus eſt ſalus, capitibus Elemphaal, & Catel, & Muhamed & Theubet, id eſt prouentus, occiſionis Muhamedis, & conuerſionis? quare in omnes arma contorques, quare Iudæos miſere ubiuis terrarum afflictos enecas? quid Chriſtianis, innocentiſſimo hominum generi non parcis? quare occidi iubes ſine diſcrimine? Nónne tu es omnium mortalium iniquiſſimus, qui pręterquam, quod legem Dei perinde ut idolorũ habes, etiam noſtrorũ legem, quam diuinã faſſus es, faterique cogeris, euertis, ſectatoresq; eius perimis? Hęc erat Muhamedis ſententia, ut diabolo ſterneret uiam, Deumq; eſſe negaret. nam qui æquat idolum & leges, quibus colitur Deo & diuinis, quid aliud quàm Deum negat? Eſt quidem (quod & nos fatemur) in ſingulis legibus quibuſdã ſalus, ita tamen, ſi de Deo uero, aut Ieſu Chriſto eius filio non acceperit. Poſt acceptam uero cognitionem ueritatis, ſi quis non credit, nulla omnino ex quantumuis bonis operibus illi ſalus ſupereſt. Audiant æquo animo iſta quibuſcũq; placet hæc ſententia. Ponamus aliquem hominem ſumma innocentia educatum, conuerſatum cum cæteris innocentiſſime, qui præſtantiſſima tam animæ quàm corporis habitudine cõſtet (nam ſine illis functiones probè obire intellectus nequit) nil unquam alienæ rei rapuerit, habuerit ue, ſua ultro quatenus habuit, largitus egentibus ſit, qui omnia genera morborum tam animi quàm corporis curauerit,

rit, elementis & dæmonibus imperauerit, cuius uerba & doctrina planè ſunt factis ſimilia, omnino in utilitatem proximi, emendationem hominis, & Dei cognitionem tendentia, nil contrarium aut repugnans habentia, quæ pro lege recepta ſint. Opponamus huic hominē mercimonijs educatū, fraudare (quod omnino mercatori quęſtuoſo eſt cōmittendum) emendo uendendoq; ſolitum, laborantē & animo & corpore, ad amentiam ſenſusq; perditionem uſq;, qui toto uitæ curſu ſaltem 23. annis aliena hoſtili iure rapuerit, atq; ex pauperrimo potens tyrannus effectus fuerit, ſi quid largitus eſt, ex alieno clepſerit, nil unquā clari aut honeſti facinoris in uita ediderit, cui uoluptates omnes imperitarunt, qui omnia in ſuam utilitatem cōuerterit, cuius lex demum ſit uitæ perſimilis, cędibus ſcilicet & mendacijs plena, omninoq; pugnantibus ſententijs referta, iudicio naturali, cuius pręſcriptis rogo ſubſcribere malles? Nonne illæ duæ leges æquandæ uidentur? utrunq; accipio ueluti hominē, & Chriſtū & Muhamedem. Iam ſi dem Chriſto, quæ uolens Muhamedes ei conceſſit, cōceptum ex Spiritu ſancto, natum ex uirgine, ſtatim ab aluo locutū, in cunis confabulatum, aues ex luto ſolo flatu animauiſſe ubi digitis effinxiſſet: ſi addam ſectatorū innocentiā, qui in præceptoris nomine omnia uenena ſine nocumento biberūt, ſuper aſpides calcarunt illæſi, morſu uiperarum non ſunt labefactati, omnia miraculorū genera ad neceſſitatem hominum facientia ediderūt, omnes uitæ quàm ueri iacturam facere maluere, quid ſentiet, cum his componendo alterius legiſlatoris ſectatores, qui ad triginta conſequenter ob auaritiā & regnandi libidinem ſeditioſe necati ſunt, quorū poſteri non rarò quindecim & 20. & 30. fratres régnādi cupidine necant: nónne ſimiles et æque ad ſalutem facientes horū leges iudicabit? Perpendant iſta diligenter, & impij & Muhamedici, luciſq; atque tenebrarum, ſalutis. Et perditionis diſcrimen ineant demum utrum uoluerint ſequantur. Pergamus. Et quando cœpimus fidem & certitudinem ueſtram (ô Iudæi) «
eleuauimus montē ſuper uos, ſi forte timueritis. Vbi eſt mons ille in ſacris? Quū «
daretur lex, & diuina fulgura ferre filij Iſraël non poſſent, ad montis latus ſecedere iuſſi ſunt, ne uiderēt, ſed audire poſſent. Itaq; Muhamedes, quaſi Deus caliginem opponere non poſſet uiſui illorū, montē in aëre pendentem ſuper 1000 centena hominum milia poſuit. Videtur altercationi Iudæorum hoc in loco ſatisfacere. Illi enim plurimū ambigunt, quî fieri potuerit, ut iuxta montem ad radices eius populus poſitus, minus uideret quum eſſet propior. Hoc fecerat Moſes illorum rogatu, quod ſe ferre non poſſe prodigiorum maieſtatem dicerent. Vnde dicunt quidā Rabini, excauatū fuiſſe, & pendulum montem neceſſariò, ut eò cōcederet populus: in re facili admodū occupati. neſciūt enim, aut neſcire uidētur, quòd quo magis diſtas à monte altiſſimo, eo magis (modò nō extra uidendi potentiam progrediare) apparent quę in cacumine eius fiunt: & quo magis accedis ad radices, eo minus apparet faſtigium. Quum diuinæ maieſtatis ſigna illos quorum gratia apparebant, terrerent, ita ut etiam Moſis conſpectum non poſſent ferre, opus erat illis ſatisfacere, legemq; dare, & etiam oſtendere quomodo daretur. Itaque ſi receſſiſſet longius populus à loco, nec uidiſſet, nec audiuiſſet mirabilia illa. Quum autem ſaltem altero ſenſuum confirmari illa uellet Moſes, adduxit populum in eum locum, ubi ſi non uideret, ſaltem audiret tonitrua, & horrendum ſtrepitum uocis. Moſes enim, cuius ſimiæ multi facti ſunt, non fuit cæteris legiſlatoribus ſimilis. Nam illi omnes ſecedendo à popularibus, colloquia diuina ab antris petebant, à templis, à locis in qui-

bus nec audiri nec uideri poſſent. Poſtremus uero omnium Muhamedes cata-ſtrophen fabulæ addidit, cum antro & Gabriele. Moſes ſolus ſeceſſit quidem; ſed ita ut centies centena hominum milia non poſſent ea prodigia excitare, quæ in monte eo conſidente apparebant: nec uni aut alteri impoſtori tantum, qui fabulæ inſeruiret, ſed pluſquam à decies centenis hominum milibus (nam 600000 hominum arma ferre ualentium, ex Aegypto exierant) illiſq; ceruicoſiſſimis, uidebantur & audiebantur. Doctoribus itaque Iudæorum eſt interpretis loco functus, cum ſuo monte aëreo. Volui cauſa quorundam impiorum paulo latius iſta tradere, & in throno Machiauellano ſedentibus, hanc differentiam perpendendam proponere. Quid ſubiungam de uacca? cuius titulum fert hæc Syra? Quot fabulas nectit ex uno loco ſacrificij numerorum 19? Omnia ſunt ridēda, et exibilanda. Populus facit ut Moſes interroget Deū, quid ſit uacca. Moſes timet eſſe. ſtultus rogat populus, ut conſulatur Deus, qua habitudine demum, quo colore: atq; ut aſſit uacca ſimilis. quæ omnia abſunt à litera ſacra. Opus itaq; te eſſe mendacem Muhamedes, quum tu habeas fabuloſa, & maniſeſtè falſa, quæ contraueniant ueteri Teſtamento: in quo recipiendo conuenimus Chriſtiani cū Hebræis, ne dicas ea eſſe deprauata, & tua integra. Eſt enim perfugium uictoriæ Muhametanę, quū urgentur, noſtra fuiſſe deprauata. Græci, Latini, Hebræi, Syri, Armenij, Iacobitæ, etiā Samaritani in exemplis conueniunt contra te ô Muſſulman. unde quum ſint in Alcorano, quot uerba, tot errata mendaciaq; (niſi quatenus noſtros ſequeris:) ſequitur, hanc legem eſſe nefarij dæmonis inuentum. Nil addo eiuſdem fabulę. nam ea eſt longior, & ſeipſam abſurditate refutat. Quū eſſent deprehenſæ ineptiæ huius legis ab Abdalla Ben ſalone Iudæo (quem ſuprà dixi ſeptennio toto inuertiſſe quæ excipiebat) & ille aperuiſſet cæteris, exclamat iſte propheta, poſtquam falſa multa de lege Hebræorum dixit. ait uero:

» Væ illis qui ſcribunt librum manibus ſuis, & poſtea dicunt, hoc eſt à Deo, ut ambigant in eo pauliſper. Væ illis ob id quod ſcripſit manus eorum, & uæ illis ob id quod perpetrarunt. Et dixerunt, non attinget nos ignis, niſi in die exhibendæ rationis. Dic, occupauiſtis apud Deum pactum? & tamen non differet Dei pactum, ſi dicatis de Deo quod nō intelligitis. Sed quicūq; perpetrauerit malum, & peccatū in eo peccauerit, ille erit ignis particeps, in quo commorabitur.

Territat illum qui immutauerat, & cæteros quibus libellos ediſcendos dabat: quia ſi mutabant, non aduertebat, quoniam ſomnia in mentem ei non redibant. unde oblita ab illis reſtituere neſciens, magno pudore ſuffundebatur. dicebat tamen: quamuis mutetis, Deus nō mutatur: & quamuis uos mutetis pactum iſtud Dei, nō tamen eius pactum mutatur. Nunc ergo inſurgit in Iudæos, & ait.

» Quando autem dedimus Moſi librum, & addidimus poſt eum prophetas, & dedimus Ieſu filio Mariæ ſapientiam, & formauimus eum de Spiritu Sancto: & quo magis uenerunt ad uos Prophetę in id, quòd nō deſiderabat anima ueſtra, ſuperbiuiſtis, & diſſenſionem feciſtis, mendaces dixiſtis, & inter diſſenſiones occidiſtis.

Hæc ſunt pro Chriſto in Iudæorū inuidiam ſcripta. Ita ueritas, uelit nolit, inuidia, prodit etiā inter mendacia. Vides Chriſtū, contra quem tamen ſcribit, donatum eſſe Dei ſapientia, & conceptum ex Spiritu ſancto, dictum fuiſſe mendacem, demū etiam interfectum. ita enim uidetur inferre, quamuis alibi contraueniat. Subiungit in Iudæos.

» Certe maledixit illis Deus, ob impietatem eorum. ſenſim enim non credunt: & quum ueniſſet ad eos liber à Deo uerus, ad id quod habent (cōfirmandum) & fuerunt iamprídem

dem aperti, id eſt propalati à Deo ſuper impios, nihilominus quũ uenit ad eos «
quod cognouerunt, deſciſcunt ab eo, & maledictio Dei ſuper impios. Se inge- «
rit imprecationibus diuinis, cęterum pergit ſuam legem cœlitus miſſam dicere,
cui illi ſuam opponunt, unde adhuc improperat illis occiſionem prophetarum:
Paulo poſt ait hoſtem Dei futurũ, quicunq; aduerſarius Gabrielis & Michaëlis
fuerit, eumq; futurum impium. Quaſi eſſet in confeſſo, ueniſſe angelos ad Muhamedem,
morbum ſonticũ diſſimulantem. Sed audire operepræcium eſt theologiam
huius legislatoris. Sequamini quod legitis, dæmones apud regem Solo- «
monem, & quid impie egerit Solomon. Et ideo dæmones impij ſunt, docentes «
homines incantationẽ. Probro uertere uidetur hoc in loco impietatem, & incantationes
Solomonis, quum tamen fuerit Iudæus. Ait uero (ut hoc latius pateat)
in ſequentibus, dæmonum famulatum habuiſſe Solomonem, quorum diligentia
omnia in ictu oculi peragebat. eos uero latuiſſe mortem Solomonis,
quum mortuum eum in ſua ſede poſuiſſent domeſtici, & innixus fuiſſet baculo,
nunquam cognouiſſe mortuum dæmones, niſi poſtquam uermis roſit baculum
eius, & concidit, tunc attoniti eiulantesq; abſceſſerunt. Hæc ſunt præclara
hominis ſomnia, quæ dicit ſcripta eſſe apud Iudæos, ut ea legant. Fortaſſis notat
Ioſephi ſententiam, qui ait in Antiquitatibus, Solomonem habuiſſe artẽ cogendorum
dæmonum, & poſteris reliquiſſe, qua quidam ad ſuam uſq; memoriam
uterentur, cogerentq; dæmones ab obſeſſis corporibus diſcedere. Erat certè uirtute
diuina conceſſum ſcribis, ut fugarent eijcerentq; dæmonia. Videtis quàm
iſte legislator egregie noſcat uim dæmonum, quos ignaros etiam præteriti &
rerum uiſibilium facit. Quod uero fuerit incantator Solomon, ex ſacris non habetur,
nec illic legi poteſt. Pergo. Et quod eſt cœlitus miſſum de angelis Ha- «
rot, & Marot, in Babylone. Scire etiam conuenit, quid ſibi iſta uelint. In erpre- «
tes & liber Haſſiar explicant hoc modo. Quum eſſent Iudices in Babylone Harot
& Marot angeli, capti ſunt amore cuiuſdam fœminæ nobilis, quæ noluit illis
niſi hac cõditione acquieſcere, ut ſcilicet unus eorum illam in paradiſum introduceret,
alter reduceret. ebrij captiq; uino pollicentur, fruũtur, illam in paradiſum
ducunt. qua uiſa Deus illam fecit ſtellam luciferum: angelis uero uinoſis,
& ſalacibus fecit optionẽ, an mallẽt in præſenti, an in futuro ſęculo pendere pœnas.
eligunt pręſentem uitam, ad ſupplicium ducuntur, illud ubi cõmiſerant delictum,
ſuſpenduntur'q; in puteo in Babylone, ad diem uſq; iudicij. Hæc eſt hiſtoria.
Angeli Muhamedis ſunt corporei, uitioſi, & corporalium pœnarum capaces.
cęterũ iudices in urbibus angelos nunq; legi alibi, aut uidi. Fœminis Arabum
debet certe ea placere hiſtoria, quę concubitu paradiſum, & ſtellæ locũ mereri
docet. O dignas authore leges, & hiſtorias. Paulo pòſt ut omnes ad ſe trahat
dicit omnes leges eſſe bonas bene uiuenti, & eas ceremonias quas inſtituit obſeruanti.
quę eòdem atq; prius ſpectant: ut captis omnibus, illos initiet ſibi. interim
uero non aduertit, ſe & ſuam & alias nõ meliores idololatrarum legibus dicere,
itaq; operas ludit, & mentitur, quod authore Deo non fit. Vnde ſequitur,
eſſe legem diaboli, quæ ſuadet, diabolum & Deum eſſe pares. Dicunt illi qui «
non intelligunt, Niſi loquatur nobis Deus, & det nobis ſignum, eiuſcemodi di- «
cebant, qui ante eos fuerant, erat uerbum eorũ ſimile cordibus eorum. Sed iam «
nos declarauimus miracula populo innocenti. Nos miſimus tibi in ueritate an- «
nunciationem, & præmonitionẽ, & non expetebatur à populo damnato. Quũ «
peterentur ab eo miracula, ita eludebat. dicebãt enim ſectatores, niſi uideamus

Deum

Deum qui tecum loquitur, ut uidebatur quatenus licet Moſe montem conſcen dente, nõ credimus, dicit, Vos ita ſemper petiuiſtis miracula, & patres ueſtri. Di cat rogo, quando petiuerũt miracula à Moſe Iudæi, quum à prodigijs cœpiſſet & ſuos & Aegyptios terrere? qui ultro adeſſe illi diuinam uim oſtendebat? quã do rogauerunt Chriſtum, qui ob id erat exoſus phariſæis, quod ubiq; miracula faceret? quumq; nil aliud poſſent obijcere, dicebant quod in ſabbato curare non debebat. Ab alijs leges non potes dare, quàm à Chriſto & Moſe. Chriſtus equi dem bis animi gratia rogatus, ſemel à phariſeis, & ſemel ab Herode, non edidit: quoniam malo animo, & non credendi, ſed uoluptatis gratia id eos petere nõ uerat. Ante Herodem obmutuit, iamiam delibandus, repreſſit nequitiã & cu rioſitatem phariſæorum, & ſcribarum, qui cum centenis miraculis, & mille hò minum milibus, qui ea uiderant, non crederent, nihilominus peterent. dixitq; generationi prauæ & adulteræ ſcribarum, non aliud ſignum futurum maius quàm ut reſurgeret poſt tres dies, ut Ionas è piſce uiuus tertio die olim eiectus eſt. Quũ uero dicit, nõ expeti annunciationem à populo damnato, generali & indefinito uocabulo hoc profert, ut etiã ſuam perſuaſionem, quam nemo exci piebat, ſacris adnecteret: atq; ſi diceret, Damnati nolebant illas bonas leges reci pere, & ideo damnati ſunt: ita & qui meam non recipit, damnabitur. Egregia il latio, quaſi iam illa eſſet diuina, quia ita ab eo uocabatur. Sequitur. Et non cõ placebit apud te Iudæus aut Chriſtianus, quouſq; ſequare præſcriptum eorum. Dic, quod directio Dei eſt directio, & non ſequare deſiderium eorum pro eo quod ad te uenit. de ſcientia quã habes à Deo, &c. Ex hoc patet quomodo pri mos ſectatores ex Chriſtianis, Neſtorianis, & Iudæis habuerit, quoq; pacto uò lebant in ſuam quiſq; legem trahere. Nec enim placebat Iudæo, ſi eſſet Chriſtia nus: et ediuerſo. Itaq; egregio & ſibi familiari ſyllogiſmo utroſq; eludere tentat. Non eſt (inquit) directio Dei niſi directio. Quid infert hoc? non eſt lapis niſi lapis, non eſt homo niſi homo, non eſt Deus præter Deũ, uel niſi Deus. Nil pla nè infert, & tamen ſuæ ſectæ initiationem uoluit hoc elogio confirmari, la alla illa alla, nõ eſt Deus niſi Deus, aut præter Deum, quaſi ullus ita demonſtret, aut coniuncta afficiat rerum notione, quòd bis idem dicatur. Iudeus & Chriſtianus credunt iſta: non eſt directio Dei, niſi directio Dei: & non eſt Deus, niſi Deus. At lactandę plebis gratia, hoc indefinito uſus eſt: & quum aſſentirentur magni & periti, poſtea eodem uocabulo utens apud imperitos, pro ſua perſuaſione ſo lum, quod eſt omnibus commune ponebat, trahebatq; idiotas ad hudan, id eſt directionem: nam ita uocari obtinuit Alcoranum. Paulo pòſt, quum dicit,

O filij Iſraël mementote beneficij mei, quo benefeci uobis, ego uòs bonis do naui, ordinauiq; ſuper omnes populos, timete diem quo non rependetur ani mæ pro anima, & nõ recipietuna ab alia iuſtitiam, & non ſequetur eam redem ptio, nec erunt liberati. Iudæos iterum captat, & in Chriſtum noſtramq; iuſtifi cationem inſurgit, quam tamen dediſſe Chriſtum ſuis ſequacibus & ſanctis, nè ceſſarijs argumentis docui libro primo. Nam hominem per ſe nunquam poſſe iuſtificari, ſatis illic patuit. Quum uero omnibus ſæculis ab orbe cõdito ad Chri ſtum uix fuerint 10. homines quibus conceſſa fuerint miracula, quî potuit fieri, ut centies milies centena hominum milia, & plura quàm numerari ualeant, o mni miraculorum genere floruiſſent paucis temporibus, niſi alia iuſtitia, poten tia, & ui quàm humana fuiſſent præditi? Si illa ſunt ab homine, ergo Muhame des, & cæteri homines id habere deberent. atqui quum non habeant, & illi ha-

buerint,

buerint, tot tantiq́ uno ſeculo potiſsimum 500. annorũ, & ad noſtra uſq; tempo ra, etiã in multis locis, ſequitur à iuſtitia aliena, & Chriſti id eſſe fuiſſeq;. Nam e- tiam cõtactu mortuorum corporũ, in quibus egerunt fœlices animæ, innumeri reuixerunt, animoq; & corpore conualuere. Mittere uero tot prophetas mira- culis claros in unum conſortium, quid opus Deo aut hominibus fuiſſet, quum primis, ut dixi, ſæculis uix ſinguli multis temporibus fuerint: fuit, fuit, & eſt, & erit iuſtificatio, ab alio uidelicet, à Ieſu Chriſto benedicto, cui ſatanas inſtrumen to tui aduerſari eſt auſus, quũ in bono uiro nõ poſſet. Velata itaq; abſinthia mel- le propinans, et aliquid partim uerum, partim uero ſimile obtrudens, innumera mendacia & impietates profers. Sed iam ad tuæ legis titulum, & prætextum ue nio. Poſtquam multas fabulas proferre fecit Abrahamum cum Iſmaële, & do- mum idololatriæ Alquibla Mechæ conſtruere (quaſi Abraham in Arabia fue- rit) & orare pro poſteritate Iſmaëlis, ſubiungit eius nomine: Domine noſter fac "
nos Muſſulmanos (id eſt fideles) tibi, & de generatione noſtra populũ fidelem "
tibi, & oſtende nobis aſylum & conuertere ad nos: quoniã tu es conuerſor pro- "
pitius. Domine noſter pollicere inter eos prophetam ex ea (gente) qui legat in- "
ter eos miracula tua, & doceat eos librũ & ſapientiam, & faciat eos innocentes. "
quoniam tu es uenerandus ſapiens. Seipſum facit polliceri ab Iſmaëlitis, ut ea fa ciat quę ſe facere dicit. Omnia aũt quum ſint à ſcripturis antiquis aliena, non ha bent opus refutatione: quoniam uana mendacia ſunt. In alio loco poſt ea ſibi im peratum eſſe dicit, ut eſſet primus Muſſulman, quũ tamen hic faciat Muſſulma- num Abrahamum, quũ prophetæ ſacri, qui poſt Moſem fuere, nunquam uel la tum unguem à præſcripto ſacro receſſerunt, quamuis reuelationibus eſſent cla- riſſimi. extant ſcripta non tantum à Iudęis probata, ſed à Neſtorianis, Iacobitis, & Armenijs recepta, Latinis, Græcis, Illyricis tranſcripta, ubi omnino conue- niunt: nec tamen quicquam earum nugarũ, quas tu adfers, habent. Nec etiã cor rupta poſſunt eſſe, quæ innumeris myriadibus in toto orbe reſperſa cõueniunt. Conſule etiam uerſiones illas quas Arabes habent, nil quicquã ex illis nugis & ſomnijs reperies, quæ impoſtor obtuliſti, ſed omnino contrarium. nam in ſacris habetur: Eijce ancillam & filium eius. non enim erit hæres filius ancillæ cum fi- lio liberæ, ſed in Iſaac uocabitur tibi ſemen. Vides iſta contra te facere, promiſ- ſionemq; prophetæ, in quo benedicendæ erant omnes gentes, non eſſe per Iſ- maëlem, ſed per Iſaac: Iſta ſunt à Deo cœlitus miſſa, quod negare non potes: er go tua falſa ſunt, & à diabolo, non à Deo. Nec poteſt tua lex eſſe Abrahami, quæ illius benedictionibus eſt omnino contraria, quum tu tamen ab illa autho- ritatem capias. Attendant Muſſulmani de legis ſuæ origine. Tria erant homi- nũ genera ubi Muhamed prædicauit: Idololatrę, Iudæi, Chriſtiani. Ab idolola- tris iſta non habuit, qui ea non habebant: à Iudeis ergo, aut Chriſtianis proflu- xere, aut à reuelatione. quî potuiſſet fieri, ut ſtatim atq; incœpiſti emergere, & contra ueritatem prædicare, te redarguiſſent mendacij omnes uno ore, niſi contra uerũ te dicere cognouiſſent: nec in eodem temporis articulo omnia ex- emplaria mundi fuiſſent ita per ſe corrupta ut tibi contrauenirent, quum in par uo mundi angulo eſſes uix notus. Falſa ergo dabas, & contra uerum pugnan- tia. At ita reuelatum eſt mihi à Deo, uel à diabolo. à Deo non poteſt fieri: quo- niam omne uerum uero conſonat, nec mutatur Deus. Sequitur ergo ut à dia- bolo commentarios iſtos habueris: quem ſi negent tui ſectatores te habuiſſe co- mitem, uel hoc unum contra illos faciet, quod miſerrimo mendaci id ſuaſerit,

ut tertio die poſt mortem reſurgere ſe poſſe crederet, non ſecus atq; Simoni Sa-
maritano. Vnde amens ille ſceleſtusq; homo, nõ erubuit id credere: teſtamen-
toq; cauit, ut ad tres dies expectaretur eius reſurrectio, ſeruato cadauere. quod,
ut ſuprà notaui, fœtore omnes à ſe abegit ſectatores. Hæc erant in uetuſtis hiſto
rijs, ſed à Chalephis ueſtris primis fuerũt obliterata, retinendi imperij cauſa. Par
tim tuo ergo ô Muhamedes, partim dæmonis aſtu, & perijſti, & innumera ho-
minum multitudo perijt, peritq; quotidie. Iungit demum colloquia quædam
patriarcharum, quæ quamuis ſunt uerisſimilia, tamen ideo credenda non ſunt,
quòd in ſacris non ſunt. Omnia enim eodem modo conijcere, & addere liceret.
„ Quum uero illi patriarchæ dixerunt: Eſtote Iudæi uel Chriſtiani, eritis directi.
„ dic: Sed lex Abrahæ leuis eſt, & non ponit ſimulachra. Quum utranq; bonam
dicat, tamen unam quæ nunquam ſcripta fuit, imaginatur, quam dicit Abra-
hæ. Si ideo illam probabat, quod nõ faceret ſimulachra, aut participem, idem fa
ciebant Iudæi. ergo debebat eſſe, permanereq; Iudæus. Sed paulo pòſt ſe expli
„ cat. Dicite, credimus in Deum, & in id quod inſtillauit in nos, & quod inſtil-
„ lauit in Abrahamũ, Iſmaëlem, Iſaacũ, Iacobum, & in tribus (filiorum Iſraël) &
„ in id quod datum eſt Moſi, & Chriſto, & quod datum eſt prophetis à domino
„ ſuo: non differimus uel in una re ab illis, & nos ſumus illi fideles. Quomodo o-
mnia profitetur qui nil planè habet? idq; trahendæ poſt ſe multitudinis gratia?
Nunc credit legem Abrahæ tantum, nunc omnium, nunc nullius, ut nil planè
ſit his dictis inconſtantius. Si omnibus ſubſcribis, omniũ dicta recipias oportet:
ſi illis contrauenis, tu es neceſſariò mendax. Iiſdem nenijs nugatur prolixius, ut
captet omnes homines. Demũ ad Alquibla (turrim illam de qua dixi in cap. de
Mecha) conuerſus, de adoratione ſimilia per omnia dicit. Vbi uero de peregri
natione egit, ad Meſgidam Elharam (id eſt Mechenſem) dicit eos qui occidun
tur in ſeditione & uia Dei, non debere dici mortuos, ſed uiuos. omnino ἄθεος
homo, qui pro ſua libidine & ſomnijs, cædibus omnia repleta uolebat, homi-
numq; uitã ne pili quidem faciebat: qua in re habet imitatores egregios princi-
pes Muhamedicos, qui ſi habent copiam hominum, ſternunt primis ordinibus
uiam ſecundis, corporibus uiuis in foſſas aut paludes protruſis, & conculca-
„ tis. Paulò poſt ait: Qui contradixerit his quæ à propheta dicuntur, maledictio
„ Dei & angeli eius & hominum ſuper eum. ut territet ſuo more. Demum quum
dicit Deum creaſſe naues, mentitur: non enim ſunt naturæ, ſed artis. Sequitur
„ prohibitio epularum. Nil eſt uobis prohibitum præter morticinium, & ſang
„ uinem, & carnẽ porci, & quod occiſum eſt ſine Deo, id eſt ſine inuocatione. Si
omnium leges probas, nil tibi prohibitum eſſe debebat. nec enim eſt quicquam
malum, creatum à Deo. Sed tu uolebas uideri Iudæus, ut illos retineres qui de-
ſciſcebant. Moſes prohibuit quædam ob peruicaciã gentis, quædam ob uitium
regionis, quædã ob memoriã creatoris. Lepra laborabatur in Aegypto, cui mor
bo porcus animal eſt obnoxium: uerũ in alijs regionibus minime. eſt enim in
uſu ſaluberrimo etiam ſub æquatore. cætera erant, ut quotieſcunq; aliquid occi
„ derẽt, præcepti diuini meminiſſe poſſent. Dicit poſtea: Nil refert uertantur uer
„ ſus ortum aut uerſus occaſum in orationibus, modò faciant bona, ſoluant de-
„ cimas, non contraueniant prophetæ, nec angelis, nec prophetis, omnes ſalua-
buntur. Omnibus legibus iterum dat ſalutem, & nil referre ait quà uerſus ores,
ut unà Iudæi conſentientes Chriſtianis, ad eum accederent. De uindicta:
„ O qui credidiſtis, ſcriptũ eſt ad uos de repenſione occiſionis: liber ſit pro libero,
ſeruus

ſeruus pro ſeruo, fœmina pro fœmina, &c. Quæ omnia uoluit à nobis ad iudi-
cum officium Chriſtus remitti. Sed opus erat te Iudaizare cum illis quibus eras
Meſsias, & ſancta præſcripta Chriſti conculcare. Ieiunium uero more maiorũ,
ne non Iudaizaret, etiam inſtituit, quod permutat eleemoſynis, ut omnibus ab-
blandiretur. ait: Menſe ramazan, quo ipſo deſcendit Alcoranũ in directionẽ «
hominum, & prudentia directionis Alphurcan, qui ualuerit inter uos eo men «
ſe ieiunet, & qui fuerit infirmus, aut in expeditione, numerum dierum poſter- «
gabit, ut ſuadebit Deus. Hoc loco patet, ante Muhamedẽ non fuiſſe Alcoran,
uel Alphurcan. Vnde apparet, quod ſuprà notaui, mendacium manifeſtum di-
xiſſe Muhamedem, quum dixit Moſi datum. Verum eſt uidendum ieiunium
Alcoranicum. Et uobis permiſſum eſt in ieiunio, ut cum mulieribus ſitis. eſt «
enim Deus miſericors. Comedite & bibite, uſquequò uideatur uobis linea alba «
(id eſt aurora) inter tenebras, demum redincipite ieiunium. Egregium, & au «
thore dignum ieiunium, in quo nox data quieti & meditationi, tota in crapulã
& uitam non homine, ſed brutis dignã uertitur: tanquam ieiunium ſit datum,
ut interdiu abſtineas, noctu uero te ingurgites, & non potius ut carnem mace-
res. Verum erat in hoc ieiunio duobus hominum generibus ſatisfaciendum, ut
more Hebræorum & Chriſtianorũ ieiunaret: id fecit principio ſuæ perſuaſio-
nis, ieiunium adſcribendo. ut uero ſe ſibi & ſui ſimilibus Arabibus, luxu & Ve
nere corruptis, multitudineq́ uxorum comitatis accõmodaret, nocte tota uo-
luit habenas laxari gulæ & crapulæ, ut uires Veneri ſatisfacerent, ne huic pro-
phetæ, qui gloriabatur à Deo habere ſe 40. hominum fortium robur in Vene-
rem, eſſet macie laborandum, atque à tam præclaro munere deſiſtendum. Quis
non uidet hunc impium ethnicum Epicureũ, ementito pietatis nomine, ſe ſim-
plicitati rudium hominum ingeſsiſſe? Paulo poſt iterum de bello dicit, fœliciſsi-
mos futuros qui in eo moriantur, modo in eum credãt: occidendos omnes, qui
ſe opponunt, donec acquieſcant. quę uirtus iſta prophetica? quis tyrannus, præ-
do, homicida nõ ita animaret ſuos? Longe iſta abſunt à dono prophetię. At erat
in alhigera, id eſt in exilio. Factionib. id meruerat, ob id in ciues Mechæ arma-
batur. Vnde ueriſimile eſt, hoc caput, quamuis ubi ſcriptum ſit non dicatur, ta-
men eſſe Medinæ ſcriptum: quia in ciues Iudæorum (qui multi in Iezrab erãt)
fauore armatur, quorum opera cum ruſticis facile utebatur, quòd eſſent ad præ-
dam paratiſsimi. Dicit itaque, eos aduerſarios in templo Mechæ ita occidendos
eſſe, quemadmodum occiderũt antè ſuos in eodem templo. Prolixius illa patet.
Vt autem iuſtior uideatur cauſa, militi dicit eſſe Elheg, id eſt peregrinationẽ, in
qua tres dies ieiunabant, & à reditu ſeptẽ: ut religio tegat uitiũ. Sed ad rem. Et «
interrogabũt de uino & aluei recreatione. dic, in illis eſt peccatũ graue, & adiu «
mentum hominibus: ſed peccatum eſt maius, quàm iuuamentum. Ludum & ui
num damnat: alterum, ne ſibi miles occuparetur, & regere illum non poſſet.
Quia uerò turbabatur uino, ne alij ſibi eſſent diſsimiles, prohibuit præſtantiſsi-
mum naturę munus, quo & ſi multi helluones & gurgites ſe labefactant, tamen
feſsis corporibus, & afflictis etiam animis recreandis, nil maius unquam natum
eſt. Fecit itaq́ ut præſtantiſsima pars naturæ deeſſet inter ſuos, & prouentus lon
ge uberrimus, ut morbũ diſsimularet, & uxori gratificaretur. Quæ addit de re-
pudij legibus, & de iuramento licito, & de bello inferendo ſuis ciuibus: quoniã
omnia illa ſunt cõtra pacem publicam, æquo & bono honeſtatiq́ aduerſantur,
adhæc contra legem diuinam pugnant: ideo non egent alia refutatione, quàm

à ſeipſis. At multa bona ſunt in his præceptis, dicet Muhamedicus. quis omnino apparentē ineptiarū molē uoluiſſet recipere, niſi aliquid ueri & boni eſſet admixtum? Eſt aliquid boni, idq; minimū in Alcorano: at in Euāgelio, quod fatetur à Deo eſſe, nil non eſt abſolutiſsimū, Deoq; authore digniſsimū. Capit uero prætextū belli à filijs Iſraël, quū perditos homines Cananæos perſequebantur. Atq; Iudæos, quorū legem probat, perſequitur: Chriſtianos, quorū Euangeliū à Deo eſſe dicit, necat: ciuiū ſanguinē fundit, quū tamen idē facere uidetur, atq; cohortes Iſraëliticæ cum Saule. eius uero meminit, ut ſectatores principem conſtituerent, non illū, ſed Vbecharū & Ahmerum, audaciſsimos & perditiſsimos, à quibus accipiat pacatā potentiā. Poſtq; locutus eſt de Talot (ita uocat Saulem) pergit ineptire de Goliade. ſed penè tranſibam fabulā adnexā hiſtoriæ Saulis. ait:
„ Quum in ordinem redegiſſet cohortes ſuas Saulus, dixit: Si Deus tranſire uos
„ faciet in flumine, non eſt de meis, aut à me qui ex eo biberit, & qui non come-
„ derit, eſt à me: niſi qui hauſerit hauſtū manus eius. & biberunt ex eo præter pau-
„ cos. Nec enim tranſgreſſus eſt ille, & qui crediderunt cū eo, quia hoſtes erant in eo loco & fortuna, ut de illis haberi poſſet uictoria. Saul edixerat imprecatione, ſi ullus ea die quicquam cibi attigiſſet, eum maledictum fore, id eſt moriturum. Non aderat tunc filius Sauli Ionatanus, ſed hoſtes acriter adortus perſequebatur. attigit fortè uirgæ extremitate parum mellis roſcidi, quod frequenter in Syria cœlitus ſtillare ſolet: reus ideo anathematis factus eſt, & à patre ad mortē ob ſacramentum petitus. cuius conatibus obſtitit multitudo, indignum dicēs eum ad mortem trahi, cuius opera diligentiaq; uictoriā eſſent conſequuti. Nec enim in cauſa calamitatū Ionatanus erat, ſed imprudens pater & dux, qui in ſumma neceſsitate populum religione obſtrinxerat imprudenter. Si enim bibere & comedere, uireſq; recipere licuiſſet populo, uictoriam abſolutā confectis omnino hoſtibus referebat, nec per ſummam famem carnem cum ſanguine contra diuinum præceptum manducaſſent. Conferantur nunc, quæ noſter nebulo mentitus eſt. Si tranſieritis flumen, nō eſt de meis, qui ex eo biberit, niſi quantum manus capere poteſt, biberunt omnes præter paucos. Primò cibum in potum uertit, flumen adfert, ubi de melle agitur: omnes defeciſſe ait, præter paucos, quum ne unus quidem abſceſſerit, nec præceptis contrauenerit, præter Ionatanum, qui (ut dixi) non audiuerat. Sunt tot uerba, quot mendacia. At neſcimus quorſum hæc: quia religioſam peregrinationem, id eſt cædem bonorum omniū aggrediebatur, uolebat à ſimili ſuos legibus adſtrictos, ne ſe dèſererent, atque ut deuoti in mortem aut ultionem, ante cibum ſumptum ruerent, & interim ſacris abutebatur exemplis, ad animandos territandoſq;. hoc enim poterat integre inter tot doctos Iudæos ſcribere, ſed nolebat aſtum ſuum ulli patêre. præterea uolebat ſacra ſua omnino, id eſt mendacijs reſperſa, ſibi eſſe ſimilia, ne dum uera uiderentur, authoribus adſcriberentur. De Galot, id eſt Goliade, idem planè facit, quum in illo bello ducem facit: quum nec dux legatur, nec in illo bello fuerit, ſed inſtauratis Palęſtinorū uiribus, longo poſt tempore miles gregarius prouocauerit Iudæos. Subiungit demum ſe digna, oportere bella eſſe inter homines, ne mundus corrumpatur. Nulla maior peſtis hominibus poteſt comparari quàm bellum: & interim dicit bellum eſſe, ne mundus corrumpatur, & hoc eſſe Dei in terra beneficiū. Si Deus iſta dixit, appello ad te ô Natura, quæ omnium fœlicitatem rerum in quiete & tranquillitate ponis. quis te docuit ita, niſi Deus ille, ſumma & perfecta quies, quem authorē beneficij bellici ponit iſte prophe-

ta,

ta,quum ex omnibus hominibus, niſi inſanus, ne unus quidem reperiatur, qui
id ſit probaturus uerbo,quamuis quandoq; facto probet.Inuidia dæmonis,ho-
minum nequitia, materiæ peruicacia, & corruptio bellũ ſuſcitant, permittente
omnia Deo,ut reſipiſcamus:& interim authore Muhamede, Deus idẽ pro ſum
mo bono nobis dat bellũ,ut propheta diteſcat,& rebus potiatur. quis neſcit præ
dones & tyrãnos,aliorumq; uitæ inſidiantes, iſta probare? & pacẽ quantũ poſ-
ſunt ex orbe profligare? & eam ob rem tam frequenter dicit opes eſſe Dei,& da
re illas quibus uult, ut ſcilicet ſit pari ad res ipſas iure,qui in alienas opes magnis
ſudoribus partas inuolauerit,& qui iuſtus earum ſit poſſeſſor.hęc eſt bona pro-
phetia Muhamedis.& interim hoc ſignum eſſe prophetiæ, ſeriò affirmat.
Hęc, inquit,miracula Dei leguntur apud te reuera, quoniam tu es propheta.
Iſta ſunt connexa præcedentibus, quæ dicunt, niſi mutuo impulſu ſe impete-
rent homines petrefacturam terram. Sed alia aggredior. Tales inquit pro-
phetas ordinauimus quoſdam ſuper quoſdam, ex illis quoſdam alloquutus eſt
Deus, & extulit quibuſdam gradibus. Et dedimus Chriſto Mariæ filio ſapien-
tiam,& creauimus eum de ſpiritu ſancto, & ſi uellet Deus, non occideret illos,
qui ſunt poſt eos, poſtquam uenit illis ſapientia. & ideo altercantur, & ex illis
ſunt qui credunt, & ex illis ſunt qui male credunt, & ſi uellet Deus,non occi-
derentur. Verum Deus facit quod uult. Quid primũ excutiam neſcio. Quod
iam Chriſto dedit, non puto repetendum. quod dicit: ſi Deus uellet, non occi-
deret eos,qui ſunt poſt eos:eos intelligit poſt prophetas. Deus Alcorani eſt ho-
micida,qui necat illos,quos eligit prophetas,homo non facit malum, nec habet
liberum arbitrium:Deus ergo in tyrãnis mundi occidit homines. ô ſententiam
nephariam,& mille ſupplicijs dignam.Quidam diſſentiebant,inter noſtros Ne
ſtorij erant, Iacobitæ, & Chriſtiani.Iudex utriuſque cauſæ ignarus, arbiter de-
buit conſtitui.& quia fauore & beneficijs à Baheira iuuabatur, ideo óptime cre
dunt Iacobitæ & Neſtorij. Hæc eſt aſſentiendi ratio. Reguli & prædones ex
Armenijs, in confinia Arabiæ uenientes, quia canis caninam non eſt, compo-
ſita prophetica pace, bene credere dicti ſunt, iudice illo digniſsimi. quia tyran-
nus prædoq; fautoribus egebat, nec poterat lucroſè bellum cum ſibi ſimilibus
gerere, (nam nec ampla præda eſt à prædone,nec facilis uictoria) pace cum il-
lis compoſita, firmatiſq; dogmatibus, dum manus manum fricat, peſtis totum
in orbem ſerpit.Quod uerò poſtremo loco dicit, ſi uellet Deus,non occideren-
tur:quid aliud etiã ridendo dicat immaniſsimus homicida,dum ſine humanita-
tis ratione omnes iugulat? Si illa uult Deus, iam Deus non eſt. Nam ſi iniquus
eſt,nullus eſt:non uult ergo,ô pernicies hominum, non uult quod permittit ar-
bitrio humano. Sed à nobis uult res ipſas ſyncere & ſanctè fieri. mala uero etiã
ſi uelimus, ut committamus permittit, non uult. quod & ſi malum uidetur, ta-
men longe deterius eſſet, omnes homines carere libero arbitrio, & more ſaxi
eſſe, quàm ut uitia non poſsint admittere, quum præcipuè ſit locus pœnæ, &
præmio:quod ipſum uerbis fateris,aſſeriſq;,uita negas.Dicit paulo pòſt,Deum
dediſſe regnum ipſi Abrahæ,& illud poſſediſſe.nam uerbo Vaada,quod polli-
ceri ſignificat,non eſt uſus,ſed attha, quod dare & addicere notat.Atqui reuera
falſum eſt. in promiſsione enim & fide tantum hoc regnum habuit, quod qua-
dringentis poſtea annis, poſteris eius tradidit Deus, duce Moſe.Hoc facit,ut
feſtinent undecunque rapere, opeſq; & regnum ipſi parare ſectatores. Paulo-
poſt,quũ loquitur de ciuitate diruta,quamuis nil de ea Sacra habeant,id tamen

eò tendit, ut Iezrab, quæ ab eo uocata eſt Medinat alnebi, id eſt ciuitas prophetæ, poſſet à ſuis inſtaurari, & depulſis habitatoribus Iudæis, prophetæ adſcribi. Nam euerſa paulo antè à prædonib. & illi prophetę ſimilibus erat. itaq; ut nullū ſcelus uideatur carere exemplo, adſcribit patriarchis nefaria exempla, quæ omnia facinora ſunt hodie miſeris Muhametanis incognita: quoniã illa peroſi & exhorrentes ſucceſſores, Chaliphæq;, curarunt ex hominũ memoria aboleri, & iſta interpretationib. alijs uoluerunt tegere, ne poſteritati paterent ſcelera, unde ueſtigia & parta potentia reſtant. Libri illi merſi iuxta Damaſcum ad 60000. & plura uolumina hoc ſibi uolebant. ignorant imperiti ea myſteria. Quũ aũt præſentiret mendaciũ ſeipſum aliquãdo proditurũ, cauit in fine capitis, ne ambigatur aut diſceptetur de eo, quod ſibi miſſum dicit. ait uerò: Credidit propheta in
» id, quod ſibi à domino ſuo & fidelib. miſſum eſt, totũ credidit, cũ Deo & angelo
» eius, & ſcriptura eius, et prophetia eius. Nõ dubitetur à nobis de ulla prophetia
» eius. & dixerũt, audiuimus et acquieuimus etc. Sanxit inter ſuos, ne ambigatur de ulla re: unde mendaciũ eſſe, falſitatéq; cõſtat. Nam ut aurũ ignẽ, quo purgatur, nõ timet: ita ueri natura diſceptationes & altercationes omniũ ultrò appetit, ut lucẽ ſuã oſtendat. falſum omnino probari fugit, ut nõ ſit maius argumentũ falſitatis in toto Alcorano, quàm hoc in loco. Si enim publicè diſceptare, aut inter aduerſarios ambigi de eo uetuiſſet ob myſteria, uulgaribus nõ prodenda, meritò fortaſsis id feciſſe uiſus fuiſſet: uerum inter ſuos nil ambigi, ubi poterat ſatisfacere, eſt certiſsimum indicium falſi, timoris, conſcientiæ. Chriſtus ultrò rogabat diſcipulos, ut eum interrogarent, ſi de ulla re ambigerent, (quamuis apud tantam potentiam non erat ambigendi locus) ſi quis hodie uelit contra Chriſtum, aut eius placita ueri perquirendi ſtudio aliquid proponere, auditur, illi ſatisfit etiam publicè. Ratio Muhamedis eſt in gladio & potentia poſita: unde factum eſt, ut uocabulo rationis & potentiæ, pro eodẽ & æquiuocè ſit uſus. Sultanet enim utrunque ſignificat, iuxta illud tyranni: Ius eſt in armis. hæc pauca ex Bacara. Si uoluiſſem omnia proſequi, proculdubio, quũ nullũ uocabulũ, nulla ſententia (niſi à nobis deſumpta) mendacio, blaſphemia, aut uitio careat, in immenſum & ad tædium nauſeamq; creuiſſet opus.

SORAH HVMRAN, IN MEDINA SCRIptum. CAP. II. 200 Aiet.

VT partim pro Iudæis captandis aut arguendis, præcedens caput eſt collectum, ita partim in nos agit ſecũdum, & à Ioachimo, quẽ Humran uocãt,
» incœpit. Sunt ergo diligentius omnia obſeruãda in iſto. ita incipit: Deus eſt,
» nõ eſt Deus, niſi ipſe uiuẽs ſubſiſtens, qui immiſit ſuper te librũ uerũ, certumq;
» ad id quod in manibus eſt: et cœlitus etiã miſit legẽ & Euangeliũ, iam ante in directionẽ hominũ. Quemadmodũ à ſocietate ſacrorũ, conatus eſt capite primo ſua cõmendare, ita & nũc. illic enim dixerat, quod ante te miſſum eſt: nunc etiã ſpecificè dixit; pręceſsiſſe legẽ & Euangeliũ cœlitus miſſum, ut etiã itidẽ de Alcorano credatur. Ab aduerſario cõceſſa capere oportet, fateriq; etiã Euangeliũ & legem Muhamedicis eſſe recipiendam. Vt enim dixi, aut mendaciũ in Alcorano eſſe opus eſt, aut noſtra ſunt probanda. eodem ingenio hoc nobis cõcedit atq; ſuperius, ut in eius leges iuremus. Si mẽdacium habet Alcoranum, lex Dei non eſt. Si noſtra uera ſunt, & à Deo, Alcoranum innumeris locis illis contradicens mẽtitur. Ergo, &c. Paulo pòſt de paradiſo dicẽs, amplificat ſuperius dicta.

Qui

Qui timuerũt à domino ſuo, habent paradiſos, ſub quibus currũt flumina, inq; «
ipſis morantur cum cõiugibus formoſis, & amabilibus. A' Domino in paradiſo
erant antè fructus, nunc accedunt pulcherrimæ fœminæ, digniſſima mulieroſo
propheta præmia, ut animo ea exerceat, quę in corpore agẽti placuere. Sed quę
nobis cõcedit, ſubiungo. Deus purificauit Adamũ, Noachũ, gentẽ Abrahami, «
& progeniem Ioachimi in gẽtibus, generationẽ quorundã à quibuſdã, & Deus «
eſt auditor ſapiens. Quando dixit uxor Ioachimi: domine ego uoueo tibi quod «
eſt in utero meo in obſequiũ, recipe à me, quoniam tu es auditor ſapiens. & quũ «
peperiſſet eam, dixit: domine, ego peperi eam fœminã. & Deus nouit ad quid «
nata eſt fœmina, nec eſt maſculus ſicut fœmina. Ego uocaui eam Mariã, illã & «
eius progeniẽ tuo munere & auxilio defendo à malo dæmone, & recepit eam «
dominus eius receptione fortunata, bonaq;, educauitq; eam in domo bona, & «
fouit eam Zacharias. Quũq; ingrederetur ad eã Zacharias operaturus ſacris, «
inueniebat apud eã fructus, dicebatq;: heus Maria unde habes iſta? dicebat, hoc «
eſt à Deo: quando Deus dat bona quibus uult, ſine numero. Ibi inuocauit Za- «
charias dominũ ſuũ, & dixit: domine, da mihi de tua benignitate prolem bonã, «
quoniã tu es auditor inuocãdus. & uocauit eum angelus, quũ ſtaret orans in lo «
co ſacris addicto. Ecce Deus nunciat tibi Iachie, id eſt Ioannẽ affirmatorẽ uer- «
bi dei, mundũ caſtum'ue, cõſtantem & prophetam optimũ. Dixit: domine ecce «
ego, aduenit mihi canicies, & iam peruenit ad me grandior ætas, & mulier mea «
eſt ſterilis. dixit: Deus facit quod uult. Dixit, domine da mihi ſignũ. dixit, do ti- «
bi: non alloqueris homines triduo niſi ſigno, & recordare Dei, & lauda ueſpere «
& mane. Et quãdo dixit angelus: ô Maria, ecce Dominus ſanctã te facit, & purã «
& beatã inter mulieres mundi, & omnium ſæculorũ. ô Maria, proſternare ante «
dominũ tuũ, & ora, & flecte genua cum flectentibus: altercãtur angeli, quis cu «
ſtodiã habebit tui. Tunc dixit: ô Maria, ecce Deus mandat tibi uerbũ à ſe, cuius «
nomen eſt Chriſtus Ieſus, Mariæ filius, admirabilẽ in præſenti & futura uita, & «
erit de proximis, & alloquẽ homines in cunis & faſcijs, & erit optimus. Dixit «
Maria: An erit mihi partus, & non attigi hominẽ? Ita Deus creat quod uult, quã «
do præfiniuit pręceptũ. Quũ enim cuiq; dicit, eſto, fit. Docebit eum ſapientiam, «
librũ, legem & euangelium, & prophetiã ad filios Iſraël. Ecce ego uenio ad uos «
cum miraculis, ecce formo uobis ex luto figurã auium, & inſufflo in eam, & fit «
auis cũ pręcepto Dei: & ſano pſoras & lepras, & ſuſcito mortuos, cum præcepto «
Dei: edico uobis quid comedatis, & quid reijciatis in domibus ueſtris, ecce hoc «
in miraculũ eſt uobis, ut ſitis fideles. Etiã uenit ad confirmandã legem, & ad per «
mittendũ uobis quædã antea uobis illicita. & ueni ad uos cũ miraculis à domi- «
no ueſtro, ut timeatis Deũ, & obediatis. Quoniam dominus meus, eſt dominus «
ueſter: ſeruite illi. hoc eſt punctũ rectũ. Et quãdo ſenſit Ieſus ex illis incredulos, «
dicit: quis fiet Nazarenus Dei, id eſt Chriſtianus? dixerũt geuariune, id eſt apo «
ſtoli & diſcipuli, nos ſimus Chriſtiani Dei, credimus in Deũ, manifeſtũ eſt quod «
nos ſimus fideles. & paulo pòſt, & quãdo dixit Deus, ô Ieſu ego te exalto, & ex- «
tollo te ad me, & eripiam te ab illis qui nõ crediderunt, & ponã eos qui ſequuti «
ſunt te, cum impijs, in die iudicij, tum in reditu ueſtro iudicabo inter uos, in eo «
quod in diſceptationẽ uocatis. Iſta omnia partim cõſona ueris, partim abſona
attulit cauſa duarũ periodorũ, ut introduceret Chriſtũ pro ſe loquentẽ, ut adò-
rarent Deũ ſuũ, & ut illum raptũ diceret, ne illi Iudæi nocerent, & ut altercatio
de eius diuinitate relinqueretur uſq; ad diem iudicij. Conſtãte enim diuinitate

Chriſti in perſuaſione hominū illorū, qui Muhamedē audiebant, nō poterat ſua ponere & cōfirmare. Si uero mortuus poneretur, quū per illum Deus eū in cœlū traxerit, neceſſario reſurrexiſſe oporteret nullo orāte, quod eſt opus Dei. Ex illis ergo ſemiueris, quæ nobis cōceſſit, idē erga nos quod erga Iudęos ponit, ut deliniti conceſſis ueris, etiam in nefarijs illi acquieſcamus. Iudęis dixit ſe legem Abrahami ſectari, noſtris dicit omnes leges eſſe bonas. Sed omnia ſunt penſitanda. Illa colloquia Zachariæ, & Annæ cū Deo, uotaq́ quāuis ſunt uero ſimilia, tamen ideo non ſunt probanda, quòd in ſacris non habentur. Sunt illa cū ſequentibus de Chriſto, deſumpta ex libellis de infantia Saluatoris, quibus noluit uti eccleſia, quod non uideatur neceſſarium creaſſe aues ex luto, & flatu animaſſe, miſiſſe fructus cœleſtes, quum adeſſet aliunde alimonia. ſuperfluum enim uideretur, extraordinario remedio uti, quum ordinarium extet. Cæterū contra ſcripturam dicit, quum ait angelum triduanum ſilentium pro ſigno dediſſe Zachariæ. menſibus enim nouem mutus eſt factus, ad circunciſionem uſq; pueri. Quod dicit altercari angelos, quis curam Mariæ habeat, non eſt uerum. omnes enim potentiæ ſeparatę à nutu Creatoris pendēt, nec poteſt eſſe ullum inter bonas diſſidium. Quum uero dicit Chriſtum omnia feciſſe cum præcepto Dei, id eſt uerū: ſed tamen proprio nomine ſuſcitabat mortuos, & omnia genera morborum animi & corporis ſanabat. Quum autem dicit Chriſtum dixiſſe, adorate Deum meum & Deum ueſtrum, id non negamus. erat enim æqualis patri ſecundum diuinitatem, minor patre ſecundum humanitatem: ſecundum quam rogauit patrem Deum, mala pertulit, reluctatus eſt malo, paſſus eſt, &c. Nam Deus non eſt ſimpliciter, & homo non eſt ſimpliciter, ſed una Deus homo, non ſecus a cq; ex animo & corpore diuerſiſſimis naturis conſtat homo. Paſſum eſſe indicāt omnes omnium gentium hiſtoriæ. Paulo pòſt quum dicit, Deum creaſſe Ieſum Chriſtum ex luto more Adami: id quidem non negamus, ſed modum improbamus. Adam enim ſine uiro & muliere, reliqui homines ex utroq;: Chriſtus ex fœmina tantum accepit carnem paſsionibus omnibus obnoxiam, dempto peccato, nec propterea non eſt Deus. Satis id primo libro monſtrauimus. Sed quorſum iſta? audiamus. Videbat Chriſtianos omnes, quęcunq; ante promiſsiones fuerant promiſſa profiteri, id eſt promiſſionem Abrahami, legisq; præſcripta, & quatenus à ceremonijs, & à duritia cordis abſunt, ea omnia in Euangelio cōplecti. ut uero illi etiam ſua adſcribere authoritati diuinæ liceret, uolebat legem ſuam Abrahamo, uelut antiquiſſimā, adſcriptam. Ideo dicit. „ Heus uos populi ſcripturis nitentes, nō eſt nobis neceſſarium cum Abrahamo ſentire, quum cœlitus miſſa ſit lex, & euangelium poſt eius tempora longe, & tamen non attenditis. Videte aſtū & uerſutiam nebulonis quò tendat. uult eleuare fidem utriuſq; ſcripturæ, detracta prima authoritate, ut nec Iudæi ſe legem habere dicant Abrahami, nec Chriſtiani legē illius, & Moſis, ut quemadmodum non habebat ullam promiſſionem, (quæ eſt uerum religionis fundamentum) ita non tantum non haberemus, ſed & noſtram baſim ſibi ſubſterneret. Ita quouis modo popularibus & rudibus ſuadebat, errores diſſeminādo. oportet igitur antequam ulla religio uera ſit, ut cœlitus multis ante ſeculis prædicta ſit, & prædictam ſecundū ſanctas prophetias impleri: quod nulli alij, quàm Chriſtianæ & ueteri contigit. Itaq; ô Muhamedes, fruſtra illac irrepere tentas, quum nulla promiſsio tuæ legis præceſſerit, & patres tui omnes idololatræ fuerint, quibus diuino præſcripto eſt conſortio promiſsionis interdictum. Quod etiam

tiam tuæ uitæ Chronico patet. Nam Cahidar filius Iſmaëlis, quem tui ſomniato res hiſtorici habuiſſe lumen prophetiæ dicunt, quî fieri potuit, ut à patre religio ſo fuerit impius, & cõſtituerit ſacra illa & templum, pro quibus purgandis tot ſe ditiones excitaſti, es actus in exilium, ciues necaſti? ſi progenies illa regum quã tibi homini pauperi, & idolorũ cultori præfigũt, fuit in Mecha ſtudioſa auiti cul tus, ut mos eſt religionis, quî fieri potuit, ut omnino nil illius cultus ſeruauerit? Fuere ſanè omnes maiores tui degeneres, ſimiles patri notho, proſcripto & ido lolatræ. alioqui uel reliquiæ manſiſſent ueri cultus. ut apud filios Iſraël, quãuis multi degenerarint, idola coluerint, nefaria & mirũ in modum ſceleſta etiã pro- pheticidę principes commiſerint, tamen nunquam eſt ita periclitata religio, quin in Reip. colophone ſemper fuerit. Fruſtra igitur uis tibi authoritatẽ patrocinari, cuius ne ueſtigiũ quidẽ ullũ, uel ſcripto uel facto oſtendere poſſes, & innumera cõtraria tibi probamus refragari. Heus uos illa ſunt uobis neceſſaria in quibus „
habetis ſcientiam, & nõ eſt uobis neceſſarium de quo nõ eſt uobis in ipſo intelli „
gentia. quoniã Deus intelligit, & uos non intelligitis. Non fuit Abrahamus Iu- „
dæus, aut Chriſtianus, ſed abſolutus Muſſulman: & nõ erat idololatra, quoniam „
illi homines ſunt cum Abrahamo, qui ſequuntur eum, & prophetã eius, qui cre „
diderũt, & Deus eſt patronus credentium. Non uult homines adigi ad aliud „
quàm quod ſciunt, aut quicquã aliud ſequi quàm quod intelligũt. Vnde fruſtra à Deo datæ ſunt leges præcedentes, quas nemo intelligebat antequam uenirent, & ſemper fuit ſatis cognitio, uel Dei, uel idoli, uel holeris, aut crepitus Aegyptiaci: quũ nil aliud ſcirent, qui ea colebant, etiam fruſtra tuam legem obtrudis. fruſtra Deus miſit ſapientiam, legem & Euangeliũ his qui ante te fuerunt, ſi præter id quod intelligebãt homines in Arabia nil erat credendũ. Vide quò recidas, & ut teipſum cõficias. Nullus eſt idololatra, aut unquã fuit, quin quãuis nõ ſicut Deũ glorificet, Deũ tamen eum eſſe, & quoddã numen magnũ & prępotens credat, quũ magnam uim in re minima eſſe putat. eæ opiniones ſunt, ſed unũ uerum la tet. ut ſi plures ad quandam urbem, auditu & mente conceptã contendant, con tenderequè ſe dicãt, & in uia primis in uicis aut habitatis locis, ueluti urbe potiti cõſidant, omnes tamen in id conueniunt, quod ſit quędã urbs fœliciſſima: ſed in hoc differũt, quod hi in principio, illi in medio, alij medijs in ſpacijs cõſiſtendo, nil aliud ſciunt aut probãt præter ſua. per Muhamedem, nõ eſt illis neceſſe aliud ſcire, præter quàm quod ſciunt, ut ſint fœlices. Sed opus erat auertere (nam iſte eſt ſcopus) rudes homines, & uſu rerũ naturalium tantũ informatos (id enim ui detur per Chitab, id eſt librũ intelligere) neglecto Moſis et Chriſti pręſcripto: & ita ſuadere, ut in lege naturali, & ignorantia ueri, perpetuò retinerentur, ut ſcili cet eos ad ſe traheret, affirmaretquè omnium religionũ homines beatos, & inte- rim Deum ſtultum, & uanũ dicere qui leges patribus dederat non neceſſarios. An iſta non ſunt negare Deum? Omnes totius orbis nationes, & ſi qualem ha- bere Deum oporteat ignorent, tamen habendũ cenſent: itaquè quicquid ſciunt, illis ſatis eſt. Omnes ergo ſunt Muſſulmani, qui naturaliter Deum eſſe putant. Nequiſſime ergo illis bellum infers, quum credant. ô ineptũ hominem, ſecum- que in omnibus pugnantem. Verum hoc in loco quemadmodum captauerat blanditijs Iudæos, minisquè terruerat, & hoc in capite Chriſtianos captare nixus eſt: ita nunc gentiles probata eorum religione demulcet, ut data fide ſe trahi ſi- nant. eam ob rem ſubiungit. Et dixit portio ethnicorum, credimus in id quod „
traditum eſt ſuper eos qui crediderunt facie diei (id eſt uulgo) & errauerunt. ex „

pectat

» pectat eos ſi fortè redeant. Ne credatis, niſi qui ſequitur fidem ueſtram. Dic,
» quod directio eſt directio Dei. ſi ponatur unus, quemadmodum traditum eſt
» uobis, & neceſſe eſt uſui ueſtro, erga dominum ueſtrum. Dic, bona ſunt in ma-
» nu Dei, & donat ea cui uult, quoniam eſt auditor ſapiens. Hæc ſunt uerba myſteriorum. huc omnia ſunt referenda. eò enim tendunt, Deus dat bona cui uult, Sunt ergo prædonum bona æque ut poſſeſſorum. ô legem peruerſam. Omniũ religionũ homines aſſeclas facit, ut illis in ſolidum liceant quæ libeant: & ſi quid rapiant: ſuum ſtatim dicãt, & Deum dediſſe. ita collecta potentia eſt. In religione uerò animis inſtillanda mihi ea arte uſus uidetur, atq; tyrannus quiuis oboriens, ad cõparandum imperium armatus. Vt enim omnia hominũ genera in ſuam ſententiam trahat, ſi reperit ſeruitia, nil præſtantius ſeruitijs eſſe aſſerit, eorum potentiam futurã dicit: ijſdem dictis demulcet magnates, ruſticos eadem arte agit, transfugas proſcriptos, & omne ſceleſtorũ genus laudat, modo ſibi pareant, omnia proſpere illis ceſſura. Potentiam unam cõparatum iri, in qua pro ſuo ingenio omnes libere uiuant, atq; uno calopodio pedes omnium calceans, donec ad ſcopũ perueniat, tyrannidemq; in omnes exerceat. quod reuera Muhamedes fecit. Vbi enim omnes ſibi iunxit, ſtatim oppreſſit. Et tamen hanc crudeliſſimi tyranni legem in Deum referre, gens oculis capta non erubeſcit. Paulo mox omnes religiones Abraham, Iſaac, Iacob, Moſis tribuum Chriſtiq; eſſe bonas, & in ſua comprehendi ait. ita nunc Abrahami tantum, nunc aliorum, nunc naturæ legem ſe tradere dicit, ut hoc Proteo nil mutabilius inuenias. Totum hoc caput in ſumma, nil aliud quàm undecunq; multitudinem comparare, ex omnibus gentibus ſatagit. Quod dicit Chriſtum non eſſe Deum, ſecundum hominem uerum eſt: aliâs falſum. ſed iam ſatis demonſtraui. Deum propterea habere participem non intelligimus. Nam unus idemq; Deus, potens, ſapiens, beneuolus eſt, trinus & unus. ipſius ſapientia filius, loco non indiga, ab æterno genita, ſibi humanitatem noſtram iunxit, & ita ſuos animauit, ut nullus non ſit penè uiſus deus, quod ſine diuinitate homines immutante factum non fuiſſet. Superſunt innumera in hoc capite refutanda, ubi nil ſanum eſt: ſed cætera proſequor.

Sora elnaſæ, id eſt mulieres. in Medina ſcriptum. 175 Aiet.

In hoc Sorah, de iure mulierum potiſſimum tractat, & de bonis pupillo-
» rum, qua lege conſeruari adminiſtrariq; debeant. ait: Accipite quot uxores uo-
» bis placuerit, binas, ternas, quaternas: & niſi timueritis, ne pacifice unà re-
» gere poteritis, quot poterit edomare potentia ueſtra. Hæc eſt ſententia legislatoris, quam & ſi interpretes moderantur, ad quaternarium numerum tamen eſt arbitraria, & ita eſt in uſu apud magnates. Quàm ſit iniqua, & paci publicæ contraria, id iudicandum uel Græcis, uel Romanis relinquo, quum tamen ſumma libertate naturali, & ſine ullo Dei timore fecerint uoluptatum omnium periculum. Quæ pax poteſt eſſe, ubi quatuor, aut quinque uxores cum earum liberis ueluti gregem domi alis? quum uix unius neceſſitati & uoto ſatisfacias? Quàm erat priſca lex Arabum fœlicior? quæ uel uni ſorori 12 fratres maritos dabat (licuerit illis lege carentibus negligere cognationem) quanto maior quies & fœlicitas ubiuis gentium, ſeu domi, ſeu foris? Quum æqua lege debeant uti & corpore, & bonis mariti, quis poſſit uel una hora ita æquitatem ſeruare, ut non plurimæ oboriantur querimoniæ; quum unius libidini

uix

uix ſatis unus eſſe poſsit? Nec tantum domeſticum malũ eſt. Iudices ubiuis nil audiunt, præter mulierum lites, repudia quotidie, quotidie nuptias, dotium repetitiones, addictiones, maritorum iniurias, omnium liberorum miſerias & oppreſsiones: ut uno uerbo dicam, nil turbulentius aut infœlicius cogitari poteſt. Inde infœlix fœmina, uiri compar, anima rationali ut uir prædita, ad libertatem nata, locum uiliſsimi mancipij obtinet, loris uritur, imperijs more belluæ, nõ ratione ducitur, pro libidine mariti. Accedit inde, ut orphani innumeri fame pereant, à fratribus occidantur, ut ſolida ſeruetur hæreditas. ideo nec loco fratrum habentur, ſed (niſi honoris cauſa ſeruentur) ueluti pecora trucidantur. Nil uulgarius eſt, quàm principem Muhametanũ tollere ex medio fratres, regniq́ auſpicia à fraterno ſanguine ſumi. non deſunt qui liberos. Scio ego regem unum Muhametanũ, qui quum ad imperiũ accederet, ſeptẽdecim fratres necauit, aut necari curauit: cognatos uero totidem confecit, non iure belli, ſed ueneno & inſidijs, uiq́ priuata. Noui etiam, qui liberos proprios occiderit. Hi ſunt legis tuæ effectus, ut homo, cuius cauſa mũdus inferior conſiſtit, cuius animam nulla æſtimatio compenſare ualeat, qui orbis uirtute & beneficijs excolendi gratia natus eſt, cui uita à ſummo Deo pro inſigni munere data eſt, ſit uiliori æſtimatione quàm pediculi, quibus quatuor menſibus in anno ſunt apud Muhamedem induciæ. O miſeri homines, quis uobis faſcinauit oculos? Maſculum & fœminã fecit & coniunxit Deus, ut nullas alias expeteret homo: coniunxit ita, ut nemini ſeparare liceat, ut ne repudio quidem locum (præterquàm ob fornicationẽ) Chriſtus dederit. Muhamedes nouæ naturæ author uult, more taurorum in gregibus, uarias inire poſſe, maritum ſacramento adactum repudiare, nec tantum ſemel reuocare, ſed & ter & quater: ubi uero non eſt locus receptionis, ab alio ſubactam, ueluti nouam denuò duci ſanxit, ut ſit in illo ſtatu certiſsimum, nil eſſe certi. Ne uero parũ loci haberet lex præclara, uoluit in pecuniæ & poſſeſsionis arbitrio eſſe poſitum numerum, & admiſcet interim uxoribus catamitos cynædos, ad ſuam legem conuerſos. quamuis interpretes uelent illa expoſitionibus, tamẽ uerus intellectus eſt de prępoſtera libidine: quod ne uideatur mirum, multo maiora licent cum brutis. Vnde, ut iam notaui, ſunt apud Muhamedicos ſanctiſſimi, qui bruta ineunt. Quod ſi quis neget, producam teſtimonium ex Sorat Sori. Ne autem in re tam abſurda quicquam fingere me dicant, Arabica ſubiungo. Phatiru, ſſamauati uelardhi geala lechum, min anphuſsicumu azuagian, uemin elanhami ezuagian, iedreuchum phihi. hoc eſt, uerbũ de uerbo: Formator cœli & terræ, dedit uobis ex uobis cõiuges, & ex beſtijs coniuges „ permittit uobis in eo. Quid ſibi uolunt coniuges ex brutis? nonne opus ſanctitatis ueſtræ? Alioquin enim, qui fieri poſſet, ut quod horret cœlũ & terra, quod ne audire quidem ferociſsimæ barbariſsimæq́ gentes ſuſtinent, quod cæteræ leges omnes uindicant pœnis acerbiſsimis, eſſet apud Muhametanos pro ſanctitate, & ea non uulgari, niſi à ueſtro diuino legislatore authoritatem haberet? Interpretemini ut uolueritis, certe id nõ rideretur, probareturq́ etiã à ſumma authoritate uiris, niſi lex aſſenſum præberet. De cynędis intelligi in hoc capite, non eſt dubium, nam ideo fœminarum tractioni adiunxit illos, & uult Muſſulmanos fieri concubitus gratia (quod & alibi ſcriptum eſt, ne hic putetur dubiũ) Conditione ſeruili omnia hominum genera habetis inter uos, nec ſolet Muſſulmanus Muſſulmani eſſe ſeruus. nõ oportebat ergo conuerti ſi eſſent in alios uſus, quàm clinopales comparati. Sed audite rogo cæciſsimi homines, compa-

rationem legis diuinæ & ueſtræ: & hoc argumento edocti, fateamini partē ſaltem legis ueſtrę eſſe à diabolo. Moſes de utroq; ſcelere ita diuinitus ſanxit: Qui dormierit cum maſculo, coitu fœmineo (id eſt coitus cauſa) uterq; operatus eſt nephas: morte moriantur, ſitq; ſanguis eorum ſuper eos. Hæc eſt drauci & cynædi pœna. Sequitur paulo poſt: Qui cū iumento & pecore coierit, morte moriatur, pecus quoq; occidite. Mulier ſi ſe ſuppoſuerit iumento, ſimul interficietur cum eo, & ſanguis eorum ſit ſuper eos. Hæc ſunt ſtatuta quæ à Deo ſunt, & Muſſulmanis contraria. Ideo publicè profitentur ſcorta iuuenes in omnibus Africæ locis. uidi Tuniſij catamitos cynædos uoce exerta in foro ſe exhibentes: uidi ſanctos in omnium admiratione haberi, & digito oſtendi, quod aſinas aut mulas iniuiſſent. Hæc eſt ſanctitas. Miles ſi in expeditione ducat mulierem, punitur: ſi cynędum, licet. ſunt iſta legis Muhamedis placita, ſunt effectus. O mores, ô tempora, ô infœlicem turpitudinem, in naturæ perniciem cōparatam: & tamen ſi dijs placet, legem naturalem & Abrahami docuit, dedit, eſt profeſſus. Quod more ſeruarum uxores uerberibus uult regi, pro ſua humanitate id facit, ut idem in 15. ſuas ei liceret. Nam quum eſſent à diuitibus familijs, non poterant ferre iniqui ſpurciq; prophetæ mores, ideo leges lorarias illis dicebat. Cæterum in cæteros homines totus bellis ardet, hortatur ad prædam, omnia bona eſſe dicit eorum qui rapere poſſunt, & talia præcepta inculcat. Miror uerò qui poſsit dicere nullas eſſe contrarietates in hoc Alcorano, quum nulla ferè periodus nō ſit alteri contraria: quod iam docui in multis, & iſtis patet. Vocatur Muhamed Muſtapha, id eſt uniuerſorum redemptor, & tamen nullā aliā linguam aut gentem quàm ſuam habuit. Dicit in multis locis Chriſtianos & Iudęos ſaluos fore, demum dicit alibi ſuos tantum, & alibi omnes leges bonas. Eſt ubi dicat, non debere niſi cum modeſtia ſuam legem ingerere, in toto uero Alcorano ferè nil aliud quàm de ſanguine agit. Dicit ſibi miſſum Alcoranum primo, alibi Moſi. Item Abrahamum fuiſſe primum Muſſulmanum: alibi uero, ſibi imperatum, ut eſſet primus Muſſulman. Probat condemnatos Sodomitas, & tamen tribus in locis eorum ſcelera cōmendat: alibi omnia peccata à Deo dimitti, alibi nequaquā criminalia. Quis omnia cogat? plus ſatis eſt. Pergit ad cæteras blaſphemias, & ſcopum, in quem hanc legem excogitauit, & ait: Et impietas eorum (Iudæorum) & uerbum eorum eſt contra Mariā blaſphemia magna. Verbum eorum eſt: Nos occidimus Chriſtū Ieſum, filium Mariæ, prophetam Dei. Sed nequaquam occiderunt eum, nec crucifixerunt eum: ſed illi putauerunt, ſeu uiſum eſt illis. aut ut Gallice Arabica repræſentem, il leur a ſemble. huc omnia tendunt. Quomodo? heus ô peſtis orbis, non te pudet contra totius orbis teſtimonium inſurgere? fatentur Iudæi, ſentiunt, deuouent, quod ab eius morte ſint ubiuis terrarum ſerui. Romani, Gręci, Ethnici, Chriſtiani, ipſe iudex Pilatus, qui de eo ad imperatorem Tiberium ſcripſit, innumera hominum milia in crucem actum uiderunt, ſurrexiſſe audiuerunt, ſacris literis eſt traditum, crucis miraculis confirmatum, martyribus approbatum. Non mirum eſt te tam nepharia & abſurda ſcripſiſſe, quum tam claris cōtraueneris. Fare age, qui fieri poteſt, ut in iudicio ante omnium oculos potuerit homo notiſsimus ſupponi? Num aliquando contigiſſe legiſti? fieri non poteſt. Quare te impiè mentitum eſſe fateare oportet. Volebas hac arte dici generalis redemptor apud imperitos, dū quę ſunt probatiſsima negas. Credidit rudis plebs, fuiſſe id iniurioſum, quod omnibus eſt uenerandum & ſalutare. Poſſe uerò in florentiſsima urbe hominē

ſubſtitui,

ſubſtitui,& uelut per ſpectra atq; faſcinationē alium loco eius ſubmitti, quis credat? fuit in crucē actus,nec parū quidē tēporis,nam fermè ſex horis fuit ſuſpenſus, tribus uiuens,& à tota urbe (in quā paſchæ cauſa ex toto orbe cōfluxerant Iudæi) cōſpectus,tituloq; notatus. Verū nō erat cōtra te immorandū in re tam clara. Tibi omnia permittas oportet,quū ita confeſsis cōtradicere audes. Sequit paulo poſt. Et nō interfecerunt eū ullo pacto,ſed extulit eum Deus ad ſe, & eſt «
Deus uenerādus ſapiens.et ſi gens ethnica credat in eū ante mortē eius,et diem «
iudicij,erit ipſis ſalus. Vt tollat meritū mortis eius,hoc adiungit,Deū ad ſe illū «
traxiſſe.& quū omnes qui de eo audiebant, uellent in illū credere, dicit ſatis habere illos tēporis ante diem iudicij,quaſi ſit poſt mortē credulitati & fidei locus, & tanq; ſit adhuc moriturus. Iſta ſunt ſcripta ad faſcinandos oculos animorū,ne ab illo nouo propheta deſciſcerent, & Chriſtū uitæ uiam ſequerentur. Abblandiēdo imperitis hoc ingeſsit,qui facile credere poterāt, Iudęos iniuria id dicere, & nobis probroſum eſſe.timore uero mortis,Deum ſibi amicū hominē accerſiuiſſe facile credebant. Sed hanc hominis impietatem audire oportet, quam adnectit ueris. Certe Ieſus Chriſtus nil eſt niſi filius Mariæ,propheta Dei,& uer «
bum eius, quod deſtinauit ad Mariam, & ſpiritus ex ſe. Credite ergo in Deum «
& prophetam eius, & ne dicatis trinum. Complete bonum uobis, quia non eſt «
Deus niſi unus (cui ſit laus) nec eſt ei filius. Nos itidem dicimus in multis,Chriſtus eſt filius Mariæ,propheta Dei,uerbumq; eius, ex ſpiritu ſancto conceptus. Quod autem non ſit trinitas,nec Deus habeat filium, impudenter ſimul & imprudenter mentiris,nec quicquam Dei habes,quum illum more humano æſtimes. Sed ex te accipiā,quo poſsim te in uiam ueritatis reducere. Tu fateris Deū habere uerbum, & Chriſtum eſſe uerbum Dei. uerbum quidem more noſtro Deus nō habet, nec enim loquitur qui corporis expers eſt. Verbum igitur Dei ab æterno eſſe cum Deo, non negabit Maurus: nam nulla noua qualitas Deo accidere poteſt.ab æterno igitur habuit uerbum ſecum,& ſpiritum:ergo neceſſe eſt ut ſit trinus & unus Deus,ex conceſsis. Sed quamuis primo libro ampliſsimè ſanctam trinitatem ſum perſequutus, explicareq; tentaui,tamen paucis hic repetere argumenta non grauabor. Deum eſſe inter nos conuenit. Quare uerbum uocauit,quod in Chriſto homine fuit uidendum. Omnia uocabula quibus de Deo aliquid ſignificatur,ſunt à noſtrorum ſenſuum & intellectus uſu petita, unde licet quandam coniecturam de diuinitatis proprietate cognoſcere. Verbum primo uocamus animi & cogitationis indicium,promulgationem, & explicationem.nec enim unquam quid in animo lateat, niſi uerbis explicetur,innoteſcet.ea notio quam de rebus concipimus, ut tota fuit in ſe, ita tota eademq; explicatur in uerbo.nec enim quicquam aliud eſt uerbum, quàm explicata notio. à conceptione & uerbo procedit effectus, qui nil aliud eſt quàm quod conceptum & dictum erat. Ita etiam in Deo uerbum dicimus potentiæ eius explicationem, qua uenit in effectum, quicquid in his inferioribus eſt. Itaque Deus totus eſt in ſua potentia,totus in uerbo & ſapientia,totus in opere,uoluntate,& effectu. eſtq; ſanctæ trinitatis uocabulo donandus, aut omnino negandus. nec enim ſine trinitate eſſe poſſet, nec quicquam ſine illa ſubſiſteret. Nam ante res conditas oportuit eſſe præpotentem Deum, & neceſſariò etiam ſapientem. nā fruſtra eris potens, niſi ſcias uti potentia. nec ſatis fuit eſſe potentem & ſapientem, oportuit accedere uoluntatem & amorem agendi,à potentia & ſapientia Dei procedentem. Potentiam Dei uocamus, Deum totum & patrem: ſapien-

tiam uocamus, Deum totum & filium: amorem & uoluntatem, Deum totũ & ſpiritum ſanctum. Dicimus etiam patrem Deum omnipotentem, eius uerbum filium Deum omnipotentem, Deum etiam illius ubiq; effectum ſpiritum ſanctum. Impoſsibile eſt Deum ſine illis proprietatibus agere. atqui agere in omnibus patet. Nos à ſimili oportet poſſe, ſcire, uelle, antequam quicquam agamus. In omnibus artibus oportet eſſe fœcunditatem, proceſsũ, amorem, delectationem. uerbi gratia, ſit figulus, oportet eum habere artis fœcunditatem, & tantam potentiam, ut abſumi uſu non poſsit: & illam non tantum latentem, ſed procedentem in effectum, quod ſine uoluntate & amore non poteſt fieri. Ignis quum calefacit, aut diſgregat, oportet ut ſit inexhauſta agendi potentia, & proceſſu eius aſsiduo, & quadam naturæ delectatione, ut agere naturaliter amet, & non poſsit nõ amare. itaq; tria illa ſunt una potentia certis proprietatibus diſtincta. fœcunditas ignis, totus ignis eſt: proceſſus actionis ab igne, unus idemq; ignis eſt: ille agendi ardor & amor, idem ignis. nec primum eſt ſecundum, nec ſecundum tertium, aut è diuerſo. ita nec ſunt tres dij, ſed unus eſt Deus. Non poſſet igitur Deus hoc pacto nõ generare filium ab æterno, per ſapientiam res futuras ut præſentes cognoſcendo, creandoq;. hoc modo dicimus Deum habere filium, ſapientiam, uerbum. Qui plura uolet, redeat ad primum librum. Male ergo dixit Muhamedes, Deum non habere filium, nec eſſe trinum & unum. Volebat ita euertere omnia placita noſtræ religionis, ut ſuam nouam cum nouo
„ Deo, mali authore, ut iam uidimus, introduceret. Subiungit: Non negabit
„ Chriſtus quod ſit ſeruus Dei, nec angeli Deo proximi. Nunquam negare uoluit, quatenus homo eſt, ſe eſſe ſeruum Dei, cuius formam accepit, ut ſeruos liberos redderet. quatenus ergo Deus eſt, totus eſt æqualis patri, proprietate & perſona differens. quatenus fuit homo, uoluit humillimum & abiectiſsimum dignitatis gradum ſubire, ut qui ſummus diuinitate erat, eſſet conditione humana infimus, accepta tamen ex uirgine carne, ne quam labem ſublaturus erat, eam in ſe reciperet. quãuis & noſtro modo natus, potuiſſet perinde eluere nos, diuinitatis præſentis beneficio. Nam in uno cõpoſito (ſi tamen loco diuina potentia arctari poſſet) diuinitatem totam animam aut animum & corpus uniuit: quod iunctum, in cœlum fecit credentibus ſcalam. Verũ de hac prophetia ſatis.

SORA ELMEIDEH, ID EST CAP. MENſe, in Medina ſcriptum.

Hic de delectu, ablutionibus, et tam multis alijs, ut habeat ſibi Alcoranũ hoc priuilegij, quod in compendium duci non poſsit. Dixit in ſuperioribus qua-
„ tuor eſſe prohibita, nũc longe plura. Prohibitũ eſt uobis ne utamini morticinio,
„ ſanguine, carne ſuis, & animalis ſine Dei inuocatiõe necati carne, ſuffocato, am
„ buſto, oppreſſo, quacũq; ruina perẽpto, & quicquid attigerunt feræ. Hoc poſui ad inconſtantiã & cõtradictiones hominis indicandas. Nolo ſuperſtitiones ablutionũ attingere, & puluerẽ illitũ faciei loco aquæ recitare. Sibi habeant. Cõtra
„ nos hoc habet. Et ex illis qui dixerũt, nos ſumus Chriſtiani. nos (Deus) appro
„ bauimus fidem eorum, & obliti ſunt id quod recordati erãt, & diſſeminauimus
„ inter eos inimicitias & iras, ad diem uſq; iudicij, & nequaq; Deus eſt inter illos, in eo quod faciunt. Fides noſtra per te eſt bona, & à Deo cõfirmata, queadmodum paulo antè ſcripſiſti de filijs Iſraël. ergo quicunq; ſub ſanctis illis legib. uixere, mandata ſeruando, ſunt à Deo probati, ratione bonitatis & legis obſeruatæ.
eſt

eſt ergo lex utraq; ſancta & bona, nec uitium habens. Si homines ergo qui ſub ea lege agunt, altercantur & cõtendunt, quũ lex ſit bona nõ poteſt oblimari, aut diminui eam ob rem. ut ſi quis dicat aurũ eſſe aurichalchum, alius æs Cyprium, quidam ferrum plumbum, alij pauci aurũ uocent, & appellent, non ideo nõ eſt ſemper aurũ. Nam ut uulgo dicitur, propter affirmationes & negationes nil in rerũ ſubſtantia mutatur. Ergo propter altercationes noſtrorũ, aut quoruncũq;, noſtra lex non poteſt mala eſſe, etiam ſi multi obliuiſcantur. Eſt enim tot literarum monumentis ſcripta & ſeruata, ut nunquam in obliterationem uenire poſſit, niſi toto orbe euerſo. Quòd facis Deum authorem ſectarum & hæreſeôn, & mali, nonne tu es omnino impius, qui Deum mali authorem facis? Nam ſi bonum eſt quod ſemel dedit, malum eſt euertere. Quod Deus non ſit inter noſtros, (nam quos eos dicas, non aperis) id ſi de Neſtorianis, Iacobitis, Arrianis, & cęteris impijs hęreticis dicis, & nos fatemur: tantũq; abeſſe dicimus, ut Deus ſit inter illos, ut diabolo perfidiæ authore ſint acti. Si uero de conſtanti illa de Chriſto & euangelio opinione, quam eccleſia catholica per manus Apoſtolorum & ſucceſſores eorum accepit, te impie dicere conſtat. Sigillum potentiæ Dei fuit eritq; ſemper in eccleſia, quod teſtati ſunt ſancti miraculis, & diuinis operibus clariſſimi, duobus totius orbis clariſſimis imperijs & regnis infinitis probatiſſimi. Quum impiorum hæreticorum (niſi fortaſſe aliquis fuit gœticus & præſtigiator) nullus unquam aut miraculis, aut uitæ puritate, aut ulla publica pace ſit potitus. Quum itaq; diabolus non potuiſſet ullam ſocietatem perfidiæ in fidelium perſuaſiones cogere, armauit Muhamedem in pietatem & religionem, gladioq; in naturę ruinam eſt inſtructus. Vnde non mirum eſt, inter illius ſectatores eſſe ſaltem 70. ſectas, ex quibus una tantũ ſaluabitur. omnium enim hæreticorum uenena in ſe unus recepit Muhamedes. ſanctam trinitatem cum Sabellio negat. dicit Deum eſſe, & animam Dei, binarium ponẽs in diuinis: ubi uidetur ſentire cum Arrhio, ut tollat è medio Chriſtum. Creaturam certe putat Chriſtum cum Arrhio, cuius ob blaſphemias uiſcera in ſeceſſum ſunt emiſſa, diuina certe uindicta. Hominem ſanctum tantum Chriſtum fuiſſe, id habet commune cum Cerdone, & Marcione. cum Nicolaitis multitudines & greges uxorum probat, paradiſum in luxu cum Cherinto ponit. in ſumma, nullius hæretici peſtis abeſt ab Alcorano, ut nullum abfuit ab eius authore uitium. Non potuit uero, ut ad rem redeam, noſtra lex aut Iudæorum mala fieri ob ambiguitatem, obliuionem, neglectum: ſed uitium fuit in illis, qui inculcare eam debebãt. ut non eſt gemmæ aut auri uitium, quod lateat, ſemper enim aurum eſt: ſed id eſt negligentiæ, & ignorationi hominum (fac ita eſſe) adſcribendum. Non fuit ergo opus alias leges reperire, ſed illas bonas neglectasq; inculcare oportuit. Sed pergamus. Heus uos naturæ legibus utentes (ita enim intelligit habentes librum, quod interpretes dixere, uiri legum) uenit ad uos propheta noſter, multa explicaturus ex ijs quæ uos latent de libro, & celabit uos in quibuſdam. Iam uenit uobis à Deo lux, & liber explicatus, cum quo dirigit Deus eum qui ſequitur uoluntatẽ eius, & uiam pacis, & educit eum ex tenebris ad lucem cum præcepto ſuo & dirigit eos ad Tzirat muſtechim, id eſt ad punctum rectum Alcorani. Vides humaniſſime lector, quibus ſe dicat miſſum: ipſis gentilibus, ut illis adferat lucẽ naturalem. Nõnne unuſquiſq; circumfert iudicium naturale, ita ut male agendo ſit inexcuſabilis? ergo fruſtra etiam Alcoranum dat præcepta. Nam quod docet dicitq;, aut eſt ſecundum naturam, aut contrà. ſi primũ, id fru-

ſtra ſit,quum in omni homine ſit iudicium boni & mali, & liberum arbitrium,
unde non eſt locus ignorantiæ aut excuſationi.nam Deus naturaliter omnibus
aperuit.Si eſt contra naturam,iam non eſt audiendus. ergo utrinꝙ fruſtra ſcri-
pſit.Eſt aliquid certe humano iudicio ſublimius,uera religio. Nam uoluptates
omnes ſunt ſecundum naturam, & tamen illam perdunt, niſi cœlitus admoni-
tus homo ab illis deſiſtat.Si ergo ſola naturæ lex ſequenda eſt, in uoluptates &
uitia proni ruamus, præſcripta contra animi & corporis peſtes negligamus.Se
cundum naturam enim ſunt omnia uoluptatum genera. procliuis uero ad ma-
lum homo eſt,ab adoleſcentia:ut quiſꝙ in ſe iudicat,dum ſępe committit,quòd
pœnitentia retractat. Si natura in nobis non eſſet ex propagine labefactata, &
ita deprauata ut nos tranſuerſos ageret,meritò illius præſcriptum ſatis eſſe dice-
retur,nec opus alijs legibus unquam fuiſſet. quum autem teſtimonio conſcien-
tiæ ea quotidie committat homo quę mala iudicat,nouit malum,& per ſe emen
dare nequit.Itaꝙ natura,ut nũc eſt, ſine gratia Dei per Chriſtum inſtaurantis,
nunquam ſalutem poteſt cõſequi. Sed poſt captatos Iudæos, & Chriſtianos, o-
pus erat etiam abblandiri & ſe inſinuare ethnicis: quod ideo familiarius Muha
medes facit, quòd cũ illis fuerat educatus. Nam eò tendit eius oratio, ut eos in
,, bellum trahat.inquit aũt. Et ideo errant qui dicũt,quod eſt Chriſtus filius Ma-
riæ.Iã ſatis & primo & iſto libro demonſtraui,impoſſibile fuiſſe Chriſto ea quæ
fecit,& diſcipulis cõtulit, facere, niſi fuiſſet & homo & Deus. Vide euangeliũ.
Mortuos ſuſcitauit proprio nomine, dæmones fugauit proprio nomine, mor-
bos ſanauit proprio nomine:omnia miracula nõ inuocato Dei nomine,quãuis
patri ſubiectus,edidit.quod,niſi fuiſſet Deus,nõ poterat.Eius diſcipuli in nomi
ne eius eadẽ fecere,& maiora,ut erat pollicitus. Prophetæ in nomine Dei inuo
cato miracula edidere.ita nullus quãuis ſanctiſſimus quicꝙ potuit,ſine inuoca-
tione Dei,inſolitũ ꝑpetrare. fuit ergo Deus Ieſus Chriſtus,ab æterno eſt, eritꝙ.
in tempore uero homo factus,naturã in uere fidelibus immutauit,ut horrerent
uitia peius morte,mortẽ ipſam ultro ueri tutandi cauſa appeterent, alijs homini
bus nõ ſibi uiuerent:cõtra quæ omnia faciunt natura ducti.Non ſunt ergo bla-
ſphemi qui Chriſtũ Deũ dicunt,ſed impij & damnati quicũꝙ id negare audent.
,, Sequitur. Dic,& quid prohiberet Deũ ſi uellet occidere Chriſtũ,& Mariã ma
,, tremeius,& quotquot in terra ſunt?Deus enim eſt rex cœli, & terrę, &c.Poſſet
quidẽ humanitatẽ Chriſti & Dei ad nihilum reducere,diuinitatem non poſſet.
Nã nil ſimplex poteſt in ſe inſurgere,quanto minus Deus?Maria uero & Chri-
ſti ſacroſancta humanitas fato ceſſere,nec enim duxit Deus probro mortem di
gnam,quã in omnes homines etiã ſanctiſſimos locũ habere uoluit.Pergamus.
,, Dicũt Iudæi & Chriſtiani,Nos ſumus filij Dei,& amici eius.Dic,ſed minime
,, affligeret uos in peccatis ueſtris. Itaꝙ eſtis homines.Ex his enim quos creauit,
,, cuius uult miſeret̃,& punit quẽ uult. Quid infers,heus propheta? Nos ſumus
amici Dei (fac Iudæos poſt necatum Chriſtum eſſe bonis pares) ergo in hac ui-
ta nil mali ob peccata noſtra pati,aut etiam ſine malis,non debemus afflictioni-
bus urgeri?Nónne tu dicis ſæpe,iſtas opes nil eſſe, non eſſe hanc uitam niſi lu-
dum?quomodo ergo uis optimos bonis donari in hac uita:quũ ipſa uirtus, quæ
eſt in hac uita finis uiri boni,ſit in arduo poſita, & quum ſit in perpetua actione
& labore præſens uitæ ſcopus?Si uirtutem ſequi eſt eſſe uirum bonum,quod fa-
tebere,uelis nolis,quî fieri poteſt,ut ueluti filius & amicus Dei,quoquis erit me
lior, pluribus laboribus moleſtijsꝙ & pœnis prematur; niſi quia quem diligit
Deus,

Deus caſtigat. Nunquam corpore infœlicem putarũt illum philoſophi, qui uir-
tutẽ ipſam toto conatu expetit, appræhendit, exercet. Ergo non ideo ſunt infœ-
lices Chriſtiani quod corporalibus pœnis, fortunarũ expilationibus afficiantur.
ſunt uerò lõge fœliciores, quod potius illa patiantur, quàm ullo pacto à Deo de
ſciſcant, aut ſuæ legis præſcripta infringant. Si uirtus habere opes, carere mole-
ſtijs, quid tyrannus & lapis? nónne ille fœliciſsimus, quòd omnium opes corra
ſerit, eſt futurus: ſaxa uero, quod ſumma doloris carentia fruãtur? Tu te prodis ô
propheta. Epicuri ſummũ bonum probas, ſuillam uitã humanæ præfers, quum
omnibus corporis delicijs affluentes, amicos Dei putas. Nil habet in hac uita ſe
dignum uirtus. Deus, & uita futura æternaq́, eſt eius præmium. Rapiunt rapi-
entq́ tyrãni aliena pijs hominibus patientibus, nec erunt homines aliud quàm
homines in hac uita: illi boni, hi mali. Deus punit quem uult, & miſeretur cuius
uult. miſericordiã uocas, fortunæ ſplendores, opes, uoluptates, famã: pœnas aũt,
humilitatẽ, patientiã, tolerantiã, iuſtitiã, & ſimilia, quæ tamen nos habere quàm
opes malumus. Habuiſti fœlicitatẽ tuam in hac uita, tu & tui ſimiles, futuro cari
turi præmio. Quid ſubiungã de fabula duorũ hominũ, quos uoluit præmitte-
re Moſes, quũ de toto exercitu in ſacris fiat mentio? non refuto quod eſt à ſacris
alienũ. Quid de coruo, qui exiuit ad quærendũ ſociũ? Nónne ſunt hęc cõtra ſa-
cra? Exijt quidã ad cadauer ſecũdò, ſed non erat alius coruus extra arcã, cũ quo
cõueniret. Pręterea Noach, & nõ Deus eum miſit. Quũ dicit Muhamedes, qui
nõ iudicat ſecundũ pręſcripta Moſis eſt iniquus: nunquid ſibi dicã dicit, qui ferè
ubiq́ diuerſa tradit & ſequitur? De Chriſto uerò ait: Et deſtinauimus in ueſti- “
gijs eorũ (prophetarũ, de quibus ſuprà dixit) Ieſum filiũ Mariæ, certiſsimũ cõfir “
matorem legis, & dedimus illi Euangeliũ, in quo lux eſt & directio certa, ad ea “
quæ de lege habentur, & in directionẽ firmã metuentib. ut iudicet gens Euan- “
gelij de eo quod immiſit Deus in ipſo. Et qui nõ iudicant ſecundum quod miſit “
Deus in eo Euangelio, ſunt iniqui. Hoc eſt Euangelij elogiũ, quod recipimus
ueluti ab aduerſario. hoc uerò dabat Iacobitis & genti Bahyranę, quæ ſe illi iun
xerat, ut tandẽ donarent illi eſſe miſſum prophetã ad gentes lege utentes natu-
rali. Ad quid Deus poſt legẽ terroris & legẽ gratiæ, ſeruauit id quod erat prius,
& fecit poſterius? Idẽ planè profiteri poſſet quiuis ethnicus rudis & imperitus,
ſibi datũ eſſe cœlitus lumen naturale, quo appetenda ſequeretur, fugienda uita-
ret, quicũq́ gladio fretus æque fuit propheta atq́ Muhamed. Quamuis aũt ſunt
bonæ duæ leges, & in omnib. ſalus ſecundũ Muhamedẽ, tamẽ paulo pòſt magi-
ſtratũ permitti Chriſtianis aut Iudęis uetat: nil aliud quàm potentiã & tyranni-
dem captãs, quum Chriſtus magiſtratibus omnib. & principib. obediri iubeat.
Impugnatores animat poſtea, nil timere debere, ut rapiant quæcũq́ nõ creden-
tes poſsidẽt. Dei enim eſſe bona, eũ dare cui uult, affirmat. Vult demum quauis
uia adoriri & trahere in ſuam ſententiã Mechenſes ethnicos. Et ſi, inquit, reci “
peretis legem & Euangeliũ, & quod eſt deſtinatũ ad uos à domino ueſtro, tantũ “
haberetis ciborũ, ut eſsẽt ſupra uos & ſub pedib. ueſtris. ut omnes cogat in unã
legẽ, impoſſibilẽ quidẽ, donat uentris fœlicitate, qua & bruta ipſa nos pręcedũt.
Deinde ait: O ethnici, nil poteſtis donec recipiatis legẽ & Euangeliũ, & quod “
miſſum eſt uobis à domino ueſtro. Miror Muhamedici, quũ tot tantaq́ teſtimo
nia legis & Euangelij habeatis, cur nõ creditis Euangelio, & Chriſto? cur Chri-
ſtianos perſequimini, optimũ hominũ genus. Aut iſta falſa ſunt, aut uera. ſi falſa,
lex ueſtra mala eſt: ſi uera, noſtra ſunt credenda. Quũ aũt introducit Chriſtum

loquentē ad filios Iſraël, quod ſeruiant Deo illius & Deo illorũ, unde infert non eſſe Deũ: nil facit cõtra nos. Nã quatenus homo eſt, ſeruus Dei eſt, ut dixi: quatenus Deus, æqualis Deo patri eſt. Quæcũq; dixit fecitúe ut homo, adhibito nomine Dei fecit: quæcunq; ut Deus, more Dei dixit aut fecit. Quũ ſuſcitauit mortuos, ſimpliciter dixit Surge, & ſurrexerũt. quũ ſanauit leproſos, dixit, mũdare, & ſunt mundati. quũ imperauit dæmonib. dixit, obmuteſce & exi ab eo. in omnibus miraculis nil niſi ſuo nomine fecit: quod niſi fuiſſet Deus, nunq; potuiſſet. At mihi obijciet aliquis, Si fuit Deus nil ignorare potuit. Rogantibus aũt Apoſtolis de die iudicij & reſtitutiõis Iſraël, dixit neſcire ſe: quod ueluti homo dixit, quoniã nõ expedit nobis ſcire terminũ ultimũ, ſeu uitæ, ſeu mundi. impij enim ſecure impietatem exercerent, & ſumma ſecuritate: quũ nunc de die certiſsimæ mortis incerti, nil tamẽ nõ cõmittunt ſcelerũ. Nõ eſt, inquit, ueſtrũ ſcire, tempora & momenta, quæ pater in ſua poteſtate poſuit. Timor aduentus Dei & mortis eſt ſemper in incerto habẽdus, uirtutis & boni gratia. Quod aliud argumentum adfert, Ideo nõ uideri Deum, quod ipſe & mater eius comederint: nil repugnat, corpus Deo iunctũ etiã comediſſe, quod ut uerã humanitatẽ poſt reſurrectionẽ teſtaretur, feciſſe legiť, uſusq; cibis eſt. An ideo animus noſter eget cibo, & comedit, quod corpus egeat cibis? & tamẽ animus eſt diuinus & immortalis. Viſa ſunt etiã ſpectra angelorũ apud Abrahamũ, & Raphaël apud Thobiã comediſſe, aut epulas abſumpſiſſe: ne abſurdũ putaremus, Deũ hominẽ comediſſe, & bibiſſe. Quod nos dicit affirmare tres trinitates, mentitur, nec potuit unquam ſcire quid ſit Deus aut trinitas. Dicimus unũ ſolũ eſſe Deum, unũ & trinũ, trinũ in unitate, & unũ in trinitate, potentiã, ſapientiã, amorẽ: à quo, per quem, & in quo omnia, ſine quibus perſonis nil potuit poteſtúe in eſſe deduci. Nam ut ſæpius dixi, & uobis Muhamedicis iterũ dico, potentia per ſe ſine ſcientia aut ſapientia, nil agit. potentia & ſapientia nil agunt niſi ex uoluntate & amore perpetuo agendi, quod in tota natura eſt, nec poſſet fieri niſi eſſet à principio. Nil etiã dico, quod uinum & fritilli recreationem prohibeat. Iam enim ſuperius oſtendi
» qua ratione id fecerit. Nunc unum elogiũ Chriſti iterũ ſubiungo. ait: Die con
» gregationis Deus dicet prophetis, quidnam cupiuiſtis? dixerunt, non habemus
» ſcientiã, quoniã tu es ſciens & abſcõditus. Quando dixit Deus, ô Ieſu fili Mariæ
» recordare beneficij mei, in te & generationem tuam, quòd formaui te de ſpiritu
» ſancto, alloquebaris homines in cunis & faſcijs, & quod docui te librum & ſa-
» pientiam, & legem, & Euangelium, & quando creabas ex luto figuras auium
» cum præcepto meo, & inſufflabas in eas, & fiebant aues cum præcepto meo, &
» ſanabas pſoras & lepram cum præcepto meo, & quando ſuſcitabas mortuos im
» perio meo, & quando inſtitui filios Iſraël per te, quando ueniſti ad eos cũ ſapien
» tia. dixerunt uero impij ex ipſis, non eſt niſi incantatio manifeſta, & quando re
» uelaui Apoſtolis, ut credant in me & prophetam meum. Dixerunt, credimus et
» teſtis es. ecce nos ſumus fideles. & dixerunt Apoſtoli, ô Ieſu fili Mariç, nunquid
» obediemus domino tuo, qui miſit ad te de cœlo menſam? dixit, timete Deum,
» ſi uos eſtis fideles. Dixerunt, uidetur nobis quod ſi comedamus ex ea (menſa)
» confirmabuntur corda noſtra, & ſciemus quoniam iam erimus confirmati &
» certi, & erimus pro ea (menſa) teſtes, id eſt martyres. Dixit Ieſus filius Ma-
» riæ: Deus domine noſter, mitte nobis cœnam ſeu menſam de cœlo, quæ ſit no
» bis firmamentum, & nobis & poſteris noſtris, & in miraculum abs te, & dita
» nos, quoniam tu es diuitum optimus. Ecce ego mitto eam ad uos, & qui ex uo-
bis

bis impius poſt illam fuerit, ulciſcar eum, ut unicũ & inauditũ omnibus ſæculis "
& gẽtibus ſit eius ſuppliciũ. Et quãdo dixit Deus, ô Ieſu fili Mariæ, tu dixiſti ho "
minibus, recipite me & matrem meã, duos deos, præter Deũ: dixit, laus ſit tibi "
domine, id eſt abſit ne fiat hoc mihi, ut hoc dicã, quod in me nõ eſt uerũ. Si dixi "
hoc, tu noſti illud, tu ſcis quid eſt in anima mea, ego neſcio quid eſt in tua, quo- "
niam tu es ſapiens abſconditus, &c. Omnia ſuperiora huc tendebant, ut ipſum induceret, negantẽ ſe eſſe Deũ omniſcium. ideo omnia adſcribit imperio Dei, nec nos omnino negamus à Deo patre profecta. nã quãuis diuerſa eſt perſona filij à patre, id eſt (ut familiarius dicã) ſapientia à mente & potentia, tamen quic quid habet filius, habet à patre, cum ſit una & eadem diuinitas, in hoc differens, quòd ſapientiæ iunctũ eſt corpus & anima noſtra, non patri aut potentiæ. Ideo dicit Chriſtus, Omnia mihi ſunt tradita à patre meo. Itaque adſcribit illi omnia quæcunq; habet, quum etiam ſit Deus. ut tota cogitatio eſt in toto uerbo, & totum uerbum in cogitatione, & totum uerbum & tota cogitatio in effectu, amore, aut uoluntate. O Muhamedici, ſit Chriſtus qualis hic pingitur, non ſit Deus, uter præſtantior, Chriſtus an Muhamedes? ex uitis & factis deprehendere licet. Quod uero dicit de ſacramento altaris, eſſe impetratũ à Deo, id uero uult adimere Chriſto, quum in eo ſit reuera corpus ipſum Chriſti, diuinitatis & humanitatis compos, quod nõ poterat negare eſſe diuinum. Nam crebra miracula præſentiæ diuinitatis in eo mortis Chriſti ſacramento ſemper ſunt uiſa, quibus ſcatẽt priſci eccleſiæ doctores. Imponit uero ignorantiam Deo, quũ arguit Ieſum dixiſſe quod non dixerat. Nam hoc uult inferre: Nunquam hoc dixiſſe Chriſtum, & tamen Deus arguit. itaq; eſt ignorans, iniquus, iniuſtus, ſtultus, idololatra, homicida deus Muhamedis: quibus titulis nullus eſſe creditur. Sed ad cætera uenio.

Sora elanham, id eſt bonorum. 167. aiet. in Mecha ſcriptum.

Nugas ſtatim in principio profert, quum loquitur de pœna Sodomæ & reliquarum quinq; nefariarum ciuitatum. ait enim, poſt pluuiam Dominum miſiſſe flumina ſub ipſis: quod idem attribuit paradiſis. Iordanis quidem ſalubres aquas in mari mortuo perdit, ſed ſubmerſis impijs urbibus. Itaq; falſum eſt hoc etiam. Et pro illis, aut poſt illas, reſtituimus alias urbes. non enim uſquam reæ- "
dificabitur locus ille, & ait. niſi miſiſſemus tibi librum in charta, id eſt libellis, & "
ſuis manibus tetigiſſent, dixiſſent qui non credunt, hæc eſt incantatio patens. "
Si libellis habuiſti librum, ergo non una nocte deſcendit, aut ediuerſo: unde opus eſt te eſſe uno in loco, aut in utroque mentitum. An propterea, ſi libellum oſtendiſti, eſt ideo cœlitus uel diuinitus ueniſſe credendum? tanquam omnia in ſchedulis ſcripta, ſint diuina. Vt autem uidearis habere cauſam cõmunem & perſimilem cum Moſe & Chriſto, dicis te uocari incantatorẽ, ut illi ab aduerſarijs dicebantur. Et dicunt, non uenit ad eum angelus. Et ſi mitteremus ad eum "
angelum, res eſſet tranſacta, id eſt nil amplius peterent. demum non reſpiciunt. "
& ſi poneremus eum angelum, oporteret ponere hominem, & indueremus er- "
ga quod ipſi induunt. Eludere nugis tentat. Si mitteret Deus angelum, hominẽ peterent, & opus eſſet eſſe hominem ipſum angelum, & eorũ more indui. Qua ſi uelit dicere: non credunt quòd uenit angelus, & ſi uenerit angelus, non credent, niſi ſit homo. ita nullo pacto ſibi ſatisfacient. itaque ſatis eſt quod ego dico de angelo. Et ideo inquit, riſerunt eos qui ante fuerunt, & conuerſum eſt "
in eos quod illi prædicebant. Sunt terriculamenta. Dic, inquit, iuſ-

„ ſum eſt mihi ut eſſem primus Muſſulman, & non eſſem de ponentibus participem. Vides quo modo ſibi contraueniat? ergo ante eum nullus fuit fidelis: nec Abraham, nec Moſes, nec Chriſtiani. Si dicis, ut eſſes primus omnium hominum, mentiris. Si primus tuæ legis, mentiris. nam Iudæus, & non Muſſulman es circuncíſus, & ideo de tua circuncíſione tacetur. in tua uero perſuaſione primus fuit Zeidus ex tua familia, & Vbecharus ex magnatibus. quouis itaque modo tu es mendax. Sed uera eſt obiectio tibi facta, hæc non eſſe niſi centones ſcripturarum antiquarum, quas miſerè laceraſti, partim ne apparerent in te ſolidæ, partim ignoratione tuorum fabrorum quibus uſus es, ut teſtantur tui interpretes. Nos quidem non ponimus cum Deo participem, quia Chriſtus unus idemq́ Deus eſt, atq́ pater & ſpiritus ſanctus, perſona tantum differẽs. Imagines non adoramus, aut colimus, ut aliquid diuinitatis in ſe habentes: ſed in piorum hominum memoriam cõſeruamus, ut ad uitæ genus ſimile excitemur, laudemusq́ Deum in ſanctis ſuis, qui dedit talem gratiam hominibus Chriſti ſe-
„ ctatoribus. Dicit demum: Et quãuis fuerit graue tibi, ſecede ab eis ſi potes, &
„ quære ſpeluncam in terra, aut ſcalam ad cœlum, ut uenias ad eos cum miracu-
„ lis, ſi fortè congreget eos Deus, & nõ ſint de ſtultis. Nil tale dicebant prophetæ ante te, nec ſcalam in cœlum petebant, nec ſpeluncam ut uenirent cum miraculis, & tamen illis credebatur: tu uero, ut authoritatẽ diuinam haberet naphaca tua, ſeu ſpecus, ueluti ex oraculo eam obtruſiſti. & tamen miraculum niſi pal mei trunci, cacationis, nubis, et ſimilium, nullum te feciſſe dixiſti. unde teipſum
„ ridiculum facis. Quum uero rogarent uideri miracula, dicebat: Deus eſt po-
„ tens ut mittat miraculum, & ideo multi non intelligunt. Egregia illatio: Deus poteſt edere miraculum, ergo Muhamedes eſt propheta. atq́ ſi dicas, homo eſt animal, ergo coruus eſt albus. Sequitur inde miraculoſa & portentoſa affirma
„ tio: Nec eſt ullum animal in terra, uel uolatile uolans cum alis ſuis, quin ſit gens
„ ſimilis uobis. & ne non credatis, nil quicquam ſcripſit uobis quin ſit à Deo.

Propheticæ uoces. Non mirum ſi dæmones fuerint Muſſulmani, quum pecora, piſces, auesq́ ſint animalia rationalia, ſimilia hominibus. Non uos pudet ô Muhametani? interpretationibus iſta tegitis, & dicitis, quin ſint homines, id eſt quin poſſint eſſe homines. At eſt affirmatiua, nõ cõditionalis propoſitio pro
„ phetica. Pauló poſt quũ peterentur miracula, dicit, Deus non mittit prophetas niſi annunciantes. Sunt ergo omnes homines prophetæ, quoniam annunciant & monent amicos. quiſquis aliquid dicit & ſuadet, eſt eo modo propheta atq́ Muhamedes. ſancti uero uitæ innocentia, prædictionibus, non mortis & diei iudicij, quibus nil certius, ſed uariorum euentuũ quæ poſtea ſunt cõſequuta: ad hæc nõ pauci miraculis clari, diuinitatis uim in ſe eſſe oſtendebãt. Hic uerbis, & enſe, aſtuq́ ualet. Quum uerſuum obliuiſceretur quos ediſcendos multis dabat, dicebat ſatanam facere illum obliuiſci, ſed reducturum ſe ad memoriam, poſtquam extra conſortium eſſet. Eluſio egregia, ſomnia ſomniatori in mentem non redibant, quod ægrè ferebat, quoniam ſuſpicio uehemens fictionis oriebatur inde. Paulo pòſt, quid non mentitur de Lazaro & Abrahamo? quid non fingit? Pater Abrahami fuit Therah, non Lazarus. Sed male homini omnium literarum imperito ſuaſerant ſpatharij uicini, admiſcendo parabolam euangelicam ueteri Teſtamento. Subiungit poſtea, omnes bonos eſſe filios Abrahę, Iſaacum, Iacobum, Moſem, Chriſtum, et Iſmaëlem, cuius cauſa impios Iſmaëlitas & alios dinumerat, ut authoritatem ab eo capiat. Sed interim nõ meminit,

minit, quod ante dixerit non eſſe Iudæos filios Abrahę, id eſt non eſſe legem eorum legem Abrahæ. Sed colligo ex hoc loco, ſi ſunt filij & ſucceſſores, ergo hæredes: ſi hæredes, ergo & legis. eſt ergo lex utraque Abrahami. eſt proſcriptus Iſmaël, nec inter liberos habendus. Quod dicebat, Non accipio à uobis ſti "
pendium: id eſt falſiſsimum, & tantum auertendæ plebis à principum obedientia, cauſa dictum. Nam quid rogo ſibi uult alzache, & elharegh, id eſt decimæ & canones, niſi hoc eſt præmium. quid aliud in toto orbe datur capiti Reipub. quàm decimæ & tributa? Atqui ueluti prædo non petis, ſed capis, & alibi contra hunc locum dicis, Pacata erat & fœlix ante te Arabia, quam in motu perpetuo poſuiſti. In hac ſuadendi parte uſus eſt occupatione rhetorica, qua rhetores id dicunt, quod ſe dicere nolle profitentur. Quum ab omnibus acciperet, dicebat nil ſe uelle, nil petere, ut illum ſequerentur. Quum uero argueretur, quod multa contraria legi diuinæ adferret, excogitauit ſtatim reſponſum: Et non "
tribuunt Deo reuera potentiam ſuam, quum dicunt, non immittit cœlitus quicquam in homines. Dic, Miſit librum, cum quo uenit Moſes in lucem & directionem hominum, quem per libellos diſpoſuerunt, ex quibus multos celatis, & multos occultatis. Non ſatis eſt hoc dicere, oporteret demonſtrare. Poſtquam eſt à factis hominum, ſi conſtat, non ſatis eſt dixiſſe, probandum id eſt ſaltem coniecturis. Quod quum non poſsit facere Muhamedes, ſequitur, impudenter illum mentiri. Nam legi uel unus apex non perijt, uſqueadeò fuit diligenter ſeruata, ut ſingulæ ſententiæ periodi literæq; numeratæ fuerint. Reuincebatur Muhamedes ſacris ſcriptis, quæ quum falſa uel deprauata eſſe dicere non poſſet, excogitauit aliud, non eſſe totam ſcripturam ea quæ nunc habentur. Nil quicquam ex ea litera perijt. Interpretatio quidem fuit ſapientibus tradita, nec omnia ſunt omnibus permiſſa: uerum integra ſemper omnia fuere. nec poſſet unum locum obmiſſum proferre. Quod paulo pòſt contra Chriſtum dicit, non habere filium ipſum Deum, quum non habuerit coniugem: nemo unquam ita credidit natum eſſe filium à patre in diuinis, ut hic naſcimur. eſt enim incorporea mens, Deus æternam ex ſe ſapientiam generans, qua omnia producta ſunt in eſſe, ſeruata & inſtaurata, ſine quo filio nil quicquam ſubſiſteret. In filio, id eſt ſapientia, & uerbo ſuo creauit mundum: in eodem carne noſtra induto, eundem reformauit in homine, quod totius eſt compendium. Non generat ergo in fœmina & ſocia, ut putas ἀνθρωπομορφίτα impudentiſsime: ſed in ſui imagine omnia producit, & ſuo digito, id eſt ſpiritu ſancto uegetat. Cogor iſta frequenter ideo repetere, quod in ea potiſsimum tendat ſcopus huius aſtutiſsimi in terrenis, in diuinis uero ignariſsimi nebulonis. Audire opus eſt egregium huius belluæ iudicium in diuinis rebus, quo polleat ingenio. ait: O cohortes dæmonum & hominum, nónne uenerunt uobis prophetæ "
ex uobis, narrantes uobis miracula, & nunciantes uobis diem ueſtrum? dixe- "
runt, ſumus teſtes apud nos. & ſeduxit eos uita præſens, & confeſsi ſunt apud ſe "
quod fuerunt impij. Dæmonum genus nequiſsimum, in perniciem homi- "
num uerſum & intentum, inconuertibile, functum eſt Dei legatione. unde ſecundum Muhamedem dicendum eſt, eſſe bonos dæmones, & habere Reſpublicas & legationes, ſeipſosq; ad bonum conuertere, & præſentibus frui delicijs. unde & alibi dicit factos eſſe Muſſulmanos. & interim illos omnes ignorantes ſui facit, quum ſine legato ex eorum genere ad eos miſſo neſciant ſe eſſe impios. Hæc eſt theologia Muhamedica. Aduertite miſeri cæciq; Muſſulmani.

Quum

Quum ſubſtantiæ ſeparatæ ſint intellectu uiuacißimo, & præter Deum omnia comprehendente præditę, qui fieri poteſt ut ſuam ignorent conditionē, ut præſentibus teneantur delicijs, ut ordinem Repub. dignum componant? quum eorum labes in totam naturam ſerpat. Quòd improbat Iudæorum placita, iniuria id facit, quoniã nullam authoritatem contra authoritatē ſanctam adfert. Quòd autē ob uarias ſectas ab hæreticis introductas, introduxerit legem, id certo certius. proſcriptos enim à ſancta religione filios ſatanæ in conſortium adſumpſit, ſummosq́ꝫ putauit, quia illi fauebant, ideo toto opere bene credere dixit. Re-
„ petit demum, ſe iuſſum eſſe ut eſſet primus Sarracenus, aut Muſſulmanus. Vtcunq́ꝫ capiat, mendacium eſt, iam demonſtratum.

Sora elehraph, Mechenſe. 205 Aiet.

Ab ipſo limine ſtatim repetit errorem iam refutatum, quod Deus dixerit an
„ gelis ut adorarent Adamum. & dixit illi ſatanas, non adorabo. & dixit Deus,
„ quid prohibuit te ut non adorares Adamū, quum id te iuſſerim? dixit, ego ſum
„ melior illo. quia creaſti me de igne, eum uero de luto. Dixit Deus, abſcede ex
„ eo (paradiſo) & ne ſuperbias in eo. Dixit, expectabo ad diem uſq́ꝫ iudicij.

Sunt in his uerbis tot errata, quot periodi. Deus eſt mali & idololatriæ author, qui angelos iubet adorare hominem, quum tamen ſibi honorem & gloriã ſeruet. Dicit damnatum dæmonem, ob id quod hominem non adorauerit: quum ob id ſit, quod Deum non honorauerit ut Deum. Dicit ex igne eſſe creatum, ex quo nullæ ſubſtantiæ ſeparatæ conſtant: eſſent enim more materiæ corruptibiles. Dicit demum ſaluos fore, quæ omnia contra illam naturam pugnant. Dicit demum, Deum deprauaſſe ſatanam: unde authorem malorum facit, & nullum. Vbi ſacra ſcriptura poſuit, eritis ſicut dij: dixit, ſicut angeli, quod differt. Demū quod ait, Detecta ſunt eorum uerenda: nō poterant detegi, quę tecta nō erant. ſed ſacra ſcriptura habet, Et aperti ſunt oculi cognitionis eorum, & uiderunt ſe eſſe nudos. ita ſemper addere uel minuere, aut immutare in ſacris uoluit. Dum obijcit aniles fabulas Thamuzi, Hadi, Hudi, camelæ, Sohabi Madiani & ſimiliū, ſunt ſomnia uetularū Arabiæ, longe ante eum cantari à lalantibus nutricib. ſolita. Obiectionibus, quod eſſet ſtultus & mente captus, non poteſt ita ſatisfacere, quin uerum eſſe credant. Sed interim de camela oblitus eram dicere ex interpretibus, quod habebat duo miliaria longitudinis corporis. Quantum fabularū adnectat hiſtoriæ Moſis de egreſſu ex Aegypto, pudet referre: ut lactaret Iudęos, diceretq́ꝫ ſe habere quædam, quæ ipſi in ſua lege non habuiſſent. Moſes eſt minatus crucem, ipſis magis à ſe uictis, qui nullum ius apud Pharaonem habebat. facit ut Moſes ſe primum credentium dicat: ita nec Abraham, nec Muhamedes fuit primus. Vitulus aureus mugiebat, Moſes cœpit Aaron capillis. dicit Deum facere filios Iſraël errare, & tamen reuocabat ad ſe & iuſtitiam. Piſces iuxta mare ueniebant ſponte ad littus die ſabbati, quando colebant: & quando non colebant, non ueniebant. tamen ſabbato mannam non licuiſſet colligere, quanto minus piſces capere & coquere? Duodecim fontes profluxiſſe dicit, ubi unus tantum fuit. In ſumma, ferè omnia ſunt cōmentis mendacibus plena, quæ quia litera ſacra argui poſſunt, relinquo.

Sorat 7. elanphal. in Medina ſcriptum.

Hic eſt principium legis, rapinarumq́ꝫ & cædium pręſcriptum. ut nil ſanctū ſit coram ſectatoribus, illos animat quantum poteſt. Damnatos aſſerit, ſi terga ſemel uerterint, omnia bona eſſe Dei, & eius cui dare uoluerit. Hoc uero caput

uocatur

uocatur Quæſtus, quoniam in ciues Mechæ qui eum ob ſeditionem urbe pepulerant, eſt ſcriptum: omnia eſſe bona lucra, modo quinta pars cedat prophetæ. Hæ ſunt leges propheticæ. Suos ſeruauit Moſes: ciues perdidit Muhamedes, ſpoliauit, necauit, fugauit. Chriſtus omnia in uſum & charitatem hominum uel uti fratrum cõferri uoluit: alienis ſpolijs ſuos ditari uoluit Arabs propheta. Re uera nil aliud quàm tyrannidem & ſanguinem in hoc capite inculcat, occidit, captiuos ducit, conuertit, ut nullus in toto orbe tyrannus magis aptas poteſtati leges ſcribere potuiſſet. Itaq; militem & prædonem uocare Muhamedem licet, non prophetam. Tantum uero abeſt ut ſit propheta, ut nil à Deo & natura alienius unquam natum ſit. Eiuſdem farinæ eſt ſequens Sorat, quod Conuerſionis uocatur: & ideo etiam in Medina, ubi exul habitabat, ſcriptum. Omnes porro uult recipi, modo dent decimas, præter illos de quibus uindictam ſumere uolebat, unde oſtendit quæ eſſet eius prophetia, & in quem ſcopum tendat. Iubet demum contra naturam, ut patres fratresq; & cęteros parentes necent, ſi nolint credere. Demum docet, expendendum eſſe in uia, id eſt obſidere uias, eſt enim iuſtiſſimus prouentus. Habebat infenſos Choraiſios ſibi affines, & quatuor aut quinq; aggreſſionibus conatus eſt eos intercipere cũ mercimonijs & camelis, & repulſus eſt. Quum antea diceret, ſequimini illos qui nõ poſcunt à uobis præmium, & ſunt directi: nunc dicit, ſoluite & expendite ſiue uelitis ſiue nolitis, quia uos eſtis iniqui. Vſqueadeò uerò urgebat rapinis, ut ipſe diceret eos in cauernas fugituros, ſi poſſent, ne ea paterentur quæ illis imponebat. poſtquã uero egregiè torſit, uidet tamen deficere ferè omnes quos ſacramento adegerat, ideo minatur interitum, ut temporibus Noë, Had, & Thamuz, quo illos quauis arte retineret, ſi ui nõ poſſet, ut Dei timore conaretur. Erant uero præter Zeidum, Vbecharum, Humarum, & Ahmerum, ruſtici ferè omnes, qui partim timore, partim ſpe prædæ ſequebantur. Vt autem optimo prætextu liceret illi occidere fratres ſuos dicebat Abrahamum non pepercisse patri. at relinquere bona paterna maluit, & credere Deo, quàm aliquid in patrem moliri. Reliquit quidem parentem & cognationem in Chaldæa, nec unquam in naturam prætextu religionis ſæuire uoluit. reliquit omnia quæ expetere iure poterat, ut Deo obediret. At iſte propheta nouẽ fratres tollere è medio nõ eſt ueritus, homo in naturę perniciem natus. Quicunq; diligentius hæc duo capita perpenderit, uidebit nõ poſſe à quouis ſanguinolentiſſimo totius orbis tyranno ad ſuam factionem aptiores leges poni. Nec enim eſt in illis quicquam ſine ſanguine, quum tamen Deum authorem eius impietatis faciat. Quibus perſimilis priſcis impoſtoribus uidetur, qui deorum colloquia ob imperitiam & timorem hominum finxere, legesq; factioni ſuæ aptas dedere. quod quidem fuiſſet tolerabile in iſto, ſi quicquam dediſſet quo iuuaretur natura, ut Solon, Lycurgus, Zamolxis, Charondas, uerum multa bene ſtatuta inuertit, & plura in naturę & rationis perniciem ſcripſit. Ad alia ueniendum.

Sora Ionus, id eſt Ionas. nonum Caput, Mechenſe.

Iam facta cæde in Mecha, & uindicta de hoſtibus ſumpta, ciuibusq; necatis, uidetur hãc cantionẽ ſcripſiſſe. in ea enim manifeſtius aperit inſtitutum, quàm ante: quod niſi compoſitis rebus non feciſſet. Ob id compoſito conſortio rogabatur, ut ederet Alcoranum: quod ſe facturum negat. Sed à principio capitis eſt aliquid notandum. Iſta miracula libri ſapientis nónne ſunt hominibus admi- "
rationi, quod nos reuelauimus homini ex ipſis, & quod prenunciet hominibus "

&

›› & prædicet his qui crediderunt, quoniam habent primitias ueritatis apud domi
›› num ſuum. dixerunt Chaphiri, hęc eſt incantatio patens. quod dominus ueſter
›› Deus eſt, qui creauit cœlos & terram in ſex diebus: demum eſt eleuatus ſuper
›› thronum, ubi diſponit præceptum. Nec eſt ullus redemptor, niſi poſt præceptũ
›› eius. hæc ille. Sunt iſta omnia exactius perpendenda. Quod prudentiam, ſapientiam, iuſtitiam (his enim & ſimilibus epithetis donat Alcoranum multis in locis) dat libro in quaternionibus & libellis ſcripto, uidete quo iudicio id faciat, quum ſint qualitates quæ non poſſunt eſſe niſi in anima, & ad actionem inde profluere. Inſenſilia uero, ut liber, non poſſunt agere, nec ſimpliciter, nec ex deliberatione. quibus hominibus poterat eſſe admirationi, quum præter legem naturæ & communem rerum conditionem omnibus etiam imperitiſſimis cognitam, nil deſcripſerit, aut ediderit ſigni. Nunquã fuit ideo admirabilis propheta, quod ex hominibus eſſet electus: ſed, quia diuinis operibus præter cæteros homines pollebat. Admirabãtur uero homines hunc, prophetã eſſe hominem ex ſe, id eſt ſibi ſimilem, idolorũ in iuuentute cultorẽ, luxurioſum, mente ſępius captum, omnium perturbatorem, ſanguinarium; nullum miraculum adferentem homine Dei dignum, & in uſum hominum proficiſcens: ad hæc qui dicta ſua perpendi à quoquam nollet. meritò ſanè mirabantur. Deus enim eſſet iniquiſſimus, ſi tales inſtaurandæ naturæ prophetas mitteret. Si iam homines crediderant, non fuit illis opus propheta. Verum ſi dicit qui credebant, quî poteſt fieri ut ſint primitiæ ueritatis, quum iam ante eum bis mille & pluribus annis Abrahamus fuerit? Moſes & filij Iſraël electi à Deo & probati fuerint? & fuiſſe Abrahamum, Moſem, Chriſtum, et prophetas inter ueri nuncios fateatur? Hoc ergo eſt impudens mendacium, & contradictio. Qui unquam tibi dixere, eſſe incantationem manifeſtam, quũ nil miraculi ederes? hoc à Iudæis Chriſto obiectum repetis, ut uidearis aliquid cum eo commune habere. Si uero miraculum ullum feciſti præſentibus quibuſdam, id fuit cœlo deducere lunam. Nam cætera omnia nullo teſte unquam facta ſunt, præter rigatum palmæ truncum. Si lunam cœlo deduxiſti, quis mortalium percepit, quum totus orbis ea caruerit, quandiu fuit in manicis tuis? fac Bugellinum uidiſſe: cæteri qui carebant, quomodo non ſenſerunt, quum eclipſes etiam unciales in gentium literis ſeruentur? quantæ erant manicæ tuæ, quæ 27. partem terræ caperent? hæ ſunt nugæ, & uetularum deliramenta, ut olim magæ & ueneficæ præſtigijs animos hominum ludebant, idemq; atq; tu pollicebantur. Ideo infamis Cyrce, Medæa, Calypſo, & græcis & latinis literis ueneficæ celebres. Si te hanc ob rem magnum dicebãt Arabes, meritò quidem, quia præſtigijs ludebas. quæ miracula in cœlo Deus edidit nomine populi ſui, ea ſunt omnium gentium literis commendata. Perſæ ſcriptis mandarunt ſolis ſtationem ſub Ioſue factam, retroceſſionem ſub Ezechia. Græci conflagrationes inde futuras putabant, literisq; mandarunt, fabuloſis, ſed hanc ueritatem innuentibus. Quid dicam de eclipſi utriuſq; ſideris ſub morte Chriſti? Meminit Phlegron Romę agens, notarũt in annalibus Chaldæi, Aegyptij uidere. in Heliopoli Dionyſius & Apollophanes de ea diſceptarunt. Illa ſunt reuera miracula: tua uero aut nugæ, aut præſtigiæ. Tu poſtea facis tuo more Deum loco egentem, & finitum, quum uis poſt diſpoſitam materiam cœlum petiuiſſe, atq; more hominis loco motum eſſe, nil planè Deo dignum toto opere tuo comprehendens. Non animaduertis te negare Deum, quum finitum facis, & loco moueri. At tu mihi obijcies, ſcio, ſcriptum eſſe in ſacris, De-

ſcendam

ſcendam & uidebo, ſi iniquitatem opere cõpleuerint: & deſcendiſſe Chriſtum
noſtrũ de cœlo, & loca alia multa, ubi uidentur diuina eloquia motum localem
tribuere Deo. Quum de Deo aut eius uirtute agimus in ſacris, ita nos accõmo-
damus ſenſui & capacitati legentis, ut multas in Deo ueluti paſſiones aut actio-
nes ponere uideamur: quia effectus uidentur in his inferioribus, quales homi-
nes facerent affecti conſimilibus affectibus. Ab effectu ergo, nõ à motu aut agi
tatione immobilis Dei, nos illos effectus capimus, nunquam tamen à ſuo cœlo
deijcientes Deum. Quãuis enim ubiq; uis & eius poteſtas uidetur, & ueſtigijs
ſe repræſentat, tamen potiſſimum eius maieſtatem in cœlis ſuperioribus eſſe aſ-
ſerimus. Vos uerò qui herſſ, id eſt ſolium uel thronũ, proprium eſſe locum maie
ſtatis adfirmatis, eum loco motum facitis, quum infra ſuum hers eſſe contendi-
tis. Multum itaq; differimus, eius ubiq; potentiam agnoſcimus, maieſtatem ue-
ro ſupra omnem materiam, uos maieſtatem eius cœlo in hęc inferiora cum eius
uirtute deturbatam, & manuaria opera functam uultis. præterea angelorũ mi-
niſteria, quoties Dei ſpectrum legimus repręſentatum eſſe, contendimus, quod
geſtum ueluti corporis munere uoluit Deus. Quod diſponeret Deus, poſtq;
repetiuiſſet herſum, ea quæ hic erant gerenda: id falſum eſt. Nam ante mundi
conſtitutionem omnia erant diuinitati clara & præuiſa, atq; ordinata: quæ tum
demum in eſſe deduxit, quum illi uiſum, & uidetur. Nil ergo diſpoſuit creato
orbe. nam noua eſſet in eo uoluntas, quod illi repugnat. Sequitur: Nec eſt ullus „
redemptor niſi poſt præceptum eius. Hæc in Chriſti gratiam & redemptionem
ſcripta ſunt, quoniam per ipſum haberi remiſſionẽ peccatorum & credebatur,
& uidebatur. Nam quicunq; in Chriſto ſunt baptizati, & martyres, ita oſtende-
runt ſe remiſſionem à Chriſto conſequutos, ut nil tam arduũ factum eſſet, dem-
pta una creatione, quin illud in nomine Chriſti & Dei facerent, & tamen Deo
patri domini noſtri Ieſu Chriſti ea omnia adſcribuntur. Non puduit hanc ho-
minis peſtem, hoc Chriſto redemptori adimere uoluiſſe, quod impuriſſimus ho
mo ſibi adſcribere ex ficta reuelatione eſt conatus. Dicit enim Deum, ad quem
ad iactum arcus acceſſerat, in ſummo cœlo etiam ſupra Chriſtum, ſibi dediſſe ut
eſſet Muhamed Muſtapha, id eſt redemptor & ſanctificator. Nam ſaphia, eſt
ſanctum agere. unde ſophi ſanctus, & eſtephaia ſanctificare. unde participium
aut nomen uerbale actiuum, Muſtaphai, id eſt ſanctificator. Impie & perdite
homo, tu tibi Dei titulum arripere, & Deo detrahere uoluiſti, Chriſto homini
Deoq; non conceſſiſti. Videat æquus lector, quot ſunt errata & blaſphemiæ in
tribus aut quatuor huius legis uerſibus, & ſibi faciat totius operis fidem. Nam ſi
liceret ita excutere, apparerent tot errata, quot uerba, ubi à nobis deſciſcere uo-
luit: quod de induſtria fecit. Nunc uellicatim quædã carpo. Et quando legun „
tur eis miracula noſtra, dixerunt qui non ſperant occurſum noſtrum, Ede Al- „
coranum ne ſine illo (ſimus) aut muta ipſum. Dic, non licet mihi ut mutem illud „
de arbitrio animæ meæ, quoniam non ſequor niſi quod reuelatũ eſt mihi, quia „
timeo Dominum ſi offendã eum. Vocat, ut toto opere, miracula Dei & naturę,
ſua: quod eſt impium, & participare cum Deo. Indefinitè præterea omnia fa-
cta Dei ſine mutata perſona, aut mutato genere loquendi enunciat, poſtquã de
ſe dixit. Verũ illud eſt uulgare, & in ſingulis uerſibus Alcorani. Tacitè quidẽ,
quod non poteſt negare, fatetur eſſe multa mendacia, & ſacris cõtraria, impiaq;:
uerum ne uideretur ſomnia mutare, dicit ſibi prohibitum eſſe, ut in eo quicquã
mutet. Si in Alcorano nil eſt mutandum, quî fit ut ſtultus imperituſq; ſit Deus,

Muhamed uero ſit ſapiens. Nā ſi authore Deo lex eius eſt reuelata, ſexcentisq́ locis pugnat cum diuina, quî fit ut Deus nō ſit falſus, nequā, mendax: aut Muhamedes perfidus, impius, impoſtor? Itaq; falſum agnoſcit, uerū timore perdendæ potentię nō uult mutare. ea eſt ratio reuelationis, hic ſcopus legis. ſi edidiſſet, poterat uel à minimis argui, quum in ſingulis A iet ſibi contrarius eſſet. Dic, nunquid ex ſimilitudinibus & participibus ueſtris aliquid diriget uos ad ueritatem? Dic, Deus dirigit ad ueritatem. An qui dirigit ad ueritatem, nónne dignior eſt ut debeat eſſe dux, an qui non dirigit niſi ut dirigatur. & quid uobis eſt, ut ita iudicetis? & non ſequuntur multi eorum niſi opinionem. Sed opinio nō detrahet quicquam ueritati, quoniam Deus eſt ſapiens in eo quod faciunt. Et ne fiat, ut hoc Alcoranum ſit effictum ſine Deo. Sed determinat id quod in manibus ante erat, & diſtinguit librum in quo non eſt næuus à domino ſeculorum. Nunquid dicunt, confinxit illud? Dic, uenite cum capite huic ſimili, & inuocate quem po teritis pręter Deum, ſi uos eſtis ueraces. equidem falſum dixerunt quod non cō prehenderunt cum ſcientia. & nequaquam uenit ad eos interpretatio eius.

Hoc in loco dum fingit ſe in Mechenſes dicere, inſurgit in eos etiā quos innumeris in locis probauit. Vult enim auertere ſtolidam plebeculam, ut relicto ſanctarum legum præſcripto illum ſequerentur. Probatū iam erat multis miraculis, eſſe ex Deo quod præceſſerat. ideo dicit directionē eſſe Dei, ut illa caruiſſe uideātur qui ante eum fuere. quos ſanè poterat, ſi uoluiſſet, ſequi: ſed maluit negare Deum, & ſequi concupiſcentiam. Deus certe ille eſt qui ad ueritatem dirigit, uerū inſtrumento hominū utitur, & maiora dona uni quàm alteri tribuit. unde nec ſunt falſi quos antè miſit, quibus omnibus quia contrauenis, mendax ſis oportet. Qui ſunt illi qui nō niſi opinionem ſequuntur? neutra lex certè: quia utraq; ponit Deum, ſed altera magis explicat. Antequam Meſſias in carne ueniſſet, myſterium trinitatis uulgo nō innotuerat, niſi ſapientibus tantum. poſtq́ uero Chriſtus aduenit, ea patuerunt myſteria, ſine quibus mundus nec conſtrui nec inſtaurari poteſt: multoq; minus ſeruari. Itaque non ſunt iſta opinionis, ſed tua, eaq; falſiſſimæ. Nam quid magis opinioni obnoxiū, aut à ueritate alienū, quàm eum eſſe prophetā, qui perniciem naturę attulerit, qui nulla ſigna fecerit, qui bonis omnibus contradixerit, qui nil cōmune niſi cum hęreſibus & damnatis opinionibus (præterquā à noſtris) habeat, qui ſanguinem omnium ſitiat, in fortunas inuolet, ciues proprios fratresq; necet. Ad hæc, quum Deus dederit ante illum omnes prophetas, quibus natura deprauata dirigi & illuminari poteſt, quî fieri poteſt, ut hunc prophetam poſt omnium ſummū Ieſum Chriſtum nobi dederit, qui ex lege ſcripta & gratiæ ad naturalem & corruptā homines reduceret: nónne planè delira eſſet prouidentia, quæ tantas operas ad informandum hominem ſuſcepiſſet, & maximum prophetarum, quo maior nō poteſt dari, miſiſſet, demū eò reuocatura omnia unde eduxerat? Videte quàm ſint iſta abſurda, opinionisq; plena. Audiuerat opiniones opinionibus trudi in falſis religionibus, ideo dixit, uerum eſſe opinionibus ſimile, ut opinionem illi præferrent miſeri, & in rebus diuinis cæci homines, quibus ſuadente dæmone falſum eſt uero ut plurimum acceptius. Porrò quum multi obijcerēt illi eſſe fictionem Alcoranum, ut uidebatur, & erat, dicit ſine Deo non poſſe fingi quicquam ſimile. Cui ſententiæ ſubſcriberem, niſi impietatem Deo impingere uererer. Si enim omnes extremitates rerū Deo attribuerentur, proculdubio author uideretur Alcorani. Quemadmodum autem quum ſummam ueritatem dicimus,

Deo

Deo referimus: ita hic ſummum mendacium & ineptias, quæ cum nullo genere diſciplinarum cōueniunt, ſummo eius authori referre debemus. qui cū Deus eſſe non poſsit, ſit dæmonum omnium deterrimus oportet. Et quia hoc figmentum dicebant non eſſe legem Abrahami, nec Moſis, nec Chriſti, quum omnib. illis contraueniret, excogitauit hoc (quod ante attuli) eſſe diſtinctionem & cōfirmationem inter ea quæ in manibus erant, id eſt nouum & uetus Teſtamentum, ut ſemper aliquid eluſionis reperiret. Qui uero fieri poteſt, ut ſit inter duo extrema medium, quod ab utriuſque finibus egreditur? fieri non poteſt. Melius itaque dicebat, ſi contradictionem contra utrunq; Teſtamentum uocabat: quū ſexcentis locis in ſcopū utriuſq; legis peccet. Sed pergo ad alia, iam ſatisfeci neganti in Chriſto diuinitatem, & Deo filium eſſe, quod hic & alibi trecenties in Alcorano repetit. Quū uero urgeretur fateri leges alias eſſe bonas, & à Deo profectas, tunc dicebat: Habeo mihi laborem meum, uos uobis habete laborem ueſtrum. Innocens ſum ab his quæ facitis, uos ab his quæ facio. Hoc facit, omniū in poteſtate retinendorum gratia. Impium facit Moſem, quū dicit oraſſe Deum contra Pharaonem, quem conuertere ſtudebat, ut ſaltem populum relinqueret, quem ducturus uenerat. Quamuis enim Deus indurauerat cor Pharaonis, id eſt in puris naturalibus opinioneq; deprauatis cupiditatibus reliquerat, tamen eius Apoſtolus nunquam debet committere, ut pro homine perdendo interpellaret Deum, eſſet enim contra eius maieſtatem. Quòd uocat populū Ionę, longe differt populus ille Niniuenſis, ad quem miſſus eſt à regione, in qua natus eſt Ionas, erat enim Syrius, à Phœnicia. Niniue uero eſt in Aſsyria. Sed ignoraſſe illud, nihil eſt. Quum dicit Muhamed, Nōne coges homines quouſq; credant, & non eſt poſitum in poteſtate hominis, ut credat niſi cum imperio Dei: Impius & nefarius eſt, qui ui, cædibus, ſpoliationibus, captiuitatibus, & ſanguine compulerit, quum Deus nondum dediſſet ut crederent, etiam ſi lex fuiſſet bona. Itaq; religio gladio non erat introducenda, quum Deus nondum uellet eos credere: qui poteſt facere, ut omnes populi conueniant. Sed hoc in loco erat ſanguine ciuium exatiatus, dederatq; locum uindictæ duobus præcedentibus capitibus. Furor ſanguine ſatur, minus ſæuit.

Sora Hud. 10. Mechenſe.

Repetendo creationem in ſex diebus factam, ſtatim ut à Moſe differret, admiſit erratū: ubi enim habet Moſes, Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas; poſuit, Et erat hers, id eſt thronus eius ſuper aquas. Quamuis maxima uis diuina in natura aquæ uideatur, & tam magna, ut uideantur inde omnia naſci, tamen uera diuinitatis ſedes nūquam fuit adnexa elemento corruptibili. ſumma potentia Dei, per ſapientiam omnia creans, in ſpiritu ſuo tanquam Dei digito, omnia efficit, maximas ſuæ potentiæ uires in aquis oſtendēs. Nec ſatis habuit erratum admiſiſſe in mutatione, ſed & adiunxit aliud, ideo Deum poſuiſſe thronum ſuper aquas, ut probaret quis inter nos eſſet melioris operationis. Facit egentem loco deum, & uicinitate, ut ſcelera & facta noſtra cognoſcat: quum tamen cœlum & terram impleat, replens omnia & illocabilis, priuatiueq; tantū cognoſcendus. Agnoſcit paulopòſt, quomodo potentiam coēgerit ex ruſticis & plebeijs, qui cauſa prędæ ſe coniunxerant: & tamen illi quamuis imperiti, ridebant eius nugas, unde illis ignis minatur ſupplicium. Addit paulo pòſt, ſuo more, hiſtoriæ Noachi, quòd unus filiorum eius noluerit ſequi patrem, & petiuerit montem, perieritq;, quod ideo falſum dicendum, quia in ſacris non eſt. To-

tũ deinde caput implet fabuloſis illis prophetis, Hudo, Thamudo, Hado, quos ueris admiſcet, Abrahamo, Noacho, Moſi, ut terriculamentis ruſticos ad ſe traheret atq; in ſua uerba iurare cogeret. Hac ſtropha toto Alcorano utitur, ut quũ multos numerauerit à Deo miſſos, crederent etiam illum eſſe prophetam. ut ſi quis inferret, gladius ille eſt acutus, & iſte, & alter, ergo & aſcia. Cætera ſunt repetitiones ſolitæ.

Sora Ioſeph, 11. Mechenſe.

Verius hanc Ioſephi hiſtoriam tractat, quàm ullam aliam ex tota ſacra ſcriptura: ſed tamen multis admodum cõmentitijs fabulis replet, quomodo ab eo fugiente hera laciniæ partem abſtulerit, & hero monſtrauerit: ut fœminæ uicinæ dederint ſententiã, ſi eſſet pars anterior, tũc aggreſſor uideretur: ſi ipſa uoluiſſet uim inferre pudicitię Ioſephi, eſſe partem poſteriorem, uiſa eſt pars poſterior. & tamen fuit in carcere 30 annis, ut ait, quum pro eo eſſet iudicatum. & quomodo mulieres deperibant illum, ob formam, ſibiq; lacerabant manus. Cæterum triginta annos illos carceris, ab ætate capit, qua ad Pharaonem ductus eſt. fuit enim in carcere 13 annos tãtum. Recitatis uero fratrum eius peregrinationibus, dicit Ioſephum dediſſe illis uirgam quam ponerent ſuper faciem patris, ut uideret. Paucis dicam, ferè ſingulis periodis aliquid affingit de ſuo, ut poſsit dici οὐδὲν ὑγιὲς. Illa refutabuntur ſacris.

12. cap. Raad, Mechenſe.

Nil aliud hic adfert, quàm repetitionem centies dictorum. miraculaq; naturę proponit in mediũ, ut adimat Chriſto Deo diuinitatis gloriã. ideo frequẽtiſsime interrogat, Quid creauerũt quos poſuiſtis participes? Si mihi cõcedit, Dei potẽtiam ſine ſapientia & uoluntate potuiſſe creare mundum, iam cum eo non diſcepto, qui ignorationem in Deo ponat, quum in homine ſit ridicula. Si autem mihi concedit, Deum ſolum, ſua miracula facere, proprio nomine, ſine ullius maioris inuocatione, neceſſariò Deum fatebitur Chriſtũ, qui proprio nomine omnia miracula edidit. Quũ quęrit quid creauit, nonne proprio nomine nouã creaturã ex corrupta facere, eſt planè par aut creatione maius? ſuſcitauit Chriſtus (comite ſemper patre & ſpiritu ſancto) mortuos, oẽs proprio nomine, quod in toto Alcorano meritò æquiparas creationi. Sed iã frequẽtior in his ſũ, quod me impietas hominis facere cogit. Sibi uero, ut in toto opere & ſingulis uerſib. potiſsimum legem ponit, dicit ſibi ideo plures licere habere cõiuges, quod prophetę habuerint, quaſi habuerint gregẽ uelut Muhamedes, & tanq; Chriſtus habuerit.

15. Abraham Mechenſe.

Hic ſatisfacit obijcientibus Iudęis. Si eſſet aiebant Meſsias eorum, & ad eos directus propheta cũ lege Abrahami, quare lingua ſancta non ſcribat. Dicit ſe nõ eſſe miſsum, niſi in lingua populi ſui. At replicabant, non eſſe niſi hominem uitioſum, miraculis carentẽ. adferret ſaltem ſignum, uel rationem, omnia cum Deo eludebat, dicens, dare ſuam gratiam Deum cui uellet. Quum illos qui audiebant, iam peruertiſſet, atq; adeò deploratos & obcæcatos dixiſſet: illi dicebant, nil ergo refert, nam ſi Deus introduceret nos, crederemus: ſubiungit ſa-
„ tanæ colloquium, ut eos reuocet. Et dixit ſatan, poſtquam Domini præceptum
„ tranſactum eſt, quoniam Deus promiſit uobis promiſsionem ueram, promiſi
„ uobis ut deprauarem uos. Nec eſt mihi ſuper uos poteſtas, niſi quod uocaui uos,
„ & reſpondiſtis mihi. ne ergo arguatis me, ſed uoſipſos redarguite. nec ſum
„ admonitor ueſter, nec uos eſtis hortatores mei: ego blaſphemus ſum factus, in eo
„ quod me conſtituiſtis ſimilẽ iam antea, quoniam iniqui habẽt magnũ ſuppliciũ.

Sibi

Sibi contradicit, quum alibi dicat homines eſſe in poteſtate dæmonis, nunc nihil habere dicit poteſtatis in eos: quod eſt falſiſſimum. Nam quotquot homines ſunt extra Dei unius & eius ſapientiæ cognitionem, ſunt in poteſtate ſatanæ. Sed meritò authorē hic adducit, in cuius erat ditione. ſibi imputare debent homines, non tamen ſine culpa dęmonis. Facit dæmonem reſipiſcentem, & hominibus meliorem, qui ſe blaſphemum & impium agnoſcat, homines negent & ignorent. Sed quas adnectat fabulas hiſtoriæ Abrahami, audire eſt operępretium. Et quando dixit Abraham, domine fac hanc regionem fidelem, & protege me & filios ne adoremus idola domine, quoniam perdiderunt multos homines. & qui me ſecutus fuerit, ipſe erit à me: & qui reſtiterit mihi, tu es miſericors propitius. Domine noſter ego habitaui, habitareq́ feci generationem meā iuxta flumen ſine ſemine, apud domum maledictam: Domine noſter, ut offerant preces. fac ergo propitiationem hominum ſecundum deſyderium eorum, & dita eos fructibus, ſi forte ipſi te laudent, &c. Nil iſtarum rerum planè in ſacris habetur, ſed contraria multa iſtis ſunt. Primum ex uocatione electus & ſegregatus à Deo Abrahamus eſt, non ex propria ſponte Deo credidit, ut hic dicit. Quod addit, Qui me ſecutus fuerit, eſt de meis: id affingit ſacris, ut à ſimili ſacrarum literarum imperiti, putent cohortes ſecutas fuiſſe Abrahamū, & ideo æquo animo ſequantur Muhamedem. Quod dicit, quum ad fidem accederet Abrahamus, habitauiſſe ad flumen ſterile, iuxta templum interdictum in Mecha: id eſt falſiſſimū, quum Mecha ſit in Arabia fœlici, Orchoa autem (unde in Meſopotamiam proceſſit, & inde in Syriam & Aegyptū) abeſt ab eo loco pluſquam quingentis paſſuum milibus. nec à diſceſſu regionis uſquam motus eſt à Syria, ubi inter Chananęos egit ſemper, niſi fame compellente, quę Aegyptum petere coëgit hominem. Falſa itaq́ eſt baſis tuæ legis Muhamedes, quam in Abrahamum ideo referre uis, quod adorauerit in execrata baſilica. Quî enim fieri poſſet, ſi ſanctā religionem illic tradidiſſet, ut tibi tantopere in euertenda falſa religione laborandū fuerit? Si tibi maiores fuiſſent fideles, ut ais, & ſcribunt tui euangeliſtæ Haſſiar, quî fit ut pater tuus fidelis, & prophetæ pater tam infœlix fuerit, ut ex 12. liberis unicum uera religione imbutum habuerit, cęteros autem ita infenſos pietati, ut à propheta præter unum & alterū fuerint trucidati? Vſq́ adeò ſomnijs impoſtoris & amentia erant alienati ab eo, ut authores exilij eius fuerint, gratiſſimumq́ habuerint longiſſimè domo abeſſe eum qui generi dedecus & probrum, religioni labem, patriæ euerſionem adferret. fuiſſet ex ea fideli progenie ſaltem unus aut alter ſuperſtes, uera imbutus perſuaſione: nec opus fuiſſet dare libertatem Zeido ſeruo, ut primus Muſſulman fieret: nec iniuria illa dominis inferenda fuiſſet, ut ſeruorum eorum à dominis defectione & fuga tibi pararetur credentium numerus. At mihi allegabis, milites parū probos à Dauide regni cauſa collectos. Non euertebat remp. atq́ tu. perſonam ſeruabat, de uita erat ſollicitus, rex à propheta ſacerdoteq́ reip. principe erat diuino oraculo electus & unctus, tyrannus illius uitæ inſidiabatur: quid ergo ſimile eſt? Fuit ergo Muhamedes nil aliud quàm impoſtor, ruditate hominum ad credulitatem abutens, quum maiorum eius nullus niſi idololatra fuerit. quod ut iam notaui, fatentur Chronographi Cahidarū, ipſum conſtructorem templi maledicti fuiſſe ſcribentes: in quo non poterat orare Abrahamus, quū nondum eſſet conſtructa ſacra ædes. Ecce ut ſe prodit mendaciū, & ſemper ſui ſimile eſt. ô miſeros homines, fuco tenebriſq́ ſepultos: nónne tandem recepto uiſu aduertetis, uobis

impoſitum eſſe? Elhageiat.14.Mechenſe.
» Nunquam deſtruximus ullam urbem,quin haberet librum intellectum:nec
» anticipabit populus terminum ſuum,nec prorogabit. Dixerunt, Heus tu ſuper
» quem uenit memoria,tu es à dæmone agitatus, cur non oſtendis nobis angelũ,
» ſi uera dicis. Nullam eſſe ciuitatem dicit, quin habeat ſuam legem & memo-
riam:ergo fruſtra ſuam memoriam obtrudebat iam habentibus. uocat enim Al
coranum dilzicri,id eſt memoria præditum , hoc eſt recordatione rerum creata
rum plenum. Id uero falſiſſimũ eſt,omnes habere iuſtam cognitionem legis na-
turæ. Nam quidam ita deprauati ſunt, ut in illius præſcripta quamuis contra cõ
ſcientiam inſurgant,ut ſunt Anthropophagi,Canibales,& quotquot populi na
turæ ruinam moliuntur,ut Muhamedes, qui promiſcuos cum brutis cõcubitus
initionesq; probat,præpoſteramq; libidinẽ ſuis ſuaſit. Non habent ergo omnes
ciuitates uel populi librum,ut ſolet capere. habent enim omnes quoad cognitio
nem tantum,ad emendationem uero pauci,illiq; ſoli & optimi Chriſtiani. Opti
mos dico , quoniam non omnis qui nomen dedit Chriſto , ſtatim eſt Chriſtia-
nus. Soli itaq; ſpiritu diuino per Chriſtũ donati, habent legem,qua cognoſcunt
peccata,& fugiunt. cæteri mortales norunt tantum. Quod ais,nullos populos
aut ciuitates ſibi accelerare aut remorari infortunia & periodos : tollis omnino
arbitrium liberum in hominibus,nec quicquam magis eſt Reſp. hominũ quàm
grex boum,aut ouium. fruſtra ſunt leges,emendationes,conſilia, ſi nil in hac ui
ta proficiunt humani conatus. Factum inde eſt , ut qui ſunt inter huius legis ſe-
ctatores præcipua ſanctitate,& in ſecũdo loco poſt brutales, illi adueniente plu
uia,grandine,aut aëris iniuria loco non mouentur,ſed dicunt eſſe fatum, eſſeq;
patiendum illud,quia Deus miſit. Si nil arbitrij habemus,eamus, more brutorũ
in uoluptates & ſcelera ruamus,nec enim poſſumus aliter facere. Vide quò reci
dit hoc placitum. Congregatio multorum hominum eſt longe præſtantior uno
aut altero,itaq; poteſt occurere malis,& quouis remedio prorogare ſeipſam. At
non omnes norunt quò iſta tendant. Rebus in Mecha mutatis,uolebat his uer-
bis ſuperſtitum demulcere animos:id à ſe non eſſe,nil arbitrij eius peccaſſe : ſed
Deum ita miſiſſe finem rebus,ut nemo poſſit fugere. quod eſt uerum, quatenus
rem conſideras:falſum uero,quod ad tempus. prędeſtinat quidem omnia Deus
inclinatione,non neceſſitate:neceſſitate,nõ tempore. & ſi omnibus circumſtan
tijs hoc faceret,tu quis es ô homo,qui reſpondeas Deo? Nunquam certe Deus
immittit neceſſitatem mali,alioqui malus eſſet:ſed aliquando quæ uidentur ma
la, alicui immittit,quum ſcilicet ex euentu illo magnum quoddam bonum ſequi
tur. Immeritò igitur tollis humanæ prudentiæ locũ Muhamedes, ſceleris tegen
di gratia. Quod te à dæmone correptum dicebant,non mentiebantur. tegen
di apud Hadegian uxorem morbi ſontici gratia,finxiſti te prophetam,et cœpit
te inuitum torquere ſatanas, quum omnia te alloqui & uocare cerneres : quod
quũ multis alijs locis patet, tum maxime ultima ſora Alcorani, in qua te defen-
dis cũ Deo à uiſnaſſ,id eſt à perturbatione mentis à dæmone immiſſa. Ideo non
eſt mirum,tam male connexa iſta mendacia eſſe,quum duo perditi authores ea
excogitauerint:homo mente perturbatus,& dæmon eum inhabitans. Verum
„ quomodo audes perdite nebulo, dicere euanuiſſe leges antiquorũ? Iam, inquit,
„ euanuit lex antiquorum,ſeu primorum. Quî poteſt fieri ut euanuerit lex, cuius
cultores erant toto in orbe frequentiſſimi? Iudęis & Chriſtianis erat præter pau
cos idololatras occupatus mundus, quum peſtis à te in eum profluxit, illorum

ergo

ergo lex non poterat perijſſe. Fac eſſe pauciſſimos, qui cuiuſcunque legis præſcripto pereant. quamdiu illi ſunt, lex uiget. Si uero etiam cultor defuerit, an nō putas propterea eſſe leges, quum à diuina authoritate æterna & immutabili pendeant? durante uero principe, & cuiuſcunque reip. baſi, leges etiam ſunt paratæ ut obſeruentur. Quum itaque leges bonæ quæ ante te ſunt editæ & promulgatæ, ſint ab æterno authore Deo, unus apex (ut ait Chriſtus) ex illis non poteſt perire, donec impleantur. falſò itaque perijſſe dixiſti. Mitto repetitionē idololatriæ, cuius authorem facit Deū, & dæmonis creationem ex igne, & fabulas hiſtorijs ſacris admixtas, ne tam frequenter repetere eadem cogar, & diutius immorari. Ante notaui lapides marmoreos, unde eſt titulus huic ſoræ, quibus Deus pluit ſuper Gomorram & cæteras urbes ſubmerſas.

Sora Nachal. 15.

Solitas audite blaſphemias. falſus eſt iam innumeris in locis, fuiſſe à Deo leges ante eum datas, & tamen ait nunc eſſe patronum eorum diabolum. quî fieri poteſt, ut ſub lege Dei ſit eius aduerſarius ſatanas patronus? Iudæis quidem eſt dæmon pro patrono, à quo tempore repulere & occidere Chriſtum, innumeris locis illis promiſſum, ob cuius mortem duabus Romanorū aggreſſionibus ſunt confecta ſexageſies centena hominum milia, paulo poſt mortem Chriſti. Quū uero uellent authore Iuliano apoſtata imperatore inſtaurare templū Elmihrab, id eſt ſanctum, ſeu Hieroſolymitanum, diuinitus ex fundamentorum loco oborto ſiſmo ignei flammarum globi ædificatores abſumpſere, ſemel & iterum, donec deſtiterunt. Iſta ſunt à prophanis authoribus, & à nobis alienis ſcripta: non finximus. Vnde unam Ieſu Chriſti religionem eſſe ueram certum eſt. in quam non habet patrocinium ſatanas, ſed in impium mendacem Muhamedem. Puto uos meminiſſe, quod antè duobus in locis prohibuerit uinum, non quidem, ut putabam, propter uinum, ſed propter ebrietatis uitium. Nunc uidere licet, pœnitentia ductum laudare & probare ebrietatem. Egregia lex. uetat ferre gladium, hominem interficere permittit & iubet: quum tamen ſit ueri legiſlatoris intentio, non res ipſas tantum prohibere, ſed potiſſimum quod illarum inſtrumento uitium committi poteſt. Ait: "Et de fructibus palmarum, & "de racemis conceſſit ut capiatis ex illis ebrietatem, & opes bonas, in hoc eſt mi "raculum, &c. Vino nullo alio abundat India, quàm palmeo, quod uehementer inebriat, ut eſt pyrorum, pomorum, ſorborum uinum, etiam zythum. omnia enim illa cerebrum largius pota tentant, quod probat Muhamed. Quum à ſectatoribus eſſet adactus ut aliquod mutaret, id quidem coactus fecit, ne deſciſcerent omnes. & ait: "Et quando mutauimus miraculum loco miraculi, & "Deus eſt ſapientior in eo quod miſit: dixerunt, Certe tu fingis iſta. Sed mul- "ti eorum non intelligunt. Dic, miſit illud Spiritus ſanctus à Domino tuo, ut "confirmentur illi qui credidere, in que annunciationem & directionem Muſ- "ſulmanis. & ideo intelligo, quoniam dicent, reuera docet eum homo ling- "uam in qua conueniunt uulgarem, & iſta eſt Arabica clara. "Dum ſatisfacere obiectionibus tentat, ſe prodit. Nil erat opus mutatione, ſi diuinitus accepiſſet. & tamen mutauit: unde in Spiritum ſanctum retulit, quaſi facilius mutet. dicit non intelligere illos qui obijciunt, quoties ſatisfacere non poteſt. Quod fingeret, lippis & tonſoribus erat notum. nam & ruſtici id obijciebant. Quomodo potuit confirmare credentes, quum omnibus contradixerit? De illis qui docebant lingua uulgari, certum eſt: de ſpatarijs enim illis authores

thores cõmentorum meminere. quod itaq; lingua uulgari excipiebat ex ſacris, Arabice exponebat. Quid hoc in loco ſibi uelit, uerbum agemij, nõ ſatis capio. Quidam putant latinam, alij perſicam linguam intelligi. illa erat diuerſa ab Arabica, quæcunq; eſſet. Nam hæc arabica qua uſus eſt Muhamedes, planè uulgaris eſt, & ſine ulla arte grammatices, qualis obſeruatur à doctis ſcriptoribus, qui diſciplinas humanas tractant. Nam nullis canonibus, nec rationis nec eloquentiæ, uoluit adſtringi Muhamedes: quum tamen ideo aſſerant eloquentiſſimum, quod rythmicè penè ſcripſerit, idq; tamen etiam ſine ullis legibus. Nam periodum ducentarum ſyllabarũ quadrare faciet ὁμοιοτελεύτοις cum breuiſſimis. ut paucis comprehendam, in omnibus exlex haberi uoluit: ut incõſtantia in omnibus laborabat. Hoc in cap. prohibet res quatuor, morticinium, carnem porci, ſanguinem, & idolothytum: quum antè decem aut duodecim uetuiſſet. Dum paulo poſt, hanc legem uocat legem Abrahami, quàm falſo id affirmat, uiſum eſt.

Sora filij Iſraël. 16. Mechenſe.

Ab ipſo exordio ineptam illam uiſionem, & Borachi equitationem proponit, aitq; Deum pernoctaſſe cum ſeruo ſuo. Tot uero profundũt ineptias, & in Deum blaſphemias, & in rebus ignorantiã interpretes, ut nulla patientia poſſet audire. Cœlis ſeparati ſunt homines ſancti. animalia omnis generis toto mundo maiora ſunt in cœlis, portæ ſunt in cœlis ex materia tactili, Deus eſt finitus, nomen Muhamedis eſt ſcriptum in omnibus locis cum nomine Dei, angeli omnes & prophetæ adorant Muhamedem, ſancti item & beati. ſcelerũ lernam precantur, ut oret pro ſe apud Deum, tanquam beati quibuſdam egeant in cœlis. inde refert magna priuilegia, quæ omnia antè notaui. Non eſt tamen auſus quamuis altius cœlum conſcenderit, non fateri Chriſtum ſe maiorem, orauitq; illum ut rogaret pro ſe Deum. hæ ſunt ineptiæ. Iam ſi ex interpretibus accedant gradus inter cœlos, quis nõ cachinnis crepet, ſi illa audiat? digna omnia ſunt authoribus, & credentibus. At fortaſſis uellent me arguere Muhamedici, quòd dixerim factionibus Iudæorũ (dum creditur eſſe Meſſias, aut qui illos reduceret in Hieruſalem) Muhamedem collegiſſe robur, & ferociam ſumpſiſſe. Audiant huius loci ſenſum, quem imperiti legunt & admirantur: capiunt, negligunt, ridentq; docti. Ait: Dedimus Moſi librum, & poſuimus in directionem filijs Iſraël, niſi ſumatis præter me patronum. Generationes eorum quos tulimus cum Noacho ſeruo glorioſo, & narrauimus filijs Iſraël in libro, ut corrumperentur in terra, bis exaltarentur exaltatione magna. & cum aduenerint hæ promiſſiones, miſimus ad eos ſeruos noſtros crudeliſſimos, & ueſtigabunt receſſus habitationum, & erit promiſſio facta impletaq;. Demum reddemus uobis uicem ſuper illos. Dotabimus uos cum pecunijs & filijs, & faciemus uos magnam multitudinẽ. Si benefacitis, uobis ipſis benefacitis, et ingrediemini templum, quemadmodũ ipſum ingreſſi ſunt prima uice, & perdetis eos qui ſe extollunt perditione. Fortaſſe dominus ueſter miſerebitur ueſtri, & fortè promiſſio ueſtra eſt promiſſio noſtra: & ponemus gehennam impijs in obicẽ. Quia hoc Alcoranum dirigit populis præfectos. Et ſi ſententia illa ſatis prodit authorẽ, tamen ob phraſim illam propheticam non omnibus peruiam, paulo latius explicandã iudico. Dicit in lege Moſis ſcriptum fuiſſe, ut bis Iudæi diſpergerentur (intelligit enim illud per tupſidunè, id eſt corrumperentur) & bis congregarentur: quo in loco, nunquam legi, aut me uidiſſe memini. Sed hoc facile erant conceſſuri Iudæi nouo Meſſiæ, modo præbuiſſet ſe uirum in reſtituẽdis potius quàm in ſpoliandis.

Habue-

Habuerunt quidem plures captiuitates, multas ſub iudicib. & unam ſub Saule, & ſub Græcorum imperio: uerum duas celebriores, captiuitatem Nebucadnezar, & Titi. uolebat ergo polliceri rerum nouarum auidis, & quorum ingenia procliuia noſſet ad factiones, ut ſi ſe ſequi uellent, omniq́ genere crudelitatis in paſſim obuios ſæuirent, ipſis ducem non defuturum. penetralibus enim alienarum domorum recluſis, omnia prædæ futura. ſi in hac re uelint ſequi ducem, & bene facere, id eſt uiriliter pugnare prædariq́, id ſibi ipſis comparaturos, ut magnis opibus & copia liberorum præditi forent. Egregium uero titulum ſibi aſſumpſit iſte, propheta dictus à ſeipſo, uehementi crudelitate præditus, ut elogio captaret illos quos alloquebatur. Nullum enim ſunt unquam habituri ducem præter Antichriſtũ, qui more Muhamedis coniunget opes & ſcelera omniũ generũ ſub authoritate & diuinitatis prætextu. Talis fuit uterq́ Barcoziba, & dux futurus in mari, dictus alter Moſes in Creta. Talis fuit Muhamedes. Erat etiã paulo ante iſtos annos qui ſollicitabat Chriſtianos ad Iudaiſmũ, uocariq́ uolebat rex Thaborius. qui cũ rogaret quid de Meſſia ſentiret, reſpondebat ambigue ען תראה fortaſſe uidebis, de ſe more hebraico aſſerẽs. Intellexi ſceleſtũ hominẽ à Carolo Auſtriaco huius nominis quinto Imperatore flammis adiudicatũ, quod in Hiſpania multos à uarijs perſuaſionibus nõ alienos, ad Iudaiſmũ trahere uellet. Muhamedes ita hoc loco etiã dubio uerbo captabat: Fortaſſis, inquit, promiſſio ueſtra eſt promiſſio noſtra, fortaſſis miſerebitur ueſtri Deus, & reducet uos ad ueſtra ſacra, ut olim. His ambiguis reſponſis miſerã gentẽ decennio luſit, donec ineptiæ à Benſalone ſunt cæteris patefactæ. ſenſimq́ deficere cœpẽrunt, ita ut de nulla re tã frequenter agat, quàm de perfidia deficientiũ Iudæorũ.

Non eſt huius prophetæ titulus nobis negligendus, quum probauerit in ſe id nominis, honorisq́ loco poſuerit, quo impios ſceleſtos nefariosq́ tyrannos donare ſolemus. & tamen (ſi dijs placet) eſt propheta, qui hãc diuinam uirtutẽ, non in reip. ſuæ aduerſarios, non in ſacrorum conſeruationem, non in parentũ curam, ſed in cædem propinquorum, ſacrorum euerſionem, rerumq́ omnium perturbationẽ cõuertit. Potuiſſent eo duce ampla rerũ dominia ciues conſequi, illeq́ magnis muneribus fungi, ſi integra ualetudine fuiſſet. uerũ quũ & animi & corporis morbo laboraret, ſuſpicione præſtigiorũ notaretur, ſuorũ meditaretur ciuium ruinam, nullus ſine religionis figmento illi parere uoluiſſet. ex his ſatis innotuit. Non ſatis autẽ habuit fauiſſe Iudæis, niſi illis gratificando inſectaretur Chriſtianos, & in Chriſtũ blaſphemaret. Dicit Deũ non habere angelos fœminas. eſt certũ. Nõ eſſe duos deos: etiã cõſtanter hoc affirmamus, et credimus. Ergo Chriſtus non eſt Deus: nõ ſequitur. Deus non generat noſtro more, ergo nõ generat: impoſſibile eſt ab æterno non generare filiũ, id eſt uerbũ & ſapientiã: nec ob id ſunt duo dij, quod tota diuinitas in patre, tota in filio eſt, tota in ſpiritu ſancto. Nam ut exemplũ crebro imperitis rerũ diuinarũ repetã, rei cuiuslibet conceptio (uerbi gratia, ædis conſtruendæ) eſt tota in mente, & tota eadẽq́ in uerbo & explicatione, & tota eadẽq́ in ædificio: & tamen nõ ſunt tres ædificationes, ſed unũ ædificium. Ita Deus potentiſſimus ſciat oportet agenda, & uelit, anteq́ quicquam ſua immenſa potentia creet, & niſi perpetuo generaret filiũ, quemadmodum quęlibet res ſuam durationem ſeu partum, nil quicquam in mundo eſſet, nulla forma materiæ adnecti poſſet, niſi potentia ligaret formas materiæ, ſapientia propriæ figuræ aptaret, uoluntate in eſſe diutiſſime conſeruaret. Sed illa non capiebat ſanguinarius nebulo, qui nil Dei niſi uerbo, uentreq́

& pudendis gloriaq; probabat. Iudæis petentibus miracula, dicit ideo Deum il
li non cōceſſiſſe miracula, quòd quādo miſit, ſub prætextu falſi repulerunt. Egre
gia eluſio, & ſolita ſtropha. An propterea ſi qui nō credidere Moſi, prima facie
antequā notum eſſet an à Deo ueniſſet, nemo illi credidit? ſexcenta hominū mi
lia cum familijs ſuis tandem credidere, quibus pacatiſſimam remp. compoſuit,
tradiditq;. Si Iudæi Chriſto homini Deo non obediuere, an propterea nulla
gens Chriſtiana fuit? intra centeſimum annum à morte eius, ſine ulla ui & ſan-
guine, niſi martyrum, Chriſtus eſt receptus. Si ergo adferebas miracula, nō o-
pus fuiſſet tuos ciues & fratres occidere, ſpoliare, fugare. Si non ſtatim, tandem
uiciſſes ut cęteri. Hoc tamen quod dat accipio, quum fatetur ſe non habuiſſe mi
racula. Ergo arbores cacationis, & luna ſciſſa, &c. miracula, fabulæ ſunt & ſom-
„ nia. Quum multas nugas attulit, ut toto opere, dicit: Si omnes dæmones & ho-
„ mines uellent componere ſimile Alcoranum non poſſent. quod ideo credo &
concedo homini, quoniam extra rationem, methodum, & ullam aliam quam
battologiæ repetitionem, impoſſibile rationalibus animalibus uidetur, ut ſimile
componant. Nam ſi eſſet ſecundum Deum & naturæ ordinem, diſciplinarūq;
methodū, eſſet aliqua ars imitandi, ut in cæteris ſcientijs uidemus. hic uero nec
ordo, nec lux, nec ullum rationis maius ueſtigium, quàm ſi uetula crebro de cœ
lo & terra, homine, naue, boue, lacte, fructu, cibo, iumentis crebro mentionem
ingereret, & Dei creatoris (cuius uocabulum ne idololatræ quidem ignorant)
adiungeret ubiq; nomen. qua in re conſyderanda nullus ruſticus non eſt legis-
latori huic ſuperior. Itaque ab eo qui meritò nomen hominis ferat, nil ſimile
cōponi poſſe aſſerit. Sed audite hominis egregiam doctrinam. Te interroga
„ bunt, inquit, de ſpiritu. dic, ſpiritus eſt de præcepto creatoris domini, & non ha-
„ betis de ſcientia niſi parū. Digna doctore definitio. ut ſi quis roget, quid eſt gla-
dius? doctor reſpondeat, eſt quod imperauit fieri ille qui eget. à definitione Mu
hamedis, ſpiritus eſt canis, lapis eſt ſpiritus. quoniam omnia ſunt de præcepto
creatoris. Quanto melius diſtinxiſſet primum, Dei ſpiritus eſt eius in inferiori-
bus efficacia, in quo omnia ſeruantur & conſiſtunt: naturæ uero, qua uegetan-
tur cuncta, creatoris imperio. Nam ſi quid dicere eſſet operęprecium ab hac fi-
nitione prophetę, dicerem eum adnectere Deum materiæ, & ſeipſum quotidie
creare. Non hic locus tantum eſt, ſunt omnia ſimilia, unde reuera puto à nullo
alio melius quàm à ſeipſo confutari Muhamedem. Corporeos uero angelos, &
„ uulneribus mortiq; obnoxios facit, quum ait: Dixerunt, miſit Deus apoſtolum
„ hominem. Dic, ſi angeli in terra permanerent tuti, mitteremus quoq; cœlitus
„ angelos apoſtolos. Egregium hominis iudiciū. Subſtantiæ corporis exper-
tes, niſi quatenus pręſtigioſum corpus aëreum capiunt, ſunt iniurijs hominum
obnoxiæ. ô bonum legislatorem, & naturę, cum qua familiariter uerſabatur, be
ne peritum. ruſticum planè, qui eſſe ſpiritus uiolabiles credat: aut ſi non credit,
falſò ſcribat. Quum tributa illi dare non ſatis ampla uiderentur, ſeq; excuſa-
„ rent ob paupertatem Iudæi, dicit: Si poſſideretis theſauros miſericordiæ domi-
„ ni mei, tunc etiam conſeruaretis timore expenſarum, quia homo eſt auarus.
Cæterum, quod dicit Deum Moſi nouem miracula dediſſe, 10. exhibuit ante
Pharaonem, & innumera alia.

Sora Elchahaph, id eſt ſpelunca. 17. Mechenſe.

Quamuis toto iſto capite contra diuinitatem Chriſti, ut nunquam non, in-
ſurgit, tamen hiſtoriam 7. dormientum à nobis accipit, qua maximè latiſſimeq;

patet

patet Ieſu diuinitas, ut probet reſurrectionem mortuorum. Eam illis expono. Imperatore Decio, perſequutionem in Chriſtianos mouente, Epheſi erant ſeptem iuuenes, ditiſsimorũ & primorum ciuium filij, qui nomen cum multis alijs Chriſto dederant. Quum itaq; præſens ſupplicijs, ueluti tortor ſitiens humanũ innocentiumq; ſubditorum ſanguinem, adeſſe uellet Decius, multos martyrio abſumpſit: his iuuenibus uero ob parentũ, ut aiebat, claritatẽ, & ætatis rationẽ, permiſit aliquot menſes, ut à Chriſto reſilirẽt, & idolis ſacra facerent: aut ſi perſiſterent, ubi ſtatim redierit, inauditis ſupplicijs eos perituros, parentes ne dubitarent. ubi diſceſsit impius imperator, cœperunt iuuenes unà cogitare, quibus artibus ſe à tyranni potentia uindicarent. Sumptis itaq; à parentibus aliquantis pecunijs, dum deliberant & conſultant aut de fuga, aut de uoluntario exilio, ita conueniunt, ut in ſpelunca quadam Epheſi proxima ad Mycales montis ramentum tandiu latitarent, quoad ſceleſti principis furor ceſſaret. Ita multis menſibus laudes Deo canebant. unus uero illorum ſtatis horis & uicibus petebat ab urbe neceſſaria, quibus uitam traherent. Vbi rediјt imperator, iuuenes ad ſupplicium animi aut corporis petit, eorum nomine parentes corripi iubet, tormenta ni liberos prodãt minatur ſtatim, ut erat animo ſanguinis auido, illaturus: produntur, aditur locus, non exeunt. Vide quid inſania dæmoniſq; agitatio in homine poſsit. Iubet uiuos ſpelunca includi. cuius imperijs ſtatim paretur. Quidã uero Theodorus, uir pius, diſsimulata perſuaſione, laminæ plumbeæ acta, geſtaſq; res, & parentes eorum, cum tempore & perſecutore inſcribit, operiq; quo ſpelunca claudebatur, ita imponit, ut nemo ſentiat: diruto autem, pateat. Ita totis 181. annis, ad tempora uſq; Theodoſij ſunt ſpelunca incluſi. Forte uerò fortuna quum quidam ciuium in proximo loco uellet ędificium aliquod conſtruere, agitaretq; de conuehenda cõmodius materia, artifices nõ longe eſſe quandam molem ueluti murum dixerunt, indeq; poſſe peti. Audit, diruit, cõuehit, uidet ſpeluncam, nil aliud quærit. Admiſſo aëre, iuuenes ſeptem ueluti à ſomno excitati & famelici, ſocium ad ſolita munera dimittũt. exit, nil rerum ſuſpicatus, adit Epheſum, ſtatim noua rerum omnium facies iuuenem terret, ambigit, dormiat an uigilet: cæteris uero neglectis, id unum conſternat: ſignum crucis, quod impius imperator heri (ut putabat) perſequebatur, urbis portis ſuprapoſitum uidere, ſingulas portas adiens, idem offendit: rogat cũ ingenti timore, an ea urbs ſit Epheſus: eſſe aiunt. Interim ueluti extra ſe factus, adit mercatum panem, & obſonia cæteris & ſibi cõparaturus. Numiſma oblatum nullus nouit. aiunt uero, etiam delaturos ſe niſi det partẽ theſauri inuenti: inueniſſe negat. relicto numiſmate uult fugere, ne prodatur. Capitur, magiſtratuiq; offertur. cuiàs ſit quæritur: ſe eſſe ciuem, ciuis ita dicti filium. Omnibus non minus adfert admirationis, quàm in ſe haberet. ciues omnes uidens, nullum agnoſcit. omnia in heſternum diem refert: imperatorem etiam, quem cõſtabat antè 180. anno deceſsiſſe. Dicit ſibi eſſe ſocios ſex in ſpelunca, ueniſſe ut illis cibos emeret. ſacro magiſtratu adhibito, miraculum cognoſcitur. Epiſcopus cum tota ferè urbe locũ adiens, reperit omnia cõſentanea his quæ iuuenis dicebat, præterquam tempori. Subiens uero limen ſpeluncæ, adhibito lumine uidet plumbeam tabulam à Theodoro relictã, quæ obſtructionis & temporis fidem faceret. Adhibetur tota corona ciuium, alloquitur quicunq; uult iuuenes, fit maxima & palpabilis reſurrectionis fides. Statim uero Epiſcopus & magiſtratus ſcribunt ad Theodoſium Conſtantinopoli agentem, accerſuntq; ad miraculi ſpectaculum. Venit, uidet cum

toto clero, alloquitur, confirmat, & ſtatim moriuntur iuuenes. Quum uero uellet in eo loco immane templum illis ponere, auroq́ multo inſignire, eſt à ſpiritu unius illorum admonitus, ne id faceret: ſatis habere debere, quòd creator in illis fidem reſurrectionis certiſsimam ſibi feciſſet, ut hæreticos multos de ea tunc ambigentes confutaret. hæc ſunt hiſtoriæ capita, quam Muhamedes nō tractat purius ſacris. affingit enim ubiq́ quicquam de ſuo: ut hic nobis adfert canem cum illis, ut canum reſurrectionem cum eo credamus. Nam quorūdam animalium corpora in cœlo cum ſuo Alborach ponit, credunt q́ miſeri illi ſpiritum omniū animalium cum ſpiritu hominum collecturum Deum ad reſurrectionem: qua blaſphemia quæ magis impia ſit, nulla dari poteſt. Illi porrò ob Chriſtum Ieſum crucifixum ea paſsi ſunt, nec poſuerunt cum Deo participem, quoniam ille ipſe idem Deus unus eſt, atq́ pater & ſpiritus, quod ſæpius docui. Nil uolo de paradiſis eden dicere, niſi quia ad ſuperiora accedent armillæ aureæ, & indumenta praſsina, ſericea & byſsina, recumbent q́ ſuper puluinaria in bona manſione, &c. ut animorū & corporis ſit eadem uita apud Muhamedem. Cęterum quū proponat parabolam diuitis & pauperis, dicat q́ pauperem ſine opibus adire paradiſum melius quàm diuitem, quî fit ut omnes ſpoliare & tantam potētiam cogere uoluerit? Fecit illud, meo iudicio, charitate: ut quum omnes nudaſſet, expeditius paradiſum peterent, omnium uero impedimenta reciperet. De Deo, Adamo, et diabolo non loquor. Ita enim ſępius oſtendi, quod Deum authorem idololatriæ ponat. Quis recitet, quot fabulas adnectat Moſi, de puero & piſcibus? illa ſunt omnino à ſacris aliena, ſeq́ ipſa refutabūt. Fabulæ illæ parabolæq́ quas nectit hiſtoriæ Moſis, ſunt allegoricæ, nec mihi ſatis notæ. Sed uidentur agere de pupillo, quem ſpoliauit fundo paterno, & ædibus, in Iezraba: quo facinore nullum eſt fœdius.

Miriem, id eſt Maria. 18.

Noſtras hiſtorias mirum in modum locupletauit iſte ſomniator, ut nil planè integrum apud eum ſeruetur. Primo in loco mendacium de Zacharia poſuit, quod triduo tantum fuerit mutus in rei ſignum, quum 9. totis menſibus nō fuerit locutus: & nato puero etiam ſcripſit nomen eius, quum adhuc non loqueretur. Quod habuerit Ioannes librū, id eſt legem, falſum eſt: nam Chriſti fuit præ„ nuncius. De Maria ita nugatur. Recordare Mariæ in libro tuo, quomodo
„ ſeceſsit à cognatione ſua uerſus locum orientis, & accepit ſine illis uelum, & mi
„ ſimus ad eam ſpiritum noſtrum, & illi facta eſt conceptio hominis perfecti. Di-
„ xit q́, defendat me miſericors abs te, nonne times? Dixit, certe ego ſum nuncius
„ domini tui, ut det tibi puerum ſanctum. Dixit, Quomodo erit mihi puer, & nō
„ me tetigit homo, & non fui inceſta? Dixit, ſic dixit dominus tuus. Ipſe eſt ſum-
„ me potens, ut ponat illud in miraculum hominibus, & in miſericordiam à no-
„ bis, & res eſt tranſacta, & concepit eum, & ſeceſsit in certum locum. & uenit illi
„ partus ad truncum palmæ. Dixit, ô utinam mortua eſſem ante, & fuiſſem obli-
„ uione oblita, & uocauit eam qui erat ſub ea: Ne timeas, iam poſuit dominus tu-
„ us ſub te excelſum. Excute uerſus te truncum palmę, cadent ſuper te dactyli ma
„ turi, comede, & exulta mecum, exhilara q́ oculos, et ſi uideris aliquem hominē,
„ dic, uoui miſericordi ſilentium, & non alloquor hodie hominem. & tulit eum
„ ad cognatos ſuos, geſtans eum. dixerūt, ô Maria, certe cōmiſiſti rem nefariam:
„ ô ſoror Aron, nonne erat pater tuus malus, aut mater tua inceſta? & cōuerſa eſt
„ ad eum. Dixerūt, quomodo alloquar eum qui eſt in cunis puer? Dixit, ego ſum

ſeruus

ſeruus Dei. dedit mihi Deus librum, & fecit me prophetam, & fecit me benedi- «
ctum. timeo quum factus ſum. & præcepit mihi orationes & decimas, quandiu «
perſiſtam uiuus, & colerem genitricem meam, & non fecit me fortem, laborio- «
ſum, & pax ſuper diem quo natus ſum, & diē quo moriar, & diem qua perſiſtam «
uiuus. Hic eſt Ieſus filius Mariæ, uerbum ueritatis, de quo ambigunt. Nō ſuſce- «
pit Deus filium, laus illi. Illa omnia affinxit, ultimæ periodi gratia. Iam ſępius demonſtraui, eſſe impoſsibile Deum quicquam creare, aut inſtaurare, niſi per filium. creat quidem omnia in filio Deo, inſtaurat omnia in filio θεανθρώπῳ, quod ſuperiori libro copioſe probaui. Sed ſingula mendacia prophetæ à Spatharijs oblata, ſunt excutienda. Quando unꝗ ſeceſsit Maria à parentibus, quum Euangelia nunquam de eo loquantur? Iam eſt unum mendacium. Diligenter quidem partim in templo, partim apud parentes fuit educata, ad aduentum uſq; ſpiritus ſancti, & quoad nupſit Ioſepho. Nondum uenerat uſus inter Iudæos uelandarum uirginum, unde & hoc effictum. Dicit miſſum ſpiritum ſanctū pro angelo, ut uideatur creaturam facere, impiè ſanè, aduenit quidem angelo miſſo. Si facit ſpiritū ſanctum nunciū, nemo poteſt diſcernere. Cæterum à quo concepit, nō ſeceſsit domo, quoad uenerunt ut nomina profiterentur in Bethlehem.

Vbi eſt ille palmæ truncus? Muſſulmani pij in noſtros, aiunt eam palmam reuixiſſe, & ad noſtram memoriam duraſſe. Nō egemus mendacibus miraculis, aliter ſcriptū habemus, recipimus, credimus. Quod optauerit mortē, & alloquutus ſit eam infans, &c. ſunt afficta: & ueluti ideo nobis cōceſſa, ut ea credamus, Deum negemus. Vbi illi iuſſum eſt de orationib. & decimis? omnia ſunt mendacia Spatariorū, & ſomniatoris. Iam quis nō uidet huic prophetę impoſuiſſe Spatarios, errorē 1500. annorū. Tantū enim abeſt Maria mater Chriſti, à Maria ſorore Moſis & Aaronis: & hoc, ſi dijs placet, nō eſt mēdaciū. Miſerè pereat homo cū ſuis nugis. Ad cætera. Nō ſatis habuit dixiſſe dæmones eſſe ab igne, malos eſſe creatos, ſtupidosq;, niſi & mortales poſuiſſet. dicit em̄, in die iudicij morituros, demū reuicturos: quo mendacio nullū falſius. Nā quū corpore careant, nec poſsint aliud quàm ſpiritus eſſe, ad quid morerent? quū materiā nō habeāt corruptibilē & defecandam. Id fieret fruſtra, quod authore Deo nunquām fit.

19. Theh.

Recitando hiſtoriā Moſis, cū cōmentarijs affingit ubiq;, modò educatū à ſorore, modò ab uxore Pharaonis dicit, quū ſacra habeant filiā. Ponit terminū paſchæ, ut ueniant magi cōtra Moſēm: quū nondū eſſet paſcha. poſt tranſitū enim maris rubri fuit inſtitutū. Moſes ueluti ius habens prouinciæ, dicit magos ſe ſuſpenſurū ad palmæ truncū manib. abſciſis. Cæterū Aaronē uocat Samaritanū: quam ob rē, neſcio. Capillis demū et barba Moſes eū arripit. Cęterū nō uult edere Alcoranū, donec cōpleat: quod nunꝗ fuit ante mortē, ut iam dixi, ne falſi argueret. dicit demū dæmonē Adamo oſtēdiſſe arborē uitæ, quaſi Deus nō oſtendiſſet. Pro pœna aūt impietatis dicit, cęcos Deum ſuſcitaturū impios. Poſtremò quum ab omnibus iure uel iniuria raperet, dicit ſe nil petere præmij, ut tegeret uitia. dicit contraria factis, &c.

20. Prophetæ.

Deliramenta aggerat, ſuo more fabulas nectens, ut eludat eos qui hominē cæteris ſimilē nulla prophetia clarū, finxiſſe, ſomniaſſe, &c. dicebant. alios ante ſe fuiſſe prophetas, ergo & ſeipſum eſſe cōcludit. Alcoranū et Alphurcanū datum fuiſſe Moſi, & Abrahamo, quod antè falſum oſtendimus. fabulas de Dauide & Solomone fingit. De uinea & ouibus indiciū docuiſſe Deum, quibus patet re-

latione imperitorum iſta habuiſſe. nam nil integrũ eſt. Vult ut puto dicere de Natani admonitione, et propoſitione duorũ hominũ, quorũ unus 99 oues haberet, & illi qui unã habebat, unã abſtulit, &c. De uinea neſcio unde ſomniauerit. Imperiũ illud uentorũ ut dęmonũ Salomoni cõceſſum in ſacris nõ memini, fabrilẽ artẽ multo minus. Adnumerat Hanochũ, Iobũ, & cæteros cũ Iſmaële, ut impius cõſortio pius uideatur. 21. Elhegh. Peregrinatio illa eſt, 4 menſibus in anno fieri ſolita Mechæ, in memoriã Abrahami, & eius ſacrificij. ideo quędam illic inſtituit cõformia idololatriæ. & eſt, ut ita dicã, ubiq; ſimilis. Iam id refutatũ eſt, quod Abraham fuerit aliquãdo in domo priſca, interdicta ue. propterea nõ immoror. Muminine, id eſt fideles. 22.

Quia in adulterio ab uxoribus fuerat depræhenſus cum iuuene puella Iudęa, quam illi Baheyras dederat, periuriumq; cõmiſerat, obſtricta ſub nomine Dei apud uxores fide: ideo legem hic ponit, qua omnibus ſectatoribus idem liceat quod ſibi, ne uitium in eo uideretur, quod in omnibus permitteretur, quaſi minus peccent centena hominũ milia, quàm unus ſolus. Nã ſi res iniqua eſt adulteria cõmittere, & uxori debitum nõ reddere, quod natura docuit, proculdubio lege & promiſsione huius prophetæ licitum fieri non potuit. Volo nunc paulo latius explicare hoc factum, ut quid iſto fidelium capite cõtineatur, omnes perpendere poſsint, atq; iſtam fidelitatem penitus introſpicere. Hoc enim caput, & ſequens, multùm nobis aperient hunc prophetã. Res altius, & à capite ordior.

Quum à Mecha rura uicina & uicos inciperet hic propheta peragrare, prædicationis gratia, iam contracta cum magnis ciuibus affinitate, & multa turba comitatus, uicinos regulos ut poterat, aut amore aut terrore ſibi comparabat conciliabatq;. Inter cæteros erat quidam in Arabiæ finibus Baheyras nomine, qui hæreticorum Iacobitarum gregi præerat. Is quum alioqui eſſet cęteris Chriſtianis, ſi qui erant uicini, infenſus, nil prius habuit quàm ut ſimilis ſimili coniungeretur, ut ſecundum parœmiam haberent ſimilia labra lactucas. Hæreticus hæreticum & impium fouet, amplectitur. ad Bahyram fugiebant omnes perditi, uiolatæq; religionis accuſati. Muhamedes uero omnium perditorum & nouis rebus ſtudentium, ſibi accerſebat colluuiem. Inter cætera munera, quibus donatur ꝓphetes iſte, unum accõmodatiſsimũ homini, quamuis 50 annos nato, deligit Bahyras puellã eleganti forma, natã annos 15. Marinam nomine, religione Iudæã, eamq; in fœderis μνημόσυνον dono dat Muhamedi. Acceptã ſtatim deperire miſere cœpit herus, quamuis Iudęas tres aut quatuor ditiſsimas, & clariorũ ciuium Mechæ filias duxiſſet uxores, ad quindecim numero, ut dixi. Diutius puella tutari pudicitiam conata, tandem partim herili imperio, partim precibus & precio, fauoribusq; acquieſcit prophetæ. ſed res non ſatis fœliciter, aut prophetice ſucceſsit. Nam quas duas habebat uxores nobiliſsimas & chariſsimas, Haſſam filiam Vbechari, & Hafezam filiam Humari, illæ cum iuuencula hominem depræhendunt, & acriter increpant. minantur ſe conqueſturas apud parentes, à iudicibus petituras ut repudient, infamaturas apud omnes credentes. quibus rebus propheta attonitus, ſupplex cũ lachrymis, genibus uxorũ prouoluit, nunq; ſe tale quicq; in poſterũ cõmiſſurũ: amoris uehementia uictũ feciſſe: Deum, legẽ, angelũ ſacramento interponit, ſi unq; quid tale cõmittat, nil timere ſupplicij. Timore maiori urgebatur ab illis, quàm ab alijs: quoniam opes ampliſsimas dotib. earũ erat cõſequutus, & maximos parentũ fauores: quæ omnia, ſi reliquiſſent hominẽ, perdebat. fœminæ minime malę ſacramẽta recipiũt,
homini

hominiparcunt,ita tamen ut ſi ſemel tantum poſtea commiſerit, nil miſericor-
diæ futurum ſperet:eſſe de homine & lege actum,ſe omnia prodituras, perditu
rasq́. Aliquot diebus libidini imperat, religione tenetur, aut potius timore
fœminarum,tandem idem facinus committens, deprehenditur ab ijſdem. ab-
eunt,infamant,produnt quatenus nouerant ſecreta myſteria,eſſe hominem im
poſtorem,impurum,dæmonijs agitatum, furijsq́, qui fingat colloquia diuina,
ab alijs legibus capiat omnia quæ bona habet,nil non propalant artium nebulo
nis.Quibus rebus penè in deſperationem omnium rerum eſt adductus: donec
ad ſe rediens,ut multitudinis animos retineret,legem hanc proponit, quæ in ca
pite huius Sora eſt.Beati,inquit, fideles qui ſunt in ſuis orationibus metuentes, «
& qui ab impoſtura recedũt,& qui pura faciunt, & qui pudenda ſua cuſtodiũt, «
niſi apud uxores ſuas,aut quod acquiſiuit fides eorum,id eſt apud mancipia.Illi «
enim ſunt ſine culpa,uel non culpati. Hæc eſt lex, hæc cauſa. Sunt beati qui
in ſcelus & nephas more prophetæ ruunt, qui non tantum ſubagitant uxores,
uerum & mancipia cuiuſcunq́ generis. nam indefinitè ſcribit. nec eſt in αὐτο-
γράφῳ legis ancilla,ſed eu ma melecheta aimanuchum,id eſt,aut quod acquiſiue
rit fides ueſtra,id eſt ſub fidei prætextu rapuerit,lucrata fuerit,acquiſierit, turba
fidelium.quo in numero ſunt captiui, ſeruiq́ non minus quàm ſeruæ & ancil-
læ.Niſi ita intellexiſſet,poterat uti uocabulo amet, quod ancillam ſignificat. ue
rum uoluit amplam legem condere,in qua non tantum ſcelus recens admiſſum
permitteretur,ſed quod eſt omnium deterrimum,omnibus ſit conceſſum & lau
dabile. O ſenſu capti homines:ita uos ludunt præſtigioſi interpretes, ut iſta,au-
thore malo dęmone ſcripta nõ intelligatis? Iſta lex confirmat eas quas ſuperius
de pęderaſtia attuli.Ad hoc erat iſta lex comparata,ut omnia ſub nomine eius li
cerent,quæ alioqui lege diuina,naturali, & inſtaurata, ſunt prohibita. Egregia
fides,& authore digna.Quàm ſit turpis hic author in ſcribendo,non dico: pro-
prijs uerbis utitur, naturę occultæ propagatoriæq́ tam in uiris quàm in fœmi-
nis & brutis,actionumq́ ipſarum uocabulis ſpurcis & ultro quęſitis ubiq́ uti ſo
let.Sed nil mirum:quum uolens uidensq́ uxorum etiam propriarum pateretur
adulteria,unde abiecti animi,& ad fraudes impoſturasq́ tantum nati argumen
tum deprehendere licet.Captatis ergo ſectatoribus tam dulci & beneuola lege,
prophetæ non tantum cõdonarunt quod iam authore Deo fecerat licitum, ſed
etiam uxores culparunt,quod in propheta id reprehendiſſent,quod erat tam iu
cundum & bonum.parentes etiam ſedatis animis muliebribus, ſuaſere uxori-
bus ut repeterent domum prophetæ,& per omnia illi obſequerentur. diuinitus
enim illi fuiſſe reuelatum,non eſſe peccaum quod peccatum putauerãt. Admi-
rabundæ mulieres nil aliud parentibus dixere,niſi admodum eſſe amicum Dei
hunc prophetam, quem ita Deus diligeret, ut omnibus eius cupiditatibus ob-
ſecundaret. Vbecharus & Homarus, alijq́ fabulæ conſcij, ſilentium uxoribus
poſuere,non quòd Muhamedis aut eius nugarum curam haberent,ſed quia res
ea maximè ad eos pertinere uidebatur. Quum enim ditiſſimas pulcherrimasq́
uirgines darent impoſtori prophetæ amenti & ſontico in uxores,id eò fiebat,ut
ea potentia comparata res ad eos poſt prophetæ mortem peruenirent.Ideo faci
lius ſcandalum ſedatum eſt,paucis technas intelligentibus, illisq́ maxime ſe cre
dere fingentibus,ut tandem plebs illa agreſtisq́ turba, quum magnates nil mo-
ueri cerneret eo ſcandalo,ſed credere reuelationibus uideret,lubens acquieſce-
ret,neq́ deſciſceret, obiectum uero illi eſt frequentiſſime ab eo tempore etiam

ab imperitis, quod toto capite repetit: Nil illum aliud quàm imperium quærere,
nec aliud quàm diuinis præceptis cõmentaria & nugas affingere, antiquam te-
chnam ordiri, dæmonijs agitatũ hominem non poſſe ulla Dei familiaritate frui:
ſi quid boni habeat, ſcripturas antiquorũ eſſe, nõ reuelationẽ. Quibus argumen
tis motus dicit, ſibi oraculo eſſe reuelatũ, ut omnes ad tempus in ſua deſipiſcen
tia relinqueret. eos enim non conſiderare, quòd opes & liberos citius inde con
ſequantur: quaſi id uerum eſſet, aut præmium bonorũ illa in hac uita eſſent. Ve
rum ſuperſtitioſos & imperitos rerumq́; tranſactarũ immemores, nullaq́; cõpa
ratione rerũ utentes, ambiguis & incertis pollicitationibus retinebat, tanq̃ ſub
uno tyranno quàm ſub alio feliciores eſſent. Nouerat nebulo miſeros homines
calamitatibus & frequenti iniuria expilationeq́; preſſos, magis uel modica re-
ſpiratione refici, quàm ante afflictiones maximis opibus. Ideo nouæ fœlicitates
quãuis modicæ, poſt res aduerſas lætiſſimis pares uidentur. Non repeto hic, in
Chriſtum & Deum blaſphemias, ſæpius à me refutatas. Pergo ad reliqua.

Elnor, id eſt lux. 23. Medinæ ſcriptum.

Qualem fidelitatem in capite fidelium uidimus, talem lucem in iſto ſumus ui
ſuri. ut enim præcedenti capite patuit hominis nefas, ita & in hoc ſe propalabit,
» authoremq́; illuſtrabit. Ait. Miſimus Sora, & explicauimus eam, & miſimus
» in ea miracula prudẽtiæ, ſi forte recordemini. Fornicatrix & fornicator ferian-
» tur ſinguli 100. plagis: & non capiatis cum eis miſericordiã in lege Dei, ſi credi-
» tis in Deum, & diem extremũ, & adſint teſtes ſupplicio eorum aliqui fidelium,
fornicator non contrahat, &c. Iſta ad rationem ſuperius commiſſorum refe-
runtur: Deum ideo plures uxores & ancillas & catamittos permiſiſſe, ne com-
mitterentur adulteria: & ſi quis committeret, talia eſſent ſupplicia, qualia hic
deſcribuntur. Atqui ante hanc legem erat patria conſuetudo & mos, ne ab uxo
re ullam aliam uir cognoſceret, ne ancillam quidem, nam non fuiſſet in uitio, ſi
id iam antè licuiſſet. Quam uero legem poſuit, nunquam ſeruauit. Aſſa enim fi
lia Vbechari, quam habebat chariſſimam, conſuetudine multorum amaſiorum
etiam palàm utebatur. unde à multis admonebatur, ut illam ſaltem repudiaret:
eſſe admodum turpe, primariam fœminam prophetæ ita publicè ſcortum age-
re. quibus nil aliud dicebat, quàm ſibi eſſe dilectiſſimam, & ideo non repudiatu
rum. ignauus nebulo, nil honoris ob oculos ponebat, modo tyrannidem occu-
paret. Quum illam in uxorem, natam (ut dixi) 8. annos acciperet, delibaretq́;,
imperium uendidit, quod ait Plautus, dotemq́;, non uxorem poſſidebat. & ta-
men ſacroſancta Alcorani fides, & propheticorum facinorum expoſitio, à rela
tione ſcorti publici, uxoris, & filiæ tyranni pendet, nec quicquam eſt ea fide ſan
ctius. Nam eius ſententia dicitur dhache tzahh, id eſt, hoc eſt certum & inte-
grum: & quæ in prophanis iudicijs ob infamiam non adhiberetur in teſtimo-
nium, ea legi diuinæ authoritatem adfert. Eius ſcorti facinus maximum diſſi-
dium inter ſucceſſores excitauit. unde factio Hali et Vbechari incœpit, qua plu
rimæ hominum myriades periere, & 30. conſequenter chaliphæ ſunt confecti.
» Qui uero, inquit, accuſant caſtas, & non accedunt cum 4. teſtibus, feriantur
» 80. uerberibus. Tanquã domi ſit facile habere 4 homines ad teſtimoniũ, ideo
uult uideri legiſlator peritus, & ab utraq́; lege diſcedere. Verũ iſta nõ ſunt poſi
ta propter fœminas, ſed propter prophetã, & eius uxores. Nã qua lege non licet
uiro accuſare falſo uxorẽ de adulterio ſine 4 teſtiũ probatione, eadẽ nõ licebat
uxoribus prophetę, quę nõ habebant 4. teſtes, eum accuſare de adulterio, tanq̃
iam

iam lex eſſet poſita, eò omnia tendunt: quamuis licet cum mãcipijs lege agere, ut ſi fortè cum quapiam alia deprehenderetur, non poſſet argui. Et ne admittatur, inquit, in teſtimonium, qui falſò accuſauerit. Quanto maiori pœna erat digna Haſſa Alcorani inſtauratrix? ſi qui falſò adulterij accuſat, tãta infamia notatur, quanto maiori dignus erat qui cõmittit? Sunt hæc perpendenda. Et in « terim ſi conuertatur, & facit bonum, qui erat infamis, Deus eſt pius miſericors. «
Vt nullus det pœnas, hoc ait: Quis enim quum ad ſupplicium rapitur, non cõuertit, & bene facit, ſi illi credatur? certe quiuis impius, iniquus, nocens, fit pius, iuſtus, innocẽs uerbis, dum urgetur: & ſi inſtetur, factis. itaq; ſi ad Deum remittas pœnas, nullæ unquam erunt. Si uero, ait, non poteſt probare niſi per ſe, u- « nus teſtis ſatis eſt, dum atteſtationibus 4. dicit, per Deum ego ſum de fidelibus. « & quintò, maledictio Dei ſuper ſe ſi eſt mendax, & remittent ei (fœminæ) ſup « plicium ſi contrateſtetur quater, quod eſt uir eius mendax, & quinto quod ira- « ſcatur Deus ſuper eam, ſi uir eius eſt uerax. & niſi Deus benefaceret uobis, & « miſericordia eius, & certe Deus eſt conuerſor ſapiens. Videte quomodo facit uiam periurijs, dum in ſacramento ponit probationem, quum nil uulgatius ſit ſacramẽto apud Muſſulmanos. & interim ad infectum uadit, dum negat obiecta contrarijs ſacramentis fœmina, ut iudici ſit tempus inaniter terendũ. Sed ad alia uenio, quæ ad rem faciunt. An non audiſtis opinionem credentium « uirorum & mulierum apud ſe bonam, quum dixerunt, hæc eſt fictio manifeſta. « Nonne uenerunt ad eum cum quatuor teſtibus? & quia non uenerunt cum te « ſtibus, illi ſunt apud Deum mendaces. & niſi Deus, &c. Videtis prodita myſte- « ria. ideo uult teneri lege nunc poſita ſuas uxores & domeſticos, poſtquam aperuerant ſecreta: nec illum tam male habet adulterium, quod iam incœpit præcedenti lege fieri legitimum, quàm quod dixerant legem fictionem eſſe & ſtropham. Nam illis meritò credebant ſectatores, ueluti ſecreti prophetici conſcijs. unde moleſtiſſime id fert, & uellet illas 4. teſtibus probaſſe eſſe fictionem, quũ iam antè pateret lippis & tonſoribus. Nam iam ante centies eſt illi obiectum, et non flagitabat 4 teſtimonia: ſed à domeſticis prodi, ueritatis eſt argumentum. ideo quatuor teſtibus opus. Sequor. Et quando detrahebatis ei linguis ueſtris, « & dicebatis ore ueſtro id, in quo nõ eſt uobis ſcientia, & cogitabatis leue quod « apud Deũ magnũ eſt. quin potius quando audiuiſtis, de eo dicere debebatis, ne « fiat hoc nobis ut loquamur de hoc, abſit, hoc eſt peccatũ magnũ. Quî fieri po- « teſt ut iſte ꝓpheta ita timeat linguas domeſticorũ & amicorũ? (nã ita uocat muminin & muminet) ita religioſe coli & admirationi eſſe ſua uult, ut de illis ne loqui quidẽ liceat? oportet ſanè eſſe lõge prędonib. & quibuſcũq; perditis nequiorẽ, cui domeſtici oẽs ſunt timori. Quî fit, ut ſi ſit propheta Dei, nõ mittat, ut alter Moſes, in ſeditioſos ignẽ diuinũ: nõ deuoueat, ut Dathã et Abirã, aut nõ puniat lepra, ut Mariã ſororẽ? Non erat Moſi toties opus repetere, ſum propheta Dei, ut nil aliud in illius lege eſſet. Nõ oportebat millies iterare, aiunt te iſta fingere, tu es dæmone agitatus, amens, & cætera uitia. Quoniã nulla cadebat ſimilis in Moſen & ꝓphetas ſuſpicio. Vnde quũ omniũ uocibus tot nequitiarũ genera tibi obijcerentur, fieri nõ poterat, ut eſſes innocens. Vox enim populi in aperiendis ſceleribus, uox Dei eſt. In nullo unq; uerorum prophetarum reperies, quod de ſe ter aut quater aſſeruerit. Satis habebant diuinum nuncium protuliſſe, ſeu crederent, ſeu non crederent audientes. at tu uolebas illos uel Iudæos, uel Chriſtianos, uel ethnicos tibi adiungere. Quare ob tua ſcelera & uitia omnibus aper

ta,tam ſæpe erat fingendum,mentiendum, ſatisfaciendum. Is eſt uerus ſenſus.
Quod autem peccatũ fuit loqui de lege Moſis, aut Chriſti? omnibus erant pro-
poſita quæ docebant, nec ullum erat peccatum de illis tractare. At dicet Buha-
tias interpres,non de lege, ſed de rebus prophetæ ſecretioribus intelligit. Intel-
ligo,non pertinebat ad Aſſam,cuius cauſa agebatur,de adulterio prophetæ di-
cere ad populum. Non erat illius,& Hafezæ,de techna quam à parentibus eius
conſcijs intellexerant, diſceptare, ſed more aliarum in ſilentio præſcripta diui-
na ſeruare. At ingens dolor illa fœminis elicuit. potuerant ea tacuiſſe,donec in-
iuria illas compulit effutire quod nouerant. Si non credidiſſes, ab illis non fuiſ-
ſet confirmatum quod externi etiam ruſtici ſuſpicabantur, credebant, obijcie-
» bantq́;. Vetat uobis Deus ne redeatis ad ſimile in ęternũ,ſi eſtis fideles. Quod ti
met,uidetq́; uerũ,uetat authore Deo,ne proferãt:ita illi erat Deus propitius. Et
» item: Illi uero qui optant ut ſcelus publicetur,apud illos qui crediderunt,habẽt
» ſuppliciũ magnũ in præſenti ſæculo, & in futuro, & Deus nouit id quod nõ in-
» telligitis. Iam coactus,ſcelus uocat:ſed Deum ultorẽ dicit,ſi quis propalare ue
lit. O propheta bone,quodnam ſuppliciũ meretẽ, qui uera dicit apud fideles? uis
ergo mentiri? tibi erat ſtatim peritura potẽtia; ſi ſceleſtũ, impoſtorẽ, adulterum,
ſonticũ,maniacũ, furioſum, ſancta ſimplicitas nouiſſet. Nã à cæteris nõ times.
Mirũ eſt illũ Deum,cui ſeruiũt illi fideles,qui tuarũ rerum ſunt cõſcij, illis quic-
quam cõmittere uelle, quod alijs nolit impartiri. ô perdita peſtis,nõ credidiſſes
poſteritati iſta innoteſcere potuiſſe? Deus illa curabat ſcilicet,ut ſi qualem noſſet
Muhamedẽ, diceret, ſtatim fulmina uibraret in eũ, eamúe. Interim uelut aliud
agens,interſerit de eleemoſyna illis præcipuè danda, qui paupertatem & rerum
abrenũciationem in uia Dei profitentur. Sunt illi prędones,quibus tota Aſia &
Africa eſt labefactata, ut nunq́; tutò liceat illac niſi ſumma cohorte tranſire, di-
gni eleemoſyna ſanè. Nam ita petunt,ut ſi non des,ipſi rapiant. Vidi aliquãdo
in Aſiæ littoribus eam hominum peſtem ita mendicare, ut nullæ ædes,nulli pe-
» nates illis eſſent inuiolati,ſi non des quod flagitant. Sed ad rem. O uos qui cre
» didiſtis,ne ingrediamini domos non ueſtras,quoad pulſaueritis,& pacem dixe
» ritis habitãtibus illas,hoc uobis bonum eſt, ſi forte recordamini. & ſi neminem
» in illis reperiatis, quouſq́; præcipiatur uobis. & ſi dicatur uobis, recedite,recedi-
» te.uobis hoc eſt honeſtius,& Deus quod uos ſcitis, ſcit.&c. Hæc prohibitio
cauſa Haſſæ & Hafezæ reuelata: quoniam aſtu & obſeruatione eum cum Ma-
rina repererant,nec pulſauerant fores. quod ne fiat in poſterum, monet. Timet
adhuc deprehendi in ſcelere. hæc eſt cauſa legis, digna authore. Quod præſcri-
bit quibus perſonis fœminæ debeant oſtendere decorem ſuum, quis non rideat
tam accuratum legiſlatorem? Naturæ & rationis præſcriptum id docuit longe
hac lege honeſtius. Quid ſi ſint deformes? nemini oſtendere poterunt. decor ue
ro latè patet. Tali loco poteſt oſtendi, ut ne patri quidem, aut filio, tutò liceat
monſtrare. Fide & honeſtate in ea re opus, non lege. Non debere uero cogi
puellas ad caſtitatem,id quò tendat pauci norunt. Quum probro & ſummæ in-
temperantiæ uerteretur prophetæ, quod tam impotenter amaret Marinam, &
Aſſam octauo anno ætatis delibaſſet: ne ſit in uitio, uult licere puellis ea ætate
petere maritos. is eſt uerus ſenſus. Iſta enim Aſuar, ſunt ſatisfactiones &
leges de uxoribus prophetæ. Quis non admiretur theologiam huius ho-
» minis, qua Deum facit candelam in uaſe uitreo, quod eſt ſtella, & cætera. Ve-
tularum Mechenſium ſunt iſta ſomnia. Interim dat omnibus idololatris ſalutẽ,
quoniam

quoniam illorum nemo non putat eſſe Deum quod adorat. ergo fruſtra, ut ſæpius antè dixi, leges alias dedit Deus, & tuam etiam ô Muhamedes. ſed ita inuolucris dicta tegit, ut impietas ſtatim non ſe prodat. Poſtquam de falſa aquæ imagine dixit, inquit: Inuenit tamen Deum penes ſe, qui quod æſtimabat adimplet. Adimpleo ſacra crepitui uentris, cepæ, feli, boui, cercopitheco, crocodilo, ergo habeo Deum apud me. Quæ maior unquam potuit proferri impietas? at captandi erant idololatræ, ne ob ſcandala deſciſcerent. Nam ſi qui erant Iudæi & Chriſtiani, erant oculatiores, reſiliebantque. Poſtquam frequentiſſime dixit obediendum eſſe Deo, & eius legato, ſuis ſectatoribus regna pollicetur, ſi perſiſtant, ut eo fumo & ſpe lactet illos. Præſcribit demum quibus cum ſit conuerſandum, tanquam urbes non ſint hominum cœtus, qui conſortijs retinentur. Nolebas audire ſancta præcepta Chriſti & diſcipulorũ eius, quibus omnes homines loco fratrum ſunt & habentur, ut ab eodem Deo formati. fœminæ uero timore Dei & amore maritali omnino à facinore turpi abſtinerẽt. Meritò ſanè tot leges imponis miſeræ fœminarum nationi, quũ gregibus alantur, & quotidie maritos (uolui dicere heros) mutent.

Alphurcan 24.

Statim à blaſphemijs in Deum & Chriſtũ incipit, quod Deus non genuerit. Iam frequentiſſ. huic peſti probaui eſſe omnino impoſſibile quicque in tota rerũ natura ſubſiſtere, niſi Deus ab æterno ex ſe crearet filium. Apud omnes gentes conſtat eſſe unam cauſam primã infinitam, quæ quãuis ſit potentiſſima, niſi tamen ſapientiſſima eadem & beneuola ſit, nil poteſt omnino creare. Nec ſatis eſt in rerũ prima creatione tali ſapientia uſum fuiſſe, niſi quatenus durat iſta uita, id eſt generatio & corruptio, eadem ſapientia diſponat, regat, conſeruet in eſſe, quęcunque ſunt in rerũ natura. eam ſapientiã nos filium Dei, & uerbũ uocamus. In potentia tota eſt diuinitas, in ſapientia tota diuinitas, in beneuolentia tota diuinitas, nec tamen ſunt tres diuinitates, ſed una diuinitas. ueluti in cogitatione rei tota res eſt, in uerbo & explicatione tota res eſt, in operis complemento tota res eſt: nec tamen ſunt tres, ſed una res. Iſta eorum hominum cauſa, quos hæc peſtis faſcinauit, crebro inculco, ut à blaſphemia in Deum & Chriſtum eius ceſſent. Chriſtus ergo Mariæ filius, ſapientia patris eſt, ab æterno genitus. Quum autem uiſum eſt diuinitati, ipſa ſapientia iunxit ſibi noſtram carnem ex uirgine, factusque Deus homo eſt, contra quem perditus iſte nebulo comparandæ potentiæ cauſa inſurrexit: Sed ueritas Domini manet in æternum. Ingerit demum, obiectiones illi fieri ſolitas, eſſe fictionem, alios illi præſtitiſſe ſubſidium, quod de Iudæis conſtat. illum enim promouerunt in perſuaſionem ſuam, cum eſſet idololatra, initiatum affinitatibus deuinxerunt. Nam potius moreretur Iudæa, quàm ut uiro alienæ perſuaſionis etiã hodie nuberet. Duxit uero nõ unã, ſed quatuor aut quinque ditiſſimas. Doctores, qui in Chriſtum illum armarunt, fuere Abdalla ben Salom, quo amanuenſi uſus eſt, quem demũ doloſe in lecto dormientem necari curauit. alter Nehabanus Mahaniæ filius. tertius Chabinus, qui principes erãt ſynagogarũ. illis innumeri acceſſere, hominemque decennio inſtruxerunt, donec ab eo deſciſcentes reliquerũt hominem impurum. Eſt etiam uſus opera uicinorum Chriſtianorum, quos uocabulo ſpathariorum nominaui ſæpius, à quibus omnia deprauata & lacera hauſit. Ex quo Iudæi defecerunt, ſe potiſſimum ad Chriſtianos dogmate Neſtorij laborantes contulit, frequensque & furtim adijt ſpeluncam, non longe à Ieſraba, in qua agebat qui-

dam heremita Neſtorianus,qui illi cum multa alia, tum potiſſimum hiſtoriam 7.dormientiũ ad manifeſtam reſurrectionis fidem narrauit. Illicꝗ fuit Gabriel in Medina,quemadmodum Iudæi in Mecha. In illis hiſtorijs prophetæ quas in flumine merſit Merbas Chaliphas,erat notatum etiam paulo ante mortem Muhamedis,Iudæos uoluiſſe in prophetam eleuare Halim nepotem huius prophetæ,iuuenem admodum,qui dum incautius antrum quærit factioni aptum,reperit in ſpelunca Muhamedem, cum Neſtoriano monacho, fitꝗ apertum quod omnes ſuſpicabãtur,eum aliunde quærere doctorẽ quàm à ſpiritu angelico.Mirum in modum itaꝗ timet nebulo, ne aperiantur technæ. Muneribus magnis iuuenem deuincere ſatagit.non poteſt tamen facere quin res prodatur:cui & in hoc loco,& in multis alijs occurrit,nil aliud quàm comminationes diuinas afferens,dicensꝗ eſſe iniurioſos qui iſta dicerent. Ita ſe prodebat fucus. De Sergio Neſtorio omnibus fuit in confeſſo. uerum iſta omnia ſunt deraſa ab eorum hiſtorijs: nec niſi cõmentationibus Suneh ualent probari.Pergit comminari illis qui nil niſi inſanum eſſe dicebant, qui quotidie ueſpere & mane ea acciperet aliunde quę dictabat.Si angelum haberet,debere illi proſpicere,ne ex alieno amplius uiueret.Demum tanquam eſſet propheta,dicit non eſſe mirum ſi illi & Alcorano contra ueniatur:omnes enim prophetas habuiſſe aduerſarios.At ſi ideo aliquis eſt propheta,quòd aduerſarios habeat,ſunt latrones, homicidæ, prædones,impij,malefici,& cęteri improbi inter prophetas.nam omnes bonos,leges, iudicesꝗ infenſos & infeſtos habent, ut quibus moliuntur perniciem. ita fuiſſe prophetam Muhamedem nemo negat. multis uero argumentis id cõfirmatum reliquit.Reliqua ſolitæ ſunt repetitiones.

25.Sigra,poëſis.

Quum nil aliud quàm falſa ueris admiſceat, hiſtorijs ueteris Teſtamenti adiungens cum multa mendacia,tum fabulas uetularum Arabiæ, atꝗ ſolita recitet miracula & blaſphemias,iam ſuprà refutatas, ideo nil in hunc locum ſcribo.

26.Formica.

Sibi patrocinatur, ſuisꝗ applaudit uitijs,quum Moſem facit ex ſtipite ignem „ petere à rubo, Deumꝗ uocare ad ſe ſine timore. Non enim mei legati niſi „ qui peccauerint:deinde ſi cõuerſi fuerint,Deus eſt miſericors et pius. Quamuis enim eſſet omni uitiorum labe inquinatiſſimus, tamen Deum ſibi propitium & familiarẽ adſerebat, nec obſtare uitia ad pietatem & prophetiam. Dein iungit mendacium hiſtoriæ ſacræ,quòd Moſes uenerit cum 8.miraculis ad Pharaonem:quum iam ante dixerit cum nouem, & in utroꝗ ſit mendacium, quũ ſint „ decem.Deinde fabulam de Solomone fingẽs,ait:Et ſucceſſit Solomon Dauidi, „ & dixit: Heus homines, edocti ſumus loquelam auium, & donati ſumus omni „ re,quoniam hoc eſt bonum inſigne, & inuocati ſunt à Solomone cohortes dæ„ monum,& hominum,& auium,& illæ conuenerunt, quouſꝗ uenit ad flumen „ formicæ.dixit formica:ô formicæ, intrate in habitacula ueſtra ne uos rapiat Sa„ lomon,& cohortes eius, & ipſæ non parcent. & excitatus eſt clamor à uocibus „ earum & dixit, doce me ut laudem te pro beneficio tuo, quo benefeciſti mihi, „ pro me & patre meo,ut faciam bonum,&c. Quis ferat audire iſtas ineptias? at iſta nil ſunt,ſi cum upupa, & eius colloquio,legationeꝗ & prædicatione conferantur. Videat ineptias illas quibus Deũ hominesꝗ ridet,qui uolet. Nil amentius,aut delirius reperiri poteſt:& tamen iſta lex à Deo eſt,& diuina.Taceo horrendas ineptias de throno,regina Saba,famulatu dæmonũ:quæ omnia ad muliercu-

hercularum terriculamenta ſunt prolata. Miror quid habuerit frontis illa peſtis, quæ homines ut ſaxa & fungos iudicabat, ſi quid tamen iudicabat. In hoc capite uoluit Iudęis gratificari, & eorum ſacra ditare: ideo illis pollicetur, ſe multa in hoc Alcorano aperturum, in quibus diſceptant. Reuera credo huic homini nil potuiſſe proponi, quin reſponſum dediſſet: quod ſolū ſtultis & amentibus licet.

27.

Moſem in mare proiectum fuiſſe, falſum eſt. in flumen Nilū necandos mittebant. unde ſublatus à filia Pharaonis, eſt educatus. hic ab uxore, antea à ſorore: uſqueadeò nil mendacio caret in hoc homine. Quid non affingit hiſtoriæ ſacræ? De Pharaone, Hamane, de claue theſaurorū, quam quadraginta homines non mouerent. hiſtoria aliunde petenda ex libro Haſsiar, cum Alborach & Gabriele. In fine huius capitis iugulat ſuos chronographos, qui lumen ab Adamo in eum adducunt, prophetamq́ circunciſum natum dicunt. Si enim erat propheta à natiuitate, qui fit, ut neſciret tandiu, ut uſq; ad 40 annum ætatis non ſenſerit aut ſciuerit ſe eſſe prophetam. quòd uero aliquando non putauerit, ipſe fatetur. Dic, inquit, creator meus nouit quis eſt directus, & quis eſt in errore manifeſto. & non ſperabas quod tibi traderetur liber, niſi de miſericordia domini tui, non ſis ergo elatus ſuper blaſphemos. Hoc in loco ſe parcere fingit idololatris, cum quibus fuerat educatus, imbutus, & initiatus. Sed futurum non putabat, ut poſteriores Chaliphæ illum tam magnum olim facerent: nec hi ſatis aduerterunt, quid de ſe ſit faſſus.

28. Aranea.

Nō eſt quicquam authore in hoc capite dignius, quàm quod omniū animantium reſurrectionem futuram pollicetur, ut non tantum animantia, ſed & creaturæ inanimatæ ſint æternæ futuræ. Vocabulū enim chelec, eſt generale ad omnia creata. De brutis, id in ratiōibus fidei, in libro Tezchere elimam eſt ſcriptū, pro fidei articulo. Si miracula ſunt apud Deum tantum, & aliqui prophetæ habuere, illi erant Deo proximi. Quum autem non habeas, es à Deo alienus. Nō fuerunt ergo luporum, borachi, truncorum, lunæ, & cordis miracula uera, ſed falſa, quoniam tu non es Deus. Mitto hic aliquot capita, perſimilia cæteris, ut ad magis notanda ueniam, ad 32 Sora, quæ aperit nobis multa præclara facinora prophetæ.

Elagzab. Primum uidendum, quum uiolenter in Medina in alienas facultates & hæreditates inuolauit, Iudæosq́ & cæteros habitatores expulit, ut coacti fuerint auxilia à cōtribulibus petere, innuitur his uerbis. Memineris quando dicebant duplices corde, & in quorum cordibus erat morbus, non præcipit eius Apoſtolus niſi damna & incommoda, & memento quum quibuſdam ciuibus Ietribæ dicerent, non eſt uobis locus, recedite: & petebant licentiam quidā eorum à propheta, dicentes domus noſtræ ſunt ruinoſæ, & non erant deſolatæ, ſed uolebant ſubterfugere. &c. quibus uerbis, & conſequentibus, ſibi ideo ius eſſe in rebus eorum dicebat, quòd nō acquieſcerent perſuaſioni. Nam quū 10. annis Mechæ cum Iudæis eſſet fabulam iſtam exorſus, & illi aperto fuco defeciſſent, quum illi fuit 50 uitæ anno, aut circiter exulandum, miſeros Iudæos & Chriſtianos Iezrab habitantes ſuis ſedibus expulit, eo prætextu, quod in cordibus eorum eſſet morbus. ea fuit æquitas prophetæ. Miſeri uero Iudæi ſuadebāt multis ſectatoribus, ut ad ſua relicto propheta redirent, ne turba premerentur, quod quum ſenſit, acrius ſæuijt æquitas prophetica. Primum ſatis habuerat pupillum

pillum fortunis omnibus ſpoliaſſe in eadem urbe, nunc illi nil ſatis eſt. Primũ ſa
tis habebat occupauiſſe locum, in quo ageret animi gratia: nunc uult figere ſe-
dem. Maximum uero argumentum ſuæ crudelitatis relinquit, quum in multis
„ locis, tum in iſto paulo poſt. Et quum accedimus, uides eos ueluti mortuos, ti
„ more angi: quum autem abijmus, acuunt linguas ſuas, ut te reprehendant.

Quid aliud ueniente tyranno fieret? præſente illo omnia imagini mortis ſimi
lia ſunt, nec liberè licet iudicare, niſi quum abſceſſerit. Sed confirmanda eſt iſta
» æquitas. Quoſdam eorum interficietis, alios captiuos agetis, & eorum occu-
» pabitis poſſeſsiones, bonaq; & terram, quam nunquã eratis ingreſsi, quia Deus
» ſuper omnia potens. Id eſt, Muhamedes eſt prædo crudeliſsimus, qui ſub no-
mine Dei nil ſceleris non cõmittit. Sed erat agenda unà cum propheta cohors
fœminarum, & terrore numinis regenda, ut omnia prophetæ & domi & foris
licerent. Sed oblitus eram pulcherrimum & bene propheticũ locum, qui quam-
» uis in exemplari Africano non eſt, eſt tamen in alijs. Et ſi non cognoſcatis pa
» tres ueſtros, aut fratres ueſtros in fide & opibus ueſtris, non eſt uobis neceſſe in
» eo, quod peccatis in eo, & ideo ne ambigant corda ueſtra, quoniã Deus eſt miſe
ricors & pius prophetæ, illi ſunt fideles, &c. Vt liceat ſectatoribus in parentes
iuſtiſsimè ſæuire, & patres fratresq; occidere, prætexi ignorantiã nomine fidei
ſatis eſt: & Deus eſt propitius prophetæ, cuius cauſa iſta agũtur. Quoniam indi-
xerat fratribus bellũ, & iam quoſdã necauerat, uolebat ob nouam fidem ne pa-
tres quidem à filijs agnoſci, ſed confici patres, fratres, cognatos, affines. O quan-
» tum iſta à pietate Chriſtiana abſunt. Ad fœminas redeo. O propheta, dic uxo
» ribus tuis, ſi mundum iſtum amant, & ad decus eius accedãt, dabo eis uitam &
delicias multas. Hoc, & ſequẽs uerſus, pertinet ad diuites illas quæ reliquerãt
hominẽ, & erant ciues Mechenſes ditiſsimæ. illis ergo pollicetur, quod alijs pro
hibet: ut planè de eo dicatur, quod libet licet. Terriculamenta addit, duplici pœ-
na dignas eſſe ſi non accedant. hoc eñ eſt peccare, in hoc loco. alioquin magnũ
à Deo præmiũ, ſi obediant. Magis parcit Deus legato ſi occiderit parẽtes, quàm
alijs hominibus. Si nõ pareant uxores, duplici pœna ſunt dignæ. bona æquitas.

Iam antè dixeram (quod ſæpius notare potui) Deum ſibi ſocium facere Mu-
„ hamedem. Statutum eſt, ait, præceptum à Deo, & à propheta eius, ut non ſit fi-
„ delis ſine fideli. Nonne eſſe eius authoritatem diuinæ parem contendit, dum
imperij diuini uult haberi ſocius & particeps? quoties inculcat: Audite Deum
& prophetam eius, obedite Deo & legato eius, qui non credunt Deo & legato
eius, &c. an non eſt participare diuinam potentiam? Moſes, Eſaias, Ieremias, cæ
teriq; prophetæ dicebant, Audite uerbum Dei tantum, non, Dei & prophetæ,
ut iſte nebulo. Illi enim nil ſibi quærebant opum, honoris, fauoris, ut iſte pſeu-
dopropheta: & ideo ſatis habebant, impulſum diuini ſpiritus aperire. Is quũ nil
à Deo aut recto iudicio, niſi aliunde emendicatum haberet, nunquam non ſe-
ipſum Deo iungit, & inculcat credulæ turbæ. ea eſt falſi natura, ut nunquam nõ
ſe tanto ardentius & frequentius commendet atq; ingerat, quanto minus ueri-
tati accedit. dum enim crebro animos commendationibus occupat, examinan
di occaſionem tollit, & eludit, ne agnoſcatur. Sed cõtinuus ſermo in aliquot uer
„ ſus eſt audiendus. Non ſit, ait, fidelis ſine fideli, quandoquidem ſtatuit Deus
„ & propheta eius præceptum, ſi uobis bonum eſt præceptum eorum. & qui a-
„ uerſatur Deum & prophetam eius, iam errat errore manifeſto. Hæc eòdem ac
ſuprà pertinent, ut participet potentiam cum Deo. Sed de Zeido:

Et

Et quando dicebas,illi cui benefecit Deus , & tu benefeciſti . ſerua tibi uxorē "
tuam,& time Deum , & tegis apud te quod Deus reuelat,& times homines , & "
Deus dignior timore.& quādo compleuit Zeidus ex ea appetitum , iunximus "
eam tibi.Ne ſit apud fideles ſcandalum in uxoribus ſeruorum ſuorum,quando "
impleuerint deſyderium ex ipſis,& ſit præceptum Domini factum.Non ſit ſu- "
per propheta ſcandalum,in eo quod dixit Deus, Habet legis potentiam . Deus "
erat in illis qui iam ante deceſſerunt,& eſt præceptum Dei potentiſſimū. Apud "
quem peruenit prophetia Dei,illum timēt omnes , neminem timet niſi Deum, "
& ſatis eſt cum Deo acquirere. Non eſt Muhamed pater ullius uirorum ueſtro "
rum,ſed eſt propheta Dei,ſigillum prophetarū,& eſt Deus in omni re ſapiens. "

O quàm magna myſteria hic latent.Muhamedes à puero penè Zeidum ſeruum domi habuerat, cui ut primus initiaretur Muſſulman , libertatem non ſine ingentibus pollicitationibus dedit.Paucis pòſt annis iam ex prędis ditatis ſectatoribus , quia fideliter admodum curabat rem familiarem , dedit illi cognatam ſuam in uxorem , cū qua neſcio quot annos agens ſummopere illam diligebat. Quum autem in Medina ageret gens prophetica,& iam regnum exercere inciperet Muhamedes, eſt captus cognatæ amore ſerui fidiſſimi uxoris.itaq; adiens domum eius,non inuento marito , dixit fœminæ (ita in libro Haſſiar ſcriptum eſt) Zeidum ſuæ portæ optimum cardinem delegiſſe , mandauitq; fœminæ illa uerba non capienti,ut marito diceret . Quæ ubi audiuit Zeidus , ſtatim (ut qui iampridem hominis mentem nouerat , interpretariq; ambigua prophetice ſciebat) dixit, Cardinem quidem uxorem intelligere prophetæ dictum,portam uero eſſe domū:id quidem ſignificare uoluiſſe , ſe habere eleganti forma uxorem, illam oportere ſe relinquere,ut adiret prophetam.ita eſſe hominis ingenium.niſi ſtatim iuſſa facias,cogere uerberibus & morte ſolitum.in lachrymas ambo ſoluuntur.nec mora , adeſt prophetia quæ iubet Zeidum uxorem repudiare . parendum extemplo eſt, excedit domo,proxima die nubit prophetę 12 uxores habenti.Is eſt hiſtoriæ propheticæ tenor , is ſenſus . Magnū uero ſcandalum eſt ea de re obortum,quod tam iniquus fuiſſet abſtuliſſe alienam uxorem,& tam nefarius ut cognatam duceret uxorem quā alijs legibus prohibuerat. Nunc litera eſt examinanda attentius.Improperat ſeruo in principio beneficia recepta à ſe, & Deo,id eſt à prędа.Nam præfuit multis aggreſſionibus mercatorum,quibus undiq; obſidebant Mecham, ubi factus eſt diues . Quum uideret uehementem eſſe omnium offenſionem,dicebat illi,ſe iuſſiſſe ut ſeruaret uxorem,quum repudiare coēgiſſet. Quum uero ne hiſcere quidem auderet eo præſente,conquereretur autem abſens de illata iniuria,dicit illi obmuteſcenti,& factum timore approbanti,celare illum apud ſe aliquid,ſed Deum reuelaturum.id eſt,ſi audiuerit de ea re quicquam,eſſe de homine actum,authoritate Dei moriturum. & quod non debeat timere homines, ſed Deum,id eſt furorem & inſanam prophetæ rabiem.Tum demum in lege ponit , quod commiſit , id eſt idem quibuſuis licere in domeſticos & ſubiectos,quod illi: poſtquam ſcilicet miſerum ſubiectum coēgerint repudiare uxores , ut ſtatim eas ducant , dicantq; poſtquam uoluntatem compleuerint in illis,ſcandalum non eſſe domino,uel timore mortis ſeruum cogenti ducere illam in uxorem:& quia Deus dixit,eſt factum.Ita ex eius ſceleribus natæ ſunt leges,quibus idem liceret alijs,quod illi.Mulieres multas duxere, quia multas habebat. ſeruæ & ancillæ omnibus ſine uitio licēt, quia id uitio uerſum erat prophetæ,catamitti ſunt legitimi,quia prophetæ placebant, Inire bru-

ta eadem lege licet. omnia prædari, omnium uitæ inſidiari, omnibus licitum factum eſt, nomine fidei prolato: quia prophetæ licuit. relictam ſerui coacti ducere eſt honeſtum, quia propheta probauit. ô cæci homines, has impietates poteſtis ferre, nedum illas Deo adſcribere, & ſeriò de illis commentari. Sed pergo.

» Non eſt ſcandalum prophetæ in eo, quod iuſſit Deus. At Deus iubet quæ illi ſunt libita. ergo quæ libent, licent. hęc eſt lex. Erat potens præceptum Dei in antiquis, id uerum eſt. ut ſignis, miraculis, prodigijs, rerum prænunciationibus pollerent: non in ciuibus, ſuis fortunis ſpoliandis, nõ in fratribus & parentibus necandis, non in ſomnijs & mendacijs ab antris referendis, non ad aliena hoſtiliter inuadenda, non ad bruta ineunda, non ad opprimendos ſeruos, euertenda omnia peccata, & cætera facinora quæ exhorreſco referens, cõmittenda. In his & ſimilibus rebus feciſti potentiſſimum Dei tui præceptum. Te uero habere Deum à toto orbe differentem, certum eſt. Deus naturę permittit quandoq; aduerſa homini contingere. Deus Muhamedis iubet & probat quæcunq; in naturæ ruinam tendunt. Sed audiamus huius prophetę conditionem. Ad quem

» peruenit prophetia, eum timent omnes, neminem timet. O miſerorum hominum patientiam, ruat in fas & nephas, ſacra & prophana euertat propheta, nemini non adferat ruinam, nil timet. Quis tyrannus ſanguinarius ſibi commodiorem legem excogitare potuiſſet? Ob impium facinus admiſſum, neminem timet Muhamedes, quamuis ſexcentas iniurias intulerit. unde conſtat nõ uſum fuiſſe legibus, qui omnibus legiſlator eſſe uolebat. Nam ſi ullam humanitatis rationem in ſe habuiſſet, ſaltem offendiſſe hominem timere debuiſſet. uerum non timet niſi Deum. At qui impia flagitia committit, & ſe Deum timere dicit, nónne mentitur, & Deum eſſe nullum factis ipſis affirmat? At prophetæ potius parcit, quàm alijs, ut antè dixit. Peccatum tanto grauius eſſe ſolet, quanto maior qui peccat habetur. Muhamedes uult omnium maximus eſſe, & tamen nil peccare, dum in Deum naturam & hominem delinquit. Sufficit huic cum Deo acquirere. Prædo, fur, latro, tyrannus, modo cum nomine Dei capiat, omnia ſunt illius. Ita ſunt partæ opes ueſtri primordij, ô Muſſulmani. Quod ſequitur, eſt

» paulo obſcurius: Non eſt Muhamedes pater ullius uirorum ueſtrorũ. uolebat hoc innuere, nil officere conſanguinitatem, quin poſſet cognatam ducere. nam modo non eſſet filij uxor, poterat eam ſua lege accipere, ueluti legitimam. Ideo, quod antè dixerat, Non eſt pater uirorum ueſtrorum, quoniam ueſtras uxores accipit in matrimonium cum lubet. eſt uero ſigillum prophetarum, id eſt complementum, poſtquam nullus erit. erunt tibi ſimiles, quamdiu mundus durabit. ueri nulli ante te 600. annis debebãt amplius uenire. Nam finis legis & prophetiæ Chriſtus Ieſus Deus homo, fuit ſigillum prophetarum. fruſtra enim & ſtultè feciſſet Deus, ſi poſt miſſum omnium remedium ſummum, ſeruaſſet ſibi aliud minus. Maximus uero prophetarũ, etiam Muhamede fatente, fuit Ieſus Chriſtus. Poſt maximum autem remedium adhibitum rebus humanis, non poteſt eſſe locus minori. Nam ſi ægre fert onus ſuum columna, idem onus quomodo poterit à palo uel pertica ſuſtentari? Tu non es malorum ſigillum Muhamedes? ſunt adhuc uenturi tibi ſimiles ad finem uſq; mundi, donec ueniat omnium nequiſſimus & ultimus antichriſtorum, cui omni genere uoluptatum & uitiorum in religionem admiſſorum ſtrauiſti uiam. Te uero ſuperabit, quia mendacibus ſignis confirmabit ſuam potentiam, tanto breuius duraturam, quanto maiori impetu erupturã. Sed Deus eſt reuera in omnibus rebus ſapiens, potensq; tibi

extre-

extremum ſupplicium in diem iudicij differre. Ad cætera.

Adorate Deum mane & ueſpere, ipſe eſt qui orat pro uobis, & angeli eius, ut educat uos de tenebris ad lucem. Mirum certe eſt quem poſſit Deus orare, niſi ſeipſum oret. Si de Deo quatenus Deus eſt, nil ineptius cogitari poteſt. Si te uel inuitum coëgit ſpiritus, uelut Saulem & Caipham, ut hoc proferres de Chriſto, contra quem ſcribis, ſpiritum, non te laudo. Habemus uero aduocatũ apud patrem, Ieſum Chriſtum Deum hominemq́, qui & propitiatio peccatis noſtris eſt. eadem ſententia repetitur non ſemel, ut intelligatur. certe intelligis Deum ſeipſum orantẽ, & eius angelos. nam cõiunctio id docet. Quãuis pudet ineptiarum, tamen ſunt etiam addenda iſta priuilegia, ſibi ipſi à ſeipſo conceſſa, contra præſcriptum aliorum. O Propheta, inquit, nos facultatem dimittendi uxores tuas tibi facimus, quum dederis illis præmium earum: & etiam ancillas, quũ dederis præmium ex his quæ tibi contulit Deus: & filias patrui tui, & filias amitæ tuæ, & filias auunculi tui, & filias auunculæ tuæ, quæ peregrinantur tecum. & mulieres fideles, ſi dederint ſeipſas prophetæ, ſi uoluerit propheta ut iungantur tibi, tibi bonum eſt, præter fideles. Iam nouimus quod expoſuimus apud eos de uxoribus, et ancillis ſeu mancipijs, ut nõ ſit tibi offenſio apud ullos eam ob rem: quoniam Deus eſt pius & propitius. coniunges tibi, & amplectẽre quam uoles, & quã optaueris ex illis quas abſoluiſti. nec eſt hoc tibi prohibitũ. quæcunq; licet, ſi placueris oculis earum, & non contriſtantur, & ſi acceptant quæ das illis omnibus. Non eſt conceſſum tibi ut uxores permutes, id eſt ut parentes & alienas habeas cum tuis. At ſi placuerit tibi pulchritudo earum præter ancillas, Deus eſt pius. O qui creditis, nõ intretis domos prophetæ, niſi permittatur uobis, ad comedendum, non reſpicientes uaſa. Sed quum uocati fueritis, ingredimini: & quãdo comederitis, diſcedite, & ne recitetis facta, & res geſtas, quoniã hæc ægrè fert propheta, & ueretur à uobis, & Deus non ueretur ob uerum.

Senſus hic eſt copioſus. Quam legem alijs poſuerat, ne repudiare ſine iuſta cauſa liceret, illius ſibi gratiam facit, quum ob multa, tum ob parentes. Erat enim ea charitate nebulo, ut omnes parentes à ſe abigeret, quia illis non utebatur, quaslibet etiam ſine dotali inſtrumento poſſet in uxores habere. Cæterum quum, ut lege pari eas tractarent, alios obligatos uellet, quas uult probat, accerſet, repudiat, pro arbitrio tractat, nulla in uniuerſum teneri lege uult. ſi accipiant munera, ſi arrident, ſtatim ſunt legitimæ uxores prophetæ. Nec debet ob ullam rem pati ſcandalum quicquid committat: quia Deus eſt miſericors & pius. Cæterum, quia ſcelera omnium generum domi committebat, quibuſcum uolebat, catamittis, ancillis, uxoribus, Secundũ diſpoſitiones uarias diſpoſitis (quod honeſte non poſſum dicere) abutendo, nolebat quenquã ingredi domum ſuam, niſi inuitatum ad menſam: & inuitatum nolebat aſpicere pocula & ſuppellectilem, quoniam prædæ orbis Arabici apud eum uiſebantur. Præterea uolebat ſilentio illic agi: quoniam ex occaſione rerum quas illic uidebant cõuiuæ, facinora ſceleſta hominis narrare cogebãtur, quod admodũ male habebat hominem. Ideo authorem uindicemq́ iſtarum legum Deum facit. Iudicate prophetica facinora, æſtimateq́ authorem. Fuerant multum ſtupidi antiqui in falſis religionibus prædonum & perditorum hominum recipiendis, ſed magis ſceleſtus ab orbe condito, aut magis ineptus non fuit. Vnde apparet, quanto ſanguine iſta ſuaſerit, quotq́ hominum milia necauerit ut ſuaderet. Sed miror quomodo eos qui domeſtici erãt, terrẽre potuit his nugis. Verum quiſq́ etiam domeſticus pa

„ rebat edictis ſanguinarijs. Audite præſcriptum. Si non receſſerint ab urbe,
„ in quorum cordibus eſt morbus,& ſi pergant ſpargere in ciuitate rumores,ma-
„ ledicti ſunt.ubicunq; reperti fuerint, capite eos,& occidite. Quia mulieres paulo antè aperuerant technas,& erant omnia propalata: ideo mortem minatur, ſi quis hiſcat: & ea occaſione, quem uidebat diuitem, aut bonas ædes habitantem, dicebat in eius corde eſſe morbum. niſi itaq; ſibi ſalutem fuga & rebus relictis quærerent, præcipue Iudæi, fabulæ & incendij authores, necabantur. Et meritò ſanè ſunt illic afflicti,& rebus ſpoliati, qui in Ieſu Chriſti inuidiam, gradũ huic peſti ad tyrannidem comparandam fecerant. Sunt itaq; his & ſimilibus legibus omnino oppreſſi.

33.

Quæ ſunt in cap.33. pudet referre, de dæmonibus Solomonis,& eorũ operibus, atq; de uentis. Sunt omnia upupis, auibus,& formicis eiuſdem ſimilia: quæ certe ſi aliqua anus delirantiſſima recitaret eo modo, non poſſet infantulos & nutriculas audiendo retinere. Et tamen, ſi dijs placet, iſta ſunt à Deo: & non pudet harum nugarum interpretes, ſed uelut in ſerijs in illis immorantur. Effutit demum tacite in Chriſtum blaſphemias, hortaturq; tenues, ut exemplo diuitum credant. Verũ, ut inquit, ſæpe non habebant ſcientiam, quam habebant magnates: quia erant periti fabulæ, quã pauperes ignorabant,& proferebant. Ideo proprio nunc appellat uocabulo utroſq;. Pauperes quidem mutzehiphune, id eſt afflictos & debiles: diuites muſtecberine, id eſt ſuperbos & elatos. erant enim apud eum magnates, qui paulo antè erãt proletarij, capitecenſi, cerdones, & ſellularij. talium enim conſortio, iunctis aliquot diuitibus ex Mecha, auxit comparauitq; potentiam. Pauper autem nuper,& compendio ditatus, uix ullis legibus poteſt teneri: ideo ſuperbire ſolet.

34. Angeli, aut creator.

„ Laudetur Deus creator cœli & terræ, ait, qui fecit angelos apoſtolos, prædi-
„ tos alis duabus, tribus'ue aut quatuor, addit in creatione quod uult, &c. Quas nænias in principio offert, qui dicat angelos fuiſſe aliquando apoſtolos, ſeu prophetas. Vtrunque enim uox roſſol ſignificat. Cui ergo populo annunciarunt? quam legem dederunt? Legimus adijſſe tres angelos Abrahamum, ſed nec legem dedere, nec alas habebant tam multifarias. Verum iſta aliò tendunt, quoniam in recitatione peregrinationis & æquitationis Alborac, dicitur, habuiſſe Gabrielem alas 70. & uidiſſe angelos infinita milia alorum habentes, & centies milies mundo maiores. & ideo ut uideatur angelos uidiſſe, hoc myſterium alarum propoſuit, quũ tamen in ſacris quoties ſpectra angelorum ſenſibus humanis ſe ingeſſere, nulla de eorum alis facta ſit mentio. Remigium alarũ ideo adhibetur corporibus, quod in aëra nil poſſe ferri uideat, ſine eo molimine. at ſpiritibus corpore deſtitutis, nullis alis opus eſt, niſi ut ad noſtri ſenſus imbecillitatem diuina accõmodemus, quũ in hoc corpore nil niſi per exempla et obiecta cõcipere poſſimus. Omnia inferiora contra Chriſtũ militant. Nil enim ſuaſu Iudæorũ ſuorũ informatorũ aliud uoluit in toto Alcorano, quàm extinguere gloriã Chriſti θεανθρώπε, quod ut maiori prætextu facere uideatur, omnia naturalia in Deum authorem refert, tanquam id negemus. ut ſcilicet Chriſtus nil creauiſſe uideatur, quum tamen ſine ipſo nil ſit factum, potuerit'ue fieri. Nam Deus quamuis potentiſſimus, ſine uerbo ſapiẽtiaq; nil creauit: quod Salomon in prouerbijs tantopere celebrauit, ut admirer ita mente captos Iudæos, qui illa legant quotidie, nunquam intelligant. Quod autem idem uerbum, ſapientia'ue,

princi-

principium, filius ſit Chriſtus, id ex multis rationibus primo libro probaui. Nã quæcunq; inſignia miracula edidit Chriſtus, proprio (ut ſæpius dixi) nomine edidit, quod Dei tantum eſt. Quotquot fuere à diſcipulis & ſanctis facta, eodem nomine ſunt facta. quotquot illi ſubſcripſerũt, eiusq; præſcriptis ſunt uſi, illi ſunt omnino immutati, atq; cæteris hominibus diſsimiles: quam immutationem ſolus Deus poteſt facere. At in nomine Chriſti ea omnia fiebant. ut ſi in ui uerbi, qua mihi mentis conceptus aperitur, quæcunq; ſunt ſumma aggrederer, facerẽ, complerem, eadem & nomine cogitationis & nomine operis facerẽ. Nam res eadem eſt in cõceptione, ſeu cogitatione, & eadem in uerbi explicatione, & eadem operis executione. Diabolus aliter non poterat ſibi denuò attrahere genus humanum, niſi prætextu gloriæ Dei, tanquã gloria filio Dei adſcripta eſſet contraria diuinæ: quum reuera Dei gloria nunquam apparuerit, antequam illam Chriſtus corpori humano iunxerit. Nõ loquar in hoc cap. de fœlici & ſolito paradiſo, in quo flumina uini, lactis, mellis, fructus, ueſtes ſericeæ, monilia aurea, gemmæ, cibi, potus, concubitus, & cætera uoluptatis corporeæ inſtrumenta habentur: quum Muhamedes nõ ſit alio nomine factus propheta, niſi ut in hac uita eum paradiſum à ſpolijs & ſanguine partum conſequi poſſet. Sed ſæpius ſum admiratus, Deum nõ potius ebrietatem in paradiſo timuiſſe, quàm in hoc mundo. Ratio in promptu eſt. Non dolebit caput Muhamedi, quia de eo affatim bibent, & non inebriabuntur: affatim agitabunt, & ſemper ſubactæ erunt uirgines. O magna gaudia, ô fœlices porcos, qui reuiuiſcent: ô fœlicia præmia. Is eſt legis ab homine receptæ ſcopus. Et uos non pudet ô Muſſulmani: ita ſenſu communi caretis, ut multis brutis animantibus ſitis magis inſenſati? Tacito enim naturæ ſenſu bruta contra ueſtram legem inclamant. fides & amor coniugalis turturis, uerecundia cameli, elephanti mundicies, palumbũ oſcula, & ſexcenta alia uos ante Deum condemnant. 35. Iurat hinc ad finem libri frequentiſsime, ut quod uidebant eſſe falſum, ſacramentis prophetæ uicti uinctiq;, rudes qui aliquid penſi illum habere de periurio putabant, id tandem crederent, quod antè timoribus atq; tormentis, ſpoliationibus, impoſturis credere incœperant. Quanti uero fidem faceret, fide coniugali omnibus uxoribus abrupta indicat. ſacramentum apud Haſſam & Hafezam exibitum, & ſtatim ob ſcortum neglectum & infractum: fœdus cum Iudæis percuſſum, & poſtea ita irritum factum, ut ferè omnes perdiderit: quum quas leges natura dedit in conſcientia, quibusq; cum ea paciſcimur, fregerit: dum fratres, parentes, ciues, amicos iugulandos iubet, curatq;. Itaq; fuere mente admodum capti, qui poſt neglectum Deum, poſt exutam naturam humanam, poſt cladem omnibus allatam, ſacramenti habiturum rationem putarunt. Iurat ergo hoc in loco per ſanctum Alcoranum prudens, quaſi prudentia ſit extra animam. Vult uero ſibi ſubſcribi ab exemplo Apoſtolorum (nam omnes prophetas & falſos & ueros unà iungendo, ad faſtidiũ uſq; ingeſſerat antè) quos in Antiochia repulere, quũ eſſent à Deo miſsi. ita habet.

Et propoſuit illis ſimilitudinem. Ciues urbis, quando uenere ad eam legati, « quum ad eos miſimus duos, mendaces eos dixere. & auximus numerum tertio, « & dixerunt, nos ad uos ſumus Apoſtoli. Dixerunt, quid uos niſi homines, ſimiles nobis. nil quicquam cœlitus conceſsit uobis Deus, nec aliud quàm mentimini. Dixerunt, dominus noſter ſcit quod nos ſumus ad uos deſtinati. nec ad nos « pertinet, niſi manifeſta prædicatio. &c. Dicunt huius loci interpretes, fuiſſe « Petrum & Mattheum, aut alium Apoſtolorum quempiam, quos noluere An-

 tiocheni

tiocheni audire, donec ſanarunt hominem diuitem Abibaiarũ nomine, poſtq̃ in Chriſtũ crediidiſſet. qui ſtatim in tota urbe clamare cœpit, Audite eos qui nõ petunt à uobis præmiũ,& ſunt directi. unde rex cõmotus, hominẽ interfecit, & truſit duos Apoſtolos in carcerẽ: donec uenit Paulus, qui rogauit regẽ, ut uideret illos, & quam legẽ docebant, tanq̃ illis incognitus. ubi exijſſent, oblata eſt eis puella natiuitate cæca, quã ſtatim ſanauit Petrus, pariter & puerũ. Porrò puella illius principis erat filia. tunc ſunt Antiocheni conuerſi ad Chriſtũ. Hæc Buhatias interpres, & Hamahſſeri, in hunc locũ. Quod illos repuliſſent & uellent lapidare, capitlá ſimili ſuos facere, qui nolint prophetam Dei audire & recipere, quũ illos & alios omnes prophetas repulerint, tanq̃ iam eſſet Apoſtolus aut propheta. Illis inductionibus cœpit miſeros ruſticos captare, & ſe illis ingerere.

In ſequentibus capitib. eadẽ ſacramenta interponit, eoſdẽ paradiſos cũ caſtis mulieribus, id eſt uirginib. cũ quibus 50 annis in ecſtaſi Veneris agent: infernũ cũ ueneno & arbore zacomij, &c. Repetit uentos & dæmones nutibus Solomonis obedientes, & ſexcẽtas fabulas. Sunt uero eo breuiora capita, quo magis ad finem accedunt, ita ut ultima ſint linearia. ideo nõ eſt ita in illis, ut in primis, immorandum: quum præcipua capita rerum in ſuperioribus attigerimus, ut noſtris hominibus curioſis ea aperirem, quæ ſcire par eſt dicturo de his ineptijs. Vellicatim hinc ad finem quædam carpam, ſi quæ facere ad rem uidebuntur. Ero diligentior in Arabica editione.

In cap. 41. quod uocant occidui Sori, orientales aũt eſchec: ſunt quædam notanda, ex quibus unũ iam ſuprà notaui. quod ſcilicet Deus ex brutis, nobis creauit cõiuges, quarũ uſum permittit. Nõ ſatis fuit huic prophetæ, uiolata fide primi matrimonij ſuperinduxiſſe fœminæ, à qua euectus ad potentiã fuerat, alias 14 ancillas licitas feciſſe: quamcunq̃ fœminã, modo illi placeret, aut repudiaſſe, aut duxiſſe, ſine dotali inſtrumento, pro arbitrio, omnibus in omnes partes fœminis uſum fuiſſe, catamittis ardenti pæderaſtia abuſum fuiſſe, niſi etiam ſuis ſanctis congreſſum cum brutis conceſsiſſet. Sunt iſta omnia digna authore propheta Arabum. Si iſta honeſtis, ut dixi, interpretationibus commentatores uelant, ita tamen intelligi monſtrant Muſſulmani ſanctiſsimi, in medio foro aſinas incuntes, camelas, aut quæuis animantia ineuntes. quod uidimus, aſſerere poſſumus. Tunicij nil uulgatius, in Syria idẽ probatur. Vnde eſſet profecta ea ſanctitatis opinio tam uehemens, ut tales admiremini, niſi à præſcripto ueſtræ
» legis? Scio, uos exponitis uemin elanhami ezuagian, & ex brutis coniuges, id eſt fœminas ad propagationem ſpeciei. Sed quare propheta cum fœminis hominibus iunxit fœminas ex brutis, quum de copula carnali illic intelligat? ſi negabitis ſcriptũ, appellabo ad factũ. Demũ noſtra & Iudæorũ ſcripta, ut ſancta, & à Deo profecta cõcedit, ut omnia illa profiteri uideatur: quod iam ſæpius, ut noſtros captaret, fecit. id ut à uerſuto aduerſario capio, & ita infero: Quum noſtra ſint à Deo, & priora, & ſancta, & qualia ſi ſeruaremus, eſſemus fœlicisſimi in uita præſenti, ut ait Muhamedes, ſint optima & ſeruanda oportet: & quicquid illis contrauenit, ſit falſum neceſſe eſt. At quum plus millies illis Alcoranum contradicat, à Deo eſſe non poteſt. Quum enim omnino contra Euangeliũ ſit ſcriptum, diabolo authore eſſe factum, nemo dubitet.
» Cõtrauenit etiã hic præcepto Chriſti, quũ dicit, Laceſsitũ ulciſci debere, alioquin eſſe impium. Hæc cauſa tui ſcribis. quũ aliquis uel ſuſpicione ſolũ læſiſſet hunc prophetã, niſi ſtatim ultus fuiſſet aut occidiſſet, fuiſſet de damnatis, ut ait.

O quan-

O quantum iſta abſunt à ſancta illa Chriſti & ſuorũ patientia. Patiebatur omnia Chriſtus, labefactabat omnes Muhamedes, etiam nulla laceſſitus iniuria. Dabãt omnia, ſi quid haberent, Chriſtus & ſui: omnia diripit iſte? Sanat omnes Chriſtus, omnes lędit Muhamedes. Inimicis donat omnia Chriſtus, ne fratribus quidem parcit Muhamedes. Ita differunt tenebræ à lumine.

Dicit ſequenti capite, ſe ideo bona eorum apud quos agebat, diripuiſſe, ut diuideret inter eos, & quoſdam in gradus dignitatum promoueret. Quid aliud prædo ſocijs faceret? rapit aliena ut alienis largiatur. & tandem firmandę potentiæ quamuis iniquiſſimæ cauſa, quoſdam dignitatum & officiorum gradus conſtituere oportet. quid hoc eſſe poteſt, niſi eſt ſumma iniquitas? ad quid leges, ſi iſta licent? Quid reſp. congreſſusq́ hominum afferunt, ſi quæ libent, ita licent? ut quum quis ſit fortior, idem ſtatim ſit iuſtior. Hæc quidem principibus in hoſtes licent, quia ciuili pœna ita coërcendi ſunt hoſtes. At iſta adſcribere Deo, quæ in ciues, in amicos, in fratres, in tenues & afflictos, in immeritos commiſit, quis non exhorreat? Ea eſt lex Dei, inquit. Dixit Deus, id eſt ſit pro ratione uoluntas.

34. Dochan, id eſt fumus.

Per librum, inquit, clarum miſimus eum in nocte benedicta. Meritò in nocte dicit, quia uidit nemo. Ante omnium oculos, cunctis prodigia uidentibus in montis uertice, atq; audientibus tonitrua & uoces uix auditui tolerãdas, lex data eſt Moſi: tibi uero noctu, & in antro. Hæc eſt antiqua uerſutorum hominum fictio, quæ odit lucem, duplicesq́ tenebras quærit, noctis & antri. Sed dic mihi, quo in loco, & quis liber eſt receptus? Si Mechæ, ut iam dixi, capita ex Medina ſacra nõ ſunt: ſi Medinæ, Mechenſia ſunt falſa. ſi totum librum ſemel accepiſti, quare totis 23. annis compleri non potuit? Si integrum, quare non edidiſti? ſi partem tantum, quare ueluti totius compendium non eminet & notatur, ut Moſis tabulæ? Repugnat omnino, eſſe librum una nocte, & quotidie eſſe fruſtulatim datum ſectatoribus, & ſecundum occaſiones rerum eſſe compoſitum. Ad hæc, quum frequenter dicas, de omnibus rebus poſuiſſe te in iſto libro: illa quæ poſuiſti, à Deo non habuiſti. Anilia ſunt iſta deliramenta, & authore & credentibus digna.

46. Cap.

Multa ſunt nobis hic notanda. ferè in omnibus uerſibus ſe prodit. Quum illi obijcitur eſſe figmentum, ſacramento negat: Si confinxi, inquit, nil mihi ſit Dei. Quaſi Deum eſſe crederet nebulo, qui eius nomine eſt in toto libro abuſus, authoremq́ fecit idololatriæ, homicidij, fratricidij, mendacij, furti, adulterij, & quicquid eſt, unquam'ue fuit uitiorum. quod quid aliud ſit quàm ipſum Deum negare, neſcio. Dic, inquit, non ſum primus prophetarum, nec ſcio quid fiet de me, aut de uobis. Certe non es primus, nec poſtremus: quia inter eos es nullus. Nam falſum eſt ueri priuatio. At maxime mirandum eſt, quî fieri poteſt, ut generalis redemptor, prophetarum ſigillum, qui Deum in nono cœlo uidit, qui creaturarum eſt perfectiſſima; qui familiariter utitur angelis, qui complet omnes leges, nunc ignoret quid ſit futurum de illo, quum Deus illum tantopore amans, ſecurum de ſua ſalute non reddiderit. Credendum eſt ſanè, non tantam ei fuiſſe familiaritatem cum Deo, quanta dicebatur, ſi neſcit ſe in uia ſalutis aut damnationis eſſe. Noſter Paulus ſciebat, quod neq; mors, neq; uita, neq; ſumma, neq; infima illum poſſent ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Nunquam ullus prophetarum dubitauit, quid de ipſo eſſet futurũ.

Itaq; Muhamedes, qui de hoc ambigit, propheta non eſt. Sed urgebatur à multi tudine deficiente, neſciebat quò ſe uerteret. Alij obijciebant, lex Moſis eſt melior: alij, tua fictio eſt: alij, ſunt ſcripturæ antiquorum: alij, eſſe delirum, & amentem eſſe. quod ſanè nunquam ita, nec tam frequenter eſſet obiectum, ſi nil cauſæ fuiſſet. Fieri enim non poteſt, ut quod omnes frequenter obijciunt, nõ ſit uerum, aut ſaltem uero ſimile. nunquàm iſta ſunt obiecta cuiquam prophetarum, quia ne ſuſpicio quidem in illis fuit conſimilium rerũ. Chriſto Ieſu homini Deo obiecerunt Iudæorum primates ter aut quater dæmonia eijcienti, quod eſſet incantator: uerum id ex re male interpretata proficiſcebatur. ideo ſibi hanc prætexit frequenter iniuriam Muhamedes, tanquam cum eo cauſam communem habeat. nam uoluiſſet haberi & eſſe incantator. Sed ea iam ſunt ſuperius à me notata. Supereſt de dæmonibus auditoribus dicere. quum Muhamedes fidem nugis ægre apud homines cõſequeretur, à dæmonibus illam mutuat, ut inde hominibus ingerat. Dicitq́;,

„ Et quando deſtinauimus ad te multitudinem dæmonum, ut audirent Alco-
„ ranum, quumq́; legerent illud, dixerunt, ſilete. & quando completum eſt, redie-
„ runt ad populum ſuum euangelizantes, & dixerunt: ô popule noſter, nos audi-
„ uimus librum deſtinatum poſt Moſem, confirmantem quod in manibus eſt, di-
„ rigentem ad uerũ, & ad uiam rectam. ô popule noſter, ſatagite inuocare domi-
„ nũ, & credite in eum, remittet uobis peccata ueſtra, & ſeruabit uos à ſupplicio
grauí. Hæc eſt huius legis uera confirmatio, quam non homo probare, ſed diabolus confirmare potuit. Dignũ opere & authore ſuffragium. Dæmon nefaria peſtis hominum, calculum addit legi in perniciem naturæ, & Dei contemptum dedecusq́; ſcriptæ. Omnia opera dæmonis eſſe mala, & peccata, nullus ne philoſophus quidem negabit. At quum audierint dæmones Alcoranũ, & illud prædicauerint populo ſuo, crediderintq́; in illud facti Muſſulmani, quiſquis idẽ facit, ſocius ſit dæmonum oportet. Propheticè reuera in hoc loco iſta effutire coëgit ſpiritus, ut hoc innueret, quotquot huic perſuaſioni nomen eſſent daturi, conſortio dęmonum etiam eſſent in æternis pœnis adiungendi. ô Muſſulmani, ſaltem ex hoc loco cognoſcite legis ueſtræ authorem, & niſi uolentes peritis reſipiſcite. Taceo quàm ſit piaculare, credere quendam eſſe dæmonum populum, & quod ueluti fungantur prædicatione ad inuicem, & reſipiſcant: quum illæ ſubſtantiæ ita ſint in malo confirmatæ, ut nulla arte ualeant reſipiſcere. Sed intelligo. Deus uolebat eſſe iuſtus & ſcelerum uindex, operibusq́; malorum dæmonum uti ad ſupplicium impiorum: Muhamedes uero attulit ſalutem dæmonibus, & ab inferis & tetris locis liberauit, locumq́; diuinæ iuſtitiæ ſuſtulit. id enim ſequitur: Si quidem poſſunt ex eodem genere ſaluari, ergo & omnes: ſi omnes, ſceleſti non dabunt pœnas: ſi ſceleſti non dabunt pœnas, Deus non eſt. nam qui iniuſtum facit, nullum facit. Hæc eſt ſententiæ Muhamedis dæmonum redemptoris illatio. Tibi reuera, quum iſta effutires, præfuit dæmon, ut dum ſuades rudibus illum poſſe eſſe bonum, ab illius technis & fraude nõ caueat, quod reuera non poteſt. ſublato enim crucis ſigno & authore, omnium rerum potitur diabolus: quod ſatis patet ex ſuperiori libro, ubi de ſubſtantijs ſeparatis, & eorũ generibus egimus. Iam bis uehementer ſęuijſſe hominem duobus in locis, (quãuis toto in libro nil aliud quàm ſanguinis effuſio ſuadet) maximè patuit: poſtquã Iudæi ab ipſo defecerant, & poſtq́; fœminę parentũ domos repetentes, fabulã & impoſturas propalauerant. nunc uero maximè, in capite autho

ris

ris nomen ferente, iubet gladium in omnium ora ſtringi, & morte aut captiuitate ad fidem cogi. Vocant Africani & Arabes hoc caput elcatal, id eſt occiſionem: alij Muhamed, ut planè ſint ſynonyma iſta, occiſio, peſtis, pernicies, & Muhamedes. Audite edictum. Et cum legi ueſtræ repugnantibus occurretis, " ceruices abſcindite, quouſque cœperitis eos, tumq́ ſtringite uinculis, ut à nobis " poſtea ſe redimant, dum conſummatum fuerit bellum, aut expeditio eius. Et ſi " uellet Deus, ulciſceretur de illis, ſed examinare uult mutuo. Et qui occiderint in " uia Dei, non ſunt opera eorum irrita, quoniam dirigentur & proſperabũt cum " Deo, & intrabunt paradiſum illis deſtinatum. O qui creditis, ſi Deum defendi- " tis, defendet uos, & confirmabit greſſus ueſtros, &c. Deus eſt occiſionis author, qui naturam ſuſcepit tutandam. In malos quidem permittit & iubet quandoq́ gladium ſtringi: at in illos qui pacifice degũt, qui leges Dei habent, qui eas ſeruant, qui nil læſere, non debet ullo pacto uis ſæuire. Iam autem uidimus ſæpius in hoc libro, legem ethnicorum eſſe bonam, ſi quis faciat bonũ, legem Moſis & Chriſti pariter: ergo ex illis nemo iuſte debebat occidi. Sed nil mirum eſt, Deum Muhamedis, authorem mali, etiam in naturæ ruinam, incendium in medium orbem immiſiſſe, iuſsiſſeq́ bellum innocuis populis ob id inferri, quod id nollent credere, cui ægrè uetulæ deliræq́ anus aſſenſum præbere poſſent. Eundem uero Deum homicidis infandis, paradiſos & proſperitatem polliceri, quid mirum? quum ſit paradiſus illi Deo ſimillimus: certè à Deo naturæ omnino alienus. In paradiſis, inquit, agent, ſub quibus currunt flumina aquæ clariſsimæ, " flumina lactis, cuius nunquam mutabitur ſapor, & flumina uini dulciſsimi bi- " bentibus, & flumina mellis purificati, & habent in illis de omni fructu, & miſe- " ricordiam à domino. Iam ſi iſtis accedant puluinaria, in quibus recumbant, & mulieres glaucopides, & puelli cum ſcyphis aureis miniſtrantes, & ueſtes ſericeæ, monilia, & quæcunque alijs in locis ſunt ſcripta, quis maiorem fœlicitatem Sardanapalo aut Eliogabalo optet? Sunt omnia ſibi ſimillima: Deus, creatura, propheta, miles, paradiſus, infernus, lex demum ipſa ſibi ubique ſimillima. At quum ſint duæ in natura potentiæ, una iuſſoria, ad bona omnia edenda & conſeruanda potens, ad mala uero quoad non ſit pœnitentiæ locus conniuens: altera, quæ in naturę ruinam & odium tendat, aſpiretq́: facile iudicare licet, à qua ſit profecta iſta lex. Poſſumus ex hoc loco conijcere, etiam illos qui illi ab initio crediderant, deſciuiſſe ex his uerbis. Et dicunt qui crediderunt, Nunquam " miſſa eſt ad eum prophetia. Et quando mittitur prophetia iudicans, in qua eſt " memoria occiſionis, uideas eos in quorum cordibus eſt morbus, te reſpicien- " tes aſpectu timentis mortem, & melius eſſet eis acquieſcere & dicere, bene " eſt. & quando urget præceptum, ſi crederent Deum, melius eſſet illis, & cæ- " tera. Vt Deum habebat propitium, quem ſuarum cupiditatum miniſtrum & approbatorem pro libidine ſtatueret, quod etiam in bonis rebus & neceſſarijs, nunquam Deus naturæ hominum miſerator prima fronte, niſi precibus admodum captatus facere ſolet, ſe itaque multis ex coniecturis aperit Deus ille tenebrarum princeps, humanæ perniciei author, colorem & fucum rerum bonarum peſtiferis & perditis obducens: ne dum palàm ſuas machinas ſine fuco adhiberet, ſtatim ſeipſum proderet, & ueluti ſorex indicio periret ſuo. Non poterat contra naturam ſuadere, eſſe iuſtum, fratres necare, parentes conficere, amicos tollere, in omnium fortunas inuolare, opprimere pauperes, ſublimare tyrannos, facere ferro uiam ad nequitiam: ſed religionis

& diuini nominis prætextu, fœdiſsima ſanctiſsima facta ſunt. Non poterat obſiſtere uirtuti Chriſti diabolus, ſed prætextu diuini honoris ſeruandi, dum ſe illi multa & magna dare fingit, omnia adimit. Erat enim, eſt & erit unus idemq; honor Dei & Chriſti, qui tamen nunc reuera cognoſci & referri non poteſt Deo, niſi per Chriſtum Dei filium. Ita non tantum ipſum Chriſtum, ſed patrem etiã eſſe negat: quod multis ante docui argumentis. is eſt aſtus ſatanæ. Prætextu religionis, nunc licet Muhamedi & ſuis in naturæ perniciem armari: atq; dum omnium religionum emendationem pollicetur, omnes funditus, quatenus per eum licet, euertere. Nam qui falſum cũ uero cõfundit, & totũ compoſitũ uerum dicit, grauius peccat, quàm qui quod eſt falſum pro uero aſſerit, tenet, probat. is enim non imponit, ſibiq; tantum nocet, niſi fortaſſe & exemplo peccet. at qui ueri prætextu falſum ſuadet, & ſe & cæteros in perniciem præcipites trahit. unde quamuis lex iſta Deum unum uideatur fateri, tamen ideo eſt idololatrarum omnium legibus deterior, quod nil præter ſe labefactant. iſta Deum omniũ ſcelerum, quæcunq; in ſenſum & actionem humanam cadere poſſunt, authorem & approbatorem facit. Sed hæc bona & occiſoria prophetia in ciues Muhamedis armabat milites, & periculũ eorum facere uolebat, qui in diſcrimen legis nomine cadere uellent. Sequens ideo caput, ſeu prophetia, uocatur phatha, id eſt porta, quod liceat per bellum intrare in perſuaſionem. Meminit uero in ea facinorum à ſe cõmiſſorum in ualle Mechæ, ubi ciues fugauit.

„ Et ille eſt qui ſeparabat manus ueſtras à manibus eorum in ualle Mechæ, poſtquã dedit uobis aduerſus eos uictoriam, & Deus reſpicit ea quę facitis. Sunt illi qui Chaphiri ſunt, & ſunt aduerſati uobis in templo interdicto. uictima ligata eſt, ut cõpleatur occiſio eius, & niſi eſſent uiri fideles, &c.

Ob iam antè partam uictoriam, animat ſectatores ad necandos in modum ligatæ uictimæ ciues, parentes, affines, amicos.

„ Et paulo pòſt: Satis eſt teſtimonium Muhamedes, & qui ſunt cum eo, ſunt fortiores aduerſarijs.

Quum cæteræ leges bonæ ſint, tamen ſatis eſt eſſe teſtimonium, quod Muhamed eſt fortior. Quid aliud poteſt dicere prædo? ſatis eſt cuiuis orbis euerſori, ſi ille ſit cum ſuis fortior. hoc enim ius eſt. Nemo neſcit, omnia ferè imperia aut tyrannide occupata, aut aucta: at prouidentiæ authoritatem ſceleri prætexuiſſe, nullus ante illum auſus eſt. Qui in diuinitatis uocabulũ irrepſere, id cuiuſdam miraculi à parentibus prudenter effìcti, aut ab operibus comparati gratia ſunt conſequuti: legiſlatores ſine ullo ſanguine, diuinitatis nomen legibus præfixere: alios parentum gloria euexit: unus Muhamedes orbis labem Deo authori auſus eſt adſcribere.

51. Eltur.

Monti Sinay & raſo pergameno adſcribit ſuæ legis authoritatem, id eſt Moſis & Abrahami eſſe dicit. Dicunt interpretes, Alcoranum fuiſſe reuera ſcriptũ in pelle arietis, quem ſacrificauit Abraham. & ideo eſſe legem Abrahami. Nil dico de paradiſis in hac prophetia deſcriptis, quoniã ſunt ſimiles ubiq;. Hic ſunt carnes omnium generum, uina non inebriantia, puelli ueſtibus polymitis ornati miniſtrantes, & multa admodũ ad ſatietatẽ facientia. Id me male habet, quod ubi ſit tanta copia ciborum egerenda, nõ lego. eſt enim ea pars bene neceſſaria in eo paradiſo. Multa etiam alia deſiderari illic poſſe uidentur.

52. Iurat in capite ſtellarum, de miraculo Alborach, quod cœlum conſcenderit, & Deum cõtemplatus ſit, diſtans ab eo duos iactus arcus, uiditq; reuelanda, &c. omnia miracula ſunt eius generis, ut neminem præter ipſum teſtẽ habeant.

Quàm

Quàm apta diuinitati uiderit in ea cœli aſcenſione, iam docui. Deus eſt finitus apud Muhamedem, id eſt nullus, quũ ad certam diſtantiam ad eum acceſſerit. Nam quod principium habet, habet & finem. Taceo ſtellas quas hic iurat, affixas cathenis aureis, ut poſſint abigere dæmones ad paradiſum accedentes. Non loquor de animalibus brutis cœlum habitantibus, de hac re nil mirum eſt quum ſint ſuſcitanda. Nil dico de angelo cuius caput eſt centies milies mundo maius, unde Deum finitum ſuperat. Interea uidetur tribus deabus, ridere diuinitatem. Hæ ſunt, alleta, alhozai, elmenauta: quas interpretes dicunt, Dianam, Venerem, Mineruã. Colebatur eleta & albuzai à Mechenſibus, & à Muhamede, antequam factione Iudaica fieret Meſſias: à quo cultu quum hominem auertunt, in perniciem trahunt, ſuiq; & cæterorum ruinam.

Capite 53. luna eſt ſciſſa Bugellino præſente, & rogante, quod antè docui. Quum nullus de hac afferat, nec etiam credo. Nam luna ſeruiens orbi manicas prophetarum non intrat. Sequens caput imitatur pſalmum Dauidis 135. quoniam uarijs ſententijs interponit repetitionem quandã in modum ueri prophetæ, ut illi uideatur affinis. In eo ſunt fœminæ paradiſi, quas ſubagitant, & nõ maculant, homines & dæmones creati ex flamma ignis. Sunt & granata mala & fructus in illo paradiſo, & multa alia. Idem paradiſus cum ſimili inferno in proximo 55. depingitur.

In fine elhedid 56. cap. dat etiam Chriſto teſtimonium, quod pij miſericordes & religioſi ſint eius ſectatores. Vnde miror cur aliam ab euangelio legem introducere uoluerit: aut nunc in eum non inſurgant Muſſulmani, quum propheta fateatur eſſe bonam.

Vnum nobis ſupereſt notandum ex multis mendacijs, quum in 60. Sora elſec. hæc uerba Chriſto adſcribit: Et quum dixit Ieſus filius Mariæ, ô filij Iſraël, ego ſum miſſus ad uos à Deo, ad confirmandum quod in manibus habetis de lege, & annuncio uobis prophetam poſt me, cuius nomen Ahmad. & quando uenit ad eos cũ miraculis, dixere, hæc eſt incantatio patens. & quis eſt iniquior quàm qui fingit de Deo mendacium? Rogatos uellem Muhametanos, ut oſtenderent quo in loco euangelij eſt ſcriptum, ut Ahmad Muhamed eſſet poſt Chriſtum uenturus. Extant exempla euangelij in Indica lingua, in Armenica, in Iacobitana, duabus Chaldeis, etiã ſunt uerſa ab iniquis Iudæis hebraicè: Græci, Georgiani, Seruiani, Dalmatæ, Latini, omnes euangelia habent ſuo charactere & lingua. Taceo innumeras linguas uulgares, quibus eadem proſtãt. ſunt iſtæ nationes ſeiunctiſſimæ. Conſulant etiam Neſtorianos, Armenios, & Iacobitas: ſi reperiãt, porrigimus herbam. Quî poſſet fieri ut hoc in euangelio eſſet, & nullus uſquam id haberet? Mendacium eſt impudens, Muhamedes, ut eo retineres milites, & tibi obedientes redderes. Non tulit Chriſtus ſuffragium mendacio. Quum de te dixit, te antichriſtum deſignauit, non prophetam, niſi pſeudoprophetam prophetam dicas. Poſt ſe miſſurum diſcipulis paracletum eſt pollicitus, quod decimo pòſt die exhibuit. Poſt prophetarum ſummum, poſt filium Dei, conceptum ex uirgine, de ſpiritu ſancto, loquentem in cunis & faſcijs, omnia miraculorum genera exhibentem, ad Deum in corpore & animo euectũ in cœlum, etiam futurum iudicem uiuorum & mortuorum, nullus amplior potuit promitti aut uenire, niſi falſus & impoſtor. Nam fruſtra illud animal, quod arcis præſidium non coërcet, palo uel ſepibus retinere coneris. Quod ſummis uiribus non arctatur, fruſtra debiliori potentia retinere ſatagas. Non potuerũt

meliora dari, quàm quæ à Chriſto tam ſummo propheta data ſunt. Si quæ ſunt præſtantiſſima non obſeruabunt, quî fieri poterit ut minoribus in officio retineas. Euangelium erat correcturus Ahmadus, pro legitimo thoro promiſcuũ, pro una uxore innumeras, pro uſu naturali cynædos & bruta permiſſurus: uindictam patientiæ, pacem bello, iuſtitiæ furta, rapinas, cædes, ciuium, fratrum, parentum, affinium, amicorum mortes uitæ conſeruationi prætulit: charitati omnia danti, furtum rapinasq; prępoſuit. ita euangelium correxit. Scio, ſatisfaciebat quibuſdam Iudæis iam ui ſibi allectis. qui quum antiquorum de ſe teſtimonium peterent, non potuit ex ueteri teſtamento proferre, & longe minus ex nouo. Sed quia imperitos euangelij nouerat Iudæos, ideo illis dixit, non in ueteri, ſed in nouo Teſtamento eſſe ſcriptũ de eo. hæc eſt ratio dicti huius, quæ & prin-
» cipio capitis, & fine patet. In principio ait: Deus amat eos qui occidunt in uia
» Dei, & inſtar muri ſe opponunt hoſtibus. & uerſus finem: ô uos qui credidiſtis,
» nónne uobis placet ut liberem uos à ſupplicio magno? credite in Deum, & pro-
phetam eius. Vult (ut antè notaui) fidem ſibi haberi, ut Deo. Et laborate
» in uia Dei pecunijs & corporibus ueſtris. hoc uobis cõducit, ſi uos intelligatis.
» miſerebitur peccatis ueſtris, & introducet uos in paradiſos, ſub quibus fluũt flu-
» mina, & in habitacula bona in paradiſis eden. Hoc eſt refugium magnum. Et
paulo poſt: ô qui credidiſtis, eſtote Chriſtiani Dei, ſicut dixit Chriſtus filius Ma-
» riæ diſcipulis ſuis, quis uult fieri Chriſtianus in Deo? Dixerunt apoſtoli puri,
» Nos ſumus Chriſtiani Dei. & crediderũt quidam filiorum Iſraël, & blaſphema
uerunt quidam. His & noſtros & Iudæos captat, quoniam ſibi res erat cum Mechenſibus, qui ualidiores erant.

61. In quoſdam, qui malebant Iudæi fieri, quàm prophetam imitari, agit.

64. De repudio ſibi contradicit. Nam ante 4. teſtibus opus erat, ut probaretur indigna conſortio mulier, repudiareturq;: hic duos tantum adhibet, ita ſibi conſtat. Poſt tres menſes licet iterum illas ducere qui uelit, aut omnino repudiare: ut nil ſit infœlicius, quàm agere ſub ea lege, in qua nil certi aut conſtantis eſt.

Quomodo uero ſibi gratiam obſtricti ſacramenti faciat, uidendum. Capite proximo ita ſcribit:

» O Propheta, ne in religionem uertas periurium quod tibi remiſit Deus. quæ
» ris gratiam ab uxoribus tuis, & Deus eſt miſericors & pius. Iam abſoluit uos
» Deus à uiolatione fidei. & Deus eſt patronus ueſter prudens & ſapiens. & quã
» do communicauit ſecretum factum ue ſuum propheta cuidam uxorum ſuarũ,
» & reuelauit illud, manifeſtauit illi Deus, & eſt agnitum à quibuſdam, à quibuſ-
» dam uero negatum. & quando reuelauit illi (fœminæ) dixit, quis tibi reuelauit
» hoc? dixit, reuelauit illud mihi ſapiens cognitor. Si conuertamini ad Deũ, mun
» dabit corda utriuſq; ueſtrũ. & ſi conſpiraueritis in eum, Deus eſt patronus eius,
» & Gabriel & boni fideles, & angeli erunt poſthac uindices. Forte Deus eius ſi
» repudiauerit uos, loco ueſtri dabit uxores meliores uobis, fideles Muſſulma-
nas, ſedulas, diligentes, religioſas, &c. Hæc tendunt ad ſatisfactionem Haſſæ & Hafezæ, quæ redierant ad eum ſuaſu parentũ ductæ. itaq; obijciebant illa periuria & adulteria: & ſi quicquam ultra in eas moliretur, ſe conſpiratione deleturas hominem dicebant. Decreto diuino illas territat, ſatisfacereq; curat. Planè ex hoc capite manifeſta fit impoſtura, & fabula. Nam quod reuelauerat uxoribus, eædem reuelarunt turbæ ſequenti, eſſe ſcilicet fictionem & ſcripturas antiquorum, & nil illi eſſe reuelatum. Dicit uero ſtatim à Deo reſciuiſſe, quod uxor prodidiſſet

didiſſet ſecretum, ut illam territet. Quod autem minatur illis repudium, non fuiſſet auſus de eo agere uel cogitare. nam perijſſent illi uires Humari & Vbechari ſocerorum, à quibus potentiam collegerat. Itaq; impunè & palàm utebatur amatoribus Haſſa, ne hiſcere quidem audente propheta. ſeipſum enim obſtrinxerat, quum aperuerat myſteria uxoribus. Deterret eam ab adulterio, exemplo duarum, uxoris Pharaonis & Mariæ, quam dicit filiam Himrani, ut antea ſororem Moſis & Aaronis, & in quam de ſpiritu ſancto ſufflauit Deus. Dicit uero honeſtè, ut ſolet, eam ſeruaſſe diligenter naturalia membra. Verum nil illi profuit exemplum, quin quoad uixit, fuerit publicum ſcortum: à quo, ut dixi, pendet Alcorani & Suneh fidès & interpretatio.

In calamo 66. uidetur dicere de Abdalla ben ſalone Iudæo ditiſsimo, qui illi ſeptem annis à ſecretis fuit. curauit enim eum ſecretò dormientemq; ſuffocari, & igne ſuppoſito uri, alijs fugatis & occiſis, quod dixiſſet Alcoranum eſſe rapſodias & centones, ex antiquis ſcripturis petitos. Quumq; uiſus ſit die inſequenti ignis in ea domo, & Aben ſalom mortuus & uſtulatus, ſuaſit turbæ, igne cœleſti fuiſſe abſumptum hominem, quod prophetæ ſecreta aperuiſſet. Scio nullum prophetam unquam habuiſſe ſecretum, quod timuerit reſciri. Qui timet, eſt conſcius, neceſſariò. Si Muhamedes non fuiſſet impoſtor, quid opus erat de reuelato ſecreto conqueri, & dicere fœminis, ad uos non pertinet de ea re loqui? Nil dixit fecit ùe unquam propheta diuinus, quod omnes ſcire timuerit. Timor eſt hominis male ſibi conſcij argumentum.

70 capite, Muſſulmani fiunt dæmonum magna turba, ut laudent Alcoranū, & proferant in Deum & Chriſtum blaſphemias. Iam illa omnia uidimus, & excuſsimus. Quòd autem homines & dæmones unà confœderentur ut populi uicini, id bene nouum & inauditum eſt. Homines malos tacitè paciſci cum dęmone conſtat, aliter nō memini unquam legiſſe aut intellexiſſe. ubi putat quod nec dæmones nec homines dicant aut fingant de Deo mendacium, miror quid illi in mentem uenerit, ut ita arbitraretur, quum pater mendacij diabolus nil aliud quàm mendacium confingat in Deum, dum falſas de eo opiniones hominibus ſuadet. Sed intelligo, ob aſsiduam familiaritatem cum Muhamede pactus erat dæmon, ut iſte propheta dæmonem prędicaret bonum, retractaretq; ea quæ de eo antè dixit. Et inito pacto illo, etiam uoluit poſteritati cōmendare ne ignoraretur. ait enim: "Etenim quidam uiri ex hominibus inierunt fœdus cum quibuſdam uiris ex dæmonibus, & adauxerunt eis timorem." Sunt uiri & fœminæ inter dæmones, alioquin fruſtra iſte legiſlator dixiſſet uiros ex dæmonibus. Nam quoties ita dicit, partem ſpeciei & eiuſdem generis indiuiduum intelligit: ſed illa fœdera ſunt inita, quando conſcendit cœlum cum Elborac. tunc enim uidit eſſe cuſtodes in cœlo neſcio quot, in inferno 18. expectauit ad fores cœli, & auſcultauit ſecreta cœli cum auſcultantibus, & cætera miracula, quorum in hoc capite meminit. Vult illa repetere in iſto capite. Sunt ſexcenta ſimilia: uerū illa erunt potius in Arabica uerſione, quàm in hac, excutienda. ſatis enim habeo, ex quibuſdam præcipuis locis, aperuiſſe noſtris hominibus hāc peſtem, ut ſomnolenti noſtri monachi, ſaltem his ineptijs moueantur ad miſericordiā miſerę gentis, eiuſq; cæcitati, ſi Ieſu Chriſti amore mederi non ſatagant, cōpatiantur. Addo tantum aliquot loca. Poſt multa capita breuia (ut ſunt in fine) in quibus de oratione more eorum fieri ſolita, & de paradiſo & inferno egit, 78. conuenit nobiſcum de nomine loci, ubi Deus iudicabit orbem. Nam ait in Sahiret futu-

rum

rum, quo in loco intelligunt interpretes Ioſaphat. Dominus enim Ieſus Chri-
ſtus quamuis aduentu ſecundo formidabili, toti orbi ſe propalabit, tamen eum
loco cuidam Hemiſpherij, quum ſit corporeus, primum appariturum certũ eſt.
Quamuis enim tunc in aëre ſedebit, ſucceſsiuo tamẽ motu mouebitur. Nec in
loco illo tam anguſto, iuxta Ieruſalem cogetur totus orbis, ſed quo loci uoluerit
redẽptor & iudex. ubicũq; enim iudicabit, ibi erit משפט id eſt שפט יהוה Iudi-
ciũ Dei, ſeu Deus iudicat. Quod uero etiã ſit Ieſus Chriſtus mortuos ſuſcitatu-
rus, & orbem iudicaturus, id illi cõcedit liber Suneh, qui eſt maiori in multis au
thoritate, quàm Alcoranum. Illic enim ubi exponitur locus ille Alcorani, ubi
Deum ad ſe rapuiſſe Chriſtum ne crucifigeretur, dicit Suneh, Veionzilu, ait,
Iiſa bin meriame ila elardhi ueiahcumu phihæ hachiman hadilan. id eſt, Et cœ-
litus ueniet Ieſus filius Mariæ in terram, & iudicabit in ea iudicio iuſto. Quod
quum illi fateantur, et iudicare terram ſit Dei proprium, mirum eſt ita mente ca
ptos, ut illum etiam Deum non fateantur, quem futurum iudicem agnoſcunt.
Ita eorum mentes luſit ſatanas. Pergo ad finem.

91. De ſe fatetur contra aſtum & uerſutias Chalephorum, qui adfinxerunt
fabulas generationi eius, ad ſtultam multitudinem retinendam. ait enim de pri-
„ ma ſua conditione. Nonne reperit te Deus pupillum, & fouit? nonne reperit
„ errantem, & direxit? nunquid reperit pauperem, & ditauit? ergo pupillos non
„ opprimas, &c. Iſta contra lucem propheticam pugnant, contra fidelem genera-
tionem, contra miracula infantiæ, contra aues, uentos & angelos, contra circum
ciſionem in aluo, contra perfectiſsimam creaturarum. Nam eſſe pauperem, &
regio ſanguine, pugnat. nõ conuenit cum regno paupertas, cum errore pietas.
fuit directus, quum eſt aſtutus factus, quum imponere nouit, quum à Iudæis eſt
inſtitutus ut tyrannidem illis compararet. Non ſatis uidetur, magnam cõditio-
nis ſuæ pupillaris habuiſſe rationem, quum pupillos innumeros fecit, ſpoliauit,
necauit. quid enim aliud toto uitæ tempore, ſaltẽ à propalata fabula, fecerit, non
uideo. æſtimandum cæteris relinquo.

„ Sequens caput miraculum exenterati prophetæ aperit. Nonne fidi exen-
„ terauiq; pectus tuum, & ſuſtuli à te peccatum tuum, quod rumpebat dorſum tu
um? &c. Hoc debetur Halimæ nutrici. Iam iſta ſuperius tradidi. Meminit uen
torum aromaticorum, nubium & angelorum 76. quæ ex eadem officina pro-
dierunt. Iurat alibi arbores cacatorias, ſequenti capite iurat nubem ambulan
tem cum homine. 95. noctem potentem: quæ omnia ea miracula, quæ ſæpi-
us attuli, notant. Iſtæ prophetiæ liniares, ſunt multis poſtea ſæculis additæ, ut ex
recitatione Halimæ, aut ſcorti fide, aut conſcijs hominibus ſunt recuperatæ, aut
ut ex murorum foraminibus reperiebantur. Sunt tamen omnia ſibi ſimillima.

Sed ultima planè prodit authorem, & negocij totius anſam. Ait enim,
„ Dic, defendo me cum domino hominum, rege hominum, à malo ueſuas, id
„ eſt perturbatoris mentis occulti, qui perturbat in pectoribus hominum, à demo
nibus & hominibus. In hoc capite innuit, quod negare non poterat Hadegæ
uxori. Quum enim retuliſſet ſonticum morbum in incertum caſum, in uinum,
in angelum, in Deum, in ieiunia, & turbatio illa nihilominus adeſſet intempe-
ſtiuius, coactus eſt fateri eſſe in eius animo ueſuas elhannas, perturbatorem oc-
cultum, id eſt diabolum, à quo ſe defendit cum Deo. In ſuperiori capite præſti-
giatorem eum uocat, et inuolutorem, quod in idem tendit. Illic uero etiã Deum
authorem mali facit, quum à malo quod creauit, uult liberari: quod cum pietate

& ra-

& ratione philoſophiæ pugnat.

Habetis ex innumeris ſimilibus aliquot capita legis Dei Muhamedis: uidete, perpendite, iudicate. Hæc ſi placent, plura prodibunt. Quamuis iſta ſatis patēt, & hominem utcunq; depingunt, tamen dum in claſſes cogentur ſingula, & ueluti repagulis & cancellis arctabuntur, maius lumen uidebuntur accipere. Primum itaque notabimus ex multis quædam, quibus in Deum, in angelos, in dæmones, in cœlum, in naturam, in rectam rationem & pacem publicā peccauit.

DE DEO ET FINE VLTIMO *errata.* CAP. XIIII.

NVnc ſi uellē Suneh & Haſsiar ineptias attingere, decuplo creſceret opus. Satis itaq; erit, paucis aperire de cauſa prima & ultima, quæ Deus & paradiſus eſt, quid ſentiant, quum propheta ipſe, tum authores eius dogmata explicantes. Non poſſumus melius à Muhamede qualitatē Dei eius inquirere, quàm dum uiſibiliter ſe illi oſtendit in ſummo cœlo. Iam uidimus memoriam noctis, & duorum iactuum arcus, quibus diſtabat à Deo. Aiunt interpretes, quum eſſet in cœlo ſeptimo, poſtquam ſe commendauerat Chriſto, Gabriel non auſus ultrà progredi, reliquit illū ut abſolueret iter. Tunc uerticoſis locis, aquis & niuibus innumeris, egit tantū itineris, ut omnino de uia defeſſus eſſet, ſubſiſteretq;, donec audiuit uocem quandā dicentem illi, Muhamedes accede & ſaluta creatorem tuum. Quum uero ad uocem accederet, tantam lucem uidit, ut infringeret ei aciem oculorum, acceſsit tamen prope Deum ad duos iactus arcus. Deus uero ipſe ſeptuaginta millia uelorum lucis ante faciem habens, non præbuit faciei conſpectum Muhamedi, ſed manu attingens eius umbram, tanto frigore eū affecit, ut uix poſſet ſubſiſtere. dixit uero illi multa ſecreta, quæ tam multa ſunt reuera in eorum ſcriptoribus, ut ducenti burdones non ferant ſingulorum librorum exemplum unum. Sed interim antequam ab iſto reuera frigido Deo recedamus, opus eſt ſcire diſtantiam terræ ad cœlum, ut eò poſsimus contendere. Audi lector oracula, & citandi modum propheticum. Hebdullahius Muhamedes Cartibius in Tezchere elimam, id eſt memoriali ſacerdotum, quod eſt fidei eorum compendium, ita ſcribit.

Refert Aben uaheb, dicit Achberbi rachman filius Ziad, filius Anham, quod audiuit Hatebetum filiū Hebdulzabi, cuius Deus miſereatur, qui referebat de hoc facto (graduum) quod Zagel uenit ad prophetam, oratio Dei & pax ſit ſuper eum, & dixit: O propheta Dei, quot gradus ſunt hinc ad paradiſum? Dixit centum gradus, quorum inter duos tantum eſt, quantum à terra ad cœlum. Primus illorū gradus, ſpacium eius, conſtructio eius, porta ſeu ingreſſus eius, crepis eius, & elatio eius eſt ex argento. Secundi ſpacium, ædificium, ingreſſus, crepis, elatio, ex auro. Tertij partes ex hyacintho, carbunculo, & margaritis, & poſtea ad 97 gradus nemo nouit quid ſit niſi ſolus Deus. Thermindus uero, &c. Hæc eſt theologia ſenſibilis, quæ refutatione non eget, quoniam credulitatem non meretur. Deus qualitatis expers, infinitus, incōpræhenſibilis, localis eſt, finitus, accidentiū ſuſceptiuus, apud Muſſulmanos. Taceo cœlos inuicē inuolutos eſſe ex auro & argento, corporibus denſis: niues frigoraq; eſſe ſupra cœlum, ubi nō eſt materia, illic materiam ſolidiſsimam eſſe, & quæ per antonomaſiam (ſi adamantē excipias) nomine materiæ poſsit donari. Nam tota natura nil auro denſius habet, ex his quæ innotuere. Sed Deus Muhamedis iiſdem delectatur, qui-

bus & propheta eius. De Deo ut cauſa finalis eſt, et rerum omnium mediate uel immediate fœlicitas & ſcopus, iam multa uidimus. Nam paradiſus Muhamedis frequens ſe obtulit. Nec enim capit Deum in eſſentia & cōtemplatione pro fœlicitate. Vult bibere, comedere, & quæ inde ſequuntur: alioqui fruſtra paradiſum eſſe, niſi habeat copiam lactis, uini, mellis, carnes, panem, fructus, cōuiuia, luxum, fœminas, catamitos, ueſtes aureas, argenteas, ſericeas, monilia, puluinaria, prata, uirorem, &c. quæcunque ſunt luxuriæ inſtrumenta. Verum non tantum uult Deum habere in illis paradiſis ius, ſed ait in ſexto paradiſo, (nam ſunt apud ipſum uaria genera) quem habebunt ſui poſt mortem, iuxta ſeptimum in quo eſt Chriſtus, eſſe fontem Alcauſaram, cuius diameter eſt ſeptuaginta milia dierum itineris, aqua niue albiore, melle dulciore, ex qua potabunt omnes habitantes eum paradiſum. Poſt diem iudicij Muhamedes adibit infernum, & malos Muſſulmanos, damnatos facie nigra & ſordida capiet, & portabit ad fontem illum, & illos illic abluet, & fient albiſsimi, & cæteris ſimiles. Ita nil iuris habebit Deus in malos Muſſulmanos, nec ſeruiet quicquam infernus. ita Muhamedes erit longe maior Deo: quia quos Deus damnauerit, ille abſoluet. Sed interim, qui ſunt in paradiſo, eius lotionem ſordium, culi, pudendorum & pedum bibent, quia eadem aqua ſordes ſuſcipiet & potabit beatos. O ineptiæ, ô deliramenta, ô blaſphemiæ, hinc ad centum annos, paradiſos Muhamedis non poſſem tranſcribere. Verum quandiu ſum in paradiſo cum Deo, non oportet obmittere arborem quæ eſt illic, pari magnitudine cum paradiſo, folijs aureis et argenteis, in quibus ipſis eſt ſcriptum nomen prophetæ, & nomen Dei his uerbis, La alla illa alla Muhamed raſſul alla: id eſt, non eſt Deus præter Deum, & Muhamed eſt propheta eius. Ab hac tam magna arbore initium ſumit perſuaſio Muhametana. ea enim uerba proferunt erecto digito indice, quum nomina dant Muhamedi. Sed mirū ſi iſta arbor ſit æqualis paradiſo, ubi agant homines, ubi fons tam magnus, ubi flumina, ubi coci, furni, textores, aurifices, puluinarij, & cæteri ciues ac artifices, qui accedentibus omnia parent. Pereant miſerè fabulæ. Si de angelis, quàm de Deo melius, eſt uidendum. Nam in hoc loco nolo ſæpius in excuſsione memoratū Deum impium, iniquum, impoſtorem, periurij, adulterij, pæderaſtias, brutalitatis, cædium, homicidiorū, furtorum, & huiuſmodi approbatorem & iuſſorem adferre, quum plus ſatis innotuerit.

DE ANGELICA NATVRA. CAP. XV.

HAec natura, quemadmodū & diuina, eſt apud Muhamedē corporea, uiſibilis, tactilis, & nobis præter magnitudinē & alas ſimilis. uidimus eſſe uulneribus obnoxios angelos, alioqui uenirent prophetæ, & annūciatores loco hominū: ſed timent occidi. In tertio cœlo cū Abrahamo erāt ea proportione, ut ſpacium quod inter oculos habent, ſit 70 milium dierum amplitudinis. quo uero magis creſcunt numeris cœli, eo ſunt maiores angeli: ita ut in ſeptimo ubi eſt Chriſtus, uideantur, qui habeant ſeptuaginta milia capitum, & in quolibet capite totidem linguas, & ex qualibet lingua totidem uoces laudem Deo dicentes. quidam perpetuò reſpiciunt, nunquam dormientes: alij ſemper procumbūt, nunquam à terra ſurgentes: alij inclinati, alij ſtantes, alij genu flexo. quidam uſqueadeò exerta uoce clamant, ut ponant in auribus digitos, ne obſurdeſcant. Inde ſunt ſumptæ ceremoniæ orandi. Nā ſingulæ tzalauat, id eſt orationes fiūt, partim ſtando, partim genua flectendo, aut procumbendo, terramq́ oſculādo.

Ceremoniæ

Ceremoniæ illæ uocantur erchet, id eſt gemina inclinatio, & proſtratio. binis uero proſtrationibus, & in dextram ſiniſtramq́; inclinationibus reſpondent ſingulæ orationes, quales initiò uidimus. Illi uero angeli quorum cultus hic obſeruatur, habent etiam impotentiam, quamuis caput unius 70. milies ſit mundo maius. Nam completo iudicio, quando ad conuiuium uentũ erit, Deus mittet Gabrielem, ut adferat claues paradiſi ſancti. adibit uero alium angelum, qui ex ore ſuo 70. milia clauium trahet, quarũ unaquæq; longa eſt 70. millium dierum itineris. quam Gabriel attollere nequiens, adibit Deum, dicetq́; : non poſſum adferre clauẽ paradiſi. Cui Deus, obuerte teipſum, & inuoca nomen meũ & Muhamedis, tunc facile feres. uertitur, inuocat, adfert, aperitur, intrant, aſſident menſæ adamantinæ 70. milium dierum longitudinis. Quum tamen tam magni ſint, & prudentia debeant eſſe pares, ſunt authores Deo ut creet homicidam, ſunt mortales: ſunt etiam quidam damnati, quidam ſupplicijs in hac uita affecti, ut Arot & Marot. ita beatos ſpiritus & ſacroſanctas intelligentias explicauit legislator Muhamedes, ſocius Dei: quem ſi angeli cum Deo non inuocãt, nil poſſunt facere. Et ne quis quicquã putet fictum, ſunt iſta articuli fidei apud Muhamedicos libro Haſſiar, & Suneh, & Imamin comprehenſa. Mirum eſt quum in toto Alcorano toties prohibeat homines facere participem cum Deo, quomodo eius interpretes, ab angelis ipſis uelint eum agnoſci & inuocari participem, quum ipſi neceſſitatibus materię compulſi homines, nullum participem cum Deo facere debeant. Oportebat mendaces eſſe memores, & ſibi conſentanea dicere. Non ſe prodidiſſet fucus.

DE DÆMONIBVS. CAP. XVI.

Non eſt ſibi abſimilis in tetra natura depingenda. Illam enim ex igne & ex flamma creatam dicit, & decies repetit: ſed dum illam inobedientem dicit Deo, eandem Deo ſapientiorem conſtituit. Quum enim nil debeat niſi æternum coli ab homine aut angelo, Deus non potuit non eſſe impius idololatriæ author, qui iuſſerit ita ſe demittere diabolum ex ſummo elemento creatum, ut adoraret hominem ex feculenta & limoſa natura factũ. Melius itaq; diabolus non parendo, quã Deus iubendo fecit: & tamen eſt damnatus eam ob rem. Sed non uult fateri damnatum ideo eſſe diabolum, quod potentiæ diuinæ honores ambiuerit, Deumq́; ſuo de cœlo deijcere cogitauerit: quoniam irreconciliabilem faceret, nec auditor fieret Alcorani, & eius prædicator, & demum Muſſulmãn. Nam quemadmodũ omnes homines idololatras, aut quoſuis uolebat ſaluos eſſe per legem Alcorani, ita & dæmones, qui minus peccauerant, uolebat ſeruare. Sed mirum eſt quomodo ſibi hæc cõſentiant. fiunt Muſſulmani dæmones, & ſuis populis prædicant: & tamen nato Muhamede liber hiſtoriæ dicit, dæmonem Magnum, luciferum ſcilicet, fuiſſe ab angelis deiectum in mare, unde uix poſt 40. dies emerſit. & in montem Coba aſcendens, conuocatis horrendo clamore dæmonibus, cauſam quærentibus dixit: Ita horrendo ſono uos excito, quoniam natus eſt Muhamed filius Hebdallæ, quem Deus miſit cum gladio radiante, & omnia penetrante, in noſtram ruinam. Et paulo pòſt: propter hunc prophetam damnauit me Deus, & fecit ſatanam maledictum. Cui reſpondent ſatellites, Quid moueris Satan? neſcis quod Adam fuerat creatus cum ſeptem uirtutibus, ex quibus una ſupereſt? An times ut nos qui contra Chriſtum præualuimus, huic prophetæ obſiſtere non poſſimus? Hæc Haſſiar. Quũ diabo

lus eſſet per Muhamedem damnatus, & illum profligaret etiam infantulus, quî factum eſt ut armatum & ſatellite munitum non timuerit, ſed ultro ad eius credulitatem tranſierit, & fuerit ſaluatus? quî fit ut faceret obliuiſci prophetias quas credidit? Videtis Deum non eſſe authorem damnationis diaboli, ſed Muhamedem, nec erat diabolus ante Muhamedem. certe obſtitit per Muhamedem euãgelio Chriſti ſatanas, nec antequam fieret Muſſulmanus potuit obſiſtere euangelio. Socij id potuerunt, quod unus non poterat. Non eſt conuerſus ſatanas ad legem Muhamedis, ſed Muhamedes ſectatus eſt legem dæmonis tenebrarum, ignorantiæ, euerſionis naturæ. Propheticeq́ loquutus tantum in eo eſt, quod dæmones religionis aſſeclas habere ſe dixit. Nil dico de inferis & arbore Zacomi, cuius rami ſunt capita dæmonũ. innumera enim eſſent addenda. Satis habemus dæmonem eſſe corporeum, & timere gladium, conuertiq́ ad fidem Alcorani, & tandem moriturum, & demum cum brutis reuicturum. De cœlo argenteo & aureo, & de ſtellis illi adhærentibus cathenis aureis, & dæmones abigentibus, ne paradiſum petant, quid opus eſt dicere? Sed tamen me bene torquet, quomodo ſtellæ timent ne dæmones intrent paradiſum, quum portæ ſint ſemper obfirmatæ, nec patuerint ipſi prophetæ uenienti etiam cum Gabriele. oportet eſſe dæmonibus deteriorem, alioqui illi ſponte patuiſſent fores, ut & dæmonibus, qui non aliter quàm à ſtellis cathenis adpenſis poſſunt abigi. Quum dicerem de gradibus, dixi de materia cœli. Iam intellexiſtis montes, præcipitia, frigora, niues etiam in ſummo cœlo.

QVAE IN NATVRAM ADMISERIT. CAP. XVII.

Tota lege ſatis patuit, rerum ordinem, naturalemq́ omnium affectũ inuertiſſe, quum uoluit hominibus ſuadere à Deo eſſe, licitaq́, quæcunq́ piacula admiſit. uoluit ſibi factam (ut dicebat) à Deo gratiam periurij, adulterij, fornicationis, molliciei, occiſionis parentum, ciuium, amicorum, omnibus eſſe licitam, ne in eo damnari poſſet, quod lege omnibus concedebat. Quid poteſt turpius brutali coitu, aut pæderaſtia cogitari? aut quod magis in naturæ labem uertat, dari? Quis potuiſſet maiorem peſtem inter homines generare, quàm prætextu pietatis illos ita cõmittere, ut ſit fideliſſimus qui fortiſſimus & uictor? Quæ unquam erit reſp. beata, ſi ciui nomine perſuaſionis in ciues & parentes armari iuſte licebat? iſtæ in hoſtes erant conuertendæ uires. Erant multæ clariſſimę urbes in Arabia idololatrię deditę: illas cogere, aut ſpoliare, euertereq́ oportebat, non ſuam. ſatis conuertiſſet ſuos, qui cæteris uicinis ius dixiſſet. At non religio, ſed factio id ſuaſit. Vbecharus, Homarus, Halys, Zeidus, Achmarus, cæteriq́ Mechenſes ciues gratioſi & factioſi, non potuiſſent alibi uires & factionum capita prophetæ ſuppeditare. uindictam alibi non quærebat propheta. qui illum qualis erat nouerant, depingendo offenderant, erant conficiendi: ea fuit uera religio: ut hodie in tota terra nil ſit Muſſulmano ſe ad prophetæ exemplum componente inhumanius. Quum enim homines uix legibus arctiſſimis poſſint in officio retineri, quid futurum cenſemus, ubi legibus contra naturam armantur? Quod libet, licet. ſanctum fuit quicquid propheta fecit. ergo ſimile licet. Iſta omnia contra naturam arma ſumunt, rationi & paci publicæ contraueniunt, & reuera tam ſceleſta ſunt, ut ipſiſſimum ſcelus uideantur.

Rationi

RATIONI QVAM ADVERSENTVR. CAP. XVIII.

SI rerum naturam à ſimilibus rebus & effectis æſtimare licet, quis ſibi unquã ſuadere poſsit, eſſe diſsimilem cæteris, atq; diuinũ, quem nulla uitiorũ parte carere ſciunt conſpiciuntq; omnes? Quis unquam propheta tam fœda uitiorum colluuie laborauit, atq; impuritatem ſummam & animo & corpore circuntulit? Quis ſaltem uel unico miraculo, uel ueri prædictione, uel uitæ ſingulari innocentia dicta non confirmauit? Quum itaq; nullus antiquorũ uideatur huic ſimilis; iſte uero ſit ſceleſtiſsimis nebulonibus per omnia par, quis inter prophetas habendum cenſeat? Si ſimilis homo etiam uerba diuiniſsima ediceret, miracula etiam exhiberet, non eſſem unquam crediturus. Nam fruſtra in uirtute eſt habenda humanitas, charitas, innocentia, amicitia, caſtitas, ſobrietas, candor, & cæteræ tam animi quâm corporis dotes meliores, niſi in uiris optimis locum habeant. Vnde fuiſſe uirum malum, qui iſtis non careret tantum, ſed & contrarijs impotẽtiſsimè urgeretur & laboraret, aſſerere nõ dubitamus. Fuit uero in Muhamede non tantum earum uirtutum mera priuatio, ſed in eo regnauit pro humanitate crudelitas, qua in ſanguinem proprium ſæuijt: pro charitate, ſuorum depulſio, ut locum ſcortis undique accedentibus daret: pro innocentia, iniuria, qua omnes obtriuit: pro amicitia, diſsimulatio, è qua chariſsimos dormientes obtruncauit: pro caſtitate, ea ſalacitas, qua 15 uxoribus, ancillis, brutis (nã quod in alijs probauit, feciſſe uidetur) catamittis miſceretur: pro ſobrietate, luxus ſummus, quem etiam in quadrageſima ſua permiſit: pro candore, impoſtura, qua omnibus fucum fecit. & ille, ſi dijs placet, fuit Deo familiaris. Fruſtra, ſi tam ſceleſta uita bona eſt, Deus uirtutis naturalem cognitionem & appetitũ homini dedit. Aut uanæ ſunt boni & uirtutis opiniones, aut nullus unquam Muhamede deterior natus eſt. Ratio enim uetat, hominem ſonticum, dæmone agitatum, mendacem, impoſtorem, ſalacem, impium, rerum diuinarum imperitum, eſſe diuinitati amicum.

QVANTVM INFOELICITATIS SVB HAC LE *ge patiantur* Reſpublicæ. CAP. XIX.

PErturbationibus & damnis perpetuis premi, quæcunq; Reſpub. hanc doctrinam receperit, neceſſe eſt. Peccat enim dum huic obedit, quarundam rerum defectu, copia, timore. Ad quid Deus ſumma bonitate uini uſum uoluit in natura eſſe? nonne ut ad eius nominis laudem moderatè eo utamur? Iam & priuato & publico defectu uini, perit naturæ pars multo præſtantiſsima. Ideo egregiè rident hoc præceptum legis periti, ſi uinum ſe offerat: rident aulici, milites, mercatores, & eo ardentius ſe eo ingurgitant, quo rarius uti licet. Nam nitimur in uetitũ, cupimusq; negata. Eſt inutile præſcriptũ, damnoſiſsimũq; Reip. uini prohibitio, ſeu res priuatas ſeu fiſcum ſpectes. Quid dicam de prohibitionibus, in quibus cũ Iudæis conuenit Alphurcan? Quid piaculi eſt in animali lacerato à cane, lupo, aut urſo? nõne multa pereunt pauperib. animalia, quorũ corpora ſunt utilia. Taceo de cęteris. Quid mali in ſe porcus habet? At prohibuerat Moſes, ſcio. hoc donauerat ex uetuſto ritu filijs Iſraël, quoniã in Aegypto erant multi lepræ obnoxij, quo frequenter hoc animal laborare creditur, laborant & apud nos. uiſitentur ante macellũ, non nocebũt carnes alendo corpori, & axungiæ multis uſibus aptiſsimæ. Nec magis nocent in calidis regionibus, quod quidam dicũt, nam in tota India, ſub æquatore, in Molucis, apud Quinas, in Paria,

nil ſalubrius aut frequẽtius eo animali: itaq; fruſtra prohibetur. Quid dicam de prohibita 4 menſibus uenatione, quibus non ſolum utilitas perit, ſed etiam urgentur pauperes agricolæ apris, capreolis, ceruis, lupis, leonibus, quibus eo tempore ſunt omnia permittenda? Vidi tantam copiam aprorum in multis Natoliæ locis, ut àd plurima miliaria nil ſegetum illabefactatum relinquant. Si capit Chriſtianus, à Muſſulmano uerberatur, conteritur. Mauult putreſcere & interire ſine uſu, quàm in quos uſus Deus dederat, conuerti. Nil dico de ſuperſtitioſa mactatione, ut quidam more Iudaico nunquam guſtent, quod ob eorum oculos non eſt mactatum, tanquam anima in fruſtulis ſuperſit. Iſta ſunt ab ethnicis ſacris tracta. His leuioribus miſsis, ſi pergamus æſtimare quanta incõmoda patiantur Muſſulmani ex copia ceremoniarum, uxorum, liberorum, aut ſeruorum potius, atque palabundis prædonibus, quasq; ſentiant & experiantur calamitates, reuera nefariæ legis ſocietas & probatio non ſolum inutilis, ſed aduerſa paci, æquitati & humanitati uidebitur. Et ut ab ablutionibus incipiam, ſi quis in ceremonijs legis manet, quid aliud rogo quàm toto die ablui & occupari poteſt? Gallicantu, meridie, ueſperi, ſerò & prima uigilia unuſquiſque ablui debet, antequam orare incipiat: & ſi deſit aqua, puluere infici. quo quid ſuperſtitioſius, quid incommodius ſit, non uideo. Si aqua tollit peccatum, iam Deo non opus eſt: ſi Deus tollit, aqua opus non eſt. quod ſi aqua & Deus, iam puluis inutilis eſt. Nam contrarium eſt faciem, manus, brachia, pedes, tibias, crura & uerenda ablui, & puluere infici. Si ob mundiciem corporis conſtitutum ſit, ergo male puluerem, qui labefactat, adhibes. At obijcient Muſſulmani baptiſma Chriſtianis. Nil ſimile. Semel in mortem Ieſu Chriſti aquis, uerbi Dei benedictione purificatis, non abluimur perluimurúe, ſed intingimur tantum: non in aqua uim abluendi peccata eſſe credentes, ſed ui uerbi diuini & fidei, quum talia fiunt, peccatorum remiſsionem à Deo ſperantes & conſequentes. Quod agitis, nil habet commune nobiſcum. A Iudæis & Catabaptiſtis iſta ſunt. Aeſtimemus neceſsitates naturæ, flatum uentris, egeſtionem, lotium, coitum, pollutionem, adde peccata inter ablutiones & ſalauat admiſſa, quis (ſi uelit iuſtus legis obſeruator haberi) aliud quicquam, quàm totum diem & uitam in aquis more herodij, anatum, aut anſerum degat, ſi poſtea, ut lex iubet, ablui uelit? Relinquo difficultatem hyemis cogitandam: ſunt ineptię & deliramenta, quæ à prudentibus ita indicantur, dum ea omnino contemnunt. Taceo omnes ijſdem teneri legibus, nec diſtingui in ea lege, quum ſacra facientibus ſint longe plura & frequentius quàm cæteris obeunda. Nullam omnino intellexit ordinum diſtinctionem Muhamedes, ut nec inſtituit aut curauit, quum tamen ſtatum rerum euertiſſet. Quid dicam de peregrinatione illa quatuor menſium? Nulla uenatio tunc licita eſt: adeò ut multi pediculis, cimicibus, & pulicibus parcant. Non attingo moleſtias circunciſionis, quum puer in uigore iuuentutis anno decimoquarto uitæ, acutiſsimo ſenſu patiatur ſibi præputium detrahi. ſapientius multo Iudæi, qui & ſi damnantur, non credentes Chriſto, ſi de eo audierunt, tamen octauo die præſcripto legis diuinæ circuncidunt. Facilius enim ſanatur ea recens caro, quàm adulta. Ad hæc puer paruulus dat nomen profeſſioni, tacita parentum fide. At non opus erat illis ſimiles fieri, qui poſtquam prophetã inſtituerant, ab eo defecerant. Iam ſi addam quibus terroribus rerum imperiti agitentur, quum ad mortem uentum eſt, quum cogitent de duobus angelis corpora in ſepulchro uerberantibus, de anima quæ in modum camiſię ueſtit

corpus,

corpus, et erigit, cuius credulitatis id fidem facit, quod ſepulchra fiunt latiſſima, in quibus agitari ualeant, & ſedentia ſtare cadauera: cui iſta riſum non moueāt? Quę anilia deliramenta unquam maiora fuere? Maxime uero patet ſumma infœlicitas in perpetuo diſſidio, matrimonio coniunctorum. An putas infirmitates humanas æquo animo uelle pati ab inuicem, quū ſexcentis calumnijs & teſtimonijs inſtructis et ſacramentis falſis ſit inter cōtrahentes locus. Nil aliud apud iudices quàm talca, dulum, tzebin, & cætera audis: repudia uidelicet, iniurias, dotes. Nulla illic poteſt uera fides eſſe, ubi ſpes eſt diuturnam non fore. Aeternæ ſint amicitiæ oportet, & Deo, qui earum eſt origo, quantum fieri poteſt ſimilimæ. Fac eſſe utile ob crebra incommoda repudium eſſe crebrum, quis mortalium uſquam potuit facere, ut grex fœminarum in eodem iure participantium unà conueniret? etiam ſi ad necem quaſdam uerberes, non poſſis illis præſcribere, præcipue ſi de iure matrimonij agatur. Quid futurum putamus, ubi non tantum conſortes habent, ſed uident ancillas & ſeruas undecunque quæſitas ſibi præferri? quæ pax, amor, concordia illis in domibus eſſe poteſt? Ideo iſta lex tyrannis & potentibus uarijs in locis illas collocantibus eſt in uſu frequentiori. Pauperes tacito conſenſu & factis legē damnantes ſolent eſſe una contenti, prudentes etiam, ſobrij & continentes multo magis. Nullus qui illa non uiderit, poteſt credere, quàm tyrannicè & imperioſè fœminæ, dimidia naturę pars, tractentur. Ponamus nunc ab effectu & legis potentia quid contingat. Faciamus fœcundum eſſe ab utraque parte matrimonium, poteſt uterque à 14 anno ad 50. generare, (fac eſſe potentiam parem uiri & fœminæ) unoquoque anno parere mulier poteſt. Noui ego plures quæ liberos 30 & 35. genuerint. Sed detracto temporis dimidio, quum à 15 ad 50. ſint 35. 18 anni ſint, & totidem ex una filij. multiplica quater 18. fient 18 annis 72 liberi, quibus ſi arbitrarius ab ancillis numerus accedat, iam nō 72, ſed 100, & plures liberos aut ſeruos poterit homo priuatus generare Reip. quem gregem unde alere poſſit uide: ut non mirum ſit nullam eſſe toto orbe gentem auariorem Muſſulmana. Si autem tantæ multitudini, ſuæ deſint matres, (poteſt enim eum numerum quiſque à uarijs quæſiuiſſe) aliæ accedant, quid putamus futurum, quum una nouerca uix unicum priuignum uel uidere ſuſtineat, nónne alienos omnes è medio tollere ſataget? Non impetat, certe nunquam curabit. Ancilla, niſi præſente domino, multo minus: ut quam poſſit pro arbitrio cum munuſculo liberam manumittere, aut uendere. Iam tantæ familiæ onus in miſerum patremfamiliâs recidere neceſſe eſt. At quàm ſint apti familiæ domeſticæ regendæ uiri, natura docuit: quæ illos ideo ualidiori corpore ſagaciorique animo fecit, ut laboribus & curis externis domum ea conuehant, cogantque, quibus ſedula materfamiliâs communi familiæ & liberis proſpiciat. Non dico quàm grauiter peccet hæc lex contra naturam, quum etiam amorem paternum à proprijs liberis tollat. Quamuis enim homines omnes prolis deſiderio teneri conſtet, tamen ſi multi admodum naſcantur liberi, affectus non poteſt uideri par erga omnes, etiam ſi ab una matre irrepudiabili atque amiciſſima nati eſſent. Quod ſi naſcuntur ab ancillis & parum dilectis fœminis, ne uidere quidem curat pater. Eijciuntur ancillæ ad mendicitatem, partus exponuntur, mendici educantur. & ſi quis maiori humanitate ancillæ partum domi educandum curat (niſi alioqui omnino liberis legitimis careat, aut ſit præpotens) id fit ita perfunctoriè, ut perinde æſtimetur & mors & eius uita. Solent itaque nothi tenuium hominum & iniquorum

aut abſumi, aut pueritiam & iuuentutem languore tranſigere, rariſſimeq́ue ueniunt ad frugem: quò ſi contingat eos uenire, nō educationis, ſed ſedulitatis beneficio id euenit. Nam dum uix natis, fantibus & ambulantibus omnia domeſtica munera in illa ueluti mancipia reiiciuntur, tolerantia uincūt, & quandoq; emergunt. Tales uero & tali precio æſtimationeq; eſſe ferè omnes Muſſulmanos, quis ambigat, quum fœminę omnes nihilo pluris æſtimentur quàm mancipia & ancillæ? & ſi pluris fiant, id fit dotis & parentelæ, non perſonæ aut amoris gratia. Hi ſunt præclari effectus Alcorani. At prudens iſte legislator huic tantæ & tantum non expoſitæ multitudini proſpexit. Inſtituit enim ordinem eorum qui relictis propriis militant in uia Dei, & eleemoſynas illis eſſe erogandas ſuaſit nō ſemel. Tanta uero eſt eius fecis popularis colluuies, ubicunq; auditur Muhamedes, ut nunquam tutò ire uel ad duo milia paſſuū liceat, ſi potiſſimum in Africa, Aegypto, Arabia, Syria, et Aſia minore, quam Natoliam dicunt, ſit iter faciendum. Ideo nec ſoli, nec decem, nec 20. uix unquam 100. hominibus, niſi eorum ſimilimis & perditis, licet tutò illac incedere. Carouana opus eſt, id eſt cohorte aliquot centum aut milium hominum, quæ tamen ægre ſeipſam tuetur ab illis pauperibus: qui reuera uſq; adeò ſunt tenues, ut multi Mechæ agentes quiſquiliis & cucumerū fructuumq; putaminibus miſeram uitam trahant. Quidam, præcipuè in deſerta Arabia & Syria, eò potentiæ uenere, ut creato ſibi duce, ſint etiam ipſiſſimo Turchorū principi formidabiles, ſtipendiiſq; eorum uexationes redimere cogatur. Perpende quàm uerū ſit philoſophicum axioma: Re abſurda ſemel admiſſa, innumera ſimilia ſequuntur. Nefario nebulone propheta admiſſo, lex nefandiſſima eſt probata: eius placitis receptis, illicita & naturæ amicitięq; repugnantia matrimonia ſunt introducta, à quibus egenorum pupillorum, tenuitateq; in rerum deſperatione adductorū colluuies nata, dum ſuę legis prætexit conſeruationem, toti reip. labem & contumeliam infert. Ita uero hæc peſtis per agros ſerpens eleemoſynam petit, ut ſi non des, rapiat: ſi ſolus ſis obuius, ſpoliet, multet diris uerberibus. Sectas etiam uarias habet. alii nudi, ſeminudi alii, capite alii aperto, alii tecto: etiam uariis coloribus, alii ueſte centonibus omnium colorum confecta, quidam lacero corpore & latiſſimis uulneribus, nomine prophetæ (ut aiunt) admiſſis, modo illis aliquid numorum eroges. Verū omnium ſanctiſſimi, qui ex agitatione corporis in orbem, mentem amittunt & concidunt: ſanctiores, qui loco ob cœli iniurias nolunt moueri: ſummi, qui nil rationis habere ſe fingentes, aſinas, aut quoduis animal ſubagitant: & ſi deſit, palàm inguina ducunt. Quidam addicti ſunt ueſtibus, quidam cultui, alii cibis, regionibus alii, aut locis: ut nullus locus ea uacet peſte, quæ eò aliquando proceſſit audaciæ, ut etiam principes non ſemel latenter aggredi & occidere ſit conata. Horum iniuriis & diuexationibus miſera plebs occalluit, atq; multis in locis relicta agricultura aut fugit, aut ſe illis adiunxit, malens miſere raptu uiuere, quàm laboribus indies defraudari ſolitis. Ob eam peſtem Aſia minor, Syria, Meſopotamia, Arabiæ, Aegyptus, olim ditiſſimæ atq; cultiſſimæ prouinciæ, ferè ſunt ſteriles. Vbi olim erāt decem ditiſſimæ urbes, cum uicis & uillis ſuis, uix nunc unicum caſtrum aut uiculus eſt. Rebus bello à Muſſulmano afflictis, nunquam licuit miſeris inſtaurare urbes, pacificè agros colere, & fiſco ſalaria iuſta repræſentare: quod expilent omnes, ſeruet nemo. Nam quāuis diligentia principum conſtituantur iudices in ſingulis prouinciis, tamen quæ ab illis nebulonibus prætextu religionis uagantibus admittuntur, in ſceleribus non habentur, ſi

ſint

ſint depræhenſa: ſi lateant, in religioſos non cadit maleficij ſuſpicio. Vno eorũ depræhenſo, diris terrent cæteri imprecationibus, plebemq; concitant & territant, ne dent pœnas, & genus infament, qui ſunt depræhenſi. ualent quidã præſtigijs & maleficijs, ut apud nos ſortilegæ fœminæ: labemq; adferunt ſegetibus, & animantibus. Ambiguis alij reſponſis dementant retinentq; plebeculam, dũ ex multis nugis & ſomnijs aliquid prædixiſſe certum uidentur: quod uniuerſo impoſtorum generi eſt peculiare. quoniam fortuitam prædictionem norunt omnes, mendacia & ambigua nulli. Dum enim deluditur qui conſulit, partim ne ſibi impoſitum dicat, partim quia futurum ſperat, non aperit. qui ſe beneficium inde conſequutum putat, nulli non uenditat. Obſtupuit, obduruit, occalluit illis & animi & corporis iniurijs populus: peritus tolerat magiſtratus & diſsimulat, retinendiq; imperij cupiditate probare improbanda uidetur. Recte humanarũ rerum conditionem æſtimanti, nulla unquam in toto orbe infœlicior terrarum conditio fuit, quàm ubi miſera iſta perſuaſio impoſuit, & ubi hũc militem in uia Dei erronem ſpontaneum ſine delectu, ſine duce patitur alitq; regio. ſatis eſt enim illi turbæ nomen religionis profiteri, (quod cuiuis licet) cæterum per omnia graſſari. Cõmercia his peſtibus auerſa, inferũt omnibus prouincijs iniurias, diſpendiaq; non ferenda. quotuſquiſq; enim poſsit expectare, quoad ſe cohors collegerit, parauerit, armauerit, impedimẽta coëgerit? Annus tibi in deliberando abit. O potentiſsime orientalis imperij rector, tibi ne uiro principi rerum perito, præclariſsimæ orbis partis dominatori, iſta turba faſcinauit oculos, an etiam uolens uidensq; tuorum tuaq; diſpendia probas? Atteritur agricola mendicitate, ſumptu, prædis, incurſionibus: uiator periculis, mercator ſumptibus, fiſcus diſpendio. Si more Chriſtianorum unuſquiſq; eſſet ſua uxore contentus, totaq; ea peſtis proſcriberetur ſemel, ut nullus pœna capitis auderet, aut in illis cõſortijs eſſe, aut adſcribi & agere, priuilegia uero & immunitates à principibus conceſſæ abolerentur, proculdubio ſeminarium ſtatim euaneſceret. Nec uero debet moueri miraculo, quod contigiſſe ferunt ſub Hamurate ſecundo, princeps ueri & iuſtitiæ amans. Nam authore dæmone factum eſſe conſtat. Ita habet, ut fertur, hiſtoria. Quum de perdenda infanda hominum colluuie ob ſcelera agitaret princeps, & ſi qui inter illos uiderentur boni, illis tamen uellet præferre Imamos & Taalimanos, cæteroſq; qui docendi munere funguntur, ueluti quibus carere nec poteſt nec debet Reſpublica, iudicio autem ſupremæ curiæ decretum promulgari uellet, nocte proxima ante eam diem, qua erat promulgandum edictum, princeps Hamurates eſt à lecto excitatus, & in quaſdam anguſtias iuxta proprias ædes, ut naturæ uehementer urgenti obediret, eſt actus. ubi dum inſidere uult, franguntur repente omnia tabulata, ſublimiſq; pendet ſuper aſſerem. donec inuocato Deo, adeſt quidam habitu & indumento primariæ horum nebulonum ſectæ, hominemq; liberat, & in lectum collocat. qua re motus princeps, iubet proxima luce ut quotquot adſint Conſtantinopoli Dermiſchler (ita uocant) curiam conſtituta hora adeant, daturum omnibus congiarum. Veniunt, largitur, interim aſpiciendo ſi illum noſſet qui à periculo exemerat, omnes tranſeunt, non adeſt. Surgit ex toto grege ſenior, aitq; eum qui adfuerat, & illi erat opitulatus, non unum fuiſſe, ſed cõmunem omnium procuratorem, debere ex hoc perpendere, utri eſſent utiliores, illi qui prædicant, an qui peregrinantur & orant. ita non ſunt expulſi, ſed ſunt etiam utiliſsimis, et quibus Reſpublica etiam in falſiſsimis religionibus carere nõ poteſt, prælati. Quis hoc

cõmen-

commentum diaboli, (ſi uerum eſt, & non potius ſomnium) eſſe non nouerit? Deus enim nunquam mala facit, tantum abeſt ut ueluti circulator cõmittat, ut illis medeatur, nam eſſet iniquiſsimus. Quis ſolito uehementius ita commouit principis uiſcera, ut non adiret ſolitos ſeceſſus, & ſuos uocaret cubicularios nunquam dormientes? nonne ars iſta dæmonis eſt, hominem ad impietatem trahentis? atque impiam & perditam hominum turbam fouentis? Mala frequentiſsima immittit dæmon, quæ quenque tollere aut curare non poteſt. & ſi curet, poſtquam admiſit, uidetur beneficium contuliſſe: latronis more quum non perdiderit, perdere potens. Quis diffitebitur magicis artibus pollere illos nebulones, quum maleficis carminibus ita dementaſſent Muhamedem πολιορκητὴν, ut ductus præſtigijs totus ſe illis princeps alioqui prudentiſsimus crederet? quod intuens Tartarorum princeps, egerat cum perditis hominibus, ut admiſsi in cubiculum principis illum conficerent, capiteq; plecterent. quod ſi feciſſent, rerum habenas ſe illis permiſſurũ, nomine imperatoris ſeruato. Numerata ad hoc pecunia, dies dicta eſt. Factumq; erat, niſi depræhenſi uno antè die pœnas ſcelere dignas dediſſent. inde uero in totũ genus ita in poſterũ eſt ab eo ſæuitum, ut eo uiuente nullus unquã in aula ſit ſine uitæ diſcrimine uiſus. Idem cõtigit penè Baiazeto primo. Nam unus in uia eleemoſynã occulto enſe petẽs, dũ princeps munificus quęrit quod nebuloni largiat̃, illũ penè obtrũcat, & ictus uehementia equũ ſeminecẽ reddit. Videat princeps, quid nõ audeat nefaria religio in priuatos, ſi principes cũ ſatellitio nõ curet. Sed de his ſatis. Nũc quomodo hęreditates inter diuitũ filios diuidantur, eſt uidendũ. Satis patet, quali amicitia fratres ex uarijs matribus cõcepti eſſe debeant, quũ patribus etiam ſit charitatis in filios magna paucitas. Multò minorem eſſe à parentibus & affinibus quid mirum? quum nil ad ſe eos pertinere putant, qui & patri & fratribus uileſcunt. unde nil mirum eſt Acangios, aſaplaros, caripos, & cæteros gregarios milites tanta uilitate apud principes eſſe, ut etiam non rarò prima acies à ſequentibus obteratur, pontiſq; & pauimenti loco, in magno diſcrimine tranſituro exercitui ſternatur. Inde uita hominis non tanti fit quanti pecudis, ſuadente lege, In uia Dei eſſe optimum mori. Leges herciſcundæ familiæ, quaſq; partes, qui aſſem hæreditatis poteſt conſequi, fratribus parentibuſq; relinquat fratrum ſanguine ſcribit. Nam quoad poteſt fieri, ſi quis ſit princeps Muhamedi ſimilis, omnes è medio tolli curat, ut ſolus hæreditatem conſeruet. Nunc pauciſsimis, & quantum ad argumentum opus eſt, hiſtorias Muſſulmanorum iam ab expeditionibus Muhamedis, ad noſtra uſque tempora deducam, ut praxi huius gubernationis cognita, etiam legis infœlicitas maxime innoteſcat. Nam quemadmodum ex uita & facinoribus eorum, qui poſt Moſem regnarunt, eius legis uirtus cognoſcitur: ex Chriſtianorum, Chriſti: ita & ex Chaliphis, qui poſt Muhamedem rebus ſunt potiti, licebit æſtimare, fœlicitatem an infœlicitatem poſt ſe reliquerit.

RES EORVM POPVLORVM, QVI NOMINA *dedere Muhamedi.* CAP. XX.

Vt nulla gens unquam iſta maiorem cladem orbi inuexit, uirtutem immanius profligauit, uitia ſceleſtiora introduxit, ita nulla unquam minori rerum geſtarum ſuarum cura & ſollicitudine fuit. Niſi enim quatenus religio facinoribus iuncta eſt, uix ullum monumentum hiſtorię lectu dignum ſeruant.

quod

quod non tam neglectu literarum factum eſt, quam aſſidua tyrannidum mutatione. Quum enim miles perpetuò rebus nouis ſtudet, princeps ſibi proſpicit, ſacrificuli à rebus aulicis & bellicis alieni aut deliteſcunt, aut expilantur, locus nullus eſſe poteſt præclari ingenij hominibus, utroq; tempore & belli & pacis artibus inſtructis, qui ſoli de rebus geſtis incorruptè & ſyncerè iudicare & ſcribere poſſunt. Itaq; nec ſcriptores habent: & ſi quos habent, quia immania ſcelera continent, ne ſuis quidem, niſi poſt actum uitæ 50. annũ, tradunt & credunt, illisq; permittunt religionis adminiſtratoribus, & iam ad prudentiam ita cõparatis, ut immania illa uitia tegere ſilentio poſſint. Contigit enim, ut plurimi per lecto libro regum ſeu Chalipharum, reſilierint ab ea impietate: quod quid aliud innuit, quàm ſummo ſcelere comparatam, maiori auctam, maximo conſeruatam tyrannicam potentiam pro diuina poni, & ex deterrimis uitijs uirtutem fieri? Non eſt mihi facta eius libri copia, ut nec admodum magni refert, apud Latinos ea ſcelera detegi, quæ non poſſent prodeſſe, inficere certe poſſent. Satis fuerit in editione Arabica iſta omnibus propalari, ut quod latet populares miſerè lactatos, tandem ſe illis prodat. Libri omnes ueteris & noui Teſtamenti omnibus proſtant, non timent cenſorem. Si quid humani contigit aut prophetis, aut principibus, non erubeſcunt ſacra illos homines peccatis obnoxios fateri: quoniam ſi unum aut alterum improbabile facinus in illis continetur, ſunt in compenſationem innumera bona, quibus ad uirtutem incitari legentes poſſint. In Muhamedicis è diuerſo eſſe, occultatione patet. Nam uix ulla uirtutis imago illic eſt, immania ſcelera permulta. Sed ad prophetæ expeditiones eſt ueniendum, ut prophetica iſthæc uirtus facilius æſtimetur. In libris Haſſiar habetur, decem & octo bella geſſiſſe Muhamedem, undecim contra Iudæos, reliqua contra Mechenſes, Perſarum regem, Rhomanos, & uicinas urbes. Potentia Iudæorum, ut diximus, totis decem annis uti nouus Meſſias auctus, cõciliauit ſibi plurimorum diuitum & gratioſorum opes. Ex Mecha habuit & generos, & fautores, Vbecharum, Humarum, Alim, & inferioris nominis plurimos: ex cæteris Arabię locis Odmanum, Thalhanum, Zeidum, alium à ſeruo, Abdorachmanum, & alios multos, quos taceri nullum rerum, hominũ, famæ'ue diſpendium eſt. Horum fretus opibus, familijs, affinitatibus, urbes uicinas Mechæ quàm plurimas ſubegit. quicquid ad multa milia paſſuum circa Mecham erat, ſibi adſcripſit, poſſeſſoribus in perſuaſionem tractis, donec ex tanta turba aut potentiam ſæuitiamq; eius timentium, aut ſponte prædas ſectantium, magnus coaluit numerus. tum demum regiam in Ietriba inſtituit, depulſis Iudæis, qui à uicinis ſuppetias petentes, ſunt multis prælijs aut incurſionibus fracti. Cauſam uero belli Iudaici referũt parum officioſi mendaces illi Chronicorum authores, quòd 70. Iudæi petiuerint domum patris prophetæ cum gladijs toxico intinctis, ut occiderent eum, propter lumen propheticum, quòd timerent exoriturum tam magnum prophetam. ideo in eos filium ſeuijſſe. Non uident interim boni illi hiſtorici, ſe cõtradicere prophetę, qui locis innumeris Iudæos uiolati fœderis arguit, Ob id impunè cuiuis illos, ueluti infideles, & morbum in cordibus gerentes, occidere non tantum permittit, ſed iubet, non ſine diuina uindicta, ut pœnas elati à ſe tyranni ipſiſſimo quem fouerant darent. Animum uero prophetæ iſtius ad res nouas incipiendas incitabat aſtronomus quidam, qui religionum & regnorum mutationes prædicebat, (ut ſemper illud impoſtorũ genus aliquid inſolitũ nugatur) quo duce & conſultore eſt multis annis Muhamedes uſus. Iuuit enim

illum

illum non parum, quum populis imperitis mentiretur, ambiguaq́ſomnia proponeret. Vt uèro faceret artis, id eſt deprædandi tyrocinium, parentes eſt adortùs Muhamedes. Quum enim ſedem poſuiſſet Medinæ, miſit Hamzam filium Abdemelechi cum 30. mulis & aliquot peditibus, ut in inſidijs collocati in Homenſi ſylua (qua erat à Mecha in Syriam iter) obſeruarent Coraiſſorũ parentum cohortem mercibus onuſtam, confectiſq́ hominibus omnia diriperent, & prophetæ adferrent. Sed longe contra ſententiam ſucceſſit. Nam Hamzas incidit in centum hominum cohortem, cuius erat dux Angelus bellicoſior Hamza, quem fugientes prædones, diſperſiq́ re infecta ad prophetã rediere, docuereq́ parum prophetice aut prudenter eò illos prophetã miſiſſe. nam Deus prophetæ tunc dormire uiſus eſt: nec enim Gabriel ille ſatis prudens uiſus eſt, qui tam infœliciter primas impenſas collocare prophetę ſuaſit. Sed tamen cœptis noluit deſiſtere Muhamedes: alijq́ duci commiſſa graſſandi cura, miſit ad eandem uiam obſidendam duplo maiorem turbam duce Heguida, quem cecidit grauiter, fugauitq́ quidã regulus Abo Zipharus nomine. Paucíq́ rediere nuncij, ab ea expeditione. Tertiam eòdem expeditionem eadem de re miſſam fruſtrarunt Coraiſſi interea tranſeuntes: quamobrem Zeidus dux tertius, re omnino infecta domum redijt. Nunquam tam frequenter eſt impoſitum cæteris prophetis, quia duce Deo omnia aggrediebantur. Quum itaq́ uideret rem geſtam per duces non ſuccedere, ipſe adijt locum inſidiarum, ut facultates parentum diriperet. cui unus Muhazamus nomine, ualidè obſtitit, profligauitq́ prædonũ turbam: nec angelus prophetæ, nec uicarius adfuit. Denuò, ut erat infenſiſſimo erga parentes animo, & earum facultates auertendi cupidus, pergit alium in locum, quem Barathum uocabãt, ubi item fractus fuit ab Humaro Halaphi filio. Tertiò quum inſiſteret, obuios quidem habuit aduerſarios, ſed uiribus longe ſuperiores. ſex itaq́ primæ expeditiones miſero perierunt. Sed interim nil iacturæ ille, aut ſui faciebant. Nam prophetice ubiuis terrarum uiuere erant ſoliti, ea lege ut niſi dares, ipſi caperent. Si uero quiſquam ſe opponeret ſceleribus, & familiaris eſſet, proditorie necabatur. ſi extra ſuos, paradiſum uoluptatis illi pollicebatur, qui eum, & quotquot prophetæ non acquieſcerẽt, occideret. Tandem tanta turba perditorum expilatorumq́ hominum ad eum confluxit, ut undiq́ uias obſeſſas haberet. itaq́ magna parentum eius Corahiſſorum cohors, & merces cum camelis non paucis, ſunt intercepti à duodecim hominibus duce Abdaſta. quibus opibus non parum eſt auctus, cœpitq́ inde eſſe multo gratioſior & formidabilior. Collecta ergo magna potentia, non parum etiam auctus eſt expilatione hæreditatis Iudæorum. Illi enim quia primum in eius uerba iurauerant, & demum pręter paucos ab eo defecerant, fuit eorum utilior defectio quàm fœdus. A`fœderatis enim aliquid decimarum nomine accipiebat toto decennio, à deficientibus uero prætextu neglectæ religionis ſolidas rapiebat hęreditates & fortunas. Vt autem erant, fuereq́ ſemper à Chriſti morte, omnibus exoſi ethnicis ſeu Chriſtianis, ita unaquæq́ gens dum in ſpoliandis Iudæis propheticæ iuſſioni obſecundabat, geſtiebat etiam gentis odio ſæuire: quod ubiuis terrarum etiamnum magnum & inſigne impietatis nephariæ gentis teſtimonium eſt, quum deteriori ſint inter ethnicos & Muſlimunos conditione, quam inter Chriſtianos, ubiuis autem magiſtratu deſtituti. Muhamedes ergo prædis ex tota Arabia actis auctus, parentum ſpolijs ditatus, Iudæorũ fartus pecunijs, uiſus eſt potentiſſimis par, cœpitq́ eius amicitia à uicinis regulis peti, ambiri,

mune

munere comparari. Magno ergo fautorum numero comitatus, fregit nobilitatem Mechæ, in ualle urbi proxima, paulo antequam urbe potiretur, cuius rei in Alcorano meminimus. Capta autem urbe nil illi obſtitit: uicinæ urbes aut ſe dedidere, aut tributa pendere cœperunt: atq; hoc pacto, qui paulo antè erat mendicus, tyrannus tanto formidabilior eſt factus, quanto crudelior ubiuis eſt uiſus. Vicini Arabiæ petreæ reguli, & qui ad Perſidem attinebant, opem à rege Perſarũ, cuius uires paulo antè ab imperatore Heraclio fuerant attritæ, petunt. Dat quales poteſt ſuppetias: Arabias adit. in quibus fracto & feſſo de uia milite, & in labefactata agente regione, fameq; & ſiti laborante, frangitur fugaturq;, domumq; cum paucis trepidus repetit. Quis ille fuerit, literis traditum nõ reperio. Suſpicor tamen eum eſſe Choſrois filium, qui paternæ & fraternæ cędis author fuerat. Nam tempus id arguit. Hac parta uictoria animoſior factus miles, religione ſuaſus inuadit audacter Perſida, Chaldæam, Syriam, & Aegyptum, incurſionibusq; omnibus in locis cœpit eſſe formidabilis ea potentia. Credo quaſdam reliquias eius militis, quem in Syria Heraclius reliquerat, ductu fortaſſe aliquorum qui ad illum defecerant, fuiſſe oppreſſas. nam in Alcorano caput unum eſt, quod titulum habet Rom, id eſt Romanos uel Græcos (nam hodie Græci Romæi, id eſt Romani dicuntur) incipitq;, Victi ſunt Romani. quo uero in loco, non dicunt. Vt ut res habeat, paulo poſt eius mortem Vbecharus ſexaginta milia equitum abſque pedite innumero coëgerat. Reliquit potentiam Vbecharo & Homaro. ſed ſuperior Vbecharus potitus eſt, auxitq; ditionẽ uſq; ad Armenias, relictis tantum Syriæ littoribus, & aliquot fortioribus munitioribusq; urbibus. Nam inter Palæſtinam & Meſopotamiam ob imperij & regni Perſarum limites, omnia incurſionibus erant obnoxia, illicq; fortior maiori ad res ipſas iure erat. Erãt etiam aliqui ex infima potentia in magnam & illuſtrem fortunam ſubleuati à Muhamede, quorum pręcipui fuere Vxeitus, Achmarus, quo duce Mecham fuerat ingreſſus, Abubardas, Zeidus, & Halis ſenior. nã nepos Muhamedis erat adhuc ad res tractãdas ineptus. Hi cum illis quos ſuprà nominaui, rerum habenas cui uolebant dare poterant, quod inter Chaliphas uſq; ad noſtra tempora durauit. Vt enim male parta male dilabũtur, poſtquam biennio tantum regnauit, & pericula compeſcendæ multitudinis à dira & nefaria religione deſciſcentis ſuſcepit, eſt à ſocio neceſſario & familiari Homaro occiſus. Homarus decennio auxit potentiam, populumq; retinere ſtuduit partim bello, partim religione. Quum enim uideret à multis quamuis non detrectarent imperia, tamen Alcoranum rideri, & tot eſſe ſententias de eo quot homines, incepit undecunque licuit fragmenta, compendia, & libros eius cogere in unum. ſed dum diutius regnat quàm uellet ſucceſſor, obtruncatur, ſucceditq; loco eius Odmamanus. Is paulo compoſitioribus rebus, cœpit à domeſticis prophetæ, tam quæ ſcriptis, quàm quæ auditu ſeruata erant repetere, & in unum cogere. Prima (ut notaui, dum de Sunæ origine dicerem) authoritas ab Aſſa Vbechari filia, ſcorto illo præclaro, fuit. nam ea erat fabulæ totius conſcia. Ideo in reſolutionibus poſt uaria dubia eius ſtatur ſententiæ, &c. ex ordine ut notatum eſt. Primum itaque ſub iſto cœpit Alcoranum publicari eo exemplari, quod & Mechæ & Medinæ ſeruatum eſt aliquot poſtea annis. Cæterum eſt oborta magna licentia libri illius aſſerendi. nam nullus poſtea non cœpit ueriorem & meliorẽ editionem prætexere: non ob librum quem omnes ineptiſſimum ſciebant, ſed ut eo retinerent deliram plebeculam. Nam libri opinione partum, auctũ, & con

ſeruatum eſt regnũ. Quum uero annis duodecim regnaſſet, ſuſcitata ab Hali factione, irruente turba in eum cęſus eſt, cadauerq; extra urbem (ut & prophetæ) eiectum eſt, in ludibrium religionis & prophetæ. Dicebat enim turba, cui fabulam Halis aperuerat, uidendum eſſe an iſte nouus author Alcorani reſurgeret tertio die, ut propheta: quòd eius cadauer etiam triduum ad fœtorem intolerabilem ſeruatum fuerat. Quatuordecim annis non ſine magna difficultate & ſeditionibus regnauit Halis, eoq; ægrius retinuit imperium, quod parti militũm ſtrophas falſæ perſuaſionis aperuerat. Nam tarda penè pœnitentia fuit illi ad remedium eius recurrendum. Erat aliud diſſenſionis ſeminarium iam à propheta. Nam quum Halis præuideret futurum, ut regnaret Vbecharus poſt Muhamedẽ, atq; ideo omnia ſcorto illi Aſſæ eius filiæ, uxori prophetæ, licerent, quod ab eius potentia & fauore res & fauor penderet, grauiſsimæ inimicitiæ ſunt inter illos obortæ, quæ multis etiam poſtea ſæculis regnarunt. potiſsimum uero ſub Hali ſe propalarunt. Dicti ſunt Vbecharenſes Choraiſsi, quamuis uix quicquam genti prophetice attinerent. Qui Halis partes ſequebantur, ab eo nomen ſumpſere. Hunc Halim aiunt Mauri penetraſſe in Africã ad Cyrenem uſq; prouinciã, ubi ob eius memoriã templum cõſtructum eſt, quod Caroan uocant: ad quod peregrinationis ergò, ex tota Africa nõ ſecus cõcurritur, quàm ad Mechã & Medinã. Ab eo loco factũ eſt, ut uocentur cõſortia mercatorũ & peregrinorũ Caroana, aut Carauana: eo quod ſit longe maxima multitudo perditorũ hominum in Africa, ut nullibi uel terrã attingere tutò niſi maximæ turbæ liceat. Nõ poſſum tamẽ deſcẽdere in eam opinionẽ, ut relicta à tergo Aegypto ab Arabijs eò uſq; tranſiuerit. Nam nõ ſunt poſiti Chaliphæ in Aegypto ante centeſimũ à morte Muhamedis annũ. Poſſet tamẽ utrũq; cõſtare, ut ſit potius Aegypto, longe anteq; eò ſedes Chaliphæ transferret, inſtitueretur q;. centeſimo enim & trigeſimo anno Alhigerę, id eſt exilij, Mauritanię iã labefactabantur incurſionib. harũ peſtiũ: et triceſimus ſextus tũc quũ eſt cõfectus Halys, annus ab expulſione ſeu ὀϛρακισμῷ agebat. Creatur paulo antè mortẽ Halis, Haſcemus princeps, non in Ietriba urbe ꝓphetica, ſed in Aracha, à qua cũ magna manu profectus Ietribã obſidet, & Halim necat, quem tamẽ multi patrẽ eius ſcribũt. Poſt exactũ nouenniũ loco uitaq; excedens, imperiũ Moalbio relinquit. Iſte peruaſit Syriam, Damaſcũq; occupauit, cæterũ Chriſtianorũ infenſiſsimus hoſtis: alioqui ut ſcribunt, laudabiliter inter ſuos ſe geſsit. Erat apud prophetã ad prædas aptiſsimus. ideo illi dominiũ eſt ominatus propheta. illo ſublato more cęterorum, regnum Ieudus accepit, atq; eodẽ fine triginta Chaliphæ nullo interpoſito, factionib. & cæde miſera ſunt obtrũcati, ut uirtutẽ ſuæ legis poſteritati æſtimandã relinquerent. Si morte naturali, aut inter hoſtes honeſtè oppetita uitã reliquiſſent, poterat dici id eſſe principib. cõmune, ut nullus ſicca morte tyrannus Plutonis ędes adeat. Verũ ſi cõſideremus infœliciſsimũ quẽcunq; ſtatũ, & à ſæuiſsima tyrannide ortũ (ut ferè omnia ſunt imperia) & cũ iſto cõparemus, proculdubio ſummè erunt fœlices infœliciſsimi cũ his collati. Dedit leges Lycurgus ſimulato numinis colloquio: at Reip. ſalutẽ, nulli unq; attulere exitiũ. Solonis, Zaleuci, Zamolxidis, Charondæ leges ſummã ſalubritatẽ rebuſp. illis utentibus contulere. Hæc delira perſuaſio peſtem agris, calamitatem ſatis, hominibus ærumnas, orbi perniciem, mentibus hebetudinem, principibus demum ſuis qualem mortẽ meruerat author attulit, nullo tamen aduertente. Tyrannidem in Remp. occuparunt Cæſares, & ex primis præter paucos, 15 forſan, à ueterani militis ſeditionibus occidere. Cæteri ab eo tempore aut in bello uiriliter, aut domi inter ſuos

honeſte

honeſte dies clauſere. Hi à filijs, à parentibus, à ſubditis ciuibus & amicis interie re. Iam ſi iudices illos & reges qui Moſi ſucceſſere, quorũ nullus non honeſtiſſi me totis octingentis annis occidit aut obijt, cum his conferamus, uidebitur tum quantum lex diuina à mendaci & dæmonica differat. Non adfero noſtrorum pietatem, innocentiam, charitatem, ut illis opponam, quibus infœliciſſimi com parati fœliciſſimi uidentur: quoniam latior eſt inter illos quàm lucis & tenebra rum diſtinctio. Pro uero ſuadendo & aſſerendo, pro uitio uitando, pro uera in Deum pietate ſeruanda, ſunt ferè trecentis annis Chriſti ſectatores mortem o-mni tormentorum ſuppliciorumq; genere refertam uoluntariè paſſi. Nam ſi hanc ſolum uocem uoluiſſent dicere, non ſum Chriſtianus, aut Chriſtus nõ eſt Deus, abſoluti fuiſſent et magnis honoribus aucti. At mihi obijciet aliquis Muſ ſulmanus: Moritur & noſter miles & prophetæ ſectatores, animoſe pro religio ne ſeruanda & ſuadenda. Moritur ſanè, ſcio, ultroq; multi ſeipſos periculis obij ciunt, ut inter hoſtes aliquo necato mortem oppetant. Verum quàm hæc quæ ipſi committunt, diſtent à uera pietate, & homine credente rationem Deo eſſe de factis reddendam, ex uiuendi ritu perpendere licet. Nam miles omni gene-re uoluptatum prophetam colit, etiam ualde pij pulmentis et lautiori gula litant diuis mortuisq; ſuis. hominem uerò occidiſſe, res alienas diripuiſſe, labem pro-prio corpori & animo intuliſſe, modo prætextus religionis adſit, id uerò miles in gloria ponit, & cum hac lerna ſcelerum, Deo chariſſimus, ultrò ad eos paradi ſos feſtinat, quos propheta eſt pollicitus, ut quas uoluptates ſummas & æternas hic non poteſt conſequi, in uita futura ſibi meditetur. illud perinde eſt atq; ſi tau rus in Venerem ruens, dum æmulum cornibus petit, in conflictu uoluptatis intereat. Chriſtiani martyres miraculis clariſſimi, ut Deum ſuper omnia colãt, ut ſeipſos Deo patre dignos conſeruent, ut fratrem alterum hominem perinde atq; proprium corpus & animum ſeruent, nil ſuppliciorum refugiunt. Veſtri dum in naturę perniciem armantur, in mortem ſponte ruunt. Verum in uarias partes Arabica iſthæc potentia ſtatim centeſimo anno ſecta eſt. factionibusq; creatis ducibus, alij in ortũ, alij in ſeptẽtriones, alij in occidentem ſunt diſperſi. Aegypto occupata, & à magiſtratu Romano illam obterente, ut prætexebat li berata, cõſtitutus eſt Chaliphos in Babylone. Qui petiuerũt Aſſyriam, uocabu-lo patrio benchi, id eſt domini dicti ſunt. In Africa Sultanos, Seraphos, & Mau las, id eſt potentes, opulentos, & protectores uocare uoluere. uocabulum fuit o-mnibus cõmune Emir, & emir elmumin, id eſt dux, & dux fidelium. Quidam noſtrorum uocant Miramomelimos, putantq; eſſe propria nomina falſò. Nam erat inſigne uocabulum principis, & Africani potiſſimũ, quod uel ex numiſma tis patet. Nam ita inſcribebantur, ut cõpertum habeo uetuſtiſſima moneta iam ante octingentos annos cuſa: Ioſephus emir elmumin, filius emiri elmumin, fi-lij emiri elmumini uſq; ad atauos. Perditis illis regionibus ſocordia ignauiſſimi imperatoris Heraclij, facilimũ illis fuit nullo obſiſtente occupata retinere. Nam Cõſtantinus quartus eius nominis, coactus fuit cũ regulo Damaſci pacẽ firma re. Longe plura mihi hic eſſent adferẽda ſi eorũ hiſtorias exacte tradere uellem. Verum ſatis habeo capita rerũ adnotãdo, euentus eorũ perpendere, & quomo do ſint rebus potiti aperire. Perſidẽ ſunt intra centeſimũ ab Alhigera ſeu exilio annũ potiti, fortè occaſione inde oblata, quòd paulo antè refutata ſtulta perſua-ſione, Rex reginaq; Perſarũ ſanctũ baptiſma ſuſceperant, Conſtantinopolimq; temporibus Conſtantini 4. uenerãt. Non ſunt tamẽ diutius potiti rebus in Per

 ſide.

ſide. Nam quum Scytharũ copias duce Mucaletio benco, id eſt domino petiuiſ ſet quidam Mahmedes regulus & Imraël rex Perſidis et Mahmedes de eo contendens imperio ſunt ab aduena expulſi, conuertunt demũ uires cum reliquijs Scytharũ in Aſia paſſim uagantium, in occidentem, debellataq; minori Aſia & Armenijs, etiã auſi ſunt duce Suleimano appetere obſidereq; Conſtantinopolim, & peruadere Thraciam atq; uicinas prouincias. Sed exacto triennio ſunt peſte ab obſidione depulſi, inq; ſuas ſedes redire coacti. eadẽ tempeſtate (ut peſtis illa tanquã aliquod Dei flagellum orbem diuexabat) in Siciliam & Campaniam irruunt, & aliquot annis retinent Siciliam. In Africa res illis ſucceſſere ex ſententia, niſi quũ Abdemelichus emirus elmumin, à Ioanne militum magiſtro ſub Iuſtiniano 2. agente eſt fractus. Verũ factione Leontij & Gallinici patriarchę, Iuſtinus imperio & naſo priuatus, relegatusq;, non potuit rem fœliciter inceptã perſequi, tyranno Leontio imperium occupante. Sed non fuit illi inulta iniuria præſtantiſſimo imperatori illata. Nã Apſimarus ab exercitu imperator electus, naſo eum & imperio deſtitutũ Leontium carceri perpetuò mandauit. ita Mauri Muſſulmaniq; præſtantiſſimũ aduerſarium Iuſtinianum perdidere. Nam 10. antè annis ita cum eo cõuenerat Amurathus, ut reſtitutis Africa & Lybia decennio toto ob reliquas prouincias occupatas penderet quotidie imperio mille aureos, ſeruũ unum, & equũ. Incendium ergo penè extinctum ſub Leontio, fiſcum inter ſcorta abſumente, et eo ad gratiam cõparandam (ut eſt tyrannorum mos) abutente reuixit, & longe ſæuius quàm antea graſſatum eſt. Nam in Mauritaniæ uſq; fines ſunt progreſſi. Illic autẽ agente Iuliano præfecto nomine imperij, ſe dira & fœda obtulit à Roderico rege Gothorũ Hiſpanias regente occaſio. Quum enim apud eius uxorem ageret ob cultum morũ et ingenij capiendum uirgo formoſiſſima Iuliani filia, fœdus turpiſq; rex uim infert uirgini. quidam dicunt nõ potuiſſe hoc à patre impetrare, ut eam in uxorẽ duceret: ideo uehementia amoris peccauiſſe. ut ut res habeat, pater Iulianus iuſto dolore filialis iniuriæ motus, accerſit maximam uim finitimorũ Muſſulmanorũ, & ducatum in Hiſpanias illis contra Rodericũ pręſtat. tranant fretum, inuadunt, diripiunt, Rodericum occidunt, regnum figunt, trienniòq; toto Hiſpaniam ſubigunt. nõ multo poſt Iulianus oppreſſus ab illis eſt. Nam ea ſunt erga amicos fide, ut quorum opera ſunt uſi, illos ſtatim è medio tollãt: quo quid ab humanitate alienius iudicem, nõ uideo. Id quidem fieri quandoq; iuſte à principe poteſt, ſi potentiæ comparatæ eſſet formidabilis qui iuuit. at in imbellem amicum ſæuire, id uero contra humanitatis legem pugnat. Non multo poſt deuictam Hiſpaniam adfuit alia occaſio, etiam Gallias inuadendi. Nam Eudo Aquitaniæ princeps, impar uiribus regibus Galliæ, quibuſcum bellum gerebat, inuitat in Gallias perditam colluuiem, quæ ſtatim hominẽ docuit quales ſuppetias accerſiuiſſet. Nam quicquid urbium à iugo Pyręnei montis ad fines uſq; Pictonum & Turonum erat, expilatum eſt atq; euerſum, ut nulla uſquam gentium ſit maior uaſtitas uiſa, audítaue, quàm qua pergit Muſſulmanus exercitus. Vnde Phryx & ſerò ſapiens Eudo, pace cõpoſita cũ Carolo Martello ſceptra regni moderante, Gallici & Aquitanici exercitus uiribus trecenta ſeptuagintaquinq; milia uno die cũ Martello cecidit. Reliqui qui ob fœdus initũ Narbone, Tholoſę, Salſulis, alijsq; in locis ditionis Eudonicæ agebãt, proſcripti ſunt. ita è Gallia decimo, à quo uocata fuerat, anno eſt profligata colluuies. Occuparunt Hiſpanias ab anno Chriſti 730, ad 1400. aut circiter. Quanta uero erga ſuos pace, id docet, quod ibidem

20. an-

20. annis, quindecim principes ſuos confecerunt: nec prius à ſolita mactatione ceſſatum eſt, quàm Alhatabus quidam, ne idem ſibi quod cæteris contingeret, ſuſtulit è medio trecentos proceres, & ita regnauit diutius. Sed fortaſsis contigit cæteris fœlicius. Licet à primaria potentia æſtimare. Florentiſsimæ Sarracenorũ, ut uocant, opes in Aegypto ſemper fuere. itaq; uériſimile eſt, à prima potentia exemplum inferiorum pendere. Res ergo eorum ſummatim, & quãtum ad rem facit, attingo. Quia (ut iam antè notaui) ſua facinora à poſteritate cerni & cognoſci timent, ideo nec literis ea mandare curant, nec mandata publicare uolunt. In Aegypto uero quamuis uaria dominatio, & à Chalipha, id eſt pontifice, (à quo dependet legis authoritas) omnino diuerſa rebus eſt potita, tamẽ donec alius pari potentia ſe illi in Chaldæa Bagdeti oppoſuit, ſemper ab eius ſententia ſumma in dubijs pendere cæteræ prouinciæ uoluere, non ob legis authoritatẽ, ſed propter ordinem. tametſi dignitas eius uiſa eſt ſemper cæteris maior & ſublimior, eo quòd primi Muhamedis ſucceſſores utraque & ſacra & prophana authoritate ſunt uſi, illicq; ſedem ante diſtinctam potentiam fixere. De ſacra ergo quum nil habere potuerim, niſi recentiorum literarum memoria & relatione, dicam de prophana, quæ Sultanorum & Mamaluchorum dicitur. Quum enim nouas ſedes acquirit hæc gens, abolere omnia priorum monumenta uult, non tantum inter exteras nationes, ſed inter ſuos, ut primi in orbem producti & dominatores uideantur. Ideo etiam nomina propria immutant, ne in illorum literis tua agnoſcas: Saulus Talot, Goliath Galot, Dauid Dauud, Selemoh Suleiman, Iob Aiub, Moſes Muſa, Ieſus Iſa, Ioannes Iachie, & cætera multa nomina inuerſa proferuntur. In nominibus prouinciarum & urbium idem faciunt. Meſopotamia Merdin & Choraſſan, Armenia Erminly, Cilicia Caramanly, Galathia Othmanty, Aſia Natolda, Græcia Romly, Myſia Bogdan dicitur, Conſtantinopolis Stambol, Adrianopolis Ederne, Pera Calata. & ſic non tantum res ipſas, ſed earum memoriam literis traditam abolere feſtinant, neglectis omnino aliorum literis. Res Mamluchorum ita habent. Quum à populis ſeptentrionibus ſubiectis crebræ incurſiones ante ducentos annos in Aſiam & Europam fierent, gens quædam ad Mæotim & Ponticum mare pertinens, olim dicta Cercetæ, & nunc Circaſsi, creato ex ſe duce, relicta domi tantum ea parte ſuorum, cui ager ſatisfaceret, petit Armenias, & uenit in fines Syriæ ſeptentrionalis, cœpitq; eſſe formidabilis. Miles uero ille quum ſedes fixas non haberet, cœpit apud finitimos facere ſtipendia. Vnde contigit, ut magna eius gentis acceſsio ad Sultanum Aegypti fieret, eſſentq; illi Cercaſsi, ueluti ſerui principis, quod uocabulum innuit. Nam Mamluch regium ſeruum ſignificat, uoce deducta à Melich, id eſt à rege, occaſione accepta, quum gens illa nũquam in Aegypto à prima conductione deficeret, proprium principem conficiunt, & ex ſe unum eligunt, qui omnibus prſit, certiſq; & inter eos probatis legibus imperet. Primus hominum memoria fuit Cahith bencus, id eſt dominus Cahith, qui ex Cerceticis iura Aegyptijs dixit. Ante illũ regnatũ erat à Sultanis ferè quadringentis annis, nõ ſine ope Cercaſſorũ. Nam à quo primã in Aſiam incurſionem fecerant, quotannis ex reſiduis uenũdabantur à finitimis Tartaris, & potiſsimum à quo ſunt Muhametani. Nã qui ad Cimerios montes agunt Cercetici, nomina dedere Chriſto, ſuntq; initiati ritu græco. Poſt Cahiet bencũ, qui tres & triginta annos regnauit, magna factio eſt orta. Nã duo primates Mamluchorũ cœperunt inter ſe cõtendere de imperio, Campſous unus, alter Acbardinus dice-

Res Mamluchorum.

batur. Campſous, cui erat nomē Campſonicā, ut facilius omniū animos in ſe cō uerteret, impetrat ægrè à moribundo Caitho, ut filiū eius natū annos 15. regnare poſt ſe iuberet. cui ideo pater uix obſecūdabat, quod gentis mores noſſet, & per ſpectū haberet quò res tenderet. futurū enim uidebat, ut necato filio Campſous tyrannidē occuparet. Nec eum fefellit, anteq̃ enim bienniū egiſſet iuuenis in regno, nō ſine ſanguine ciuium & magnatū, dum illos uenenato conuiuio tollere tentat, fraus aperitur, hoſtisq́ iudicatus necatur. Apertis demum inimicitijs, Acbardinus & Campſous confligunt: uinctusq́ Acbardinus, paulo pòſt dies claudit. Regnat Chamſaus, & in fauoris præmium Tomumbencū creat Emirchebir, id eſt magnum ducem, quaſi dicas pręfectum prætorio & militi, quòd iuuenem Muhamedem obtrūcaſſet in gratiam magnatū. Interea Iambellatus Syriæ Damaſcenæ emir, non probat electionem Chamſai, & parat bellum. Chamzaus, quamuis non ſine ſuſpicione eius quòd poſtea euenit, ſed quia aliter agere nō poterat, curam Tomū benco dat frangendi uires Zambellati. Proficiſcitur, colloquuntur, conueniunt, proditur Chamzaus, regnoq́ pellitur. fugit in Alexandriæ arcem, in qua obſidetur, capitur, & carceri mancipatur, nondum exactis menſibus uiginti in regno. Iambellatus creatur, & coronatur Sultanus: qui dum in omnium inuolat facultates, incidit in odium Cerceticorū, captusq́ ſtrangulatur. Tomumbencus ſuccedens non fuit humanior, ſed moderatius principio ſęuire cœpit: et capite cenſendo ſingulas Alcahiri domos, earum ſemeſtrem petiuit locationem, & ſtatim tantundem, demum decem menſium locationem. proſcribere, occidere, expilare alienos, Chriſtianos, Iudæos, eorumq́ facultates ita diſtrahere, ut niſi ſtatim quiuis mercator quanti faceret, tantum ſolueret, iugularetur, bonaq́ eius tyranno addicerentur. & quia in his non parcebat etiam primoribus, ideo obſidetur, fugitq́ cuniculis ex regia, donec quadrageſima die repertus à familiaribus Zambellati, proditusq́ necatur. Is eſt ſtatus eorū hominum, qui ſub lege uiuunt Muhamedis. omnia ſibi ſimilia ſunt, quoniā nullus eorum principū Deum eſſe credit. Eligitur omnium cōſenſu, inuitus admodum, & periculū timens Chamzaus Chaurus, diutiusq́ regnat, donec à Sultano Selimo Soleimani patre in media Syria conculcatus obit. Is fuit exitus. Nil eſt mirum, tyrannum in tyrannum ſęuire. At fratrem in fratres, id uerò mirandum nobis earum peſtiū ignaris eſſe ſolet. Nullus enim regulus, ut à barbaris ipſis in Africa multis in locis accepi, ſine fratrū aut cognatorū ſanguine regnat. Maule Muhamedes, qui nunc Tuniſi imperat, cuiq́ imperator Carolus reddidit imperium, depulſo Hairadino Aenobarbo, homine græco pirata, ille auſpiciū regni 17 fratrū, & totidem cognatorū ſanguine fecit. Id uero in uitio haberi nō ſolet: quoniā & lege, qua ridere Deū uident, id nō prohibet. Nam Muhamedes ſuaſit in Alcorano, in uia Dei nullā haberi debere rationem filij, aut patris, aut fratris, quāto minus cæterorū? Vnuſquiſq́ dū ad imperiū tendit, dicit ſe eſſe in uia Dei. itaq́ illi licēt omnia, quū nil ſit in uitio. Quid dicā de flagello Dei Demirly, quē nos Tamburlanū dicimus? an magis ferreus homo unq́ eo Muhametano fuit? ut bene uocabāt: quum infantiū, uirginū, ſacerdotū cohortes illū poſt edicta eius adirent, conculcabat ueluti lutum. Non enim pluris æſtimabat hominem, quàm ſaxum uel fungum. Res Turcharum ſunt fortaſſe meliores: uidendum.

Turcharū res. Primus, qui res, ut hodie habēt, comparare incœpit, Odmanus dictus eſt, quiq́ oppreſsis multis uicinis ducib. in Aſiam minorē incurſiones fecit, anno à Chriſto paſſo 1329. Ab eo Odmanni dicti ſunt. Sunt itaq́ paulò plures ducentis an-

nis

nis, à quo emerſit hoc imperiũ: & ſocordia, inuidia, factioneq́ imperatorũ Græcorum, eò quo nunc eſt potentiæ uenit. Vndecimus eorum imperator Suleimanus nũc rerũ potitur, uir certe (ut in illa gente) ſumma humanitate & æquitate. Orcanes uicta tota Aſia minori, etiam Burſiam regiam imperatorum in Aſia, ſedem cœpit. Eius filius Hamurathes, ab imperatoria factione in Europam accerſitus, poſt datam confœderato uictoriam ſuos accerſiuit, qui quæ parta amicis erant occuparunt. Factio ea docet, quid conferat potentiorem hoſtem in auxilium accerſere. Is dum incautius à familiaribus cauet, à ſeruo pugione conficitur. Dum eius filius Bayazetes attentius cœpta patris in Europa ſequitur, oboritur ira Dei in Aſia Tamerlanes. cui dum impar ſe opponit, ab eo capitur, atq́ cathenis aureis uinctus in cauea pro ſpectaculo circumducitur, donec in Syria labore claudit dies. Cyris celebis interim res, ut poteſt, in Europa confirmat, donec à Muhamede primo Aſia minor recipitur in poteſtatem. cui ſubſequens Hamurathes ſecundus, addit imperio totã Thraciam & Peloponneſon, cum multis alijs prouincijs. Mahmetes ſecundus, cum plurimis alijs Cõſtantinopolim capit, & diripit: & poſt multa facinora præclariſſima regnum filio Baiazeto tradit. Is magis paci & literis philoſophiæ quàm bello natus, à filio Selimo ueneno ſublatus obit. ita res per Selimum uenere ad Suleimanum. Hęc eſt rerum ſumma, is ordo. Hiſtoria copioſe eſt à multis ſcripta, ob id non immoror in ea. quoniam hoc mihi propoſitum nõ eſt, ut de origine progreſſu ue rerum, aut de claris facinoribus dicam. Paucis percurro, quibus artibus adepti ſint imperia. Baiazetes primus, ut tutius regnaret, fratrem Solimanum confecit. Orcanes filius Cyri celeby, oppreſſus à Moſe eius auunculo: Moſes autem, à Muhamede Orcani fratre. Muhamedes alter, occiſo fratre, tutius uſus eſt imperio. Sed nil celebrius eſt Selimo, qui occiſo patre, fratribus parentibusq́ etiam (niſi mater prudentiſſima nunc regnantis Soleimani, præmonuiſſet iuuenem) ſuſtuliſſet filium proprium, legitimumq́, ne ſibi idem quod & patri fecerat, contingeret. Beneficia ſunt legis Muhamedis. legant Muſſulmani hiſtorias Chriſtianorum, uidebunt quid inter leges Chriſti & diaboli interſit. Nil dico de ſubditorũ attritione. Orbis, memoria literarum, nunquam fuit in tanta uaſtitate, quanta ſub Muhamedis lege eſt, eritq́, niſi obſiſtatur. Plura olim ab Aegypto uectigalia percipiebãt Romani, quę nunc ab Aſia tota & toto imperio capiat rex Turcharum: & tamen erant florentiſſimæ res populorum, etiam poſt exactionem annuam quindecim milionũ, ut uocamus. Duplum certe imperatum eſt Aſiæ, & ſolutũ. Hodie exigitur ab omnibus popularibus ad cutem & animam uſq́, & tamen res nõ uenit ad tam magni numeri quadrantes. Ob fœdas principum nil Dei ob oculos habentium exactiones, malunt Nomades in tota Africa, prę clariſſima dũ colitur orbis prouincia, pariter in Aegypto & Arabia, fieri: quàm dum rura colunt, alienæ libidini & prædæ patere. Si quid fingam, ſunt teſtes locupletiſſimi, tam qui exactionibus innumeris atteruntur, quàm qui in alienas fortunas ex profeſſo inuolant. Ideo orbis uaſtitas poteſt dici lex Muhametana, potius quàm Dei, qui omnia uult fouere, & pacifice degere, longiſſimeq́ ſe illi probando durare.

PRIMVS CVM MVSSVLMANIS CONGRESSVS IAM *ab authore Arabicè uerſus, cui titulus arabice eſt, Omnium doctrinarum quæ ad hominum excellentiam requiruntur compendium. Continet uero probationem trinitatis compendiariam, laudes Ieſu Chriſti, & euangelij, ex Alcorano decerptas, & præcipua eius perſuaſionis errata.*

IN nomine Dei miſericordis pij. Laus Deo regi ſæculorum potentiſſimo ſapientiſſimo optimo, à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, & pax cõſortibus eius, & in ueritate quærentibus eum: & clementia Dei & pax & miſericordia ſit ſuper omnes homines. Amen.

Ante rem omnem præceſſit cauſa, uel cauſæ eius, quoniam nulla res ſeipſam creat. Quare ante res omnes eſt Deus ſummus, ſuper omnia potens. Hunc orbem & mundum creauit Deus excelſus in laudem ſuam, hominum utilitatem & in utramque ſimul. hæc tria ſunt fines unus, ſeu cauſa finalis mundi. Homo creatus eſt in laudem Dei, innocentiam & mundiciem ſui, & in charitatem proximi. opusque eſt ut hæc tria ſint in omni opere bono, in re una: quoniam non eſt poſſibile ut ſit opus bonum ſine his tribus.

Res omnis eſt aut à manu Dei, aut à ſapientia & arbitrio hominum, aut fortunæ potentia.

In potentia Dei inmediatè ſunt omnia, ſed præcipue æternitas & eſſentia, cœlum, ſtellæ, alteratio, motus, quies, ordo naturalis, & quatuor naturæ uidelicet ignis, aër, aqua, terra, & quæ ex illis naſcuntur. Homo uero cum prudentia & ratione reperit radices & principia rerum non naturalium, & inter tractandum expoſuit in ſcientiam & artem. A' caſu autẽ ſunt ea quæ accidunt, quibus non eſt ſimilitudo cum opere Dei, aut hominum: ſicut ſunt fortuita & accidentia non naturalia, aut diuina. & res omnis cui non eſt cauſa in natura, & in ſumma omnes perturbationes huius uitæ, & infœlicitatem eius, uocãt opus fortunæ. Eſt autem ſcopus & finis Dei, ut adducat hominem cum fide, & certitudine in neceſſitatem ſuam, & utilitatem rerum neceſſariarum, & in cognitionem ſui & agnitionẽ Dei, ut inde detur fides hominibus, ut fiat homo ſanctus cum uirtute & dilectione boni ſummi, & ut poſt hanc uitam cognoſcat cauſam rerum omnium in Deo ſummo. Punctus autem ad quem collimare homo debet, eſt, ut ſoletur homines cæteros afflictos, & neceſſitate preſſos, ut iuuet diuites & pauperes, noceat nemini, uiuat ut illum iubent præcepta legis diuinæ & humanæ: & habitet in hoc mundo, ut in diuerſorio, ut cui mundus eſt unica ciuitas, ſi ſapiat. Scopus fortunæ nullus eſt, quoniam ex arbitrio nil agit.

Cuilibet operi eſt ſimilitudo cum ſuo authore. At quum in omni re naturali ſimplici, ſit trinitatis imago, neceſſe eſt ut in Deo qui creauit omnia, ſit trinitas. nil enim poteſt eſſe in rebus omnibus idem unà, quin ſit in earũ creatore. Ideo in ſequentibus uidebitur, quod non eſt poſſibile, ut intelligamus Deum ſummũ ſine trinitate. Incipiemus ergo à definitione Dei. Deus eſt cauſa prima totius naturæ, mouens omnia, omnibus imperans, potentia, ſapientia, charitas, quę in uniuerſo agit, ueluti anima & intellectus in corpore humano, ciens omnes motus ut uult. Homo autẽ exequitur operas ſuas cum arbitrio & iudicio (niſi dum urgetur) in omnem rem penetrat intellectus eius præter Deum. & ideo Græci uocant eum μικρόκοσμον, id eſt paruum mundum, eo quòd in eo eſt exemplum Dei, & materiæ inferioris. Homo enim in materia uiuit cum plantis, ſentit cum animantibus, intelligit & colligit cum angelis & ſubſtantijs ſpiritalibus, loquitur

tur uero peculiari munere, & nulli aliĳ animanti permiſſo naturaliter.

HAEC SVNT EXCERPTA EX III. CAP. DE ORbis concordia. *Demonſtratio trinitatis in natura diuina.*

Non poteſt fieri, ut quicquam fiat ſine potentia. Quamuis autem ſit Deus potens, ſine ſapientia nil agit. Poſt potentiam uero, & ſapientiam, opus eſt ut adſit amor aut deſiderium, uoluntasúe. Itaque Deus eſt potens, ſapiens, beneuolus in omnia, antequam ipſa creet. igitur potentia, ſapientia, amor, eſt Deus unus. potentia eſt perſona ſeu ſubſiſtẽtia prima, & ideo eſt ea quam uocant patrẽ Deum Chriſtiani. at quoniam à potentia illa generatur ab æterno ſapientia, ſine qua nil crearetur, uocant eam filium Dei, & uerbum eius: & quia ab utraꝗ procedit amor & uoluntas ad res creandas, eam nuncupant ſpiritum ſanctum. Eſtꝗ proprie pater potens, filius ſapiens, ſpiritus ſanctus amans, Deus unus: & ſunt res una in eſſentia ſua. tota potentia in ſapientia & amore, tota ſapientia in potentia & amore, totus amor in ſapientia & potentia: quemadmodum hæreditas in animo, & in libello, & in loco ſuo eſt una tantum. Nec enim dicunt tres deos, ſed Deum unum, potentem, ſapientem, beneuolum. Sicut in omni labore aut opere eſt cogitatio, locutio, & operatio, & tamen non ſunt tria opera, ſed opus unũ: ſic potentia, ſapientia, & beneuolentia, quum ſint res differẽtes, ſunt Deus unus, & non tres. Quoniam potentia, uis, aut robur, ſunt proprietates principiĳ, id eſt patris: ſapientia uerò, aut ſcientia, cognitioúe ſunt proprietates ſecundæ, id eſt filiĳ: uolũtas autem, aut amor erga res, finis cauſa, eſt proprietas finis, id eſt ſpiritus ſancti, ideo in patre & filio & ſpiritu ſancto, ſicut eſt diuinitas una tantum, ſic potentia ſapientia & amor unum ſunt. Veluti in omni opere cogitatio eſt proprietas principiĳ, uerbum ſeu explicatio eſt proprietas mediĳ inter cogitationem & artem, operatio uero proprietatem habet ad finem & complementum: & tamen in omni opere eſt tantum cogitatio explicatio & operatio res una. Hoc modo Chriſtiani non putant, nec adfirmant tres eſſe deos, ſed quod Deus eſt unus in trinitate, & trinus in unitate, in trinitate unitas, in unitate trinitas in uno. Nec poteſt intellectus capere Deũ, ſine potẽtia ſapiẽtia & amore.

Deus eſt intellectus & mens ſuper omnia entia potens. & ideo quum intelligat omnia entia in ſua eſſentia, oportet ut cognoſcat & intelligat ſeipſum & ſubſtantiam ſuam in ſe. Niſi enim cognoſceret ſubſtantiam ſuam in ſe, non eſſet omnipotens. Ideo oportet ut ſit Deus intellectus intelligens, & mens intellecta. At propter cognitionem ſui habet amorem & lætitiam, quoniam ſine ſcientia boni ſui nemo lætatur, & cum cognitione uirtutis ſuæ lætatur omnis homo. Deus itaꝗ ſecundum cognitionem eius, de ſe lætatur magis quàm cuncti homines. eam ob rem eſt in Deo intellectus intelligens, & mens intellecta, & amor aut lætitia res una. mens intelligens eſt pater, mens intellecta eſt filius, lætitia ſpiritus ſanctus eſt. eſt pater in filio eius, eſt filius in patre ſuo, & ſpiritus ſeu amor eſt in patre & filio res una, ſubſtantia in ſubſtantia, ſeu res in re, perſona in perſona, nil prius aut poſterius habens, niſi ordine appellandi & intelligendi, quibus perſonis non eſt confuſio, nec ſeparatio.

Quemadmodum in dominatione mundi eſt trinitas in unitate in unaquaꝗ uirtute, (nec enim fit quicquam ſine Deo, cœlo, & materia) ita in adminiſtratione ſingulorum regnorũ conuenit, ut ſit trinitas in unitate, quum tamen principatus ſeu adminiſtratio ſit una, quæ habet ſacrifices aut pontifices, & regem

atꝗ

atq; iudices,& eſt potentia ſeu uis una:potentia ſpiritualis,corporalis,& media. ſacerdotes ſunt ueluti ſerui Dei ſummi in rebus ſpiritualibus,reges in rebus corporalibus,iudices in utroq;,ueluti utriuſq; manus.hęc autem adminiſtratio una eſt:quoniam ſine ſeruis Dei,ſeu religione nõ regnant reges,nec ſacerdotes ſine principatu,nec ea duo ſine æquitate & iudicibus quicquam proficiunt.Ideo eſt poteſtas una in trinitate. Nec eſt poſsibile ut ſit poteſtas tẽpore multo, ſine hac trinitate.Hæc ſunt neceſſaria ad pacẽ ſeruandã,ueluti Deo neceſſaria eſt potentia ſapientia & amor. Eapropter in omni opere bono opus eſt, ut adſit æquitas cordis & humana, ſeu ciuilis aut ſocialis, & iudiciaria aut coactrix. nam æquitas non eſt quæ cogitat malum, aut facit, aut repugnat iuri. Itaq; quum bonum in hoc mundo non poſsit haberi & ſeruari ſine trinitate, neceſſe eſt fontem boni Deum, à cuius bonitate illa bona data homini ſunt, perfectiſsime habere in ſe trinitatem,cuius imago nuſquam abeſt.

Pariter in uirtute naturali eſt unitas in trinitate,& trinitas in unitate,ut dixi: eſtq; uirtus ſuperior,uirtus inferior,& media. Virtus ſumma eſt in naturis ſpiritalibus, in ſummo Deo primò, & ſecundò in angelis & paradiſi ciuibus.uirtus media eſt in cœlo & ſtellis. & ab utriſq; eſt tertia elementaris, in qua agit & patitur omne corpus.hęc autem ſunt uirtus una,quoniam natura una tantum eſt.

Similiter in omni corpore naturali eſt trinitas in unitate,& è diuerſo.In omni enim corpore eſt aſsiduitas potentiæ,& progreſſus à potentia,& amor aut electio inter agendum. Sicut uidemus in igne. uis aut potẽtia eius eſt in aſsiduitate ut comburat, & procedit ab ea potentia actio ſeu operatio eius, & agit potius in corpus tenue exile & ſiccum, quàm in denſum durum & humidum: unde uidemus in eo eſſe rem quendam in modum electionis.Hæ uero res ſunt uis una.ſine potentia enim nõ poteſt res agere,nec ſine progreſſu actionis quicquam agit, nec niſi in corpus diſpoſitum & delectum.Eodem modo piper urit linguam potius quàm cutem,perpetuò agendo:nec agere ceſſat, donec pereat, aut deſit corpus aptum ad actionẽ ſentiendam. Ita de cæteris iudicandũ.Veluti in ſole eſt corpus ſolare aut centrum eius,& lux eius,& uirtus eius:& hęc tria in ſole ſunt unum.& dum agit,hæc tria ſunt unum à ſole uno.

Præterea in omni corpore eſt materia & forma,& compoſitum ex utraq;.& hæc tria ſunt corpus unum, nec eſt poſsibile ut fiat ulla res ex materia, ſine hac trinitate in unitate.forma dat eſſe rei,materia eam fert & ſubſtentat,utrunq; cõpoſitum habet,nec unum alterum eſt.

In dimenſione omnis corporis eſt in unitate trinitas, antequam cognoſcatur ulla quantitas.eſt enim longitudo, latitudo, profunditas. ſine illis enim non innoteſcet ulla menſura. In motu eſt tempus, in præterito futuro & præſenti, nec ullum abſq; alijs poteſt cognoſci.In omni operatione eſt agens, inſtrumentum,patiens.Omne opus fit ab agente, materia, & operatione.totum uero eſt in poteſtate agentis,totum in materia,totum in opere:nec tamen tres ſunt opere,ſed una.Hæc eſt imago Dei.

Similiter in natura ſpiritali eſt in trinitate unitas, ſeu ſit ſpiritus ſine corpore, aut eo præditus,aut media conditione. Primus eſt in Deo & angelis & dæmonibus,nec enim habent corpus. Secundus eſt in elementis, & in eo quod tantũ eſt,aut quod eſt & uiuit, aut quod eſt uiuit & ſentit. Tota enim uita prædita materia eſt in his tribus. Spiritus enim inferior eſt in omni re,& proprie in animantibus intellectu deſtitutis. At tertius & medius, quod quãdoq; in corpore,quandoq;

docꝫ extra eſt, anima aut intellectus hominis eſt, in quo eſt trinitas in unitate, & cõtrà. In animo enim hominis eſt ſenſus collectio, reminiſcentia, nec poteſt fieri ut mutuo ſeparentur. totus enim animus in ſenſu & apprehenſione eſt, totus in collectione ſeu cogitatione, totus in reminiſcentia. Hæc eſt Dei ſummi imago. Totus naturæ inferioris ſpiritus eſt in deligendi, attrahendi, cõſeruandiꝗ facultate, unus tantum in toto, et unus in qualibet parte. ea eſt imago Dei. Sic in facultate naturali, uitali, animaliꝗ. ſic in anima brutorum eſt apprehenſio, imaginatio, memoria: quę tria ſunt anima una, quæ cõcipi ſine illis nequit. In omni cognitione eſt opinio ſeu imaginatio, dubium, ueritas. Primo enim de rebus incognitis opinamur, ſi ſint in medio dubitamus, demũ per probationem ad ueritatem uenimus. mens tota in uno, & tota in ſingulis. uita eſt aut naturalis tantum ſeu uegetatiua, aut ſenſitiua, aut intellectiua cũ corpore: nec eſt ſecũda ſine prima, nec tertia ſine primis. eſt tamen uita una: procedit autem à corde, pulmonibus, cerebro, per uenas arterias & neruos, unã harmoniam mutuò cõponentes. ſine primis non eſt locus ſecundo. hæc eſt Dei mago, in trinitate omnia ſeruantis. Omnis doctrinæ quæ ad operationem uenit, traditio, non eſt poſſibile ut ſit ſine contemplatione logica, & operatione, ut ſuprà docui. tota res eſt in cõtemplatione, tota in ratione, ſeu rationali expreſſione, tota in opere. Itaꝗ in tota natura uidemus exemplar & ueſtigium trinitatis, quæ eſt in Deo ſummo, quoniam eſt ſuper omnia potens author, qui dedit nobis hũc mundum, in quo eſt imago eius, ut cognoſcamus eum, & bonum eius in nos collatum, & ut laudemus eum in æternũ. Igitur genuit Deus de potentia ſua ſapientiã & ſcientiam omnium rerũ, per quam creauit omnia in charitate. Ideo antequam crearetur quicquã, Deus genuit filium ſuum, quem uocauerunt prophetæ uerbũ Dei, capta ſimilitudine quę à nobis poteſt intelligi. Quemadmodũ poſtquã cogitauimus loquimur, ita poſt potentiam Dei intelligimus filiũ eius uerbũ, ueluti mentis filium. Vocarunt etiã ſapientiã, quia ſtatim poſt potentiã ſequitur. Ab utroꝗ uero procedit ſpiritus ſanctus in æternitate: qui tres ſunt unus Deus, potens, ſapiens, amans, glorioſus, iudex, rex regũ, qui dedit legem ſuã Adamo primo hominũ, & eam in corde eius ſcripſit: at illam nõ ſeruauit. Poſt perditam ergo gratiam per inobedientiã, lex naturalis durauit bis mille annis. demũ dedit Deus legem ſcriptã fermè quingentis annis poſt promiſſionẽ Abrahami, & immiſit illam ſeruo ſuo Moſi, ut inſtitueret filios Iſraël, duros quidẽ & ceruicoſos ſub ſemiperfecta lege. At poſtꝗ homines potuerũt cognoſcere, quod nõ eſt ſalus homini perdito & peccatori niſi in Deo, & per Deum, quando placuit Deo, dedit uerbum ſuũ Deus per ſpiritum ſuũ, ut caperet corpus humanum, ut quia homines omnino mali diuinis inſpirationibus amplius nõ credebãt, uiderent corpus unum in quo eſſet diuinitas. Accepit aũt carnem in uirgine Maria per ſpiritum ſanctum, annunciante angelo, uelut quũ homo homini per uerbũ facit cognoſcere notionem, & illam animo concipere. nec enim ipſum uerbũ concipit, ſed notionem quam adfert. Ita uirgo non concœpit ſpiritum ſanctum à Deo patre miſſum, ſed medio ſpiritus concœpit ſapientiam & uerbum Dei, quod quidem uenit ad directionem omnium hominũ. Illud uerbũ & ſapientia eſt Ieſus Chriſtus filius Dei, ante omnia ſæcula de patre natus in tempore, ex uirgine conceptus, & factus homo, ut lucem adferret cæteris hominibus, Deus unà & homo exiſtens, qui ſolus poteſt ut inſtauret homines cunctos, quemadmodum in uno omnes creauit in principio: ipſi laus in cœlis et in terra, in perpetuum. Nunc uero ſcribemus laudes eius ex libro Alcorani.

LAVDES IESV CHRISTI,

In Alcorano, in Sora Bacara, id eſt primo cap.

Dixit Deus, Et dedimus Ieſu filio Mariæ ſapientiam, & formauimus eum de ſpiritu ſancto.) hæc Muhamedes. Qui habet ſapientiam Dei, & eſt genitus ſeu formatus de ſpiritu ſancto, neceſſe eſt ut ſit Deus, & filius Dei. quod ſi eum non credamus Deum, eſt tamen cæteris hominibus ſublimior, & omnibus prophetis maior, & magis credendus.

Et paulo pòſt,

Dicit Deus, Et hos prophetas ordinauimus mutuò. quoſdã enim eſt alloquutus Deus, & quoſdam eorum gradibus extulit. & dedimus Ieſu filio Mariæ ſapientiam, & formauimus eum de ſpiritu ſancto.) Licet Muhamedes ſcribat alibi datam ſapientiam prophetis, tamen ſolidam nullus potuit habere, niſi qui cõceptus fuit ex ſpiritu ſancto, quiq; Deus eſt, & lux de lumine. Illi participes fuere, hic ſolida ſapientia & diuinitas eſt.

In ſora Humram, id eſt Ioachimi, quæ 2. eſt.

Dixit Hanna uxor Ioachimi de Maria filia, ego uocaui eam Mariã, & defendo eam & prolem eius à dæmone pernicioſo.) Ex hoc loco uidetur, quod non peccauerunt illi duo, nam defendi à diabolo, eſt non peccare.

Et poſtea,

O Maria (inquit angelus) ecce Deus euangeliſat tibi uerbum ſuum ex ſe, cuius nomẽ eſt Chriſtus Ieſus, filius Mariæ, ad quem mundi præſentis & futuri facies cõuertentur, & eſt de proximis, & alloquetur homines in cunis & faſcijs, eritq; uir optimus.) Hæc Alcoran. Verbum Dei eſt ipſemet Deus ſummus, ita uocatus, quoniam quemadmodum non intelligimus quicquam ab alio homine ſine uerbo aut explicatione, ita Dei potentiam ſine ſui explicatione & uerbo & ſapientia, quæ etiam Deus eſt, non concipimus. Itaq; non eſt Deus ſine uerbo aut ſapientia. nec ideo ſunt duo uel tres dij, ſed unus Deus, qui non eſt in loco, & eſt in omni loco. Deus enim non eſt corpus, ſed expers eſt corporis & materiæ. Nec ſecundum corpus dicimus Deum Ieſum, ſed ſecundum diuinitatem. potentia enim Dei, & ſapientia eius, res una eſt. Quemadmodũ uerbũ noſtrũ eſt cogitationis filius, nec eſt aliud in uerbo quàm quod in cogitatione fuit, ſeu uera ſeu falſa. eſt enim cogitatio uerbum & res, res una tantum. quãuis tota res fuit, eſtq;, in cogitatione, & tota in uerbo, & tota in ſe.

Et paulo poſt,

Et docuit eum (Chriſtum Deus) librum & ſapientiam, & legem & euangelium, & prophetam ſtatuit ad filios Iſraël. Iam ueni ad uos (ait ibidem Chriſtus) cum miraculis Domini ueſtri. ego creo uobis ex luto figuras auium, & inſufflo in eas, & fiunt aues cum permiſſione Dei. ſano pſoras & lepras, & uiuifico mortuos, cum præcepto permiſſioneue Dei.) Nomen creatoris & ſuſcitatoris mortuorũ, ſine precibus, eſt proprie Dei ſolius. de creatione auium, miraculum eſt de infantia ſaluatoris. Cæterum quũ Ieſus ſuſcitauit mortuos, ſimplici imperio, nullis precibus fuſis ſuſcitauit, ut oſtenderet ſe eſſe Deum, naturæ arbitrum. apoſtoli autem in nomine Ieſu & crucis eius innumera milia ſuſcitarunt. At miracula in nomine Dei tantum poſſunt fieri. Quũ ergo in nomine Ieſu omnia genera miraculorum ſint facta, per ſignum crucis, ſequitur ut ſit Deus. Quum autem non reperiamus in euangelio (niſi quod infremuit ſuper Lazarum) quod patrem ſuum ad ſuſcitandum mortuos inuocauerit, non eſt mirandũ, quia ipſe

& pater unus Deus ſunt. Secūdum id uerò quod fuit homo, ſuſcitauit mortuos imperio & potentia diuinitatis. ſecundum diuinitatem enim non eſſent miracula, quia omnia ſunt facilima Deo. Verum iam ſuprà uidimus, quod patris & filij eſt una ſubſtantia, & præceptum Dei in Ieſu eſt uoluntas diuina, quoniam in Ieſu eſt uoluntas cū Deo, & uoluntas cum homine, quæ ſunt duæ uolūtates. Quum ergo edidit miracula, ut homo, fecit ea cum imperio diuino: & quando fecit ut Deus, tunc fecit imperio & uoluntate ſua. Differebant enim in eo ſubiecto duæ uoluntates, ut in nobis uoluntas naturæ & gratiæ. una enim malū facimus, altera bonum uolumus.

In Sora neſæ, id eſt mulieres. 3. uerſus finem.

O præditi libro (modò nos & Iudæos, modò ea appellatione quod naturæ præſcripto utantur, idololatras & naturales intelligit) ne extollamini ueſtro iudicio, & ne dicatis de Deo niſi uerum. Non eſt Ieſus Chriſtus filius Mariæ niſi propheta Dei, & uerbum eius, quem miſit in Mariam, & ſpiritus ex eo. credite ergo in Deum & prophetam eius, & ne dicatis tres.) Hæc in Alcorano iam uidimus, quod non eſt poſsibile ut ſit Deus ſine trinitate, ideo opus eſt ut ſit Deus trinus in unitate, & unus in trinitate: & eſt meſsias Deus & homo, & propheta & uerbum Dei, et filius eius, nō quatenus homo, ſed quatenus Deus, de Deo, & ſapientia à potentia. Nec enim dicimus quod ſit filius carnalis Dei per deciſionem ſpermatis: abſit. ſed dicimus, quod eſt filius intellectualis & ſpiritalis, qui deſcendit in uterum Mariæ uirginis, & homo factus eſt, cum ſpiritu ſancto adueniente ſuper Mariam uirginem. Quod autem aliud quàm homo fuerit, patet ex his argumentis. In miraculis ſuo ſolo nomine factis hoc monſtrauit. diſcipuli & imitatores ueri, eadem & maiora eius nomine fecere. nullo pro eo orante reſurrexit, mutauit homines ſuos, & diuerſos à mundanis fecit. Nam cæteri homines aut ſunt mali, aut uolunt bonum & non faciunt, aut faciunt minus & imperfectius quàm uellent. Soli ueri Chriſtiani operibus ſuperauerunt ea bona quæ unquam à philoſophis potuere ſcribi. non timebant, ſed appetebāt mortem. uoluptates corporis odio habebant, contra naturam hominum cōmunē: unde conſtat uerbis & ſacramentis eius cū diuina uirtute fuiſſe mutatos. hoc enim non poteſt ab homine fieri. Solus enim Deus, qui naturam nouit, ut illam fecit, ita illā mutare & emendare poteſt. homines & prophetæ nil aliud poſſunt quàm loqui & præmonere: ſolus Deus dat perfectionē. At uos ô Muſſulmani, dicitis Euangelium eſſe nimis perfectum, & ideo illi præficitis Alcoranum. Si ſummus prophetarum fuit Chriſtus, ergo ſummam legem dedit, & perfectiſsimam, igitur & neceſſariam ad ſalutem. Propterea ſunt tam pauci etiā inter nos reuera boni, quoniam pauci obediunt Euangelio.

In Sora Elmeide, id eſt cœnæ, ſeu menſæ. 4.

Dixit Deus, ô Ieſu fili Mariæ, recordare beneficij erga te & erga matrem tuam, quod te formaui de ſpiritu ſancto, alloquebaris homines in cunis & faſcijs, quod docui te librum, ſapientiam, legem & Euangelium, quando creabas de luto aues, & cum beneplacito meo, & inſufflabas in eas, & fiebant aues cum præcepto meo, & ſanabas pſoras & lepras cum præcepto meo, & quando ſuſcitabas mortuos cum præcepto meo, et quando informabas filios Iſraël ex te, quū ueni ad eos cum prudentia. & dixerunt illi qui aduerſantur, quod hoc erat incantatio manifeſta. & quando reuelaui Apoſtolis, Credite in me & legatum meum: dixerūt, credimus, & ipſe ſis teſtis, quoniam ſumus fideles Muſſulmin.)

Non negant Chriſtiani, quod quicquid habet Meſsias, habet à patre ſuo. Ipſe enim dicit in pleriſque Euangelij locis, omnia accepi à patre meo. Sed non ſequitur ex hoc, quod non ſit Deus: quemadmodum non ſequitur, quando omnis res eſt in mente & in uerbo & in opere, quin ſit ex æquo in omnibus tribus. à mente recipit uerbum, & res perfecta eſt in utroq;: & tamen non ſunt tres res, ſed una.

Et paulo pôſt de ſacramento altaris, quod ideo in magno Behiram, id eſt Paſchate legitur, quando reconciliantur.

Et quando dixerunt apoſtoli, ô Ieſu fili Mariæ, nonne poteſt dominus tuus mittere nobis cœnam de cœlo? dixit, Timete Deum ſi eſtis fideles. uolumus ut comedamus de ea cœna, & confirmentur corda noſtra. & ſcimus quod iam cõfirmaſti nos, & facti ſumus ſuper ea cœna teſtes. Dixit Ieſus filius Mariæ, domine Deus noſter, mitte nobis cœnam de cœlo, quæ ſit nobis robur & præcedentibus & poſterioribus noſtris, & ſit in miraculum abs te. & dita nos, quoniam tu es ditantium optimus. Dixit Deus, mitto eam uobis, & qui poſt (eam aſſumptam) impie egerit, ego tali eam ulciſcar ſupplicio, ut nullum in æternum ſit futurum ſimile.) Iſta monſtrant, in euchariſtia & ſancto Ieſu Chriſti corpore eſſe magnam quandam uim, quæ poſsit corda confirmare. Cæterum ita non eſt ſcriptum in Euangelio. Sed uoluit Muhamedes ad Deum patrem referre tantum myſterium, quod ſciebat fieri in Ieſu Chriſti mortis memoriam. Non ad id incitarunt Chriſtum apoſtoli, ſed ipſe ſua ſponte ſeipſum ſacramentali corpore exhibuit illis, dicens benedicto pane, Accipite hoc eſt corpus meum. Ita peruertere Euangelium uoluit, Deo ſolũ referendo, quod Chriſto homini Deo competit. Falſò etiam hoc ait, quod ſequitur dixiſſe Ieſum: Et quando dixit Deus, ô Ieſu fili Mariæ, tu dixiſti hominibus, recipite me & matrem meã, duos deos, prætermiſſo Deo: dixit, abſit. Ne fiat hoc mihi, ut de me dicam quod non eſt in ueritate. Si dixi illud, certe id noſti.) Iſta & ſequentia nuſquam in toto Euangelio ſunt. & præterea, quare obijceret Deus quod ſcit non eſſe? Sunt mendacia manifeſta, quibus ſcatet Alcoranum.

In Sora Meriama, id eſt Maria.

Dixit Maria uirgo, Quomodo alloquar eum qui eſt in cunis infans? Dixit Chriſtus, ego ſum ſeruus Dei. dedit mihi librum, & poſuit me ut eſſem propheta & beatus.) Nullus eſt in hac uita beatus. quare ſequitur, quũ ſit Ieſus hic beatus, ut ſit maior & celſior omnibus hominibus. At qui eſt omnibus hominibus ſuperior, eſt certè Deus: non quidem ſecundum corpus, ſed unà diuinitate iuncta humanitati. Omnes prophetæ fuerunt homines nobis ſimiles, & peccauerunt, & ideo beati eſſe non potuerunt. Ieſus autem quoniam fuit propheta legatus, & Deus fuit in hoc mundo beatus, intelligo ſine macula & peccato. Solum enim peccatum malum, miſerum & infœlicem facit.

In Sora elhedid, id eſt ferrum.

Dicit Deus, Poſtea inſtitimus ſuper ueſtigia eorum cum prophetis noſtris, & inſtitimus cum Ieſu filio Mariæ, & dedimus ei Euangelium, & poſuimus in corda eorum qui ſequuti ſunt eum, manſuetudinem & miſericordiam & religionem, quam ipſi inuenerunt. non ſcripſimus illis hoc Euangelium niſi ut con ſequantur miſericordiã Dei, & non ſeruant eam uera cõſeruatione, & dedimus illis

illis qui crediderũt ex illis prẽmium ſuum.) Quum à Deo uenerit Chriſtus cum euangelio, & ſit in eo directio & fides timentibus, nil habet in eo uitij. & ideo non corrumpitur, licet mali & peruerſi homines nõ ſeruent illud. Quemadmodum aurum non corrumpitur, ſeu ſit uſus eius, ſeu non ſit. quia perfectio rerum eſt in ipſa earum natura, & non aduenit eis ab accidente. Et ideo quia bonum de ſua natura eſt euangelium, & à Deo, quamuis male & non uere ſeruetur, oportet ut omnis homo qui uult ſaluari, ſciat & ſeruet euangelium. ſine eo enim non eſt fides in hoc mundo. Quod eſt in eo ſcriptum, eſt tota ueritas. Quod illi eſt contrarium, non uenit de cœlo, nec à Deo ſummo. At ſcriptũ eſt in eo, quod ſint omnes homines peccatores, nec habent miſericordiam niſi in morte & ſanguine Ieſu filij Dei Deo uero, qui purificat omnem hominem credentem in illum. nec poteſt homo ſanctificari, & uitam æternam cõſequi, ſine hac fide. Qui igitur non credit illud quod unum uult ſuadere euangelium, Ieſum ſcilicet eſſe ſupra homines omnes ſanctiſſimos, eſſe Deum, Dei & uirginis filium, & quod mortuus ſit ob iuſtitiam omnium hominum, & quod ſurrexit à mortuis, nõ habet à Deo miſericordiam, nec uitam æternam. Qui autem neſcit euangelium, & facit bonũ, poteſt ſaluari in nomine Dei patris & filij & ſpiritus ſancti. at qui audiuit de Ieſu & euangelio, & non credit in illum, habet ſupplicium magnũ.

Ex libro Suneh, ubi exponitur locus Sora elneſæ, in quo dicitur: Sed extulit eum ad ſe Deus, Chriſtum ſcilicet.

Et deſcendet cœlitus Ieſus filius Mariẽ in terram in die reſurrectionis, & iudicabit homines in ea iuſto iudicio.) Certum eſt inter nos & Muſſulmanos, quod ſit futurus omnium iudex Ieſus. At Deo ſoli pertinet iudicium omnium hominum, quoniam ſolus nouit omnia quæ ſunt in cordibus hominum. Qui enim non nouit omnium delicta, & cogitationis & uerbi & facti, non poteſt uerè iudicare. & eam ob rem neceſſe eſt, ut Ieſus cognoſcat omnia, & ut ſit Deus cognoſcens omnia, quoniam non eſt poſſibile quod homo ſciat omnia. Itaque eſt Ieſus iudex iuſtus, Deus & homo, omnia potens & ſciens.

In Tezchere elimam, ſeu manubriali ſacerdotum. cap. ult.

Et iam præmiſimus, quod Ieſus occidet homines, & educet Gog & Magog, & morientur, & erit ſuperſtes Ieſus, & fidei compotes. & non coletur in terra niſi Deus. & peregrinabitur Chriſtus, & cum eo peregrinabuntur ciues conſtantiæ. Iam uero præmiſſum eſt quod ſunt apoſtoli eius.) Neceſſe eſt agnoſcere in Chriſto potentiam ſupremam, qui poſſit uno momento priuare homines uita: nam nullus homo hoc poſſet. eſt ergo homo & Deus. Prẽterea quum ſit futurus ſuperſtes cum ſuis apoſtolis, ſit præſtantior mortalibus oportet. erit enim ſuperſtes cum omnibus pijs in cœlo, non in terra & uoluptate cum brutis communi, quam ille contempſit, & quotquot eum ſequuti ſunt. uoluptas enim Deo repugnat. ideo conſenſu omnium gentium uirginitas melior corruptione, caſtitas coitu, abſtinentia et ieiunium cibo et ingluuie, uirtus uitio, dotes animi dotibus corporis. ideo optimi illa amplexi ſunt, hæc ueluti mala & peccata uel peccato cognata fugerunt: quanto minus appetent poſt mortem?

Ex libro Haſſiar, ſeu hiſtoria prophetæ.

Quando angelus extulit Muhamedem in cœlum, ut peruenit ad cœlum ſeptimum, reperit in eo Ieſum ueluti in ſummo loco poſitum, & obſeruauit eum ut oraret pro eo ad Deum, ut miſereretur illius, quia ille ſuper omnes prophetas eſt ſanctus & bonus.) Ex hoc eſt apertũ quod, ſit credendum in Ieſum, quoniã

eſt cõceptus de ſpiritu ſancto & Maria uirgine, miracula edidit in infantia & uita ſua, ſuſcitauit mortuos ſola ſua potentia, non inuocato Deo. dedit potentiam ſuis, ut in ſuo nomine in ſigno crucis eius idem facerent quod ipſe, & maiora, ut mundum omnes contemnerent, & mortem pro uero appeterent: ab omnibus detrimenta accipiendo, omnes tamen amarent, & beneficio afficerent, quæ in hominibus non poſſunt niſi à Deo dari. proximus Deo per humanitatem, iudex omnium, cum bonis peragrans, omnes occidere potens in nictu oculi. Et quomodo illi præferuntur alij? quomodo ergo lex eius relinquitur pro alia, quę uoluptatem corporis cum brutis ſummum bonum putat? Qui per eum non uadit ad Deum, damnatus eſt. Quum enim Deus per ſuam ſapientiam omnia nobis conferat, ſitq; illa uia eius in homines beneficij, neceſſe eſt ut per eandem uiam ad eum redeamus, alioqui non eò perueniemus.

Euangelij laus, in Sora Bacara.

Et dixerũt, eſtote Iudæi aut Chriſtiani, dirigemini. Dic, ſed lex Abrahami eſt lenis, nec erat idololatra. dicite, credimus in Deum, & in id quod miſit ad nos, & ad Abraham & Iſmaël, Iſaac & Iacob, & ad tribus, & quod datum eſt Moſi et Ieſu & prophetis à Domino ſuo, non differamus, ſeu diſcernamus inter illos.) Cur uero non diſcernemus inter uerum & falſum, inter illud quod eſt à Deo, & quod à Deo nõ eſt? Quare Deus dedit nobis intellectũ & liberũ arbitriũ, niſi ut intelligamus quod uerũ & quod falſum eſt? qui dicit falſum, timet ut examinetẽ dictũ eius: ideo ſi poteſt de eo iudicari, non permittit. qui autem dicit uerũ, gaudet quod omnes illud ſciant, & de eo diſputẽt, ut magis cognoſcatur. Si ergo omnes prophetæ, Abraham, Moſes, tribus Dauid, Chriſtus, ſibi cõſentiunt, ueri ſunt: ergo ſi quis illis non cõſentit & differt, uerus eſſe non poteſt. Ita eſt diſcernendum. Bis mille trecentis annis antequã ueniret Muhamedes, lex Moſis erat ut nunc eſt, & ſexcentis ante annis euangelium & lex noua uel gratiæ erat, ut eſt in omnium gentium linguis. In nullo loco utriuſq; Teſtamenti eſt ſcriptum, quod Abraham fuerit in Mecha, quod illic ſacrificauerit, ſed cõtrarium. In nullo loco eſt ſcriptum quod aliquid de lege ſit datum Iſmaëli, præter circumciſionem. fuit enim expulſus ex domo patris, & exhæres & idololatra, qui accepit uxorem Aegyptiam idolorum cultui deditam. hoc eſt contrarium Alcorano, fundato ſuper fidelitate Iſmaël, & ſacrificio Abrahami.

Dicit Moſes in lege Dei ſummi: Homo qui coierit cum iumento, morte unà cũ iumento morietᷣ. In contrariũ dicit Muhamedes in Sora hiſſec: Creator cœli & terrę dedit uobis ex uobis ipſis cõiuges, et ex brutis cõiuges, in quo permittit uobis. Hęc eſt lata differentia. ob id ſunt ſanctiſſimi qui ineunt iumenta, aſinas, camelas, &c. qui non poſſent ita iudicari ab omnibus, niſi lex approbaret factũ.

Dixit Deus per os Moſis: Homo qui coierit cum maſculo, uterq; eſt operatus abhominationẽ, ambo occidentur. dicit Muſtapha Muhamed in Sora neſæ: Liber Dei permittit uobis, ut ueſtris pecunijs ematis cũ ingenuis ancillas, ut parẽtis pecunia puellos nõ corruptos, & item eadẽ ſententia alibi habetᷣ. Ad quid, cũ de coitu cum ancillis & uxoribus, adiunguntur puelli cõmuniter ad coitũ? An hæc eſt lex Dei, quæ cõtrauenit legi Dei? quę peccatũ, propter quod Sodomitæ perierũt, publicè ſuadet & permittit? Iſta aũt ex infinitis, ſunt cõtraria ſacræ ſcripturæ. Quod angeli ſuadent Deo, ut formet hominem corruptum & effuſorem ſanguinis: ſic enim Deus & Angeli eſſent mali.

Quod iuſſit Deus diabolum adorare Adamum, & quod ſit damnatus quod

noluerit

noluerit adorare. Quod dęmones et angeli ſunt mortales. Quod dęmones ſunt corporei, & gens una quæ credidit Alcorano. Quod Muſſulmani rapiant bona omnium hominũ, ſi nõ credant, aut tributa ſoluant. quod necent aduerſantes, quum Ieſus per patientiã doceri debere Euangeliũ ſtatuat. Quod qui furãtur & prædantur in uia Dei, nõ ſunt prędones. Quod mortui in bello nõ ſunt mortui. Quod Deus eſt ſtultus, qui quum eſſet bona lex Abrahami, poſtea dedit legem & Euangelium. Quod prophetæ, id eſt Muhamedi, quæ liberent licerent: ideo timore mortis fecit, ut ſeruus Zeid repudiaret ſuam uxorem, ut eo prætextu raperet eam, quod fecit. Quod periurium ſibi licere putauit, ut fecit cum Haſſa. Quod proprios ciues interfecit, fratres ſuſtulit. In repudijs legem nõ habuit, quã alijs dabat. Quod omnes religiones ſunt pares. Quod homines non habent amplius neceſſe teneri de religione quam ſciunt. Quod Salomon habebat exercitus dęmonum auium & formicarum. Quod Maria mater Ieſu eſt ſoror Aaron, ab eo diſtans mille & quingentis annis. Quod Ieſus nec Deus eſt, nec crucifixus, nec adhuc ſurrexerit. Et quis omnia percurrat? Sunt enim in libro ſcripto à Muhamede, qui & Alphurcan, ex duodecim milibus ſententiarum nouem millia falſarum. nõ enim unquam alium librum præter Alcoranum dictauit, quod & Alphurcan dicitur. Quum itaque cœlitus uenerit Euangelium, neceſſe eſt quicquid illi contrauenit, eſſe malum.

In Sora elneſæ.

Et certe Iudæi, & qui lege diuerſa ab Euangelio donati ſunt, modo credant in eum Ieſum, & Euangelium ante mortem eius & diem reſurrectionis, erit ſuper eos teſtis.) Si non eſt iam mortuus Chriſtus, Euangelium illum aſſerens mortuum pro ſalute mundi, non eſt à Deo. at à Deo quum ſit, uerum eſt. Ergo iam ante mille quingentos decem annos eſt crucifixus, & reſurrexit. Oportet uero ut omnes in eum credant. at poſt mortem non eſt amplius fides, nec hora merendi. Quum autem ad fidem in eum omnes teneantur, ſequitur, ut omnes ſaluare poſsit, & ſit Deus. Homo eſt perfectior, quanto magis eſt ſimilis Deo. Deus non eget, nec utitur ulla re, quoniam eſt abunde fœlix ſine rebus corruptibilibus. Ob id Ieſus nil poſsidere uoluit. Qui nil appetit pręter neceſsitatem, eſt hominum perfectiſsimus. Talis fuit Chriſtus, & ſui. Qui omnia dat, nil ſibi ſeruans, eſt Deo ſimillimus: qui quum omnia habeat, omnia dat abunde. At Ieſus dedit nobis propriam uitam, in redemptionem animarum noſtrarum. nec eſt poſsibile ut ſit in hac uita maior ipſo Ieſu. Deus igitur & homo eſt, prophetaq; perfectiſsimus, & benedictus.

In Sora elneſæ.

Dixit Deus, Et inſtitimus ſuper ueſtigia eorum cum Ieſu filio Mariæ, confirmatore earum legum diuinarum, quæ antè in manibus erant Iudæorum: & dedimus illi Euangelium, in quo eſt directio & lumẽ, & certitudo legis ueteris, & directio & eruditio timentib. ut iudicent aſſertores Euangelij de eo quod Deus in eo miſit. Qui enim non iudicant ſecundũ id quod eſt in Euangelio, ſunt peruerſi.) Quia eſt Euangeliũ certitudo, directio & confirmatio timentibus, opus eſt omnes homines in illud credere. Certe non eſt illis ſalus, niſi credant & iudicent de eo. at non poſſunt Iudæi & Muſſulmani iudicare de eo, quia illud neſciunt. ſoli ergo Chriſtiani id poſſunt, ſunt alij ſine dubio nefarij. Quicunq; non credit in Deum, & trinitatem, diuinitatem & mortem Ieſu Chriſti, & quęcunq; docuit & pręcepit, erit in ſupplicio magno, nec habebit in die iudicij patronum apud Deum, præter Chriſtum filium Dei & uerbum eius, Mariæ filium, qui eſt

apud patrem ante mundum conditum, & erit in æternum cum amore, quem di cimus ſpiritum ſanctũ. Certe in uniuerſum recepiſſet Muhamedes Euangeliũ, & fuiſſet Chriſtianus, niſi maluiſſet potentiã & dominium, quàm bonum aut re ligionem. nec enim fuit aliud quàm miles, qui factus eſt propria authoritate do minus, poſtquam ſub prætextu pietatis innumeros homines occidit.

Apoſtrophe ad principes Muhametanos.

Agite ergo ô principes, ſeruate terrenam potentiã nunc uobis partam & cõ firmatam, & ueritatem Ieſu Chriſti recipite. Cum figmentis illam quęſiuerit in iuſtè, iuſtè poſsidebitis, ſi in uerba Ieſu Chriſti iuretis. omnes populi uos ſequen tur. Facite ut in prouincijs ueſtris legatur Euãgelium, & diſputetur de eo, & de Alcorano cum rationibus, & uidebitis uictoriam ſine ſanguine. ueniant Soræ Alcorani cum capitibus Euangelij, ut ſæpius dicit Alphurcan, ſi uincet, omnes fient Muſſulmani. Omnes Chriſtiani poſſunt legere Alcoranum, & legitur paſ ſim: at nullus illi poteſt credere, quoniam uidetur nobis omnino ſcriptum con tra Deum & naturam. Diſceptando de utroq;, emerget ueritas. Quod autem ſit uerìſsimum Euangelium, & omni legi præferendum, his patet rationibus. Prophetæ & ſancti uiri cum Sibyllis prædixerunt unanimiter in diuerſis locis de Ieſu & Euangelio eius: nullus de Muhamede prædixit. Concordant ſemotiſsi mi in toto orbe Chriſtiani, in ijs quæ de Chriſto habemus, ueluti & ante concor dauerant prophetæ: quod non poſſet fieri, niſi Deus mentes ſanctorum illumi naret. Vos iam ſub Muhamede eratis futuri, ut in ſeptuaginta nationes diuide remini, quarũ una tantum ſaluari habet. Recepti ſunt libri noſtri ſacri maturè, diſcuſsi in libertate, in concilijs, in ſumma ſapientia, ſine ulla ui. Alcoranum cõ trà timore mortis, aut cõfiſcatione bonorum per uim eſt obtruſum inuitis. Man ſuete docendo Apoſtoli, & patiendo omnia, docuerunt Chriſti legem. Milites, prædones, tyranni, ui ſuaſerunt imperitis & ruſticis legem ueſtram: quæ etiam multi ueſtrûm quotidie agitarent, ſi liceret. ſed periculo uitæ non licet. Veritas Euangelij non quærit angulos, de ea publicè & priuatim agere licet. noſtra lex docet in hac uita corpori nil eſſe fœlicitatis: omnia in amorem Dei, proximi charitatem, innocentiam ſui ponit. nulli nocet, & prodeſt quibus poteſt. ueſtra per uoluptates uenereas & corporeas cum brutis communes, etiam paradiſum ſibi in iiſdem pollicetur & expectat. cæterum per uim in aliena nomine religio nis inuadit, & nil putat ſanctius quàm occidiſſe hominem, quum noſtra nil odi bilius. Ad hæc quid fuit ſanctius Ieſu Chriſto, & eius ſectatoribus, qui nobis Euangelia tradidere? maluiſſent mori, quàm mentiri. Quid ſancti habuit Mu hamedes, quindecim uxores una hora cognoſcens? ciuium occiſor, fratrum per cuſſor, periurus, prædo, & cęteris iniquis iniquior? Quàm infinitis miraculis eſt confirmatum Euangelium? at nullum unquam feciſſe uiſus eſt miraculum Mu hamedes: & quę dixit ſe feciſſe, ſunt ridicula. Præterea innumeri teſtes externi, uiri optimi, nomen Ieſu Chriſto & ſuis dedere: nullus unquam (præter ſectato res fabulæ conſcios, & populos nænijs captos) non uocauit tyrannum omnium crudeliſsimum Muhamedem. Ad hęc quum Deus uelit ſalutem hominum per Euangelium fieri, ſi approbaret ea quæ ſunt contra illud, & contra naturam, nõ eſſet Deus. expectat uos ad pœnitentiam, & uobis tortoribus contra ſcelera no ſtra utitur. His rationibus poteſtis cognoſcere, quid uerũ à falſo diſtet. Etiam ſi non fuiſſet coactus id tribuere Chriſto & Euangelio Muhamedes, quod illi tri buit, naturale iudicium ſuadet, debere omni doctrinæ mundi præferri.

Mundi

MVNDI VNIVERSI ET RERVM HARMOnia in quaternario poſita, unde lux maxima cognoſcendæ trinitatis oritur.

Quemadmodũ in partibus materialibus mũdi cognouimus imaginẽ Dei, & ſacroſanctę trinitatis cauſantis omnia: ſic cognoſcemus quatuor rerũ, quæ in Deo ſunt neceſſariò intelligendæ, harmonia, ubiq; uideri eius imaginẽ.

1. Eſt, ut uidimus in principio, pater, filius, ſpiritus ſanctus, Deus unus: pater Deus, filius Deus, ſpiritus ſanctus Deus: nõ tres, ſed unus. potentia, ſapientia, beneuolentia, diuinitas: copia, progreſſus agendi, delectus, & perennitas, omnium finis & cauſa.

2. Apprehenſio, cõſideratio, reminiſcẽtia, mens una tota, unaq; in tribus, & una in ſingulis, omniũ cognitio & modus cognoſcẽdæ per effecta cauſę primę.

3. In natura creata, ſpiritalis, cœleſtis, infima, mundus. mundus in mente & cura angelica, ut in perfectiſſimo ſubiecto, mundus in uirtute cœli agentis, mũdus in natura inferiori: nõ tres, ſed unus, in ſingulis & in omnibus, omnium rerum conſeruatio & uegetatio manus creatoris, materiæq; fœlicitas.

4. In minori mundo, qui homo eſt, eſt ad eius perfectionem quicquid eſt in tota natura creatũ. eſſe, uiuere, ſentire cum inferioribus, intelligere cũ ſupernis ſubſtantijs. Quãuis autẽ natura intellectus ſeu mentis non eſt implexa inferioribus corruptibilibus more harmonię, tamen ſine illis hic nunquã eſt. ſeruatur uero ea perfectio in ſtatum corporũ reſurgentium. tũc uerũ erit dicere, intellectus eſt, intellectus uiuit, intellectus ſentit: quod quidẽ uerum eſt nunc, ſed non conuertitur. Poſt reſurrectionẽ enim nullum erit eſſe, quin ſit implexũ intellectui. pariter nil uita, nec ſenſus. erit enim eſſe intellectus, & intellectus eſſe: pariter uita intellectus, & intellectus uita, ſenſus intellectus, & ediuerſo. Per hoc uero patet, quũ cætera uiuẽtia acceperint cõplementum, illud nũc homini deeſſe. Imperfectum bene eſſe hominis, formęq; in infima detruſę fœlicitas in hoc cõſtat.

5. In omnibus animantibus ſenſibilibus eſt uitalis uis, naturalis, animalis, uita una in tribus, & una tantum in omnibus, bene eſſe animantium.

6. Facultates naturales in quauis uita, etiã uegetatiua, & ſingulis uiuentiũ partibus, conſtant ui attractrice, coctrice, retentrice, & expultrice. & licet nõ uideatur ultima cæteris implexa, Galenuſq; id non tradat, tamen penitus cõſiderantibus illa præſens omnibus adeſt. Quũ enim ueluti diſcretione quadã animæ attrahatur alimentum in terra, aut ubiuis confuſum, utile ſcilicet cum inutili, quũ trahitur optandum, repellitur & protruditur noxium: cocto illo utili, purgatione opus eſt. nam alioqui non coqueretur, ſi eſſet omnino perfectum. Dum retinetur & aſſimilatur, eadem lex eſt. nam iſta ſeparatim nõ habet locum. Hoc eſt uitæ conſeruandæ medium, à Deo rerum principijs impactum.

7. In naturę operibus cultu emendatis, ſemen, planta, inſitio, aut quiuis alius cultus, & fructus. Quamuis enim iſta uideatur eſſe per ſe, tamen in illis eſt in potentia. in ſemine enim fructus potentialis eſt, in planta agreſti aut inſita in actu. In eo utendo, fœlicitas uitæ præſentis.

8. In participandis fructibus, ortus, progreſſus, perceptio, uſus, ubiq; in potentia. à primo ſecundum, ab utroq; tertium.

9. Prætæritum, præſens, futurũ tempus, totum in ſingulis & in omnibus. nec fuit ullum præter momentũ orbis creati, quod præterito caruit, quin potentia in ſe haberet reliqua. nam nullũ eſt præteritũ, quin fuerit præſens & futurũ, ſed nõ conuertunt à poſteriori. Quũ enim omne pręteritũ habuerit potẽtia in ſe futurũ

& præſens, nullum tamen præſens habet præteritũ, nullum futurũ præſens aut præteritum eſſe poteſt. Itaq; eſt illi adfutura quies, tempori dico & motui, ut harmoniæ reſpondeant duo poſteriora, quum actu erit unum & omnia.

10. In mouendi actu eſt mouens, motũ, motio, motus. motus totus in agente, totus in patiente ſeu moto, totus in motione, quum unus tantum ſit.

11. In rebus omnibus copia ſeu potentia, progreſſio, agendi amor, & delectus, proprietas una tota in ſingulis, & una in omnibus.

12. In mundo generatio, duratio, corruptio, continua actio & paſſio. nam eſt materiei formæ acquieſcentis diſpoſitio.

13. In corporum dimenſione, longitudo, latitudo, profundũ, menſura, tota in ſingulis, & una tantum in omnibus.

14. Certæ diſciplinæ, muſica, geometria, aſtronomia, arithmetica. ultima, quam ob harmoniam poſui in ultimo loco, eſt ita implexa cæteris, ut non poſſint ſine illa eſſe.

15. In natura, quæ adnexam materiam formæ habet, forma, materia, compoſitum & eſſentia. Hæc eſt tota in omnibus, & tota in ſingulis, una tantum.

16. In humanis operibus actio, materia, opus, uſus. hic in primis eſt in potentia tantum. antequam enim ſtet uſus, oportet præceſſiſſe illa.

17. In amandi actione eſt amans, amatũ, amor, unica dilectio, tota in amante, tota in amato, tota in amore. Intelligo amorem perfectũ & reciprocum, qualis eſt perfectorum & ſanctorum charitas.

18. Pax quęritur & ſeruatur à ſacerdote, principe, & iudice. Pax enim tota in ſtatu ſacro, tota in militari, & tota in iudiciario eſſe debet, quum una tantum requiratur in rep. pax, animis corporibus rebusq; idonea, hæc eſt humanæ conuerſationis bonum, & ſcopus.

19. Cauſæ rerum, efficiens, formalis, materialis, finalis. iſta eſt in potentia in primis. nam ſi nõ eſſet prima in mente agentis, non uellet fruſtra iungere materiam. Itaq; in omni actione quæritur, ad quid, in quem finem, in quem uſum: ſi finis eſt totus in efficiente, in materiali & formali.

20. Innocentia, peccatum, redemptio, naturę humanę ſtatus, & perfecta cõditio ita differens, quũ in ſolidum ſub quolibet ſtatu ſit. Innocentia fuit in ſummo homine, & primo creato. nam Deus omnia perfectą creauit. Peccatum in eodem cœpit exordium. nam omnes ita infecit, ut ſuis delectentur miſerijs, ut bonum cognoſcant, non ſoleant facere niſi à Deo adiuti. quia uero omnes ſunt in peccato, quum uelit (ſaluo tamen libero arbitrio) Deus reddere beatos omnes, id per hominem non poteſt fieri. Idcirco Deus per filium Deum & hominem ſeruat credentes pios & perfectos, quales ſunt ueri Chriſti ſectatores. itaq; dicimus quod fuit humanitas innocens, Deo fulta, in Adamo: demum humanitas peccans, à Deo recedens, naturali lege cognitionem tenebroſam repræſentante uſa: quales fuere homines qui nil de Moſe nec de Euãgelio audiuere. humanitas redempta, qualis eſt quæ Ieſum Chriſtum eſt complexa.

21. Quidquid agit magnas, aut potens quidam dominus, aut per ſe aut per ſeruũ amicum'ue, aut per filium agit. Per ſe, quæ ſine medio. Deus naturam humanam creauit, cum ſuis dotibus animi, quum ſponte perijt homo, circiter bis mille annis pòſt miſit in quorũdam lucem, cui poſſunt cæteri accedere, Moſem cum lege, Abrahamo & eius legitimis poſteris promiſſa. qua in abuſum conuerſa poſt mille quingentos annos ſummum poſt ſe miſit remedium, Ieſum filium

lium amicum & ſeruum,Deum & hominē, ut qui fuerat naturæ creator, idem qui ſolus poterat,aſſumpto humano corpore reparator foret.ſtultum enim fuiſſet,bis eiuſdem potentiæ miſiſſe ſeruum.Is eſt ſacræ adminiſtrationis tenor,hęc harmonia,ſibi per omnia cōſtans & ſimilis. Ita ad ius & æquum inter homines ſeruandum nata eſt.

22 Lex naturæ ſcripta & gratiæ,ius. In natura corrupta imperfectum ius traditur,in ſcripta, quæ & Moſis eſt perfectius:in gratia autem perfectiſsimum,& cui nil addi poſsit.Complectuntur enim iſtæ omnia quæcunq; ad ſalutem ſunt neceſſaria.Quicquid illis contrauenit, à Deo eſſe non poteſt: ſequitur ut à diabolo ſit quicquid præter eas eſt introductum, ut Alcoranum, & libri hæreticorum.Quemadmodum ergo qui naturaliter cognoſcendo ſe contra conſcientiā agere,non emendat aut pœnitet, ſeipſo iudice & conſcientia accuſante eſt damnatus:ita qui audit de Euangelio,quod naturam deprauatam corrigit,nec tamē uult illi credere,eſt diris deuotus.ueluti enim qui in præterito agebat,poterat & cuiuſdam præſentis & futuri recordatione uti: qui præſenti, præſenti & futuro tantum,qui futuro,futuro: ita ſub lege naturæ olim poterat expectari Moſes & Chriſtus,ſub Moſe Chriſtus tantum, ſub Chriſto Chriſtus tantū in uſu eſt.unde ſequitur,quiſquis de Euāgelio,à quo uenit Ieſus,audiuit, & in illud omnino nō credidit,eum eſſe extra omnem ſalutis expectationem,ni reſipiſcat.

DE ORBIS CONCORDIA

LIBER TERTIVS.

DE RELIGIONE, ET IVRE IN TOTO *orbe communi,ſeu Iuris Methodus.* CAP. I.

QVVM inter legendū Pandectas iuris Romani uiderem in illis multa admodū ſcripta, quorū uſus apud exteras nationes aut incognitus,aut obſoletus eſſet: conſiderarem uerò, etiam illas nationes ſua pace non ſecus frui,atq; ſi iuri ciuili Romano per omnia ſubſcripſiſſent: quum una ſit in tota natura ueritas,opiniones innumeræ: cœpi apud me cogitare,id quod cauſa omnibus populis eſt,ut legitimè ciuiliterq; coēant,non poſſe eſſe à cauſa futili & leui:ſed ab eo principio certiſsimo,quo naſcuntur,progrediuntur, cōſiſtuntq; res humanæ,illud eſſe, quod omnibus omnium nationum hominibus ſui probandi cauſa eſt,iudicaui.Quare ab illis iuris Romani tam confuſe digeſtis opinionibus, quibus obrui quàm iuuari uerius ſolet mundus, me ad interioris philoſophiæ præcepta recipiens, cœpi omnibus populis probata principia,concluſionesq; ex illis elicere, ut qua in re totus orbis cōueniat, perpenderem.Quum uerò liber à me de hac re obſeruatus,ſibi duces appendicesq; domi expectaret; locus illi demum uiſus eſt aptiſsimus, ut poſt ueritatem paucis cognitam, ex philoſophicis probatam,atq; falſam perſuaſionem duce uero refutatam,ſequeretur totius orbis cōmunitas.Poſtremo uerò qua poſſet arte fieri,ut quemadmodū in his principijs conſentit orbis,etiam illis ea adiungat, ſine quibus abſolutam conſequi felicitatem non poteſt. Et quia ratio generationis & ortus ſine conſideratione corruptionis cognoſci non poteſt,de corruptione,inſtauratione,& origine iuris primo in loco dicam, à totius naturæ contemplatione ſumens exordiū.

Mole

Mole laborare ſua res humanas, ubi in eum locum deuenerint, in quo augmentum ægrè accipiant, aut partam magnitudinẽ (ut quæ latius pateat, quàm uires & conſilium) retineant cum magna difficultate: imprimis fidem faciunt, quotquot ad hanc diem leges, religiones, imperia magiſtratusq; humana excogitauit, aut diuinitus accepit, induſtria. Rebus enim aut à prudentia excogitatis, aut à natura productis, quamuis iſthæc regitur mortalitas, nec poteſt alteris carere, quin ruat, ruinamúe minetur præſentiſsimã: tamẽ ſi illæ modum exceſſerint, non ſecus illis, atq; lucernis cõtingere ſolet, quæ ipſæ ſi oleo deſtituantur, ne conſtare quidem poſſunt, lucemq; ſuppeditare: ita ubi copioſius adfluxerit, nõ aliter necat, quàm ſi defuerit. quod ipſum nec olei nec luminis uitio fieri, ſed modi parum diligenter pro utriuſq; ratione adhibiti, certum eſt. Vnde modum rerũ, diligentius per naturæ artisq; partes prudentiæ inuenta percurrendo, eſſe in uitio, nõ difficile quiuis iudicabit. Globus iſte terreſtris, quem ſol periodis fouet & recreat, hyemes implent ſeminibus, cui uernum tempus naſcẽtia ſinu cõplectendo excitat, nata educat æſtas, autumnoq; reddit iam uſui apta: ſi paulo unaquæuis harum tempeſtatum in illo modum excreuerit, non tantum non auget, quæ ipſa benignius ſolet ſuppeditare, ſed & uitia ingentia poſt ſe relinquit. Nam maior uis frigoris, ſi diutius in utero retineat, largiusq; humectet, tanquã abortiua emittuntur: bene natis, æſtus ardentior intempeſtiuusq; ſuccum adimit, ut aut ad maturitatem nunq; ueniant, aut uana & flaccida prodeant. Quid pluuia utilius, ac neceſſarium magis? at copioſa & diuturna non alit, ſed iam putrefacit. Aeſtus, quo ſine nil ad maturitatẽ uenit, diuturnior adurit ſata, naſcentia necat. Ita uiciſsitudo modusq; in rebus iſtis corruptioni obnoxijs, ſi deſint, proculdubio quæcunq; iuuant, ſunt detrimento. Iam ad ſolem ipſum naturæ parentem ſi attendamus, quomodo ſumma ſalute & rerũ omnium conſeruatione & uiciſsitudines anniuerſarias conficiat, nil in natura naſci, augeri, uiuere ſine illius aſpectu iucũdo ſentiemus. è diuerſo, ſi aſsiduẽ radijs ſine tempeſtatũ uarietate illuſtret, non ſalubritatem agris, ſed peſtem adferet & incendiũ. Quibus exemplis humana inuenta eſſe affinia, inde maxime patebit, quod uirtus ſi modum exceſſerit, & uocabulum perdat, & in uitium degeneret neceſſe eſt: manſuetudo abiectionem animi, audaciam fortitudo, adulationem obſequium pariet. Parum uero, aut ſaltem longe minus moleſtum fuiſſet, naturam ipſam, cui præſcripta dare non poſſumus, ita ſui diſsimilem eſſe, uirtutes quæ ad ſingulos potius & paucos quàm ad omnes pertinent, modum excedendo, diſpendium adferre, niſi & id quod eſt in hac mortalitate præſtantiſsimum, leges tam diuinæ quàm humanæ etiam peſtem ſentirent: eamq; eo acerbiorẽ deploratio rẽq;, quo magis ſenſum morbus effugit. Statim enim in cæteris rebus ſe promit uitiũ, cui mederi remedijs aut fuga, hic quo plura pluribus adduntur, eo uulnus altius penetrat, latiusq; ſerpit morbus: quo opus ad illud Augiæ ſtabulũ repurgandum maiori conatu eſſe uidetur. Ita uero habere ſi quis dubitet, hac poterit ratione potiſsimũ cognoſcere. Lex Moſaica ſanctitatis & miraculorum opinione multo celeberrima, diuinitus data, nõne mole opinionũ tantũ nõ cõcidit, uarietateq; traditionũ, ita ei perſuaſioni addictos adfecit, ut eſſet obſeruatu longe difficillima? Eam opinionũ congeriẽ longe maxima pars ipſorũ Iudęorũ etiam florentibus apud illos rebus ſunt ita ueriti, ut ne libros quidem illos qui Moſaicos ſequuntur, uoluerint unquam probare: alij commentarios & traditiones ut peſtem exhibilauerint. Eius morbi ut medicus, ita teſtis ampliſſimus eſt Chriſtus,

ſtus, qui non ſemel magiſtratibus improperat, hac opinionum mole labefa-ctatam legem Dei, è mentibus hominum abijſſe. Fit enim neſcio quo fato, ut quum maxime proſpectum putamus huic mortalitati, ueluti pharmaca pharmacis & latius ſerpenti & indies oborienti morbo addimus, ut longiſsime à curandi uia recedamus. Vnde pro antiquis & genuinis notha & noua ſubeunt, pro ueris cōmentitia: atq; inde leges, non ius ipſum tuentur. Sed dum ſibi quiſque quiduis de iure confingit, iure ius funditus euertitur. Non auſim ſatis aperire, quid de abſolutiſſima Chriſti religione uarijs interpretationibus humana induſtria confecerit: tamen id lippis & tonſoribus notum, nemo negauerit, in quibuſdam longe ab euangelio diſtare id iuris, quod ab eius uaria interpretatione ad noſtra uſq; tempora profluxit. atq; eo magis, quo à principio magis receſſit. Sanctiſſima Chriſti præcepta canonibus & regulis Apoſtolici uiri nulla cupiditatis humanæ opinione labefactati aut illecti, auxere atq; illuſtrarūt: ſequuta ſunt prima concilia, & ipſa, nec apparenti ambitione aut factionibus, ſed numinis afflatu coacta, quæ non pauca adnectenda iudicauerunt. Molem illam conciliorum et interpretum non ſibi per omnia conſentaneam, ſed temporum, locorum, perſonarum, & rerum rationi accomodatam, in locos communes ueluti προβληματικῶς digeſtam, in pauca congeſſit poſteritas, ut non aſſerere iam, ſed ambigere de rebus illis ueluti opinione nitentibus, ſit cœptū. eò enim iam res uenerat, ut plura in perſonarū quàm in muneris gratiam ſtatuerentur. Obortis uero opibus, iam cuniculis irrepere, & ſe ſenſim fraus rebus ſacris immergere cœpit: ut non uſqueadeò etiam pietatem prætexere poſſint, quæ ab hinc quingentis annis ſunt conſtituta. Factio enim illa magnarum opum, etiam ſui tutelam, eamq; longe maiorem poſcit, quàm res ipſæ ſacræ quæ illas parauerāt. At poterant adhuc eſſe tolerabilia, quæ decretis primum, epiſtolis decretalibus, paleis, extrauagantibusq;, ſunt ſtatuta: niſi longe maxima peſtis in hanc opinionis ſegetem irrepſiſſet, interpretum turba innumerabilis: quę dum ſua ſomniat, ſibi placet in opinione, alij refragatur, quoſdam probat, quoſdam improbat, opinionem quàm ueritatem tutari mauult, eò rem deduxit, ut eo iure quod humana induſtria et commentatio excogitauit, ſit certiſſimum nil eſſe certi, nullumq; eſſe ius tam iniquū, quin æquitatem opinionibus ſibi inueniat. Ita patronorū, iudicum, & uafrorum hominum aucupium potius quàm ius factum eſt, ubi opinionibus potius quàm æquitate nitimur, ipſosq; feculentos riuulos potius quàm fontes ſequimur. Ita ſine ſenſu huius ſtolidę mortalitatis fit, ut rerum ab arbitrio humano tractatarum, uſus & natura degeneret: atq; quod pridem iuuit multos, multis noceat: eoq; magis, quo maiori ſunt innocentia. Quid enim nō peruertat improbitas, ubi ſemel anſam ſcelera tegendi ſpecie pietatis obtinuerit? Ita fit ſummum ius ſumma iniuria. fuiſſet id quidem tolerabilius, ſi ad publicam tantum rerū adminiſtrationem ea opinionū uarietas peruaſiſſet. At fundamentum etiā ipſum petiuit. In utranq; partem diſceptare de diuinis rebus cœptum, de quibus ambigere nephas, ut par occaſio cuiuis quoduis defendendi facta eſſe cernatur; ſi ſemel quis rationem humanam authoritati diuinæ præferat. quod cogitandum relinquo. Id ſatis fuerit dixiſſe, niſi exploſa ambigendi & deprauandi opinione quamuis receptiſſima, ad caput ipſum & principium recurramus, futurum ut non tantum res priuatæ, ſed & publicæ ſint periclitaturæ grauiſſimè, & propediem collapſuræ. De fortuitis rebus, & ad opes ſpectantibus exemplum proponere, quū res ſe ſatis ipſa per ſe aperiat, ſuperfluum pla-

nè

nè iudicarem. Romana opulentia, ex ſpolijs & totius orbis præda comparata fidem facit, confirmant omnia rerumpub. genera, opibus nimijs & factionibus ciuium potentiorum labefactata. Fuit uero non uſq; adeò mirum, opes arbitrio fortunæ ſurſum deorſum agi ſolitas, copia nocuiſſe: religiones ipſas, quæ authoritate & opinionibus, præter unicam ueram, potiſſimum naſcuntur, augentur, conſtant, hominum artibus, aut potius ſupina negligentia ita excreuiſſe, ut arbitrandi licentia ingens opinionum cumulus cōſurrexerit, uti lux nimia aciem iudicandi hebetauerit. At in legibus ciuilibus publicíſ ue, quarum non authoritas, ſed ſumma prudentia ratio & æquitas gubernatrix eſſe debebat, eo potiſſimum morbo laborari, id quidem certè ſummopere & admirandum, & deflendum. Verum ea eſt cōditio rerum humanarum, ut priuatio luminis tollit rebus ipſis aſpectum, ita lux æquo clarior (ſi claritatem, & non potius periculoſiſſima fulgetra uocare debeam) ubi circumfulſit, non rebus ipſis, ſed oculorum aciei labem adfert, facitq; ut iam de rebus incorruptè iudicare nō poſſimus, quum par aut affinis admodum earum uideatur conditio. Verum quomodo irrepſerit uitium in eam ueritatis arcem, paucis etiam eſt tradendum. Nolo originem gemino (quod ait ille) ab ouo ordiri, ſed iam iuſta magnitudine adultū ius Romanū deſumere, inq; medium protrahere, quibusq; rationibus ad hāc molem qua pridem laborare cœpit, excreuerit, aperire ut inde appareat: etiā apud cæteros populos prudentia inferiores, ſi diutius eodem iure ſcripto ſint uſi, idem cōtigiſſe. Qui enim mortaliū Romanis uſquā fuere maiori prudentia? ubi ſenatus auguſtior, iuriſperitorum copia maior, omnium doctrinarum cultus inſignior, ad res præclare gerendas aptior & propenſior populus: niſi res ita præclaras, cædibus, rapinis, atq; denium tanta dominandi libidine contaminaſſet? Eorum uero ius quū nunc ſit interpretum cōmentationibus labefactatum, & aſſiduo trāſfundendi uſu ueluti uapidū, quid de Athenienſium Carthaginenſiumúe aut aliorum populorum iure ſit iudicandū, nemini eſt obſcurum. Fuiſſe iam temporibus Ciceronis, quibus maxime res Romanę florebant, magnam opinionum in iure ciuili copiam, & quæ artem potius quàm augmentum expoſceret, uel id potiſſimum teſtatur, quod qui iuri reſponſitando præerant, illi non uniuerſum iam ueluti mole immenſum, ſed argumenta, in quibus excellere, & uerſari toto uitæ curſu uellent, deſumerent, totam illam multorum uoluminibus cōprehenſam doctrinam non aſſequerentur, ita ut grauiſſimos uiros labi aliquando in minimis cernerent etiam imperiti. Licebat enim cuiuis antiquorum iuriſprudentiū integros de iuris uarijs partibus libros, pro uoto loco legis proponere: quod ut fuit initio reip. neceſſarium, & ferè in omnibus democratijs & ariſtocratijs ſeruatum & cōſtitutum, ita breui effecit ut ingens multitudo opinionum excreuerit, alijs alia tractantibus, & nō raró eodem argumento à diuerſis authoribus tractato, atq; pro ſuo iudicio (ut frequenter ſumus affecti) uaria non tantum alijs, ſed ſibijpſis contraria tradentibus. Qua omnia percurrendi moleſtia quum uellet iuris ſtudioſos liberare Iuſtinianus, ſeligenda curauit ex tanto illo 60000 uoluminum numero, ea quibus reſpub. utebatur tunc temporis, ſecundum Triboniani ſuaſionem: reſecauit uero quæ aut obſoleta uidebantur, aut ſuperflua, aut contraria, ut ait. quod utinam tam reipſa, quàm edicto & aſſertione fuiſſet factum, ut ſaltem uel quinquennio Iuriſperitus poſſet inſtitui. Sanxit uero, ne in diſcrimen, iam antè cognitum, iterum reſpub. recideret, ut ſacroſancta & inuiolabilia eſſent quę probaſſet: neue in illis aut addendo, aut diminuendo, quicquā

quiſquam

quiſquam attingere auderet: quod utinam factum curaſſet poſteritas. Quamuis enim multa à ſummorum illorum philoſophorum laboribus periere, quæ utilia Reipub. erant, tamen fœliciter actum cum poſteritate erat, ſi ea tanta religione ſeruata curaſſemus, quanta uoluit ſagaciſsimus imperator. Verum ut ſingulis rebus ſua neceſſariò peſtis oboritur, ne huic Reipub. parti deeſſet, obortum eſt ab hinc ſexcentis annis nouum interpretum omni barbarie & philoſophiæ ignoratione contaminatorum genus, quod dum leges legibus componit, obſcuris tenebras fundit, opinione potius quàm ueritate nititur, incitauit tantam ſimilium turbam, ut in nulla unquam arte uel doctrina maior ſcripturientium libido fuerit, ineptiaúe maior. Lex una, aſſumptũ unum, uox ſimplex, quę ipſa una ueritate tantũ niti poteſt, in ſexcentos intellectus traduci cœpta: quiſq; quod cogitauit, aut ſomniauit potius, pro ſenſu attulit, obtruſit, uerũq; ipſum more Leſbiæ regulæ rebus ipſis, non res uero & regulæ aptauit. Hinc opinionibus, non æquitate iudicari cœptũ. hinc adulterina pro genuinis, falſa pro ueris, loco certorũ ſucceſsiſſe dubia uiſa: eoq; res in arte multo pulcherrima, longe maiori ambigendi & quiduis probãdi licentia, quàm ſi inter ipſos Stoicos Academicos úe incidiſſet, eſt tradi cœpta, ut etiã uir nõ paruæ authoritatis Baldus de re eadem decẽ uarias omninoq; cõtrarias opiniones protulerit, ſcriptas reliquerit, inq; iudicatũ retulerit, quum tamẽ unica ſubeſſet ueritas. Tanti ſcilicet eſt ab æquitate recedere, opinionib. niti, authoritates rebus, nõ res ad authoritatem traducere. uſq; adeò nil eſt tam diligenter ſcriptũ, quin uiolari, & in peruerſa trahi, opinioneq; & affectato iudicandi ſenſu poſsit in cõtrariũ, aut ſaltẽ diuerſum ſenſum cõuerti. Ita fit ſummũ ius, ut nil planè iuris habeat, fomentũq; litiũ, nõ finẽ adferat. Itaq; nullibi gentiũ maiorẽ eſſe & litigatorũ, & eorũ qui ex iure quæſtũ faciunt, turbã: nuſq; ampliorẽ litigatorũ copiã, quàm ubi ius Romanũ receptũ eſt, uidemus. Ipſi uero miſeri, & uerſutia deprauati homines, aut falſis patronorũ, & ſanguiſugarũ pollicitationib. ad quiduis lite petendum illecti, aut quoduis execrandum facinus tegendũ acti ſunt. Taceo leges iuraq; regia, edicta curiarũ, iudicata ſummi ſenatus, etiã in immẽſum aucta, mutuoq; pugnantia, ciuilia iura aut ſcripto aut ſine ſcripto ſeruari ſolita, quibus interim erinnybus torqueant hanc miſeram mortalitatẽ, ut ad necandum hodie cõficiendumq; hoc monſtri nõ unus Hercules, aut quæcũq; maxima inter mortales potẽtia, prudentia, authoritaſq;, ſed uis ſumma cœleſtiſq; requiri uideaĩ. cui paucis & unico remedio quamuis nõ poſsit ſuccurri, nõ omnino tamẽ Reip. ſanguinẽ, lacertos, demũ etiã ſpiritũ depaſta peſtis eſt negligenda. Vt corpore perperã affecto, & ea cõſtitutione ualetudinis diſpoſito, ut cõualeſcere opera medicorũ aut nõ poſsit, aut ęgrè queat, nõ eſt tamẽ à medico ea negligenda opera, qua aut morbi incrementũ auertat, uitã úe male affectã diutius conſeruet: etiã ea remedia adhibeat, quibus morbus in cõſimili, uel affini affectu tolli poſsit, nilq; intentatũ relinquat. fit em̃ frequenter præter ſpẽ medici, ut quæ pharmaca minime ſalubria ſperabat, ea inopinato caſu fortuna, prouidentia úe ſalutẽ rebus deſperatis adferant. Quo in ordine eſt medicandi ars ipſis corporib. ut corpora in ipſa ualetudine proſpera retineat & cõſeruet, quantũ artis beneficio conſequi licet, affecta reſtituat, reſtitutis proſpiciat: in eodẽ planè eſt philoſophia ad Reip. cõſeruationem, dũ aut præſentia uitia profligat, aut imminentia cauet ac proſpicit, aut cõparatione præteritorũ de futuris cogitat, ut multas uitæ huius depellat miſerias. Ita ſcribendi nullus poteſt eſſe finis, debetúe in his, non quæ res in diuerſas trahant opiniones, ſed quæ ad

præcipũa elemẽta retrahãt, ut obliuioni mortaliũ penè perpetuæ ſuccurrat. rerũ
enim cõditio cõmuni quodã naturæ morbo & errore, quo magis à principio di
ſtat, cultuq́ negligit, ſpõte aut luxuria, aut ſoli iniquitate more arborũ muſcum
colligere incipit, fitq́ ut eo citius aut in exitiũ uergat, aut in adulterinum genus
degeneret. quo minus redit ad principia. Ars quidẽ una eſt, cultus rebus ætati-
busq́ innouandus, nouisq́ malis nouæ propagines cõferunt. Cõtingit enim ut
dũ ea quæ frequentius & multis ante tractata fuere, innouant, & nouis morbis
noua adponũtur remedia, ut longe uehemẽtius antiquis permoueant. Hinc a-
mici epiſtola noua, aut conſolatione, magis moueri ſolemus, quàm longe orna-
tiore & pridẽ tractata. Conandũ enim ſemper eſt, ut res ipſæ, quæ eo longius à
principijs abſunt quo magis ſeneſcũt, ad ipſa reducãtur principia, & diſpoſitio-
nem à natura nõ abhorrentẽ: ut ualetudo nõ poteſt reſtitui corporibus, niſi ipſa
primariorũ elementorũ craſsi corporis tẽperamento apta in corpus ſe recipiat,
ad quem unũ finẽ tendit tota artis medendi utilitas. Verũ ut medico nõ eſt ſem-
per propoſitus ſcopus ipſa ſanitas, ſed quatenus arte illã cõſequi poteſt: ita nõ eſt
id propoſitũ Reip. moderatori, aut ei qui ipſe ferre opẽ cupit, omnino elimina-
re & ueluti proſcribere omnia uitiorũ genera (nã eſſent homines tollẽdi, qui nõ
urgeri uitijs nunq́ poſſunt) ſed ſenſim aperienda uia principib. & illis qui rerũ
moderantur habenas, qua tantæ uitiorũ turbæ etiã palàm ſerpenti occurrãt. Vt
igitur qui uellet perſuaſiones ipſas à uitijs obortis purgare, non alia arte poſsit,
quàm ſi neglectis & in uniuerſum abrogratis uitioſis cõſtitutionibus illis ueluti
appendices adnexis, quibus uitia uirtutis prætextu tegunt, eam uiuendi normã
quã legislator exhibuit, ſartã tectãq́ ſeruare, & in uſum reuocare ſatagat Prin-
ceps: ita iuris emendandi nulla ratio aliunde peti poteſt, quàm profligata inter-
pretũ in cõtrarias partes leges ipſas pertrahentiũ turba, atq́ ſuperfluis abrogatis
legibus, ad pauca, eaq́ æquitate cõiunctiſsima elementa iuſti & æqui, ipſos iu-
ris ſtudioſos reuocare. Quemadmodũ enim philoſophia omnibus legib. huma
nis dedit principiũ, atq́ toto in iure uarijs in locis æquitas reſperſa, ueluti eo de
fonte promanat: ita quũ uitiũ aut ambiguitas ibidẽ irrepſit, aliunde remediũ pe
tere nõ poteſt, quàm unde profluxit principium. Audio uero multos id prouin
ciæ ſuſcepiſſe, ut in artem redigant ius ciuile: quorum iam partim opera pro-
diere, partim expectantur. Verum omnes iuris Romani methodum ſequun-
tur, unde fieri non poteſt, ut per omnia æquitatem ipſam ſequi poſsint, quùm
multa ſint admodum in quouis iure ciuili, quæ non tantum improbata cæteris,
ſed etiam ridicula: alia uero noxia ſunt & pernicioſa. Eam ob rem è philoſo-
phiæ theſauro elementa iuris colligam, et cõplectar paucíſsimis. Nec enim hoc
ſermone quærendum duxi, de ſtillicidiorum aut parietum luminum ue iure,
quamuis & in his uerſati ſumus, & res eſt utilis, ſed penitus ex intima philoſo-
phia iuris diſciplinam hauriendam puto. Tractanda hic erit tota cauſa uniuerſi
iuris atque legum, ut hoc ius cuius guſtum à fontibus tractum delibare decre-
uimus, in paruum quendam & anguſtum locum concludatur. Etenim quam-
uis officij ſparſam in receptis legibus cognitionem, longis & indefeſsis labori-
bus conſequi quidam poſsint; tamen longe fœlicius ex ipſa philoſophia pate-
fieri poteſt, quid ſit homini tributum natura, cuius muneris efficiendi colen-
diq́ cauſa natus ſit, quæ ſit coniunctio hominum, quæ naturalis ſocietas, quæ
æquitatis, quæ nequitiæ origo, quæ demum ſit iuris ipſius fons & ſcaturigo.
Ita his principijs inuitati, quibus & rerum cognitio & eloquentia maior, ueluti
cote

cote ad ſcindendũ propenſiores, abſolutiora reddẽt, quæ nos tenues conamur. Ita enim ut paruis principijs orta omnia, ſenſim ingenio cultum acceperunt: ſic & inſtauranda ſenſim lumine clarius rebus affulgente, debent reuiuiſcere, & ad integram reduci ualetudinem. Commune uero omnium gentium ius ex fontibus philoſophiæ peti, nunquam per omnia ciuile ciuili conuenire poteſt. Itaq; dum erroribus medemur, omnium iura attingimus, quod nobis hoc loco eſt propoſitum. Sed altiori nunc methodo omnia ſunt à capite repetenda.

ESSE QVAEDAM ARTIVM OMNIVM ELEMENta, *quibus perceptis facile quæuis diſciplina & tradi, & capi poteſt.* CAP. II.

Eſſe aut in natura, aut in arte poſita quædam rerum omnium elementa, in quibus conueniant, quibusq; ad ipſarum rerum penetralia admittantur, quotquot uſquã ubiuis gentiũ ſunt rebus fœliciter uſi, non omnibus patet, certe pluribus atq; ſapientibus in confeſſo eſt. Idq; ipſum ſi quis ambigat, poteſt ita demonſtrari. Artes, quas potiſſimũ eo uocabulo donauit antiquitas, ob certam atq; nulli (modo ſit ſano iudicio, aut non refractario) non probatam fidem ſuis elementis principijs ue conſtant. Nam quis adeò ſtupidus, ut res ipſis corporibus ſubſtantijs ue diſtinctas, etiam numeris donari diſiungiq; inficietur? In quibus elementis, numeris ſcilicet, qui ſe exercuerit diligẽtius, poſſe tradere artem Arithmeticam, ex qua innumeræ utilitates uitæ humanæ oriuntur, certum eſt. Nam quum præcipua æquitatis ratio inter homines, ex arithmetica æqualitate perpendatur, nil quicquam ſine ratione numerorum poteſt tradi. quam rationem longe diligentius atq; certius tradet, qui in elementis fuerit uerſatus, quàm qui naturali diligentia tantũ atq; uſu uulgari cõcepit. Rationes ſonorum, quas ab indagãdo Muſicã græci uocauere, ex Arithmeticis elementis natæ ſunt, iuncta ſonorum comparatione. Habet ſua principia Geometria, aut cuiuſcũq; materiæ menſor, ex quorum mutua compoſitione atq; habitudine elicit quicquid ueri eſt in rerum continuarum atq; ſolidarũ menſura. Cœli amplitudinem atq; temporis dimenſionem, uarietatesq; tempeſtatum & dierum, elementorum cognitorum & diligenter contemplatorum beneficio, adſequitur Aſtronomus. Admittit neceſſariò, niſi rationem in ſe eſſe neget, naturæ totius admirator, quẽ Philoſophum uocant græci, quædam omnibus & per ſe nota principia, quę admiſſa præcipuam obſcuritatis naturæ partem, in rationem poſſe cadere demonſtrant. Hinc philoſophia quum abſoluta eſt, nullius ferè artis ignara prodijt. Logico neceſſe eſt fateri, nomina rebus & actionibus in omnibus linguis indita, affirmationem & negationem, ad hęc actionum qualitatem, quę συγκατηγορήματα nuncupant: quibus unà compoſitis, conſurgit ars multo certiſſima, rationiq; coniunctiſſima λογική. A philoſopho, qui diligenter uerborum & rerum cognitionem tradiderit, capit medicus, quibus conſeruandæ & reſtituendæ humanis corporibus ualetudinis bonæ artem & tradat & exerceat. Quod unum, quum in toto diſciplinarum orbe, quam ἐγκυκλοπαιδείαν uocant, pateat, certum eſt & Iuriſprudentiam, quę eſt ueluti totius philoſophię πραγματική, etiam habere ſua omnibus hominibus iam ratione humana excultis probata principia, à quibus Iuris fontes deſcendere certum eſt: in quibus ſequendis & tradendis quamuis multi in omnibus ferè gentibus ſapientes inſudarint, tamen omnes ſtatim ex ſapientibus (unum Platonem in imaginaria ſua politeia excipio) facti ſunt prudentes, ſeſeq; reip, in qua egere manciparunt atq; accommodarunt. Sunt enim

in ſingulis rebuſpub. certæ occaſiones atq; res, rei, loco, perſonæ, tempori, moribusq; accommodatæ, quarum cauſa à naturali, omnibusq; eruditis populis partim probato iure recedere nō rarò prudentes ſolent. Eoq; factum eſt, ut ius Romanorum quamuis æquitatis plenū, Gallis, Germanis, Athenienſibus aut Carthaginenſibus, aut quibuslibet alijs politijs nunquam per omnia conueniat. Tamen eſſe aliquid certum eſt, quod primum omnes gentes probent: etiam quarū nec literæ, nec nomina, nec mores nobis innotuere olim. Nam conſtituendi iuris eſt ſumma illa ratio quæ ſæculis omnibus antè nata eſt, quàm ſcripta lex ulla, aut ciuitas omnino cōſtituta. Noſtra enim tempeſtate apertus alter orbis, uaſtitas Africæ atq; Aſiæ cognita, monumenta literarū & noſtrarum & Græcorum & Barbarorum ne ſextæ quidem orbis partis memoriam ad amuſſim adhuc cōplexa monſtrant. Attamen populi illi quia ſuperſtites fuere (ſi tamen eruditionem à prudentibus ſapientibusúe recepere, aut olim acceptam non perdidere: nam & inter illos ſunt qui ritu belluarum gregatim, nec certo loco uiuunt) in quædam iuris elementa cōſenſiſſe, quibus uel mutuam propulſarent iniuriam, certum eſt: alioqui ſibi mutuò exitio fuiſſent. Quotquot enim ciuitates aut quæuis certa loca ab hominibus habitata diutius durauere, iuris beneficio id eas feciſſe, nemo ire inficias poteſt. Conabor ergo, quamuis id arduum eſt, partim ex philoſophia, partim ex gentium hiſtorijs ea principia tradere atq; complecti, quæ nulla gens, aut quę diutius coaluerit, aut olim rationem prudentiū audiet, non uehementer probauerit, ſitúe probatura. Me uero maxime accommodabo aut iuri Romano, aut Gallico, ubi tale fuerit, quali uti omnibus totius orbis hominibus expediat, atq; ab affectibus longiſſime recedat. Eò autem tendit is noſter labor, ut qui diligenter elementa ipſa cognoſcere atq; perpendere uoluerit, id hic poſſit, diligenterq; faciat, antequam ingentem omnium opinionum aceruū, qui creſcentibus rebuſpub. durantibusq; creſcere ſolet, penitius introſpiciat. Illi enim cōtinget, quod bene legendi peritis accidit: ut quicquid fuerit ſcriptum ſub eo genere characterum, quod diligēter cognouerint, ſtatim habeant in promptu, atq; legere poſſint. Ita enim qui hoc fecerit, iam erit conſequutus: quamuis ut nec uerba diuerſę inſtitutionis, ita nec mores aut ciuilia iura capiat: habeat tamen apertas fores, atq; longe elementorum ipſorum ignaro ſit ad rem paratior. adhibitis enim & uerbis & rebus, ſtatim ſenſa conficiet, atq; æquum & bonum in quauis cauſa iudicabit. Qua in re philoſophos illos, qui ubiuis gentium peregrinarētur, plurimū ualuiſſe, profeciſſeq;, atq; ubiuis in magna admiratione & uſu habitos fuiſſe conſtat: quod ſuprema literarum memoria illis rebuſpub. dederint leges, uiuendiq; præſcripta. At ſi quis obijciat, nos habere iam diligentius tradita elementa iuris in inſtitutionibus imperatorijs Romanorū: id quidem non negabo, etiam diligentius quàm poſſim ipſe tradere, iuris ciuilis Romani elementa eſſe tradita. Verum Ius Romanū tantum id eſt, in quo multa admodum ad reipub. illius uſum accōmodata, atq; opinionibus ideo iuncta uidentur, nec in ullam aliam rationem quàm eius reip. cadere poſſe. At quæ omnibus conueniant, traditurus ſum. Imitari porrò Philoſophorū primos, eosq; qui nunquam quicquam ſine methodo tradere ſunt ſoliti, uiſum eſt. Quid enim iuuaret uel ea quæ eſſent per ſe numeris omnibus abſoluta, tradere, niſi fœlicitate ſumma artem, qua complecti & mente ſeruari poſſent, obſerues, tradasq;? At quia nec religione, nec ratione, quicquam ternario numero communius, aut aptius ad rerum cognitionem ſe offert, ſtatui illius exemplar, quoties rerum

patietur

patietur conditio, ubique ternaria diuiſione, poſtquam rem eſſe conſtiterit, ſequi. Videmus enim, ut à ſummo incipiam rerum omnium gradu, uim orbis ſummi, medij, infimi, unum eundemque effectum in his inferioribus efficere: Deum ſcilicet, cauſam úe primam, uarijs cœlorum motibus planetisq; conſtituiſſe, ut eorum apparenti opera quicquid in terra mari úe naturaliter diſpoſita naſcitur, naſceretur. Vis eſt occulta in cauſa prima, manifeſta in ſecũda: partim latens, partim manifeſta, in tertia. Omnes diſciplinæ ſunt in phyſico, ethico, logico: contemplantur, loquuntur, agunt. Res omnes conſtant principio, medio, fine: incremento, conſiſtentia, decremento: materia, forma, cõpoſito. Corporea, lõgo, lato, profundo. Tempus, præterito, pręſenti, futuro. Actiones omnes, agente, patiente, actione, utrouis participãte. Artifex fit, natura, doctrina, uſu: ea ingenium, hæc ſcientiam, is fructum adfert. Sol corpore, radio, ui, luminoſus eſt. In ſumma, ferè nihil eſt, quod ipſa ſacroſancta trinitas nõ attingat, unde à philoſophis & prudentioribus religionibus in ſacrarũ rerum ſymbolo ſemper habitus eſt ille numerus, ut naturæ pater, aut maxime conſentiens uel adnexus, aut ut cum Græcis dicam ὁμογενής. Primum uero origo rerũ & conſiſtentia, quam alij ſubſtantiam uocant, ſit nec ne, tradetur: demum diuiſio, quotuplex ſit indicabit: definitione, quid quale úe ſit aperietur: demũ in quem uſum res ſunt cõparatæ, patebit. Poſtremò quomodo res agant, patiantur úe, qua úe ratione cõponentur, declarabo. τὸ γὰρ ὅτι, ut partim cũ Ariſtotele ueritatis philoſopho dicam, καὶ τὸ διὸτι πρῶτον ζητητέον. Primùm quid, ſecũdò quamobrẽ, eſt quærendũ. At quũ mihi nemo uideatur poſſe bene definire, unde rerũ innoteſcit ſubſtãtia, niſi quotuplex ſit id de quo propoſitus eſt ſermo, nouerit: diuiſionẽ & effecta etiã tradere, rudiorũ cauſa, uiſum eſt. quãuis qui τὸ διὸτι, id eſt cauſas nouerit, & primarias & finales, cognoſcat etiã diuiſionẽ. Libris uero ſine capitib. inq; longum protenſis diſceptationib. more uirorũ in philoſophia principũ, tradere hãc artẽ ſtuduiſſem, niſi elementorũ & artis capitib. certis tractari ſolitæ rationibus adductus eſſem, ut crebris diſtinctisq; argumẽtis res ipſas proponerẽ. Nã ſi Pythagorici authores totius in utraq; Græcia philoſophiæ celeberrimi, nolebant libros, ut lectorum & auditorum memoriæ conſuleretur, excedere tres cubos ſænarij numeri, qui in ſe uniuerſi rationem compræhendit: meritò hoc noſtro argumento eſt mihi curandum, ne unum caput ſit etiam prolixiori longitudine, non tam Pythagorici dogmatis cauſa, quod tamen uel ob ſolam authoritatẽ mihi carere ratione nõ uidetur, quàm ut delicatis noſtri ſęculi lectoribus auditoribus úe ſatisfacerem. In hac enim tanta authorum & ſcripturientium turba, iudiciorumq; tam inconſtanti alea, quæ neceſſariò eſt ſubeunda, nil ferè non prolixiſsimum, niſi iam antiquitate probatum uideas, quod palato multorum ſatisfaciat. Vſqueadeò iudicare de ſuo ſæculo procliue eſt, antiquaq; potius inepta ea antiquitatis ratione probare, quàm neotericis ulla in re aſſentiri. Qua in re illi mihi uidentur de natura male meriti, qui illam in prima illa ſæcula ita ſuas uires contuliſſe contendunt, ut poſteritati nouerca, antiquitati mater uideatur. Qui totos libros percurrere noluerit, ille ſaltem caput unum aut alterũ probandi aut improbandi cauſa deguſtare, uel primoribus labris poterit, atq; de eo quod attigit ſententiam ferre: quam certe probare cum illo nunquam grauabor, modo perſpecto toto opere, non ex animi morbo, ſed ex cãdore iudicabit. Hoc enim labore potius alios ad maiora in eodem argumento tractanda excitatos, quàm poſt me derelictos cupio. Qui enim poſteritati ſtudet, utilitatis, nõ item gloriæ,

niſi ultrò ſequatur, rationem ſequi debet. Nil itaq;, ut Craſsi uerbis apud Ciceronem utar, dicam recõditum, nil magnorum uirorum doctiorum ue expectatione dignum, nil aut inauditum prudentibus, aut nouum. Nam elementa quæ nunc tractare decreui, ſunt uel ætate uel eruditione iuuenibus propoſita, hisq; qui ad palum exercentur, nondum uero in acie aut palæſtra uirtutis præmium poſcunt. Opus eſt enim, paruis principijs uiam ad maiora ſterni. Crebrò nanq; ex minima occaſione, res maximæ emerſere. Quis iudicet utrum noſter labor, quum Reipub. iuuandæ gratia à nobis inſtitutus ſit, incitabit olim in dicendo principes uiros, qui abſolutius id tradant quod ſumus conati? Mihi certe author fuit Cicero, uir extra aleam iudiciorum ferè poſitus, qui id argumenti pollicitus eſt: morte uero prꝑuentus, aut nõ potuit, aut (quod fortaſſe, ut prudentiores magnaq; authoritate donatos uiros par eſt) coactus fuiſſet multa ad gratiã (ut certe crebro fecit) aut ad ſuę Reip. uſum ſcribere, quæ naturali iuri parũ conſentanea fuiſſent, præſtare noluit. Hęc uero ſunt illius uerba: Si enim, inquit ſub nomine Scęuolę, aut mihi facere licuerit quod iamdiu cogito, aut alius quiſpiam, aut me impedito occuparit, aut mortuo effecerit, ut primũ ius ciuile in genera digerat, quæ perpauca ſunt, deinde eorum generũ quaſi quædã membra diſpartiat, tum propriã cuiuſq; uim definitione declaret, perfectã artẽ iuris ciuilis habebitis: magis magnã atq; uberẽ, quàm difficilẽ & obſcurã. Atq; interea tamen dũ hęc quæ diſperſa ſunt, coguntur, uel paſsim licet carpentẽ & colligentẽ undiq; repleri iſta iuris ciuilis ſcientia. Et paulo pòſt: Omnia enim ſunt poſita ante oculos, collocata in uſu quotidiano, in cõgreſsione hominũ atq; in foro, neq; ita multis literis aut uoluminib. magnis continentur. Eadem enim ſunt elata primũ à pluribus. deinde paucis uerbis cõmutatis etiã ab ijſdem ſcriptorib. ſcripta ſunt ſæpius. Hactenus Cic. Ille mihi animos fecit audendi, poſtq; & Pandectarũ ſenſum utcũq; cœpiſſem, tresq; Reſpub. noſtra memoria facile principes diligentius præſens introſpexiſſem, Gallicã, Turchicã, Venetã: religionẽ etiam multarũ gentium perpendiſſem: ad hęc antiquorũ omniũ, quotquot ritus, memoriaq; noſtris aut Grꝑcis, aut etiã Barbaris eſt tradita, Reſpublicas, reſtitutaq; ad populum in officio retinendum diligentius diſpicere uolui, quod quis in meis Magiſtratib. Athenienſium facile uideat. Nõ neglexi præterea Ariſtotelis, Platonis, Xenophontis inſtitutiones politicas: quibus omnibus, ſi quid erit ſcriptum attentius, uolo ob antiquitatẽ & authoritatẽ, acceptũ ferre. quãuis & noſtra excogitatione, & cultu, quędã nõ deteriora facta eſſe, auſim aſſerere: quod ęquus lector, antiquitatis & experientiæ rerũ peritus, nõ negabit, modò res ipſas potius quàm uerba ſectet.

VNDE IVS INTER HOMINES PROFLVXERIT. CAP. III.

QVum ſuapte natura homines ſoli animantium omniũ, ſui & in ſe à prouidentia rationis ab initio inſitæ obliti, ubi primum cõgredi cœpiſſent, à naturæ lege deflecterent, atq; in ſuum genus ſæuirent, longe quàm ipſa iudicio atq; ratiocinatione deſtituta animãtia crudelius: Primũ quidẽ uires maiores cuiuſdã experti, & ſibi inflictã pœnã, et maiores impetentis uires ueriti, nõ pauci ab eo de quo periculum fecerant abſtinebant: uerum cæteris quorum uires nõ pertimeſcebant, nihilominus eſſe moleſti pergebant, genusq; labefactabant, animal illud maxime memoria præditum, rationisq; quum admonetur capax: ad hæc ſæpius non ſine diſcrimine mutua ſentiens, peroſusq; incommoda, eorum qui inter cæteros fuere magis acuto ingenio rationibus adductum, paruit

fuit quidem, atq; ab ea iniuria quæ in propriæ ſpeciei ruinam diſpendiumqúe, uel ferarum proprio generi parcentium atq; una eius cõſeruandi cauſa coëuntium exemplo, abſtinuit quidem ad aliquod tempus. Verum quum ſit homo ut à natura rerum omnium egenus editus, ita ob neceſſitatem perpetuò aut comitem aut timendam totus cõſutus calliditate, uerſutia, fraude & dolis (eius enim ingenium uel ab incunabulis in malum propenſum eſt) & periculi & utilitatis oblitus, pariter & admonitionis, redibat ſtatim ad ingenium. Ante nata enim iura, prima atq; unica poſſidendi, atq; ob neceſſitatis timorem conſeruandi ratio, in occupatione fuit. Pari enim erant ad res ipſas iure, ſimili omnes neceſſitate, unde & neceſſitas & libido & uindicta ſæuitiam augebãt, atq; cum ætate creſcebat iniuria. Quod quum miſerati prudentes homines uiderent, nõ monitionibus atq; exemplis, quæ ſtatim uaneſcerent, tantum huic morbo mederi uoluere, ſed quodam uinculo, quo ſe omnes facile capi ſinerent, eos eſſe coercendos cenſuerũt. Ipſa enim æquitas facile uel tenui eloquentia potuit ſuaderi illis, quos natura eadem corpore ſimiles, membris correſpondentes, uſu illorum non diſſimiles; neceſſitate pares atq; ueluti fratres edidiſſet. Suadebat aliorum animantium coitio naturaq;, ſuo generi, niſi libidinis aut egeſtatis cauſa, parcens, quoad fieri poteſt: conſeruandi uero uſqueadeò ſtudioſa, ut non pauca uocibus ueluti claſſico in ſui tutelam aliorumq; exilium incitarentur. Mutua incommoda ſæpius recepta, aſſiduus timor, ſui ſuorum generiſq; charitas, omnium ſimilitudo, etiam ratiocinatione deſtitutorum exemplum, facile in quandam legem iurare non tantum ſuaſit, ſed coëgit: cõtra quam ſi quis fecerit, aut à cæteris omnibus, aut ab eo cui per cęteros licet, illum coerceri, atq; ea pœna aut æquali affici, quaq; alterum impetere eſſet auſus. Prima itaq; legis poſitio hæc fuit: Quæ quis in alium contra naturæ bonum commiſerit, itidem ipſe perferre cogatur. Non enim homo tantum eſt corporei boni appetendi à natura peritus, ſed eadem peritia omnia animantium genera cenſenda ſunt. Hoc primum elementum partim à natura, partim à prudentia humana poſitum, primũ dedit poſſeſſionibus locum, primam inter homines ſecuritatem & tranquillitatem. Hoc primum coitionis & confœderationis humanæ principium. Verum quum adhuc ſemiferi homines, inculto ingenio, maxima ferocitate, neceſſitate perpetua, inuidentia rerum neceſſariarum ſingulari, adde ad inferendam iniuriam procliues, legis in ratione poſitæ obliti eſſent, redibant ſtatim ad ingenium, niſi eorum libidini quos impetebant obſequerentur, furtis, prædis, cædibus debacchabantur, unde naſcentibus & creſcentibus uitijs noua remedia inſtituenda fuere. Vt ergo leges poſitæ nec ignoratione periclitarentur, aut ocioſæ eſſent, aut uafritie quorundam diſſimularentur, in literas nuper inuentis humanis ut cętera excogitatas, traducere uiſum eſt. quum dico omnia ſenſim ab homine excogitata, id tam certũ & omnibus probatum credo, ut non ſit opus confirmandi gratia multa adferre. Suprema literarum memoria, (ſine qua non cognoſcitur, fuerint res geſtæ, an non fuerint) omnia ſunt repetenda. Scrobes, arborum tegmina, tuguria arborum ramis confecta, fuere etiam maximorum ædificiorum rudimenta. Cultu aſſiduo agreſtia manſuefacta, glans aluit agricolas primos. Paſtoribus, prædonibus, agricolis, nati facti'ue ciues, magiſtratus, principes, iudices, ex infimo ad ſummum omnia producta: quæ uſqueadeò quoſdam in ſummo rerum faſtigio poſitos nõ puduit fateri, ut ea argumenta etiam diutius apud ſe ſeruare in honore, populi præſtantiſſimi poſuerint. Culmo tectam domũ ſenatoriam,

etiam in multos annos in Areopago conſeruatam uoluit ſanctiſſimus ſenatus Areopagitarum, ut ſuæ originis meminiſſet ea ciuitas. Idem à Romanis de Romuli domo, etiam culmo tecta, eo conſilio eſt factum. ea enim multis annis memoriæ cauſa ſeruata eſt. Quid Saturni tempora, atq; aurea ætas, auri ignara, aliud indicare uoluit? Excogitatas etiam & linguas & characteres, exceptis hebraicis, ſimili ratione probes; quãuis ea res eſt aliter quibuſdam perſuaſa. Dum enim filius patrem audit, uicinus uicinum, domeſticusq; domeſticum, memoria præditi exprimere cœperunt quod audierunt, inq; uſum conuerſationis referre. Inde etiam ſignis naturalibus pingere animi ſenſa naturales literas commenti cœpere. Inde Hieroglyphicæ Aegyptiorum Indorumq; occiduorum literæ. Paulo adultior orbis, ut multas quæ periere, ita & quæ ad nos uſq; durauere excogitauit, ſecundum oris & linguæ partes, diductiones, ſemiperfectos characteres, Phœnicum, Chaldęorum, Arabum, Indorum, Affricanorum. Nullas enim uocales prolationes excogitauerãt. Gręci à Phœnicibus accipientes, locupletauere ordine, formis, uocalibus, declinationibusq;, à quibus Latini deſumpſere multis poſtea ſæculis. Ita à paruis initijs progredi ad magna cœptum. Harum ergo literarum beneficio potiſſimum, memoria ſæculorum, ſapientum ſententiæ, Iuris principia tradi & ſeruari cœpta. Hinc aucta maiorum opibus poſteritas, hinc excultæ artes. Viſum ergo eſt ſapientibus (ut eò unde ſum digreſſus, redeam) illis quibus noſtram aut fœlicitatem, aut ingenij & Reipub. adoleſcentiam atq; cultum durationemq; debemus, ea præcepta quibus humanus furor mitigari ſolet, in literas trãsferre, ut & memoriæ beneficio, & literarum monumento ſeruarentur, inq; eum locum reponerentur qui eſſet ſacroſanctus, unde à iudicibus aut quantũcunq; alia authoritate donatis deſumi poſſent, atq; ueluti uiuentes tam ad improborũ facinora cõpeſcenda, quàm ad lites terminandas traduci. Nam & fruſtra poſitæ fuiſſent, niſi & ſeruarentur diligenter, uigenteq; magiſtratu illarum uindice & aſſertore, ueluti morbo pharmacum adplicarentur. Laus inde & præmia quædã uiris bonis, ſupplicia atq; uituperia improbis promiſſa, illataq;. At hæc in uetitum ſemper nitens mortalitas, quũ maxima ſemper improborum turba ſcateat, uiderentq; improbi ſibi per eos qui ſumma in coërcendis ſceleribus authoritate eſſent, non licere tutò iniuriam inferre cuiquam, inſurgebant quidem in eos ne quando coërcerentur: non rarò ultro impetebant, ut in loca eorum irrepere poſſent. alij uero magis uerſuti, palàm quidem timore pœnæ nil committebant, clàm autem multa & dira facinora perpetrare ſolebant: etiam huic morbo medendum fuit. quumq; nec tantum uiribus ualerent qui rerum ſummę præfecti erant (utpote tenues, atq; ſatellitibus adhuc deſtituti) ut propulſare ab illis illatas iniurias poſſent, aut ex cæteris popularibus ſatellitium facile in ſumma rerum tenuitate comparare, occultas uero hominum cogitationes, fraudes, facinora ſibi occulta cognoſcerent, maiori quidem quàm humano remedio opus eſſe arbitrati ſunt. Quum uero hominem inſolitarum rerum admiratione facile capi, nõ ægrè in probabilem & ueram ſententiam trahi, qui non rarò falſis fidem adhibeat: à gratia autẽ referenda, cuius imaginem & in canibus & in multis cicuratis animantibus uideret, non omnino alienum eſſe, perſpectum eſſet: numen eſſe aliquod ſupra rerum uiſibilium naturam, cuius obliuio iampridem homines cœperat, cui accepto ferenda hæc tam ampla tamq; uaria beneficia, quæ nec temere neq; à ſeipſis orta eſſent, ſuaſerũt: Deum qui cuncta uidet auditq;, etiam latentia & obſcura, qui uniuerſi cõditor eſt,

eſt, ubiuis gentium creditus, eſſe ubiq; præſentem, pœnasq; de omnibus improbis & facinoroſis ſumpturũ: nec ſibi improbos & imperata facere detrectantes, id lucro debere putare futurum, quod ſtatim non ſumat pœnas: eſſe aliam animorum poſt hæc ſæcula uitam, in quam & ſupplicij & præmij uires exerceat. Ea res & bonos, qui etiam nullis egent legibus, & non paucos rudiores facile in officio retinuit. At improbitatem nullis unquam legibus ſine ui coërceri ſolitam, oportuit ſatellitio, aut iudicum, aut regum, aut ducum (quæ res olim eadem fuit) retineri. Verum quomodo hæc poteſtas compararetur, ſuo loco dicetur. Neceſsitas ergo rerum omnium primaria origo, duos iuris fontes produxit. Primus ex neceſsitate naturæ atque ſapientia ortus eſt, rationeq; atq; recto hominum iudicio comparatus, comprobatusq;: cuius ſcaturigines, ueluti elementa, in naturæ inferioris contemplatione ſtatim ſenſibus obiecta, poſita ſunt, ut poſsit uel modica ſuaſione ea ratio animis hominum à natura inſita reddi: æquitate ſcilicet, cuius percipiendæ uiuiradices uidetur omnium animis Deus admiſcuiſſe. Fons alter, ex religione Deiq; in Republica probati, quum uerus ignoratur, admiratione, timore uel amore proficiſcitur: quo aut occulta in lucem, dum homines ſacramentis adacti de ſe fatentur, prodeunt: aut errantibus incutitur timor boni eius amittendi, quo illius utantur beneficio: aut etiam fœlicitatis perdendæ, quæ uel promitti, uel dari à numine creditur. Timor etiam, ne deſtituamur aut præſenti aut futura poſt mortem fœlicitate, non rarò terret. Quum de religionibus loquor, de illis tantum intelligo, quæ iam exoleuere, aut falſæ creduntur à noſtris: non de noſtra Chriſtiana, quæ ut ipſe Chriſtus aſſeruit, non periclitabitur. Eſt autem ius humanũ, ut definitione clarius pateat, æqui atque iniqui ſecundum æqualitatem arithmeticam ſeu geometricam cognitio, atque ſecundum merita iuraq; recepta unicuique diſtributio atque addictio, conſeruatioq;. Aequalitatem arithmeticam uoco, ex Ariſtotelis ſententia, quum æſtimatione pecuniæ, aut cuiuſdam rei quæ ſit pecuniæ loco, res ipſæ perpenduntur, atque addicuntur: Geometricam, quum pro re ſolida rem ſolidam, aut gratiam, aut quiduis aliud conſideramus atque addicimus. Nam fruſtra iudicaueris, niſi addixeris. Ius uero diuinum eſt, æquitatis cuilibet ſeruandæ poſitio, illic demum incipiens ubi iuris humani uires deficiunt: cuius obſeruatio timore, uel amore, aut ſummi Dei, aut deorum in Republica receptorum, fieri ſolita eſt.

DE RATIONIBVS ET FINIBVS OMNIVM *perſuaſionum.* CAP. IIII.

ANtequam autem de iure humanis ſenſibus probato, atque in rationem cadente dico, quia ſine Dei deorum ue timore & religione nullus potuit diutius niſi uiolenter in officio retineri: præterea quum Deus atque cœleſtia omnia ſint & homine priora & digniora, de omnium gentium religionibus, ab origine diſceptare uiſum eſt. Illæ enim aut ante imperia, aut cum potentia, aut ad illam firmandam, aut etiam per ſe ſine ulla authoritatis cura ſunt introductæ. Non rarò libidinis mortalium gratia tantum eſt excogitata religio, ad diuturniorem hominum memoriam. Eſt uero finis religionis, aut in fœlicitate popularium ea utentium, aut in utilitate inſtituentis, aut in utroque: aut in memoria cuiuſdam diutius conſeruanda, qui deos

ſtatim poſt mortem adire, atq; in cœlum aquilarum more euolare creditur. De cauſa primaria hic dicendum uidetur, quod primum in animum irrepat, atque occaſio præcipua rerum inſtituendarum ſit. Quum enim quicquam à prudentibus præcipuè agitur, cuiuſdam neceſsitatis, uoluptatis, utilitatis, fœlicitatis aut opinionis gratia id fieri conſtat. Primæ mortalium religiones deperdita Dei cognitione utilitatis tantum ergò, ut quæ neceſsitatem ſequerentur, inſtitutæ ſunt quidem, & ab hominibus probatæ uidentur. Sequebantur enim maxime, quæ ſunt ſecundū naturam. Etenim quum homo atq; cætera animantia naturaliter expetāt quæ ad ſui cōſeruationem, fugiant quæ ad corruptionem faciunt, & timor & cupiditas omnibus ineſt: cupido quidem bonorū, formido autē malorū, quæ alij expetenda & fugienda dixere. Colenda itaq;, ut uero eſt ſimile, prima cauſa (Deus ſummus ſcilicet) ad cuius cognitionem caligant oculi, mens labaſcit, eſt oblata: ut quæ & eſſe, & uitam, & ſenſum, & omnia neceſſaria uitæ humanæ ſuppeditaret tam abunde: mala, & rerum priuationem, malis & negligentibus cultoribus & ſui ignorantibus immitteret. & ut ſacra durare diutius poſſent, ſacrificijs, ac ſi numen illis caperetur, illa uoluere firmata: ut inde ſcilicet qui reſponſis, expiationibus, ſacrificijs, atque (ut uno uerbo) conſeruandæ perſuaſioni præeſſent, poſſent uiuere. Timor uero ille, aut cupido, quum maxime ſit ſecundum naturam, utiliter ſub numinis poteſtate retinuit populos. Hic finis fuit utiliſsimus, & primus, & maxime ſecundum neceſsitatem naturalem. Eſt hic reuera ſcopus, & prima ratio non tantum priſcarum, ſed & adultioris orbis (nondum tamen opinione deprauati) religionum, hominem in officio retineri timore mali, aut amore boni: quod ipſum utrunque beneficio numinis diuinitus in religione recepti, dari atque immitti creditur. Hebraica diuinitus Moſi reuelata, innumeriſque miraculis confirmata, ſatis habuit primum, rerū copiam longæuamq; uitam cū teſtificatione miraculorum diuinorum, populis qui per ea elementa erant ad maiorem rerum perfectionem peruenturi, polliceri. Rerum enim quæ ad huius uitæ munia faciunt, ſenſu facile omnes capimur. Perpetuò ergo præſentem eſſe Deum, qui ſuos dotaret cultores magnis præmijs, infortunijs maximis impios & nequam ulciſceretur, plurimis ſignis demonſtratum illis eſt. Verum ut ſumma eſt rerum omnium inconſtantia, hominumq; pro uoto rebus ſecundis utentium procliuis ad omnia uitia natura, ſuæ paulo pòſt perſuaſionis obliti Iudæi, ſectari diuerſas religiones cœpere. Prophetæ inde, genus hominum diuinitus inſpiratum, non tantum fœlicitatis temporariæ cupiditate, aut timore malorum, quæ maxima, per bella & captiuitates inſtabant, ſed & æterni ſupplicij, uel præmij, quod in æternos animos exerceret Deus, religionis receptæ præcepta omnia ſeruari debere adfirmarunt: infera loca impios manere, lucida & amœnitatis plena religioſos. Quum autem Græci, qui inter peregrinandum ab Indis, Perſis, Syris, Aegyptijsq; hauſerant, hos in officio populos retinendi modos, atque maxime eam de inferis & campis Eliſijs perſuaſionem probarent, & cœlum & inferos & orbem uſque adeò fabulis (quibus religionem tectam uolebant) repleuere, adeò abſurdis atque à ſenſu abhorrentibus ineptijs ſua garrulitate auxere, ut deorum timor euanuerit, inferi & Eliſij campi rideri etiam à plebeijs cœperint. Hinc labefactationis orbis fons, hinc ruinæ, non tantum quæ ſalubria erant infeciſſe, ſed etiam inſalubria orbi inieciſſe. Non fuit diſsimilis priſca Romanorum religio, ut quam inde hauſerant Aegyptij, quum uiderent iſtas

ſpes

ſpes camporum Eliſiorum & inferorum timores eſſe ludibrio, nec poſſe amplius animos multitudinis illis retineri religionibus (conſenuerant enim, ut omnia) conſtituerunt quandam pœnam, quæ & ſummos & imos terrere poſſet. Ex auita enim religione quum eſſet illis ſumma ſuorum ſepeliendorum, aut (ut melius dicam) condiendorum obſeruatio, eſſetq́ probroſum admodum toti gentilitati inſepultum habuiſſe parentem, conſtitutum eſt unumquemq́ ſtatim à morte (præter principem) accuſari à quouis poſſe, atq́ à iudice, ſi accuſator eſſet probando, condemnari, ut inſepultus remaneret, quoad à parentibus eſſet ſatisfactum. alioqui inſepultus manebat, perpetuum generi dedecus. Hæc excogitatio ut non coërcebat tenuiores, & eos à quibus quiuis ſine accuſandi timore licebat ius ſuum conſequi: ita erat magnatibus, & his qui tyrannide ſolent tenuiores opprimere, formidabilis. Melior enim eſt canis uiuens, ut ait Sapiens, leone mortuo. Nam ut plebeij facile retinentur in officio legibus, aut religionibus: ita qui gloria & opinionibus ducuntur, adq́ id aſpirare contendunt, ut ſibi & ſuis glorioſam nominis recordationem relinquant, id in primis uerentur, ne ullam infamiæ notam etiam multis poſtea ſeculis ſubeant: quamuis quicquid eſt iniuriarum popularium, ferè ſoli ipſi committant, ni coërceantur. Finis itaque huius religionis fuit, infamiæ timor. Cogebant ideo parentes & agnatos & affines, ſi ad ſe pertinerent, legum præſcripto uiuere, ne poſt mortem illorum nomine aut ſatisfacere, aut ignominia tangi contingeret. At præclara illa excogitatio parum firma fuit. Nitebatur enim ſuperſtitioſa & ridicula corporis demortui ſepultura, & cuſtodia, quæ ſtatim exploſa eſt: qua deiecta, timor ille concidit. hinc fabula inferorum à Græcis excogitata, inſepultorum corporum umbras non poſſe à Charonte tranſmitti. Quamuis primo & ſecundo libro de religione uera & falſa dictum eſt, tamen paucis hic noſtræ ſumma eſt repetenda, comparationis gratia.

Vna Chriſti religio, præter quam quod legum omnium ratione nitentium, quæ ſatis habent ita hominem in officio retinere, ut non noceat, apices comprehendit, etiam ſummi Dei exemplo, qui in omnes (etiam ingratos & perditos homines) eſt tamen ſummopere beneficus, nos beneficijs ut proſequamur non tantum amicos, ſed inimicos, atq́ ut illis iniurias condonemus, ſuadet, iubetq́: idq́ æternæ noſtræ perditionis timore, aut fœlicitatis perpetuæ cupiditate: aut, quod eſt præſtantiſſimum, Dei ſolo exemplo, uirtutiſq́ amore factum cupit: quo quid ad naturæ conſeruationem maius excogitari poſſit, dari non poteſt. At obſtrepūt huic præſcripto athei, furoris opinioniſq́ pleni homines, aiuntq́ non poſſe præſtari à quoquam, fruſtra que ideo poni, atque pro lege ſtatui. Videamus primum, ſi qui ſemel malus, ſemper ſit malus: & ſi in te unum, aut alterum, an item in alium committat: & ſi qui ſemel errauerit, ſit ſemper pœna dignus. hoc ſi uerum eſt, quum omnium gentium conſenſu nullus mortalium non peccet, idq́ frequentiſſime, omnes necabit Iupiter, ſibiq́ ſolius ſui habebit imperium: eſſet ſanè diuina prouidentia aut iniqua, quæ hominem ſtatim expoſuiſſet omnium rerum neceſſitati, ex qua peccandi occaſio in opinionem uſq́ profluxit, pro ſingulis uero delictis ſtatim ulciſceretur: aut ſtulta, quæ hominem ad præſentem carnificinam edidiſſet, dumq́ imperare uult, quibus imperaret, è medio tolleret. Itaque ſapienter improbos tolerat, ut ad frugem redeant, ſapientius quàm ſi ſtatim necaret. Non ſecus atque iuuentutis deferueſcentia uitia, facilius perferunt leges, quoad ætate maturiore reſipiſcant. Si ergo

go maxime ſummi numinis exemplo moueri debemus, nos nequam filij in fratres (qui omnes ſunt, quotquot parens natura genuit) eſſe animo tam efferato poterimus? adde, qui retorquet iniuriam, quod in altero cōdemnat, in ſe probat. Mitto quo æſtu, quo furore, quibus erinnybus, quibus facibus torqueatur & ardeat, qui de uindicta cogitat, ut nullum ſit inferni clarius exemplum. Mitto periclitari ut minimum duos homines, ſeri diſſidia inter parentes, amicos, ciues, ſeditiones in ciuitatibus aut congreſſibus hominum, ut in nulla re ſit plus periculi, plus ærumnarum, quàm in retaliatione & uindicta. Satius ergo longe eſt, atque paci publicæ priuatæq; utilius, & remittere iniurias, & beneficijs inimicum uincere, inq; noſtram ſententiam trahere. At inſoleſcent improbi, nil non committent ſi impune ſemel læſerint. Sunt leges, ſunt iudices, qui ea flagitia uindicent. Illis permitte. At niſi uindicauero ſtatim iniuriam, nobilis non ero. O ſtultam opinionem, ô dementiam omnibus ſæculis deplorandam. Longe nobilior ergo eris, mactato homine, ſanguine exatiatus, quàm compoſita pace, ſi ſis homini utilis, conſilioq; & tempore modereris furoris impetui. Si inſoleſcat aliquis, eſt certe compeſcendus. uerum tum demum, quum locus reſipiſcentiæ & lenitati non eſt. Iſta ira, hæc ferocitas, in hoſtes reipub. non in alumnos eſt conuertenda. Hoc certe præſcriptum, inimici manſuetudine & beneficio reconciliandi, ſi exequi quiſquam conaretur, tanto cæteras leges omnes legumq; & religionum conſtitutiones ſuperat, quanto illius author θεάνθρωπος, homines. Reliquæ perſuaſiones uix leuibus argumentis atque iudicijs cauſam primam aperuerant, uixq; ſuaſerant. Chriſti religio, & Deum eſſe, & mortalia facta curare, ita ad oculum oſtendit, ut quicquid pridem natura, Dei inſtrumentum, produxerat, id idem in homine, eius'ue partibus inſtaurandis fecerit præſentis diuinitatis argumento. nec tantum illam uim diuinitatis ſibi habuit: quotquot inſigni innocentia ſecundum eius præſcriptum uixere, eandem diuinitatis uim habuere comitem, quoad ſimulatio, fucus, auaricia, ſub pietatis ſpecie, opes cumulatæ ad luxum uſq; Sybariticum, exulare à conſortio humano diuina ſpectacula coëgere. Nulla gens in noſtram perſuaſionem tranſijt, ſine inſoliti facinoris miraculi'ue munere: quod ubi omnibus innotuit, non opus eſt aſſiduitate. Nam & quæuis miracula crebrius facta uileſcunt, non ſecus atq; communiter nata, quæ ingenti admodum miraculo ſunt, adeò uulgaria ſunt, ut nec conſiderare dignemur. Potiſſimum uero quum res mortalium afflictæ, tantumq; non acciſæ eſſent: cumq; illæ quæ hominum iudicio præclariſſimæ putantur, in experimento dominatoribus & tyrannis, orbiſq; labefactatoribus fuiſſent, uenit cōtra humanum iudicium, docturus eam eſſe ſummam uanitatem calamitatem & miſeriam, quam opinionibus illecti homines, gloriam & honores putabant. Itaque in his lubricis & in fortunæ temeritate poſitis rebus, more excellentiſſimorum Philoſophorum, nil eſſe boni, mali uero plurimum, ubi neceſſitatis & priuatæ & publicæ uſum ſuperant, adſeruit: quod ipſum ſuo periculo poſt multas ærumnas, atque ſponte adita diſcrimina quotidie diſcit experiturq; libido mortalium. Solus religionum author ſuam authoritatis atque imperij exortem eſſe uoluit. Ad animi uera bona omnia traduci debere ſtatuit. Quum uero adultum orbem, & in ipſo ætatis uigore poſitum nunquam principibus deſtitutum fore, qui de rerum conditione, reipub. cura, opum cumulatione, iuriſdictione agerent, cognoſceret, ſtatuit Chriſtianum hominem, ubi ratio id patitur, & poſcit authoritas, obſequi

qui debere publicæ pacis gratia. Finis itaq; eius perſuaſionis eſt, non corpore aut fortunæ muneribus beatum hominem, ſed animo tantum efficere, & in hac & in animorum uita æterna, olim etiã ſuſcitato corpore fœlicem. Sed hactenus de noſtra. Nunc paulo altiori ſumma, de omnium origine eſt dicendum. Ita enim fiet, ut pateat omnibus qua ratione ſint conſtitutæ, atq; popularium timore aut credulitate confirmatæ.

VNDE PERSVASIONES DE DIIS VAriæ profluxerint. CAP. V.

NEceſſitas utilitas'ue (nam illas non admodum diſiunctas puto) atque libido uariarum religionum, præcipuæ cauſæ prudentibus fuere. unde tertia, partim libidine inſtituentis, partim utilitate popularium nixa, orta eſt. Res omnes hoc modo à paruis initijs, & neceſſarijs ortæ, progreſſæ ſunt ad utilem, & non admodum neceſſariam licentiam, atque inde etiam ad libidinem & luxum ludibriumq; tranſiuere. Satis enim fuit rudi atque adoleſcenti mundo, ea quæ cuti tegendæ, aluo explendæ, etiam quauis naturæ ſatisfaciente materia, ſufficerent, habere. Paulo doctior iunxit utile, quod ſanè ubi in neceſſarij locum ſucceſſit, proculdubio pro neceſſario eſt. non ſecus atque ouibus aut quibus uis animantibus cicuratis, pabulum ab homine exhiberi ſolitum, quamuis uidetur utile tantum, non item neceſſarium, uſqueadeò neceſſarium eſt, ut ſi illo deſtituantur, ſint periclitatura: nec enim ad priſcum ingenium poſſunt redire, ita nec homines educati quadam uictus elegantia, munditiaue, poſſunt ad ſæcula redire Saturni, niſi ſenſim admodum, multisq; ſæculis. Nam educationis ratio in conſuetudinem uerſa, pro natura eſt. Hinc quamuis copia glandis querneæ, faginæ, caſtanearum, cæterorumq; fructuum & radicum & holerum, ex quibus priſci uictitabant, ſit in promptu: tamen niſi adſit utilis tritici leguminumq; atque carnium copia, quæ uſui faciat ſatis, ſtatim fame, peſte etiam, inde laboratur. Poſt uſum rerum neceſſarium, opinionis & gloriæ peſtis, dum quiſque non tantum utilibus atque neceſſarijs ponit ſuis rebus modum, ſed ad aliorum exemplar componitur, oborta eſt. Hinc ſimiarum genus, non quod ſibi conducat quærens, ſed dum alium ſuperare luxu, gloria, honoribus atque ineptijs alius contendit, ſe in infinitas miſerias æmulationis cauſa conijciens. Neceſſitas pariter (nam omnia ſimilia incrementa, progreſſus, conſiſtentiam, finesq; habuere) religiones primarias, ut iam docuimus, ad homines ob eorum utilitatem tantum in officio retinendos excogitauit, mentibusq; prudentiorum inſeruit, uerbis eorum atq; eloquentia explicauit: quod quum ubiuis gentium pateat, tum potiſſimum in illis ciuitatibus, quæ tyrannis nunquam obnoxiæ fuere: tamen quadam religionis opinione teneri, omnibus omnium gentium hiſtorijs patet. Vſus uero eſt adoleſcens orbis, non tyranni opera, qui ſua ferocitate ex cicuratis animantibus feras faceret, compoſitamq; pacem immanitate euerteret, ſed quadam prouidentia modeſtiaq;, inſtructorumq; hominum (prudentiæ enim tyrones inter prudentes non pono) prudentia, conſilio, opera. Oportebat nanq; ferocitatem illam humanam non ferocitate, ut nec cætera animantia, domari: ſe enim mutuo confeciſſent ſæuius quàm pridem, ſi ſtatim ferocitati ferocitas, atque immanis barbaries obiecta fuiſſet. Compoſitis modeſtiaq; temperatis hominibus, & qui inter liberos luſiſſent, prudentiæ tyrocinio opus fuit, crebrisq; ſignis, uocibus, eloquentia, quibus

ad flectendos permonendosq́ rudiores animos uterentur. Molle in molle agens torpeſcit, flacceſcitq́. Durum molle collidit. Si molle in durum agit, & ſenſim urgere, & formam effingere, nec perfringere, nec comminuere poteſt. Ea fuit Orpheo (aut quiſquis Pythagoricus ſub eius nomine religiones Græciæ & Thraciæ, immanitate barbaræ attulit) prudentia. Quum enim uideret eos populos, apud quos fertur diutius peregrè uerſatus, religionibus ut plurimum quidem falſiſſimis, at prudentum opera non ægrè perſuaſis teneri, ſuis ita inſtillauit, ut non tantum homines, ſed & animantia & uegetabilia cuncta poſt ſe lyra traxiſſe dicatur. Author certe perſuaſionum præcipuus Pythagoras inter Græcos ſemper eſt habitus; hinc religioſè illius authoritas pro ratione haberi cœpta. Admiſſa quæuis minima à popularibus ſunt, quum nec ipſi inſtitutores, rudes adhuc, ſatis numinis ſummi naturam noſſent, debiliq́ ratione & exemplis ducerentur. Atque ideo ab omnibus ſunt placita de religione probata, quod prudentes poſt uſum perceptum uehementer probarent, populares facile crederent. Talibus exemplis propagari religio cœpit. Inde in totam Græciam, inde inter Romanos traductam licet cognoſcere. Hinc & neceſſaria & falſa ubiuis gentium orta. Quum homo ad gratiam referendam ſit aptus, atque inſolitarum rerum admirator, nil illi ſuaderi facilius poteſt, quàm eſſe numen aliquod, cuius beneficentia aut aliquod munus ad uitam utile eſt conſequutus, aut hanc tam amplam rerum omnium copiam habet: quodq́ aut maioribus donare, aut paribus, aut præſentibus etiam deſtituere, multasq́ calamitates infligere poteſt. Iſta enim omnia quæ ſunt in hoc naturæ templo poſita, nec à ſe (quum ratione & appetentia per ſe careant) nec ab hominibus condita appareant, faciliime habere latentem cauſam ſunt credita, propterea quod & rerum cœleſtium, & ſubſtantiarum ſeparatarum, atque totius naturæ obſcuritatis ſunt ferè omnes homines ſine literis & maximo rerum uſu imperiti. Qui Deum non capiunt, mordicus patrum placita tutantur. Qui qua ratione res ſint introductæ norunt, etiam ſi ſapiunt, nullum non mouent lapidem, ut receptæ religionis opinio integerrime ſanctiſſimeq́ conſeruetur. alioqui & ſe & totam Rempub. euertunt, niſi aliam introducant, antequam primam tollant. Statis uero diebus, ſacris, ceremonijs, ſacrificijs, ludis, res retineri cœpta, non tantopere ut populares, plebeiosq́ in officio religionis continerent, quàm ut dum crebro concurrit obliuioni obnoxia multitudo, & ea quæ à ſacerdotibus & religionum authoribus reſponſa ſunt audit, & quæ ob publicam utilitatem ratione inſtituta ſunt cognoſcit, frequenter ea in memoriam reuocet, ſeruetq́. Nam ubi numen aliquid reſpondiſſe credebatur, longe erant obſequentiores populi, quàm ſi homo illis ſimilis ipſorum author fuiſſet. Reſponſi enim uel oraculi nulla ratio perquiri debet, ab homine etiam ſolet. Ita utilis quidem, & parum explorata religio, niſi ab illis qui cauſæ primæ rationem nouerant & explicauerant, eſt introducta: utilis quidem illa, quandiu & imperiti & rerum periti ſeruare illam ſategere. uerum aut conſenuit, aut deprauata ſenſim neglectaq́ exoleuit. Quum uero uerſuti, ambitioneq́ & rerum cumulandarũ & gloriæ amore capti homines tam facile quibuſuis religionibus rudem ignaramq́ rerum multitudinem capi atque teneri cernerent, eorumq́ perſuaſionibus qui aliquid non quidem humano, ſed inſolito maius habere uiderentur, non ægrè obſtringi, non ſatis habuere & recepta uti perſuaſione, & eam introducere, quæ populis eſſet compendioſa: ſed quæ illos ipſos

cæteris

cæteris præficeret, & popularibus poſſet præſcribere, atque inde ab ipſis paruis quidem illis initijs ea regna auſpicari, quæ poſtea & magna fuere, & diuturna. Numinis porro eam opinionem aut ab ipſis incunabulis, aut ex totius uitæ conſuetudine perſuaſam uoluere. Iupiter Saturni filius (ut ab ipſo capite ordiar) oraculo à patruo emendicato atque excogitato expoſitus, ut qui & patrem ueluti hæres regno expulſurus, tyrannidemq́ Cretæ & affectaturus & conſequuturus eſſet, niſi necaretur exponeretur'ue, tandem à capra educatus, non ſine numinis cura (ut creditum eſt) traxit hoc infantiæ miraculo Cretenſium ſibi ſimilimorum animos, patremq́ & patruum Titana auita poſſeſſione expulit, regnumq́ perſuaſioni uſqueadeò coniunxit, ut non tantum inter mortales opinionem diuinitatis de ſe ſuaſerit, ſed & poſt mortem inter diuos tantumnon primum locum habuerit, ſeruaueritq́. Pater uero, ſub quo aurea ſæcula ſunt credita, Creta, mendaci filio indignior, exulare coactus, Italiam petijt, quam non ſine filij exemplo in officio artibus religionis uſqueadeò fœliciter tenuit, ut primus, atque mortalium deorum ſummus facile ſit habitus. Vbi illa præclara ſanctaq́ (ſi dijs placet) ἀποθέωσις locum habuit: tum à Græcorum licentia cœlum oppletum fabulis. quod credo ſane antea barbaros, aut quorum literæ ad nos non peruenere, aut quorum commentationes ipſorum Graiorum opera perijſſent & eſſent ſuppreſſæ, factitaſſe. Nam ſine exemplo, aut doctrina, uix unquam quicquam magnum per ſe excogitarunt: ſi tamen hoc magnum fuit, imponere orbi, religionisq́ prætextu regna uenari. Hinc non tantum homines, ſed capræ, arietes, leones, tauri, urſæ, hinc naues, iacula, lyræ, ſagittæ, ea licentia cœlum occuparunt. Herculi ſpurio, dignoq́ patre Ioue, miraculi præſentisq́ diuinitatis loco fuit, obiectum fuiſſe ſerpenti: quem poſt Amphitryonis filium necatum, bimulo minor (ſi credere dignum eſt) confecerit. Hæc illi diuinitatis præſentia, ſerpentisq́ uictoria regnum Africæ, deuictas Hiſpanias, Gallias, Britannias, non tantum legibus, ſed religionibus obſequentes dedit. Hac numinis, etiam infantem ætatem protegentis, opinione confeciſſe tot monſtra, uiciſſe tot tyrannos creditus eſt. niſi tamen Græcam mentiendi licentiam uni adſcripſiſſe credimus, quæ multi geſſere. Conſtat quidem de Aegyptio hiſtoria, de Græcis dubitari poteſt. Oſyris etiam Aegyptius (nam inde prodijt quicquid falſæ perſuaſionis eſt) quanquam Græci ob inſignem hominis prudentiam Argiuum eſſe contendunt, regnoq́ Achaiæ præfuiſſe: cuias ille fuerit, nil refert: Iouis filius eſt creditus. (nam à dijs ſatum fuiſſe, magnum ſemper fuit) eaq́ diuinitatis fama Aſiæ, Africæ atque Europæ celebriores partes non tantum uicit, ſed legibus moribusq́ formauit, agriculturam docuit, eamq́ de ſe omnibus opinionem reliquit, ut Deus habitus ſit, de quo paulò mox. Nam ad expoſitos redeo, qui ſanè quanto maiorem ex parentum iniuria labem recepiſſe, tanto ardentius in ipſam uirtutem incubuiſſe uidentur: ut aut parentum labem eluerent, aut religiones confirmarent, aut de illis qui legitimos ſpoliandi cauſa exponendos curabant, pœnas ſumerent. Fuere uero præter unum Cyrum, fortaſſe omnes filij populi. Semiramidi parum pudicæ procreatæ, atque ideò expoſitæ, educatio à columbis (quæ nomen Syrum inde illi dedere) totius Aſiæ regnum clariſſimum ipſi dedit: atque adeò amplas opes, uictorias, ædificia comparare atque abſoluere incitauit, ut Cæſaribus & Alexandris admirationem cum inuidia reliquerit. Ita nutrices no-

mine caprarum, luparum, auium, canum, facile antiquitas credidit ea animantia fuiſſe, quæ nomine tantum conueniebant. Cyrus non tam facile auitum regnum uicino cumulaſſet, niſi expoſitus, opinionem comitis numinis popularibus, fortaſſis nimia tyrannide oppreſſis, perſuaſiſſet. Nolo hic Romulum cum lupa adducere. nam par erat, ex inceſto natum, à meretrice lupa educari. Tali propagatore paſtorum, furum, prædonumq; natum eſt primo regnum, demum reſpub. poſtremò imperium omnibus prudentiæ, potentiæ, atque iniuriæ ſuperbiæq; titulis multo ornatiſſimum: de quo præſtat aut in bonam aut in malam partem ſilere, quàm pauca ſcribere. Non adferam Aegiſthum à capra, Pelian ab equa, Paridem ab urſa educatos, quum expoſiti dicerentur. Hoc enim exemplum à lege diuina eſt ab innumeris emendicatum, Moſis inſtar. Quotquot enim ſunt imitati, etiam ſi quos populos potuere in ſuam ſententiam protrahere, illis præeſſe conati ſunt. Quis non credat, apud rudiores receptam de Ioue Ammonio patre Alexandri opinionem, ei faciliores dediſſe uictorias, quàm ſi Philippi filius ſtatim fuiſſet habitus? Fac nunquam cogitaſſe illos de religione, poſtquam ſe expoſitos dijs'ue genitos audiere. Ea opinio ſanè & illorum attollit animos, & popularium deprimit atque deijcit. Non enim omnia falſa ſunt ſtatim iudicanda, quòd quædam in eo genere falſa uiſa ſunt. non raro portenta, miracula, oſtenta, facta, ab incertis cauſis non iniuſſu aut ſine ſummi numinis uoluntate uiſa ſunt, quæ frequenter aut ingentium malorum, aut uiciſſitudinum prænuncia fuere, ut ipſa ſibi caueat mortalitas. Nam quod frequenter contingit, ut medicus ſapiens corporumq; temperamenti peritus, frequentius morbos prænunciet, ut præcaueri poſſint: itidem numen illud ſummè beneficum, cui acceptum ferre debemus quicquid in hac uita rerum nanciſcimur, his rebuſpub. hominumq; cœtibus facit ſignificatq; non raro ea, quorum imperiti ut plurimum mortales ſunt. Aetatem enim & incrementa, progreſſus, fines ſingularium, ut quæ maxime ad nos pertinent conſideramus, reipub. aut rerum uniuerſalium conditionem perpendere non uſqueadeò poſſumus, ſolemus'ue. Et quia ea ſcire magni (quod ad humanarum rerum ſtatum ſpectat) refert, ideo Deus opt. max. periclitanti tantæ multitudini frequenter opitulatur, officiumq; demum patris ſuſcipit, ubi humana remedia deſunt. Talibus miraculis ſcatent hiſtoriæ, ut ſi falſa omnia quiſquam ſit tam impudens ut aſſerat, eſſe in ſe rationem neget: tamen etiam eſſe multa à uerſutis hominibus conficta, ubi præcipue ſunt ſimilia, nemo niſi ſtupidus non cognoſcit. At quæ uera, quæ'ue falſa ſint, Deus aliquis uiderit. Res inſolitæ fuere etiam regnorum & magnarum rerum augurium. Hieroni Siciliæ tyranno dormienti apes mel in os congerentes, formicæ Midæ tritici grana cumulando, magnum fuere potentiæ poſtea comparatæ & auctæ argumentum. Perſarum rex Sophis, nunc regnantium fratrum pater, in ſyluis diu deliteſcens, abſque ullo uitæ humanæ adminiculo, quamuis iam natu grandior, tamen non ſine diuinitatis argumento paternum regnum recepit. Idem Habidi Tarteſiorum regi, cum cerua diutius uerſanti, contigiſſe refertur. Quid? quod quidam incuborum opera nati, magni poſtea fuere? Vlam in Tartaria, Hungari in Germania, Merlinus in Britannia? Quis non credat familiares illos genios Socrati, Hieronymo Sauonarolæ, Apollonio Tyaneo, & multis alijs animos feciſſe ad rerum ſummam, niſi oppreſſi aut præpediti fuiſſent? Cum ſuo dæmone Pythagoras Turiorum tyran-

nidem

nidem affectare non erubuit. Satis patet eorum aſtus, qui religiones non in rem popularium, aut neceſſitatem, ſed potiſſimum in ſuum compendium intulere, non pauci etiam in opinionem. Nam & Romulus in ſanguinis præcium à Proculo deus uiſus eſt. Nec tantum ea religio dicenda eſt quæ timore aut amore numinis incutitur ab aliquo, ſed quam de ſe oblatam popularibus & perſuaſam cupit. Nunc de illis dicendum uidetur, qui in rem populorum & ſuam de dijs opiniones orbi intulere. Prudentia iuſtitiæ coniuncta in cauſa fuit, ut qui illis eſſent præditi uirtutibus, non tantum in ſumma omnium admiratione haberentur, ſed etiam de ſe facile omnibus omnia credenda ſuaderent. Nam ubi in quocunque homine uidemus ſummam probitatem æquitati connexam, nullaq́ eum ambitione teneri, quæ eundem contra fidem atque animi ſenſum dicere cogat, proculdubio eius omnia uerba accipimus ueluti ab oraculo, nihiloq́ ſecius quàm ab aliquo numine prolata curamus ſeruanda. Eſt enim in eo loco uir bonus & prudens inter homines cæteros, in quo Deus etiam ſupra ſapientes, eſt'que ueluti diuini conſilij conſcius, quum diuinæ & humanæ rationis eſt ualde peritus. Hac iuſtitiæ & prudentiæ opinione multi ultro ad moderandas rerum habenas (iam cultu pubeſcentem orbem capio) ſunt à popularibus adſciti, delectiq́. quidam partim populorum cura, partim gloriæ & ambitionis motu ſe huic muneri obtulere. quidam imperium iam partum ſtabiliuerunt, atque religionibus legibusq́ expoliuere. Non pauci, quos maior gloriæ cupido inceſſerat, ſatis habere ui ſi ſunt leges poſuiſſe. Omnes autem quum perſpectum haberent, etſi ſe gratiſſimos non ignorarent, multos qui principia & legibus & rebuſpublicis dediſſent, demum populorum iniurijs atque ſeditione perijſſe: ad hæc, quod animos hominum obnoxios mutationibus & ingratitudini ſcirent, ne in diſcrimen uenirent, ſe conſuetudinem habere cum quodam numine, ut eorum maior eſſet duplexq́ authoritas ſuaſerunt, cuius numinis conſilio & opera, ſe quicquid agerent, ſtatuerent, conſulerent, facere adfirmabant. quibus eo facilius dabatur fides, quod euentus ut plurimum uidebantur conſequi reipub. uſui utiles. Numa Pompilius Pythagorici dogmatis admodum gnarus, quum ad moderandam urbem à Romulo auſpicijs fundatam aſciſceretur, eamq́ uideret ideo fortaſſe authorem ſuum confeciſſe, quod aut nulla, aut non magna religione, deorum'ue timore eſſent moderati animi, uoluit imprimis populo id de ſe perſuaſum, ſe numinis authoritatem quòd Aegeriam nympham uocabat, per omnia ſequi, ne ſi quid populo non placeret, aut non fœliciter, quamuis prudenter factum, ſuccederet, ipſe ueluti author pœnas lueret. Ita & populo conſuluit, & retinuit eam regno dignitatem atq́ amplitudinem. Nolo hic Lycurgum, Solonem, Charondam, Zamolxim, & cæteros qui legum authores aut inſtauratores ſummo popularium commodo & communi gloria fuiſſe memorantur. Omnes enim numine authore, & oraculis conſtitutiones ſuas ſtabilitas firmasq́ fecere. Primo namque loco auſpicari à religione & deorum geniorum'ue, quos habere ſe familiares afferebant, opus fuit. Verum omnium artes & ingenium unus Arabs Muhamedes facile ſuperauit. illum in ſuperioribus pinxi. Meo ſanè iudicio, ut homines nunquam ſine religionum credulitate conſiſtere atque retineri in officio poſſunt: ita credulitas ſine armis uix poteſt augeri atque conſeruari. Antiqui ideo reges ſacrificulos, utraque coniuncta potentia, ſub nomine imperij habebant.

Rex Indorum Aphricanorum de religione reſponſitare, & ſummos pontifices deligere ſolet, quibus præſcribat. Dauid rex prophetiæ nomine plus profuit, quàm regis potentia. Temperari utrumq; ab alterutro debet. Qui rebus ſine quibus neutrum conſiſtere poteſt, potitur, debet rerum omnium arbitrium moderari, quod ad res externas attinet. Nam nemo neſcit, alterum animi locum, alterum ueluti corpus Reipublicæ eſſe: quibus diſiunctis atque diſſipatis, ſtatum collabi neceſſe eſt. Seorſim enim alterum poſitum, ocio marceſcit, niſi iuſta animaduerſione agitatur, alterius ue freno modum cupiditati ponat. Cuius rei id fidem potiſſimum facit, quod omnes religiones illic primum periere, ubi ſunt primò conſtitutæ. Atque niſi principum diligentia luxum cohercuerit, ab illis ſunt confectæ, qui illarum cuſtodes diutius ſuo arbitratu fuere. In rebus autem animi abſoluta eſſe debet ſacra potentia. Dum uero ſibi plus æquo fauent, aut conſulunt myſtæ, non ſatis omnium utilitatem perpendere, ſuam uero (cum inde ſit illis uictus comparatus) naturaliter curare ſolent. Quamuis autem ſit pro ordinis, ut uidetur, diuturnitate atq; conſeruatione prouentus, nemo tamen aliò abſumi, miraculo ducat. Non enim ſibi modum ponunt, ſed æquior iudex, Reiq; publicæ optimus arbiter id facere debet. Verum dicetur poſtea, qua potiſſimum ratione omnes perſuaſiones perierint, ſint ue perituræ. Nunc quemadmodum uarius rerum cultus in orbem irrepſerit, paucis eſt tradendum.

ABSVRDAE RELIGIONIS ATQVAE εἰδωλολατρείας origo. CAP. VI.

QVoniam hoc naturæ templum, & eius beneficiorum immenſitas, in ſtuporem & admirationem homines trahit, inde gratitudinem in cauſam incognitam relatam cupiunt. Ignarus uero cui referat (nam diuinitatis ſpeciem non poteſt cæca mortalitas concipere) cuilibet rei à ſacerdotibus & prudentibus illatæ & oblatæ & timoris & gratitudinis gratia refert, opinionemq; receptam ſacerdotes cõſeruationi illius pręfecti, diuinationibus, ænigmatibus, ſcrupis ue & aſtu augent atq; cõfirmant. Satis itaq; fuit tyrannis & illis qui rerum olim habuere habenas, uel falſiſſimis religionum opinionibus retinere populorum animos. De placitis uero atque reſponſis, oraculis ue deorum, ſeu ſacerdotum eorũ cultum docentium, nulli rationem poſcere licitum atque ſolitum eſt. Prudentes, qui rerum uſum norunt, approbareq; ſe ſimulant, ſunt plebeculæ rerum ignaræ exemplo, autoresq; ut ſeruetur de dijs recepta opinio. timore utroſq; cogit princeps, pacis publicę gratia. Illa popularium & multitudinis credulitate adducti olim, cum parum naſutus mundus erat, uafri illi principes, & nebulones, qui ſui memoriam maxime longam aut raris aut præclaris facinoribus, aut gloria aut opinione aut beneficio aut aſtu efficere ſtuduerunt, perſuaſum uoluerunt turbæ imperitæ, ſe poſt mortem deos immortales futuros, in cœlumq; emigraturos, ubi haberent rerum mortalium curam: ſi tamen mortales omnes, ſed potiſſimum illi quos aut beneficio affeciſſent, aut quibus præfuiſſent, crebris ſacrificijs illis ſacra facere ſatagerent, id eſt ut diuturnior eorum ſeruaretur memoria, eorum ſacerdotes alerent. Nam ſine anniuerſaria hominum memoria, & ſtipe in memoriam conſtituta, nihil durat diutius. Omnia enim obliterat tempus, ſed iſta tardius. Hinc apotheoſis, & aquilæ ex rogo

cœlum petentes, ueluti animos deferendo. quæ fraus uſqueadeò innotuerat & Romanis & Græcis iam adultioribus, ut qui fuere inter illos potentiſsimi, in cœlum irrepere non potuerint, iam populis cultioribus. hinc labes & mali origo, hinc ſacrificiorum & ludorum omnia genera: hinc uariæ funerum cœlos petentium ſpecies. Inde orta ſacra, mendacijs aucta atque confirmata. Hinc Deus haberi cœptus, cui ne meritò quidē hominis appellatio, ſed immaniſsimæ potius belluę cōpetebat. Hinc prędo & urbium euerſor Mars, hinc pęderaſtes & figulus Iupiter, impoſtor & dicax Mercurius, Venus meretrix, Lemnius faber, pirata Neptunus, Bacchus & Ceres agricolæ, in cœlum linguis & fauoribus popularium conſcenderunt. At ne parum eſſet, cynædi & ſcorta etiam Romano ſacro donata ſunt. Ne uero ſtatim ex hominum perirent memoria, ſuoq́ cœlo deciderent, præterquam quod ſtatis certisq́ ritibus & ſacris colebantur, etiam animalia quædam quorum ſpecies ſemper eſſet inter homines futura, ueluti ſibi ſacra poſteritati reliquere. Tibicen, medicus, atq́ circumforaneus pharmacopola Apollo, ſerpentem: Iupiter aquilam, Venus columbas, Iuno pauonem, atque alius aliud reliquere. ſunt & arbores & herbæ illis conſecratæ, excogitatione ſacerdotum, atque naturali planetarum proprietate. huius excogitationis inuentrix Aegyptus. Iſis Aegypti regina, mariti Oſyridis nomine, quum à fratre & uita priuatus, & in partes quinque & uiginti eſſet laceratus, ob nomen tyrannidis, hoc adinueniſſe traditur, ne opinionē diuinitatis, quam de Oſyride, quum ob rerum geſtarum magnitudinem, tum ob originis diuinæ opinionem conceperant, deponerent & exuerent populares, eas uigintiquinque partes corporis mariti, quas frater in rei ſignum totidem prouinciarum præfectis deſtinauerat mittere, uicto fratre recuperatas, ſingulas ſingulis ſtatuis humana forma maioribus includendas, easq́ dicatis totidem templis in diuerſis prouincijs conſecrari (ueluti integrum mariti corpus in ſingulis lateret) curauit, conſtituta ſacerdotibus, qui id ſuaderent, in annuos prouentus pecunia: ſine cuius uſu nec religio, nec leges, nec artes etiam utiliſsimæ, uel minimum in adulto orbe conſiſtere poſſunt. Quamuis autem ubiuis prouinciarum uellet credi, (ut qui unus in cœlo eſſe diceretur) ut contentionem & longiorem memoriam inter populares, (qui apparatu pomparum & ceremoniarum mutuò ſeipſos ſuperare nitantur) ingeneraret, uoluit etiam totidem animalia diuerſa, quot erant partes, ſacra haberi, animalq́ illud ſemel ubiuis conſecratum eſſe ſacroſanctum, ne fortuitò quidem lædendū, ſed eximiè colendū, religioſe oſtendi, idq́ nec crebro, nec ſine ceremonijs aut uoto popularium. Nam etiam ſacroſancta myſteria aſsiduitate uileſcunt, raritate commendantur. Ita ueluti Oſyris eſſet in ſingulis illis animantibus rediuiuus, quotidie, recordationi Aegyptiorum ſe ultro offerebat. Vſqueadeò magno gloriæ ſenſu & cupiditate homines genuit natura, ut ab aculeo incitarentur ad præclara facinora. quam gloriæ opinionem in famam & celebritatem tantum, non item in uirtutem traducens improbitas, plures longe Parides, Cambyſes, Heroſtratos, Dionyſios, Claudios, Nerones, Heliogabalos, quàm Saturnos, Ianos, Auguſtos, reliquit: qui quo fuere impudentiores, eo ardentius cœlum, ad eluendam nefariæ uitæ notam, arripere ſunt conati. Hic fons fuit εἰδωλολατρείας, atque falſæ perſuaſionis ſeminarium. hinc arcus, ſagitta, ancyle, hinc quiduis in religionem coactum. Inde à nulla re abeſſe diuinitas credita. hinc orbis labes & contentio. Varietas ſepulturæ, quæ ad diuinitatem ianua eſſe uide-

tur, inde nata. Dijs ipſis,ſi ſuperſint fœlicibus,& nulla re egentibus,litatum hominibus, proprijs ſeruis,aut etiam liberis, equis, armis, cerarijs, ut uirtutibus ſacrificatum: dijs ueluti gratiſsima hoſtia deuotus homo, ſons, inſons, ſeruus, liber, hoſpes, indigena, extraneus, parens. Nec ſatis id fuit,ut qui quædam animantia ob memoriam diuturniorem habuere ſacra, Ita quædam execrata, & ſacrificari ſolita ſingulis illis nebulonibus (uolui dicere dijs) ſunt, ſus Mineruæ, caper Baccho, aſinus Priapo, &c.ut fere uniuerſo animantium generi fœdum pararit exitium Aegyptiacum commentum. Poſtremo excogitati Veioues,atq; ἀποτροπαῖοι dij. Inferis ſacra fieri cœpta.terreſtres dij placitis Pythagoræ culti,ne nocerent:cœleſtes, ut prodeſſent.deorum ex toto deuicto orbe turba à Romanis pacis humanæ euerſoribus in urbem inuecta, ut undecunque confluerent homines, deos patrios Romæ reperirent,colerentq;. Vacinna dea, Pales, Rubigo, Pomona,Pylumnus,Vertũnus,Cupido, Voluptas, Lubentina,Venus,Febris,Fortuna, fortuna Romana,fuere templis dicati dij. Fidei,Mentis,Virtutis,Opis,Libertatis,Victorię,& tẽpla & imagines erectæ. Cœlorum,planetarum,elementorum, uirtutum, uitiorum,hominum,dæmonum,immutata à prudẽtibus & uafris hominibus nomina in religionẽ tracta. Cauſa prima,prouidentia ue,in ſumma hominum omnium ignoratione haberi cœpta: antequam duce Chriſto rurſus innoteſceret. Porrò ne religionis ſemel probatæ minueretur authoritas, ipſis ue tyrannis nota impietatis inureretur, uictores ſemper templis, quoad furta tegere atque diſsimulare potuere, pepercerunt. Vix enim literarum monumentis reperire ex tanto regum, tyrannorum, imperatorum ue numero licet (præter paucos Perſas, aut Romanos) qui loca religioſa,delubraq; ſunt aggreſsi ſpoliare: quamuis falſa, & à prudentia humana excogitata eſſe ſcirent omnia fere religionum genera, ea potiſsimum ratione, quod potiſsimum ſcirent homines & religioſos & religionum authores atque conſeruatores credi plus quàm deos. Præterea ſi deos patrios tollas, eorum ue templa euertas aut ſpolies, ſacris numinibus, qui conuenire unà poterunt, quos imperata facere cupis? Vnionem certe ſoluet,qui deorum authoritatem imminuit, niſi iam rebus omnibus compoſitis,& firmato imperio,atque falſitate ſuperioris demonſtrata, meliorem ſufficere ſtudeat. Nouus certe princeps id non debet aggredi,niſi longe ſuperior.Ideo omnes principes, aut qui rebus potiebantur, ut pietatis opinionem de ſe plebeculæ relinquerent, aut ut religiones confirmarent,ſeu utraque de cauſa,ſummopere ornare & conſtruere templa ſatagebant: illaq; præda ex ſanguine humano aut etiam ex alijs templis rapta decorare ſtudebant, quo fiebat ut in fide facilius longe retinerentur populares.Iſtæ ſunt cauſæ atque origines falſæ religionis.nunc de illius progreſſu & incremento, ordinibusq; dicendum.

DE INCREMENTO ET CONSISTENTIA *Religionum.* CAP. VII.

IN rebus omnibus quæ ab humana prudentia diligentiaque cultum & ordinem recepere,quum omnia potentia,non item actu in ſe haberent,idem primum fuere & magiſtratus,& qui imperata facerent,ante occupatam,adeptam, datamq; authoritatem. Quemadmodum antequam ædes conſtruantur, non eſt diſcrimen in ſylua, inter poſtem ,trabem, canterium, culmen: in lapicidina idem & ſimilis lapis eſt unde fundamenta, angulos, antas, columnas, epiſtylia,

baſeſq;

baſesq; facias. Artifici manui omnia debentur. Omnia enim ueluti in quodam chao congeſta, ad diuinæ prouidentiæ huius molis mundialis exornatricis inſtar, ſenſim prudentia humana à neceſsitate, utilitate, ſpe, gloria, ſummo animi corporisq; labore ſunt expolita, in ſuosq; ordines translata. Cultum certe eruditione & ueluti exaſciatione capiunt, rudia per ſe omnium rerum principia: non aliter atque diuina prouidentia naturali potentia & diſpoſitione uſa, ex primaria & confuſa mole (quæ nec materia nec forma meritò dici poterat, ut nec animo humano, qui nondum erat, capi) & cœleſtem & elementarem ordinem diſpoſuit, grauia leuibus, ſumma imis, incorruptibilia fluxis, motum quieti, libramentis aptando. qui ordo ideo à cœleſti elemento, quod quidam quintum uocant, æternum ſeruatur, quòd à mero prouidentiæ imperio pendeat, diuerſasq; & contrario niſu repugnantes partes in ſe non habeat, quarum contagio infici poſsit. Initio ergo conuerſationis humanæ, antequam uitium & cupiditas ad ſui coërcitionem leges poſcerent, princeps, populus, ſacerdos, ijdem & pares erant. Inde patris authoritas in liberos. paterfamiliâs in domeſticos, dominus herus ue in ſeruos, iudex in prouinciam, princeps in ditionem, ſacerdos in animos ius habere, ſenſim procedente exemplo, conſenſuq; hominum, cœpere. Conſtitutus autem uterque, & princeps iudex ue, & ſacerdos, antequam res adoleſcerent, & augerentur imperia, omnium eius generis magiſtratuum uicem ſuſtinebant. Nam differenti ordine opus non eſt, ubi unus ſatis eſſe poteſt. Nata opinione, & diutius uigente, quum res innoteſcũt & expoſcunt, additur indies paruis rerum fundamentis & initijs legum ſacrarum, ex dubijs aut uitijs quotidie oborientium aliquid, præterea cultus popularium, rarius tamen (quod ad res attinet) ſine ſtipe. Quum enim naturaliter ſeipſam propagante religione increbuit ubiuis gentium quædam ſanctitatis, miraculi, inſolitæ ue & utilis rei aut numinis opinio, opes aut tenues, aut ab ipſo principio nullæ ſenſim creſcunt, atque undecunque à uotis confluunt, ita ut quæ parua à principio ſunt, adoleſcant, atque tam opinionibus quàm opibus in immenſum eant, ſerpantq;. Nam plures ſunt qui offerant, & quæ recitantur credant. Pauci qui miracula & ſacros ritus ne frequentia uileſcant, aperiant, quiq; munera tanta quæ (ut ſacerdotes aſſerunt) gratiſsima diuis plebs credit, recipiant. Hæc eſt religionis conditio, perſuaſionisq; augmentum. Hæc ars ex delubris & lucis immania templa conſtruxit, opum ſplendore in uerba perſuaſionis iurare coëgit. Hinc leges ſecundariæ ex uitijs & dubijs ortæ, primarum explicatrices confirmatoriæq;. Inde ædificiorum, ceremoniarum, pomparum, ludorum, ornamentorum, cultuum & prouentuum nomine, etiam flagitatio munerum. Populi uero rerum ſacrarum omnium ſplendore illecti, ultro etiam offerre, partim ob religionem, partim ob gloriæ participationem, nominisq; memoriam ſolent. Principes, & qui facultatibus pollent, ut glorioſam nominis recordationem poſt ſe relinquant, deosq; propitios habeant, & ut popularium ſtudium uincant, incitentq;, ad hæc ut ipſam religionem amplificent atque augeant, proprijs ſumptibus & delubra condunt, & numeroſas perſuaſionis cuſtodes inſtituere ſolent. accedit ſacerdotum eas opes augentium induſtria & œconomia, quæ longe maximam opum prolem infert. Quo fit (ut res mortalium nunquam conſiſtere poſſunt, ſuntq; in cauſa ſi quis abutatur & ruinæ & mutationis) ſtatim pro uoto & facultatibus popularium ut creſcant in immenſum ſacrę opes, atq; ſi quid ſit uſpiam luxus, quum à nemine cõ

peſcuntur,

peſcuntur, id potiſsimum in ſacerdotibus aut pontificibus uideatur. Ea ratione à primis initijs ortæ, diutiusq́ conſeruatæ perſuaſiones, in immenſum creuere, opumq́ ſplendore nulla ferè paulo diuturnior non facile luxu Epicureos, facultatibus fiſcum ſuperauit. Poſtremo etiam ſuo ſe confodit gladio, & uoluptatis illecebris, deprauatisq́ moribus ſeipſam conficit. Nec id in noſtra tantum cõtingit. Quamuis omniũ rerum contemptum profitemur Chriſtiani, quod ſanè in adulta religione nec fieri nec obſeruari poteſt. Pauci et opinione ſancti, nec prauis opinionibus deprauati, paucis egebãt, quo tempore creſcebat naſcens perſuaſio Eccleſiæ: nunc multi multis, ſummi ſummis egent. Aequũ ſanè fuit tenuẽ eſſe, & rerum omnium nudam, adde & quæ ſuaderet opum contemptum, religionem, quum pauciſsimi & abſtinentiſsimi illius erant cultores, nõdum natis uitijs, opinionibus, dubijs, & amplo cœtu, cui eſſet præſcribendum: ut auctis ordinibus, & diſtinctis, adeſſe facultates opus eſt, quæ ad rerum neceſsitatem ſatis ſint. Vnde meo iudicio, toto cœlo nunc errant, qui facultatibus proprijs interdictum ſacrificulis Chriſtianis uolunt, quum ſi quid habeant ipſi, in luxum turpiter abliguriant. Vſus certe præpoſterus, non opes culpari debebant. Quis enim niſi mentis inops dona recuſet, præſtantiſsimum acquirendi genus? magna nomine diuino cõſtrui ædificia uetet? induſtriam damnet, præcipuè quum numinis gratia ea fiant, liceatq́ ei bene & male uti cuius arbitrio cõmittuntur? Ita diteſcunt templa & ſacrifices, ita ſunt ditiores dij mortui quàm uiui. Dominio porrò rerum aucto, non potuit progreſſu temporis omnibus ſacris tractandis, emendandis, conſeruandisq́ unus ſatis eſſe, plures dignitate pares abſq́ dubijs, litibus, ſceleribus, non potuere conſiſtere. Primarium quondam ordinem opus fuit inſtitui, neceſſeq́ fuit arbitrum primum religionis leges abſentibus dare, remotioribusq́, quorum cura illi cõmiſſa eſt pærſcribere. Seu uerò ab eo qui author aut conſeruator religionis eſt, ſeu à principe, ſeu à populari conſenſu, aut magno concilio eligatur, nihil refert. Præeſſe unum pluribus opus eſt, ad quem rerum ſumma deferatur. Nam ut nemo ſibi iudex (niſi in conſcientia & occultis rebus) eſſe poteſt; ita ſine authoritate quadam ſumma inter dignitate pares ius dicere, ſcelera uindicare, de dubijs reſponſitare non poteſt. Omnium gentium religionibus quæ latius patuere, fuere ſummi pontifices, ſuntq́ futuri, qui cæteris præſcribant, aut Principis, aut conſenſu Reipublicæ, aut ſummi conſilij authoritate. Alioqui non rerum ordo in rebus humanis eſſet, ſed quoddam Chaos, quum res huius mortalitatis ſint ſemper corruptioni, dubijs, litibus, uitijsq́ adnexę. Veritas enim, amicitia & uirtus hic potius uocabulo quàm rebus habentur, niſi ab ijs quos omnino mutauit per Chriſtum Deus. Demum cum regiones perſuaſioni eidẽ obnoxię latius patent, quàm ut cõmode ab omnibus poſsit ſummus adiri pontifex, tertius ordo oriatur oportet. Conſtituendi ſunt pro locorum ratione mediæ authoritatis uiri, quibus & præſcribat & ſuam authoritatem in quibuſdam impartiat ſummus pontifex. quos ideo pontifices dixit antiquitas, quòd religioni quæ per illos uiget, pontem faciant, & ueluti eam cęteris tradendo tranſuehant, ſeruentq́, ne curis politicis immerſa periclitetur. Sunt ergo tres conſeruatorũ & explicatorũ perſuaſionis ordines, ſummi, medij, infimi: ſummi pontifices, pontifices, ſacrificuli, quorum & uocabula & munia nulla gens exculta diutiusq́ regnans ſub eadem perſuaſione nõ habuit, quamuis uoce à nobis diuerſa nuncuparet. Res enim eaſdem eſſe, uocum diuerſitas quæ ferè in ſingulis populis differt, non uetat. Medios eſſe quandoque

uariorum ordinum, nihil prohibet. Nam quamuis archiepiſcopi prȩſunt digni-tate & quodam iure epiſcopis, conuentusq́ conuentibus, medij tamen omnes ſunt quod pareant pontifici ſummo, aut ſummæ poteſtati. Patriarchæ fuere Græcis, quibus ambigentibus, ut & ipſis Apoſtolis, non unus ſummus homo, ſed ſacra concilia prȩerant: quod utinam fuiſſet in omnibus Eccleſijs ſeruatum. Nam ex hominis poteſtate non rarò affectum animi, rerumq́ ſuarum compendium potius quàm rationẽ ſectantis, non prodirent multæ leges, quæ & ſi quandoq́ fuerunt utiles, tamen pro temporum ratione non ſatis omnium uſui & naturæ aptæ uidentur. Sed tamen adulto orbi eſt longe utilius expeditiusq́ in rebus priuatis unum ſummum præfici & præſcribere, quum uix poſsit tam frequenter cogi ea antiſtitum & uirorum doctorum turba, quæ non debet niſi quum de rerum ſumma agitur coire. Nam nec principibus, nec pontificibus (quorum intereſt potiſsimum) ſumptus ille eſſet tolerabilis. Arbitrarius itaque mediorum uſus & conſtitutio, pro rerũ temporũq́ neceſsitate, etiam pro opinione poni ſolet. Si una in urbe, aut municipio tantum, uſus perſuaſionis eiuſdem eſſet, poſſet idem eſſe & ſummus & medius & infimus. Tales fuere priſcæ & adoleſcentes religiones, quum quȩlibet urbs, uicus aut municipium proprijs ſacris uteretur, atq́ ab alijs diſtinctis. Nomina enim dabat (ut antè eſt demonſtratum) poſt deperditam cauſſæ primæ cognitionẽ (quæ ſe ultro primum productis hominibus obtulerat) cuilibet oblato numini rudis antiquitas: nec ut in uerba unius principis iurauerat, ita Deum unum tantum una prouincia nouerat. At quum religionum propagatio eſt ſubſecuta, ne potẽtiſsimus quidem imperator omnia munerum genera in uno homine complecti potuit. Parium cõceſſus in primo & ſecũdo ordine capite fuere donandi, remotiores à prima origine & loco, præſente authoritate: ne aut dubia, aut uitia antequã remedia longius petita adhiberentur, latius ſerperent, inq́ legem diuturno uſu tranſirent. Vnde nõ immeritò dixit Paulus, ſummus ſecundũ Chriſtũ noſtræ perſuaſionis antiſtes, Ordines eſſe à Deo: non tantũ de principum has fluxas res moderantium authoritate, ſed de religionum ordinibus locutus. Ita & opes et authoritas ſim fuere in ſacris diſpoſitæ. Quo iure ſeruentur, eſt uidendum.

DE CONSISTENTIA. CAP. VIII.

NVlli præter cõmunem cõſenſum, aut ſacrum conuentum, Principem ue, licet ſummo præeſſe pontifici: nec res ſemel ſacris addictas, ueluti perpetuæ religionis hæreditati aſcriptas, auertere. Summus pontifex medijs (quotquot ſunt) prima iura dat, pariter & infimis. Ei parent medij, infimisq́ in iure ſibi concredito præſcribunt. Parere tantum ultimi, non item propria authoritate ſui ordinis hominibus præſcribere ſolent. Si negligentius in officio inferior uerſetur, ius emendandi ad medium: ſi ille deſit, ad ſummum pertinet. Ab his potiſsimum populi manu ducũtur ad religionem, exponuntur ſacra, myſteria delibantur. In ſumma quicquid ferè curæ aliorum ordinum commiſſum eſt, id in eos (niſi quæſtum comitetur religio) ſolet rejci. Sunt enim quemadmodum uires & partes elementorũ, cœlo & primæ cauſſæ, uelut manus & membra cæterorum ordinum, longe ſanè utrique naturali comparationi diſsimillima. Is ordo maxime ſequitur exemplum naturȩ, quamdiu ſuo munere nõ ſegniter fungitur, perpetuamq́ naturæ actionẽ imitari ſtudet. Nam prouidentiæ ſacroſanctæ paret cœlũ, eiusq́ uires, & infima omnia elementis cõſtantia. Mundus ipſe

medius noſtrorum typum gerens Antiſtitum, agit tantum in inferiora, uiresq́ ſibi à cauſſa prima concreditas exercet & imprimit. Inferior pars mundi partim naturæ obſequitur, partim arti, partim utrique. Hæc eſt ſacroſanctæ trinitatis imago, quæ Totam diffuſa per artus, uti mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet: qua abſcedente, omnia periclitātur. Pertinet cœlum ad Deum, elementa & Deo & cœlo patēt, occulta uidelicet & patenti cauſſa adminiſtrata & producta ſacroſancto myſterio. Hæc ordinū ratio, quod ad medios attinet, poteſt eſſe diuerſa. Nam quidā ſine medio iure poſſunt ſtatim agnoſcere ſummū legis arbitrū, ut qui ſine naturæ mediæ cōtemplatione ſe in cauſſam primam cōuertunt: quales ſunt multi ſacri conuentus & cœnobia, quibus nunq́ caruit florens perſuaſio. Porrò quum nulla ratio religionis niſi in delecto cōuentu reddi ſoleat, quotidie opiniones opinionibus ſolent adnecti, unde & priuati multi (modò ſit cauſſa perſuaſionis) etiam religioſos conceſſus creant. Verum hoc nil ad ordines, nec eſt neceſſaria ea turba ſi poſsit illis carere Reſpublica: fœliciusq́ longe conſtat prouincia parens perſuaſioni, antequam tam uarij cultus & cœtus ordinum numerum perturbent atque augeant, niſi à neceſsitate introducantur. Ius rerum ſacrarum tradi primum à pontificibus ſummis, demum à medijs ſolet, diciq́ aut ab ipſis, aut ab eis quibus iuris dicendi poteſtatem fecere. Sibi uero ut habeant uicarios eſt neceſſe, qui multitudini de rebus ſacris ius dicere ſoleant. Quum ipſi etiam ſi eſſent Briarei, ſatis ſibi eſſe non ualeant. Habent itaque & iudices ſuos, qui ſibi tradita authoritate de rebus ſacris, aut ad ſacra ſpectantibus ſtatuunt, non ſine iudiciorum appendicibus, quod proxime in extremo libro patebit, ubi de Principum, aut iuris prophani iudicibus agetur.

DE TRACTATIONE, VSV, ET CORRVptione perſuaſionum. CAP. IX.

ID imprimis notandum diligenter uenit, omnia religionis placita uim legis habere, omnesq́ iuriſdictioni cuiuſcunque epiſcopi obnoxios illis teneri. Multo enim minus tranquillitati Reipublicæ expedit, diuina, quàm humana infringere, niſi rara & non ſupina negligentia. Verbis quidem refragari, priuati hominis nō eſt, niſi diuinitus, aut ab ſummo principe & potentiori id iubeatur. Summi pontificis authoritas, aut quod illius loco eſt, omnes legibus adſtringit. Epiſcoporum ueluti ius ciuile eſt, nec ad omnes pertingit. Sunt enim multa uſu aut placitis pontificum ubiuis gentium probata (quod ad ritus & ceremonias attinet) quæ nec ſummo iure pontificio cauta, nec alijs ſunt obſeruari ſolita, uim tamen legis obtinentia, modo iuri humano nō aduerſentur. Quum etenim non modo quæuis prouincia, ſed & quiuis locus ſacer ſuos habeat uelut tutelareis deos, illos ſuo & recepto ritu coli par eſt. Huiuſmodi leges locis obnoxios, non item cæteros attingunt. Tractat ius diuinum poſt traditos mores, & perſuaſam in deos pietatem & cultum (qui primus fons eſt perſuaſionis) ciuilis iuris inſtar, de rebus & perſonis ſacris addictis tantū, aut quæ ſacrarum opinione habenť. Prima ratio eſt de cultu diuino, ut certis ſtatisq́ diebus, precib. ceremonijsq́ fiat: probitatē & officiū ſuadet, legē rationis ſuggerit, uirtutē (niſi ineptijs, ut multę priſcę olim, laboret) deorū exemplo, amore, timore ue prędicat. Pręſcribit ſacris ordinib. qua ratione obſeruari omnia debeant, quę ſacrorū loco habenť. Secūdo in loco dignitas & officiū perſonarū eſt attingendū,

quo

quo quiſq; uidelicet munere fungatur, initietur, quo quæſtu alatur, quibus ſit moribus, cultu, ſacra ueſte. Nã quia rudis rerũ multitudo facile admiratur & ſuſpicit rara & perſonata, ad hæc ut per ornatum religionum antiſtites ſtatim ſine percontatione innoteſcant, & à profana turba ipſis ornamentis eximantur, bona pars religionum ideo eſt in uario cultu poſita: qui etiam ſuis interpretationibus eſſe neceſſarius & eſſentialis probatur. quaſi iuſſerit numen ſua ſacra tali ritu fieri debere, alioquin mortalia non exaudire uota. Ea perſonæ ſpecies in homine ſacris addicto ſemper fuit maxima perſuaſionis pars. Si qui autem ſunt myſterijs initiandi, aut religioni nomina daturi, tradi hoc in loco debet. nam quædam myſteria ad omnes, quædam ad paucos, quædam ad nullos præter ſummos pontifices pertinent. At quia id eſt opinionis, quot aut quibus debeãtur, ſat fuerit noſſe, hoc ius eiusq; cognitionem eſſe ex pontificijs ſanctionibus petendã, rationemq; cõmiſſi, aut dubij deciſionẽ eſſe illinc habendam unde profluxit autoritas. Proximus myſterijs eſſe locus debet in adultis perſuaſionibus, ut proſpiciatur ſacrificulis, ex illis opibus quæ accedunt, aut iam ſunt ſacris addictæ, quæ ipſæ leges ſtatim naſcẽtibus religionibus abſolutę ante comparatas opes edi non poſſunt. Nam & res eſſe, & de illis ambigi opus eſt, anteq; de illis cõſtituatur ius. Sunt ideo naſcentes religioſæ leges, ut rudiores, ita æquitati propiores, quod oblatum diuinitatis ſcopum aut ſequantur, aut ad eum collimare ſe ſimulent primum, nec ſtatim opum factiones pietati admiſceant. Quamobrem naſcenti religioni obſecundant, mediocribusq; contentã fouent diutiſſimè principes, quoad iure ſibi conceſſo perperam uti incipiant. Quum uero aut eorum factio mores ue, aut facultates æquo ampliores incipiunt eſſe principibus odio, aut inuidię, non rarò formidabiles, reiq; publicę impedimento, tunc iura dignitatum deligendarum illis adimi incipiunt, opes minui. Frangas enim quàm corrigas potius, quæ in prauum indurauere. Nemo ſanè niſi coactus, aut rara religionis opinione actus, uoluptates & utilitates, quarum & copiam per facultates habet, & natura expetẽdas docuit, facile relinquere poteſt. Irrepunt ergo in pietatis locum, & ex uſu uirtutis locum occupant, inq; ἕξιν tranſeunt. Ita ſenſim ius ſolet à principe autoritate aut tolli, aut minui: opes pariter. alioqui progreſſu temporis bona fiſci pars in ſacrum irreperet: luxus pluſquàm Sybariticus ſacrum ordinẽ inficeret. Quumq; nulli uſquam gentium ſacerdotes à bello & reipublicæ corporea protectione (nam retinẽdis & agendis componendisq; animis ſunt nati & inſtituti) non ſint immunes ut plurimum, illiq; ſint ditiſſimi, exhaurirent proculdubio ærarium, nunquàm niſi ſacris iuuando, ſemper accipiendo, unde fiſci inuidia in illos prodit. Tenuis perſuaſio, ſenſim & legibus & opibus augetur, aucta conſiſtit ad uirilitatem: inde ueluti opibus inhians, ipſisq; ſuffocata, ſenio perit, iure primùm imminuto, facultatibus ſenſim ad fiſcum redactis. Quod ſi poſſent ſuo nomine emungere loco diuorum, principes, non eſſet aut tam ampla, aut tam diuturna poſſeſſio ſacra. At quoniam periclitari uiderent rerum ſtatum, quum derogatur autoritati perſuaſionis (nam plebs audit querimonias) quidam principes & magiſtratus adultioris orbis mixtum quoddam ius ex ſacro & profano, iunctamq; potentiam regibus ſacrificulis excogitauerunt. Deos enim reges comitari, id ſummum ad terrorem incutiendum inter mortales eſt. Si autem licet ordini ſacro ſine habenis & pro arbitrio in opibus creſcere, proculdubio & ſibi & reipublicæ & religioni parit exitium, Quumq; facultates ſine uoluptatibus & ſcelere, quorũ ſunt ſuppeditatrices, nuſq; eſſe poſſint, & eo maioribus diffluant quod cenſoribus careãt:

tum demum cum ſunt opulentiſſimi ſacrifices, qui caſtè deos adire, ſanctiusq; cæteris uiuere debent, ſe produnt popularibus, etiam ſi ceſſet princeps, (ut aiebat ille) contra deos teſtimonium ferunt: unde apertæ fraudes plebeculæ, quæ ſibi impoſitum credit, animum non tantum non erogandi, ſed erogata ſi fieri poſſet, repetendi faciunt. Ita perit ius autoritas'que ſacrificum. Ita omnia perſuaſionum genera periere. Is eſt rerum omnium exitus & finis, dum res ipſæ mole laborant ſua, dum nemo in ſe deſcendere uult, ad'que mediocritatem redire: In ſe magna ruunt, nimióque graues ſub pondere lapſus. Nolo hic addere uiolentos religionum exitus, qui ab externa potentia contingunt. Nam non tantum legibus ſacris, ſed & profanis finem imponit aliquando ſine uitio neceſſitas, raro tamen uſquam contingens ſine magno ruentium ſcelere, quum labefactati ordinis, & uitæ pudibundæ pœnas petit prouidentia, caſus'ue nobis incognitus, illi adſcribi ſolitus. Erant olim multi, ſunt'que etiamnum alij magiſtratus apud quoſdam barbaros, quorum reſponſa & placita in rerum principijs ſeruari ſuperſtitoſè ſolita erant: ut Augures, Aruſpices, Vates, Sibyllæ, & ſi quod aliud genus animos hominum aliquando imperitos coërcuit & retinuit. Verum hæc erant & cæteris gentibus ridicula, & opinione tantum nitentia. Nam præter ordines & ius ipſum, quo retineri in officio populares ſolent, nil planè omnium religionum placitis, atque conſenſu naturali probari ſolet. Nunc uero paucis ueluti apophthegmatis, eſt ipſa religio ἀφορισμοῖς concludenda, quatenus omnibus conuenit, aut uſquam conueniet. Quæ enim unius tantum ſunt, ideo tradere ſuperſedeo, quod omnes etiam præſtantiſſimę ſint mutuò (præterquam ubi in genere conueniunt) ridiculę σὺ γὰρ ἐθαυμάζες, τοῦδ' ἑτέροισι γέλως.

PERSVASIONVM OMNIVM COMMVNES Canones. Cap. X.

Esse Deum omnium rerum autorem, à quo dira timeamus, ſperemus contraria, omnibus perſuaſum eſto.

Omnia latente cauſa facta à Deo eſſe creduntor.

Ab omnibus in Rempublicam adſcriptis, aut eius loci habitatoribus, in quibus perſuaſio probata eſt, & recipi & coli patria numina debere: aut ut nullus ſi ſua colat, uerbis receptæ religioni refragetur, ſacris legibus cautum eſto.

Qui initiatus eſt, non reſilito.

Sacris receptis quiſque acquieſcito.

Ob pacem publicam omnia legibus ſacris conſtituta ſeruato.

Nemo priuatus deos habeſſit.

Lararia licita ſunto.

Templa publica, & loco opportuno habentor.

Numina ſtatuis effingantor.

Omnibus diuorum ſacris ſacerdotes præeſſe, cautum eſto.

Pontifices id curanto.

Priuatus profanus'ue nemo ſine ſummo Reipublicæ conſenſu, myſtes præeſto.

Arcana perſuaſionis myſteria, paucis aperiunto.

Ne quis percuntator, euulgato, contemnito.

Certa anni prouentus portio ſacrorum miniſtris dator.

Munere, & expiationibus, uotisq; utantor, diſtribuunto.

Abs quouis oblata recipiendi, ius eſto.

Sacro

Sacroſancta religioſa patrimonia ſunto.
Hæreditatem, ſi ſit legitimus hæres, non conſecranto: ex parte, licitum eſto.
Vota niſi lege cauta, arbitraria ſunto.
Qui peccaſſit, legitimis expiato.
Numinis poteſtas æterna creditor.
Fidei ſeruandæ prima ratio in ſacris eſto.
Qui fidem uiolaſſit, dijs hoſtis, hominibus exoſus eſto.
Violatæ fidei pœnas luito, talione punitor.
Perſonæ ſacræ, aut ſacris addictæ, ſacroſanctæ ſunto.
A' nemine uiolator.
Aſylum in ſacris locis publicis, quoad de cauſa liqueat, eſto.
Cuiuis eò fugere ius eſto.
Qui abuſus fuerit, priuilegium perdito, eximitorq́;.
Sacros ritus, ſaicr prælibanto.
Qui ſibi ſubſtituantur, ſacris receptis initiantor.
Qui detrimentum ſacro homini intulerit, pœna eſto.
Legis arbiter iniuriæ ſacris illatę, uindex eſto.
Gladium ne ſacerdos geſtato, ſacra myſteria pro defenſione ſunto.
Impius deos inconſulto ſacerdote ne placaſſit.
Exortem ſacrorum habeſſint, qui in deos commiſerit.
Vis à ſacris abeſto.
Magiſtratus iniuriam propulſato, ſeditiones ſedato.
A' ſacris rerum initia auſpicantor.
Stata & indictitia ſacra, pro rerum uſu ſunto.
Placitis & reſponſis nemo derogaſſit. Si quis ſecus faxit, Deus & Princeps magiſtratus uindex erit.
Si quis ſecretò peccaſſit, delicta ſacris expiato, mentem aperito, deos propitios reſipiſcentibus credito.
Quæ uerbis ſtatuta ſunt, conſilio, opera, re, fieri curanto.
Vitia adhortationibus coërcento, uirtutem laudanto.
Pœnas & præmia pro meritis imponunto ſacrifices.
Quæ docent, & ipſi factis exequuntor.
Si in Deum, aut naturam grauius peccauerint, duplex pœna eſto.
Ab ordine ſummouentor.
Execratus eſto, antequam luat pœnas, ſacerdos.
Ius de omnibus rebus ſacris à ſummo pontifice, ſummâue potentia, aut medijs præſcribatur: qui autoritate ab illis donati ſunt, illud ſi nolint, illi dicunto.
Nil ſine autoritate in ſacris, niſi munus, aut uotum ſiet, licitum eſto.
Aperiant probata ſcelera iudici, isq́; uindex eſto.
In nondum ſtatutis, ad ſacra facientibus, iura danto.
Reſponſa ſecundum potentiæ ditionem ſeruari curanto.
Iræ numinis ob ſcelera præmonento.
Acceptas ob neglectam uirtutem & pietatem clades adſerunto.
Rebus utilibus bene precantor, contrarias ritibus auerſantor.
Patrum mores ſectantor.

Qui ſtatuta corruperit, res ſacras clepſerit, exors ſacrorum eſto, grauiſſimè punitor.
Mutua opera religionis, & legum profanarum eſto.
A' Reipubl. conſenſu Pontifices ſunto.
Autoritas de religione ſtatuendi, Pontificum, aut quibus eam dederint, eſto.
In rebus quæ ad uniuerſos pertinent; ſummum conſilium illis præſto.
Profanorum ſententias arcento.
Populares ſummouento.

Hæ ſententiæ, quicquid eſt religionis utilioris, cōprehendunt paucis: ut nil ferè uſquam gentium ſtatui ualeat, quin in aliquod horum Aphoriſmorum caput referri poſſit. Sed ad aliam iuris partem, quæ profana tractat, tranſeo.

DE IVRE GENTIVM ET CIuili. CAP. XI.

IVs profanum conſtat, aut natura, aut omnium gentium iure, aut quorundam. Naturale ius omnia comprehendit, quæcunque expetenda, fugiendáque, natura animalia docuit. Verum cum ius dicatur æqui, iniquiq; reſpectu (quæ res ratione deſtituta minimè errare, potentia non attingit) de eo nunc non eſt ambigendum: ſed quicquid in illo eſt, in uſum hominum traducemus, uidelicet in ius gentium. Ius ergo hominum, ſeu gentium (quod idem eſt) eſt uel natura, uel ratione, uel neceſſitate, ab omnibus ferè mortalibus comprobatum, in'que pacis publicæ uſum comparatum. Natura quidem in eo ſuadet bonum appetendum, malum uitandum: bonum quidem, aut corporis, aut animi, aut fortunæ, luſu ſurſum prorſum agi ſolitum, quod bonum externum uocant. Malum uero, quod aliquod horum labefactare poteſt. Ratio quidem multa ſuadere ſolet, quæ naturaliter homines prudentes, quamuis in primo ſtatim naturæ obiectu non ſit, tamen ratione temporis, locorum, perſonarum, ſtatus'ue obſeruandum, mutandum'ue cenſent: ut ſunt illa, quæ ad conſeruationem rerum publicarum, urbium ſtatus, dignitatis'ue, facere nouerunt. Quamuis enim urbes & hominum cœtus non ſint à natura, ſed potius ab arte, & prudentia conſtituti, tamen etiam ſui conſeruationem, ueluti res naturales quærunt: quoniam omnis mutatio, naturæ & ſtabilitati eſt contraria. Atque ideo multa contra naturam, iure naturali faciunt. Fieri autem aliquid natura opinioni coniuncta duce, quod contrauenire ipſi naturæ agenti uideatur, crebrò ſanè ſolet. Si expeterent duæ urbes, aut quiuis hominum conuentus, aliquid quod ad utriuſque conſeruationem facere uideretur, proculdubio quælibet ad ſui tuitionem debet eniti, ut eo potiatur, eo'que deſiderio, quod ad ſui incolumitatem facit, poteſt & debet alteram deſtituere, niſi id quod appetitur, ſit utrique ſatisfacturum: æquitate enim tunc utendum eſſet. Præſtat enim alterum ſua cupiditate fraudari, quàm alterum alteri ſeruire, atque contra naturam, libertate naturali priuari. Ius itaque illud uiolentiæ iungi ſolet, ſi par ſit ius amborum, atque ex ipſa ui ortum ducit. Neceſſitati in Republica naturaliter locus eſt, quum contra aliorum naturam, ut nos, noſtros'que conſeruemus incolumes, armamur, illos'que captiuos & ſeruos, ne noceant, atque ut proſint, detinemus contra naturam, quæ pars eſt longè ſanè uiolentiſſima

tiſſima iuris naturalis, quam'que neſcio ſi ſint omnes probaturi, niſi à lege ipſa natura fortiore, ortum duceret. Homo enim quum naſcatur deſtitutus à natura omnibus adminiculis, quæ parens benignior, cæteris conceſſit animantibus, totam uitam, & naturali ſollicitudini, & neceſſitati, ut ſe, ſuáque tueatur, coniunctam habet. Vnde ex illa mali (ut uulgo uocant) neceſſitate, prodijt (ne ocio torpeſceremus) quicquid eſt artium, atque melioris eruditionis, conditionis'que. Inde uarietas alimentorum, glandis loco. Inde loco indumentorum ex corticibus, libris'que arborum, linea, lanea, ſerica: pro tugurijs & mapalijs, domus amplæ, palatia, caſtra, urbes: pro ſponte naſcentibus, induſtria, artéque effecta: quæ neceſſitate quidem comparata, augmentum ex luxu auctum acceperunt. Poteſt itaque dici quod ſummopere exhorreſcimus, id eſſe, fuiſſéque naturæ utiliſſimum, unam ſcilicet neceſſitatem, quæ quotidiè nos ad præclara facinora impellit. Illius filia opinio eſt, quæ nos gloriæ cupiditate, ad maxima quæque incitare ſolet, artes ſcire cogit, quæ rem faciant, ſint'que, eſſe ue poſſint lucro, & gloriæ: præclaris facinoribus nos poſteritati commendare, atque in ſumma, mortales maxima, dijsq; proxima aggredi, & abſoluere facit. A' neceſſitate poſitæ leges, cinctæ muris urbes, uiæ ſtratæ, purgatæ'que, pontes conſtructi, aquæductus corriuati, templa in religionum obſeruationem, popularium'que admirationem erecta ſunt, & plura quoq; huiuſmodi, ſine quibus uita mortalium ægrè admodum conſiſtere ſolet. Sed de eo iure, quod paucis hominibus conuenit, quod ideo ciuile uocant, eſt aliquid dicendum. Cogitanti mihi unde hoc iuris habuerit originem, non ſatis uidetur, an in naturam, an in ſororem eius conſuetudinem, an in utramque, uel in caſum, locique rationem referri debet. Singulos enim populos proprijs quibuſdam uti legibus, his'que naturæ coniunctis, omnibus in confeſſo eſt. Eſt uerò illud ipſum in quo paulo antè in principijs, atque naturæ, ſapientiæ'ue documentis, omnes gentes conuenire docuimus. At præter illud pro ratione loci, gentium, morum'que receptorum, atque conſuetudinis uſu, omnes ferè populi habent aliquid iuris loco ſcriptum, aut tacito conſenſu moribus receptum, quod alij non tantum non obſeruent, ſed & contemnant, & rideant. Talia iura uocant uulgo Vſus, & conſuetudines, ſeu ius locale. quod exemplum non tantum patet in uarijs populis, regionibus, atque locis, in rebus prophanis, ſed potiſsimum in longo uſu receptis religionibus. Ridet enim Hebræus Chriſtianum, eius'que mores lege probatos improbat: (ut ſemper in perſuaſione eſt factitatum:) Iſte Muhamedicos, illi utroſque: atque implacabili diſſidio ſunt affecti. Demum quælibet religio etiam in uarias ſectas diſtracta, factiones longè plures ciuilibus habere cognoſcitur: quod quidem aufert conuerſandi, peregrinandi, uiſendi'que regiones plurimas facultatem. Verum ſingulis populis ex contentione cum proximo, & ex differentia, adfert non minimam retinendæ religionis contumaciam: qua re in Republica nulla maior, utilior'ue eſſe poteſt. Conſuetudo ergo aut tacito hominum iudicio confirmata, aut etiam ſcripta, pro ratione loci obſeruari & ſolet, & debet. Vbi uerò aliquot annos durauerit, (quos plures, pauciores'ue eſſe, pro rerum & patriæ uſu oportet) tum demum ea uim legis accipit. Loci itaque ratione, quod à iure communi differt, conſtare par eſt. Alioqui caſu ſæpe

 contingit,

contingit, plurimos populos antequam ullo legum præſcripto tenerentur, dum conniuentia quadam quibuſdam rebus aſſentiuntur, ſibi ius ciuile facere. Ius ergo naturale, naturam per omnia ſequi debet: gentium autem, naturam quidem primùm, ſed illam neceſſitati coniunctam, rationeq́ humana diſpoſitam, quæ ipſa non raro uſus & conſeruationis Reipublicæ gratia differt ex diametro à naturali. Multum enim differre ſolent uir bonus, & bonus ciuis, ut prudens & ſapiens. Ius ciuile quauis ratione receptos, & ab his tantum, quibus in uſu eſt, probatos mores ſequitur: potiſſimum tamen id facit, quum tempore aut ſanctione uim legis acceperit. Nam ſine conſuetudine, comprobatione, aut potentia, nulla lex eſt unquam recepta.

DE CAVSIS IVRIS CVIVScumq́. CAP. XII.

CVm recipimus aliquid tractandum, demonſtrationeq́ docendum, more Philoſophorum quærere ſolemus, an ſit, quid ſit, ad quos fines ſit comparatum, quibus' ue cauſis oriatur. Eſſe aliquid iuris inter homines illos qui uita ſunt compoſitiore, conſtat: quid q́ ſit, uidimus. ſupereſt illas cauſas finales & primarias perpendere. Finis, ad quem tendit iuris conſtitutio, pax eſt Reipub. totius, & partium eius, ut unuſquiſq́ in officio retineatur, inq́ reip. uſum & conſeruationem quicquid id eſt officij, quod ab eo procedat, conſeratur: aut (ut Cicero) legitimæ & uſitatę in rebus cauſisq́ ęqualitatis conſeruatio. Cauſa primaria eſt ipſa ratio, partim à prouidentia animis hominum inſita, partim uſu rerũ, ipſiusq́; naturæ ordine expolita, quæ' ue homines ad ordinis conſeruationẽ, Deiq́ in religione probati ſummi, quantũ fieri poteſt, ſimilitudinem inuitaret, aut ſcripto, aut uſu ſiue ſcripto ius pręſcripſit, quo uteretur poſteritas. Et quia nemo mortalium potuit omnibus omnium erroribus lege proſpicere, ideo leges ſenſim ex uitijs, aut ambiguitatibus, aut litibus, occaſionem habuere: atque non immeritò eas peccati aut erroris filias, atque indices quiſpiam uocauerit. Error ſanè ut plurimum cauſa fuit, ſed accidentaria: homines prudentes, iuſtiq́, cauſa primaria. Niſi enim præclara, iuſtaq́ ſententia dediſſent illi uicijs apta remedia, & pro dubijs certa, proculdubio legis locum nunquam obtinuiſſent illorum ſanctiones. Oportet enim aut omnium, aut maioris partis hominum uſui legibus conſuli, antequam recipi poſſint. Statuuntur uerò leges, quibus uniuerſi parēre habeant, aut omnium, aut quorundam, aut unius conſenſu, autoritateq́: in cuius uerba iurare omnes debent. Omnium conſenſu leges ponuntur, quum lex trinundino die, aut quibuſcunq́ ſtatis diebus, conuocato populo in quouis loco cognito, & publico, ueluti pro roſtris Romæ, aut pro quibuſdam alijs ſtatuis proponi ſolet (ut Athenis affigi eponymis mos erat) popularesq́ omnes ſi quid utile uel inutile ſit diſpiciunt: nec antè rata habetur, aut haberi debet, quàm omnes aut potior pars in eam conſenſerit. Ita in ſtatu populari (quam democratiam, uel politiam Græci uocare ſolent) introductæ ſunt leges: ita ubi quicquam libertatis ſub quauis adminiſtratione fuit, ſunt poſitæ. Verum primus ponendi modus, ex omnium uſu collectus, aut ab omnibus, aut à paucis, aut ab uno primum prodijt. Seu omnes, ſeu pauci habuerint legem proponendam, explorandamq́, oportebat tamen nomine omnium rogante magiſtratu id fieri, qui & proſcriberet, & ſententias de lege latas colligeret. Aliquando potuerunt ſe ingerere priuati homines eloquentes, ut rhetores Athenis: contra

quos

quos ne falſis ſuaſionibus plebi imponerent, aut legem ſine populari ſuffragio ferrent, erant pœnę grauiſſimæ conſtitutæ. Quid enim non peruertat eloquentia, ſi illi rerum habenæ permittantur? Fac eſſe optimo uiro coniunctam. Occaſio ſanè aut rei augendæ, aut gloriæ captandæ, aut quibuſdam factioſe gratificandi, poteſt reuera ex optimo nequiſſimum, ex ſimplici uerſutum, (ut ſemel finiam) ex priuato tyrannum generare: quę ſępius in illis urbibus, aut prouincijs, quas diuturnior eloquentia circumegit, uiſa ſunt. Vt enim dicendi peritiæ, prudentiæ coniunctæ, debemus omnis humanioris conſtitutionis beneficium, meliores deliberationum partes, uicinorum ferè populorum in noſtram ſententiam & utilitatem traductionem: ita ubi rebus conſtitutis pergit eſſe copioſior, iuſtitia'que & æquitate deſtituta, proculdubio ipſa non ſalutem, ſed Reipublicæ labem adferre ſolet. Igitur multis legem probantibus, fit ab ipſis magiſtratibus, aut receptis in eam rem hominibus proclamatio, quam ſignificationem dicũt. Nec enim omnes uſquã admittuntur ad eam probationẽ. plebeios & rudiores, ruſticos, ſellularioſq; admitti iudicio cõmuni ferè deſtitutos, ſuperfluum ſanè eſſet & turbulentũ. Satis eſt, ex ſingulis uicis, uillis, mũicipijſq; adeſſe, aut ſingulos argutiores, aut paucos. omniũ nomine ſentẽtiã dicturos, rationeſq; ultro citroq; allaturos: idq; in prophanis rebus tantũ. Nam de rebus religioſis ambigere, niſi inter Pontifices, ſacerdoteſq;, & ſi qui illas conſeruare debent, nunquã licet. A' paucis ponuntur leges, quas uniuerſi agnoſcãt, quum populus uniuerſus ariſtocratiæ uel democratiæ ſubeſt, iudicia'que ſanctioris cuiuſdam ſenatus, uel ordinis probat: aut ediuerſo, quum plebs tanta eſt autoritate, ut illius placitis etiam magnæ potentiæ uiri & primores pareant. talia fuere plebiſcita Romana, regnantibus tribunis plebis, aut in gratiam aut neceſſitatem plebis lata, ne à ciuibus atq; nobilibus opprimeretur. Optimatum adminiſtratio quoniam eſt æquitatis plena, facilè eius edicta apud omnes, ut quę ſunt ęquiſſima, probantur, nec auocata plebe. Verum ubi illi in ſuam rem incipiunt cõuertere remp. commode populus quidem priſco legum uinculo connectitur, tuncq; miſerè ſpoliatur latis legibus, Reſpublica labefactatur, quæ conſeruanda erat, ſibiq; ruinam accelerat: ſenatuſconſulta, curiarũq; ſanctiones, & areſta, legem etiam ponunt illis qui eorum iudicia probant: ob inſignem (quæ uel nuſquam, uel apud illos eſſe ſolet) æqui boniq; obſeruantiam. Vnus legum ferendarum ius habet, aut propria autoritate, aut conceſſa, aut mixta. aut enim inſtituitur, aut ſe inſtituit, aut utrunq;. Quiuis Princeps aut propria atq; mera potẽtia in ſuos uti potens, quum illi & pacis publicæ gratia, iureq; uel iniuria potius, utiliusq; parere, quàm detrectare imperij iugum habeant: pręſcribere illis ſolet, quam rerum conditionem uelit omnium nomine & publica utilitate haberi, atq; adeò potius quoſdam imperata facere recuſantes è medio tollere, aut cogere, quàm pati ne ſua facile minuatur autoritas. niſi quum priuilegia cõcedit (quæ in exemplũ non trãſeunt) aut in omnes ſęuit. Hinc placita uocari ſolent Principum edicta, quod abſoluto arbitrio proponi ut plurimum ſolent: quibus priuato nemini ſe opponere aut reluctari licet, ut à ſenatu ex conſilio & prudẽtia, à plebe ex ſcitis, id eſt cognitis rebus leges habuere nomen. Propterea gubernationum rerumpublicarum præſtantiſſima, quum bene ſancteq; ſeruatur, eſt regia poteſtas, uel imperatoria. Nã uocabula è medio ſi tollas, & duces, & reges, & imperatores, & cuiuſuis alterius dignitatis homines,

qui abſoluta in quoſdam potentia uti poſſunt, eodem iure ſunt, nec à natura, ſed à moribus populorum, aut ambitione Principum orta. Ille ergo unus qui rerum potitur, ueluti lex uiua, & iam poſitas ſeruari curat, & deficientes aut emendat, aut ex ſe proponit: quorum rationem nemo priuatus poteſt aut debet requirere, niſi ubi Princeps à ſenatu moderationem accipit. Simile enim uerò eſt, niſi Princeps ſit, ut cum Græcis dicam, τυραννικώτατος, in conſilio prudentum, & eorum qui rebus ſub eo pro omnium ſalute adminiſtrandis præſunt, examinata eſſe quæ rata cupit. quod ſi factum ſit, non eſt priuatæ conditionis ullius diſcutere, aut perquirere. Sacroſancta enim res eſt Principatus, religioníque proxima: de cuius ſententia, ut de religione, rationem uelle perquirere, periculo non caret. Res enim mortalium quum conſiſtendi opus habeant, earum'que ſit uita ipſa duratio, conſtantiáque, proculdubio quæcunque ad pacem & integritatem illius ſeruandam faciunt, ſunt maximè conſeruanda, quamuis partim iniqua. Nam capite Reipublicæ euerſo (quod fieri neceſſe eſt, detrectato Principis imperio) & membra collabi, atque ab inuicem ſeparari, & deſtitui mutuò, certum eſt. Nec enim Principe deſtructo (niſi alter æquior iam ferè rerum potiretur) tantum illæ leges quas ipſe fert, aut ferre poteſt, pereũt, ſed quotquot ſub illius imperio ab antiquis acceptæ ſunt, affligi, atque adeò acciſæ eſſe tantum non ſolent, præſertim ſi uiolentiori quodam motu & ſeditione alius introducatur: alioqui quotidie mutantur. Præterea origo principum, abſoluta poteſtate utentium, ex uirtute olim orta eſt: atque ideo rerum omnium habenæ à ſubditis meriti cauſa ſunt illi permiſſæ, ut qui iam conceſſa olim fuit autoritate, nunc propria conſtet. Noui itaq; principatus conceſſa ut plurimum ſunt autoritate, quam decurſu temporis in abſolutam trahunt, atque auiti proprio iam placito utuntur, utpote diuturnitate temporis confirmati. Mixti ſunt, qui partim ponunt, partim accipiunt leges: ut ſunt Principes ariſtocratijs moderati, qui electione, non generis ſucceſſione fiunt: quorum omnium placitis ſtandum. Omnino aliunde accepta poteſtate ſunt prætores, quorum edicta autoritate Principum, poteſtatum'ue, quibus ſubſunt, ſuffulta, in legem tranſeunt: quod genus Romani ius honorarium uocant. At quia oportet prudentiſſimum, ut diximus, eſſe eum qui leges ponat, ob id Principes magiſtratus, ſapientibus & prudentibus poteſtatem de iure reſpondendi fecere, illiſq; autoritatem ſuam impertiuere: quæ pars iuris eſt longè præſtantiſſima, utpote affectibus omnino deſtituta. Reſponſis eam ob rem prudentum, bona pars iuris ſcripti apud omnes gentes conſtat. Illis enim, atque Pontificum decretis, res non tantum Romana creuit, uerum & quotquot diutius durauere. Eam ob rem eo etiã nunc utuntur iure, quotquot Latina lingua utuntur. Pandectæ enim ſunt nil aliud, quàm prudentum, edicta prætorum enucleantium, aut propria adferentium, reſponſa. Muphtij apud Arabes id iuris habent. Olim apud Hæbreos habuere ſeptuaginta ſenes, à Moſe & Ietroo electi: quæ reſponſa nunquam fuere aperta, donec CHRISTVS religionis illius inſtaurator, nouæq; inſtitutor, in illis tectam ἀκεισοδικαιαν & uafriciem reuelauit, atque propalauit, improbauit'que: ut omnia, quamuis optima, longo uſu ſi non fiunt deteriora, certè ab hominibus argutis circumueniri ſolent. Verum non raro hæc reſponſa, quum ſunt & opinionibus, & religionibus, & affectionibus coniuncta, habent etiam ſuam ſatis iniquam

rationem,

rationem. Itaque iura illa quæ ſunt religioni, aut maiori potentiæ conſer uandæ coniuncta, minus ęquitatem & rationem perpēdere ſolent, quàm ea quæ ſine ullo affectu à ſingularibus redduntur. Qui enim rerum habenas habent, aut cuipiam ex ſua autoritate gratificari ſtudent, ad gratiam multa accommodant. qui nihil pręter æquum & bonum ſibi proponunt, longè ſanè æquius rebus poſteritatis conſulere ſolent, quàm Princeps, aut Magiſtratus: qui ſæpe dum ſuo compendio plus æquo ſtudent, aut ſui ſeculi, Rei ue publicæ moribus proſpiciunt, plurima poſteritati parum propēnſa, utiliáque ſtatuere ſolent. Eſt & alia quædam iuris origo, cauſáq;, quæ non ad omnes qui uni Principi ſubſunt, pertinet. cuius tamen utilitas in Reipublicæ bonum refertur (nam alioqui in iure non eſſet) ſed hominum conditionibus uarijs pręſcribi, probaríque id iuris debet. Singuli enim conuentus mortalium, ſeu in rebus prophanis, ſeu in religioſis, habent, pręter leges uel longo uſu receptas, uel recenter latas, religioni'que, aut naturali, aut ciuili, gentium'ue iure nixas, etiam ſuis conditionibus, artibus'ue proprias, quæ ſtatum illum non egrediuntur. De quibus nec iudices ſtatuere, nec cæterarum artium opifices dicere poſſunt, ob earum ignorantiam. Hinc nauta, iura nautica habet: latomus, faberq; ſua, aurifex de aureis rebus pro uſu in arte recepto: iudici, quæ artis ſunt, aperit, id'que non tantum ratione artis fit, aut materiæ, in illa tractare ſolitæ, ſed locorum etiam hominumque uſu. Ea uero pars eſt longè cognitu difficillima, quæ'que iure communi tractari non poſſit, propterea quod maximè eſt opinioni uariorum hominum coniuncta. utilitas uero patriæ à iudice inde probata, dat illis legibus tacito conſenſu probatis robur, unde mediatè Princeps etiam probare illas tacito conſenſu uidetur. Nunquam uero leges de illis artibus eduntur, quod ſacroſancta illa lis, & contentio, qua homo hominem ſua in arte uincere ſtudet, ſatis diligenter illas leges conſeruare ſoleat, non quidem malis, ſed melioribus artibus. Optimus enim in ſua arte eſſe quiſque ſtudet. menſor, ut optimè poteſt, dimetitur: at ſi falſum modum dixerit, à peritiore menſore errorem deprehendi oportet, iudici'que aperiri probatum. Ille demum diſpicit, utrum error ſit puniendus. Nam quamuis errantis conſenſus non eſt, tamen ubi artem profitetur aliquis quam ignorat, diſpendium erroris ab eo commiſſi præſtari debet. Sed hic locus latius patet, quàm poſſit paucis tradi. Referenda itaque ſunt artium omnium arbitria, & cognitiones, ad artis peritos, qui receptis inter præſtantiſſimos legibus: de peccati, erroris, uitij, uirtutis'que admiſſæ ratione ſtatuant, ad'que iudicem referant. Poſſumus hoc iuris non ſcriptum dicere, quemadmodum & pleraque ſunt in iure ciuili ſingulorum locorum. Vt ſcriptum ubiuis gentium uidemus, quod ex religione & Principis iuſſu prodijt, cuius ignoratio neminem excuſare debet. Nam ſi ſemel ignoratio iuris admitteretur, idem eſſet, atque ſi non eſſet ſcriptum. Diſſimularetur enim abs quouis litigatore pars ea iuris, quæ contra eum facere uideretur. At ius & conſuetudo particularium conuentuum, abs quouis artis imperito, aut conditionis experti, ignorari poteſt.

QVIBVS DE REBVS TRACTETVR *in iure ciuili.* *Cap.* XIII.

Omne

OMne ius tractat de perſonis, aut rebus ſacris, aut profanis, aut mixtis. De ſacris, iura pontificia, religionum'que omnium primæ præſcriptiones agunt. Iura quidem ciuilia de ſacris præcipiunt, quatenus ad conſeruationem, non item ad inſtitutionem, inſtaurationem, tractationem, & uſum illorum opus eſt. Res profanas ius ciuile tractat. Hæ uero ſunt aut publicæ, aut priuatæ: id eſt, in rebus totius corporis Reipublicæ, aut ſingulorum. Mixtæ ſunt res religionis, ut quicquid eſt ſoli rerum'ue mobilium, religionis uſui & conſeruationi attributum, atque conceſſum. Nam ius ipſum ad res ſacrum eſt. Res ipſæ prophanæ ſunt. At ſeparari quum nunquam poſſint (nam ſi non eſſet res, ius non eſſet: & ediuerſo) mixti iuris eſſe meritò dixeris. Quo de genere potiſſimum agit uolumen iuris noſtri, quod Decretales uocant. Nam editus ille liber eſt, aucta iam opibus religione, & pietate afflicta: quum alioqui decreta ſanctorum patrum de ipſa pietate, ceremonijs, rebus'que ſpiritalibus tractaſſent copioſe. Ita ratio temporum mutat iura. Rerum item aliæ ſunt corporeæ, aliæ incorporeæ. Corporeæ ſunt homines, aut illorum res ſenſibus obnoxiæ. Incorporeæ ſunt ipſa iura ad res: ut actio, uenditio, conductio, locatio, hæreditas. Et item rerum aliæ publicæ, aliæ priuatæ. Hæ in bonis ſingulorum, illæ in nullius, ſed omnium ſunt. Verum quoniam cauſa hominis omnia iura ſunt comparata: de eo ueluti de rerum omnium principe primùm tractabimus, primum'que de conditione illius, demum de poſſeſſione, poſtremò mutua hominum omnium habitudine erit agendum.

DIVISIO CONDITIONIS HOMInum. Cap. XIIII.

HOmines omnes liberi, ingenui'ue ſunt, aut ſerui, aut mixti. Liberos intelligimus, qui planè in rebus agendis (modò nil contra æquum & bonum, aut receptas leges committant) ſuo arbitratu utuntur. Nam tales ut plurimum natura omnes homines productos uoluit. Seruorum conditionem neceſſitas contra naturam introduxit, dum ſeruari ab hominibus homines ſoliti ſunt, qui fuiſſent aduerſarij. nam olim omnes hoſtes in bello necare ſoliti erant. Demum partim utilitate, partim pietate, cœptum illos ſeruare in uſum rerum, libertatéque naturali illos deſtituere, ne nocerent, & ut opera prodeſſent. Ius itaque naturæ omnino amiſerunt dominorum conſenſu, nullique in Republica eſſe cœperunt. Nil, niſi in rem dominorum cedat, agere illis permiſſum. Nullæ illis actiones, nulli contractus permiſſi: quod nil iuris habeant, ne ad ſacra quidem, quæ tamen omnium eſſe ſolent. Domino generant, adquirunt, uiuunt, non ſibi. Naturali tamen iure omnes tenentur, quamdiu homines ſunt. Hæc ſeruitus quum eſt in homine admodum magni ingenij, & magnarum opum, certè aduerſari maximè naturæ ſolet, quod digniſſimus aliquando indigniſſimo ſubſit. Verum ſi paulo ſtupidior, rebus'que gerendis ineptior, ſeruiat ſapientiori domino, à quo ueluti manuducatur, illa quidem ſeruitus eſſe, & ex uſu rerum, & ſecundum naturam, Philoſophorum princeps Ariſtoteles in Politicis aſſeruit, demonſtrauit'que. Fœliciter enim agitur cum illo, quum quod natura dederat mancum & ineptum, emendatur à domino, atque aptum redditur rebus in Reipublicæ uſum gerendis. Mixti illi ſunt, qui quamuis legum præſcripto iam uti poſſunt pro Reipublicæ more: tamen

etiam & patronos, & illos quibus ſunt obnoxij agnoſcunt, aut in omnibus, aut in quibuſdam rebus, in quibus obnoxio ſunt corpore. Perſonalia huiuſmodi munera ſunt, homines hominibus ſubijcientia. Libertini Romanorum erant eo mixto iure. Eapropter in patronum, atq; proximos illius parentes, infami nomine actionis agere ob reuerētiam (quemadmodum ſeruo in dominum) omnino prohibitum erat. Differt in hoc ius inter utroſq;, quod domini uitæ necisq; poteſtatem in ſeruos, quę ne paulo ſeuerior à priuatis exerceatur, cauet princeps: patroni in libertos non amplius id iuris habent. Redditur libertas quouis modo, uolente & cōſentiente domino, niſi id fiat aut in fraudem creditorum, aut ab imperfecti iudicij domino, quem facile ſeruus captare poterit: quales ſunt minores, & furioſi, mēteue capti. Nam rectum ſi adſit iudicium, in fauorem libertatis omnis manumiſſio procedere ſolet. Nil facit ad rem ſeruus factus ſit an natus, quum ſimili iure ſint omnes, ſi opinio inualuerit. Rurſum, liberi homines, aut ſuo iure tantum uiuunt, aut partim ſuo, partim alieno. Suo iure agit pater, dominus, tutor, curator'ue, modo res pupilli furioſi'ue meliores reddāt: partim ſuo, partim alieno: filius, & natu minor, aut furioſus. Nam quia illi ſunt incauti, atq; rerum imperiti, coërcentur à parentibus aut tutoribus, ne rem domeſticam deteriorem reddant, atq; imprudentia calore'ue iuuentę abutantur. Itaq; meliorem quidem illis rem facere, ſine tutorum patrum'ue autoritate licet, deteriorem minime. Furioſi poſſunt, dum habent, lucida & clara interualla contrahere, & in rem, & contra: alioqui neutrum licet ſine curatore. Eſt & quædam naturæ imitatio inter multos homines introducta, ut quum quis liberos ſibi per adoptionem aliūde quærit, qua in re naturā imitari uiſum eſt: nam minor natu maiorem non poteſt adoptare. & præterea affinitatis primi gradus ſeruari ſolent inter fratres, ſororesq;, & geminos, & adoptiuos: nec poſſunt contrahere matrimonium, niſi pręcedat emancipatio, idq; iure Romano. Nam iſta in opiniōe ſunt poſita, ob idq; iuris arbitrarij. Maxime uerò ſequi naturam uiſum eſt in iure tradendo. Alia hominū diuiſio. Omnes homines aut iuri dicundo, aut explicando, aut audiendo tantum ſunt. In hoc quidem omnes conueniunt, quod quum de rebus illorum agitur, audire ſinguli (etiamſi maximi magiſtratus principes'ue ſint) ius debent: dicere ius duo hominum genera, eſt receptum ubiuis gentium. Nam iudices ſunt à principibus aut à litigatoribus conſtituti. Quum enim officium principum, recenter inter homines conſtitutorum eſſet ius dicere, maior'que indies oboriretur litium copia, quàm cui terminandæ unus homo ſatis eſſet, ſuam autoritatem iudicibus conceſſere principes, ut æquitate inter litigatores componerent, eorum'que ſententiæ ſtaretur, non ſecus atque principum placitis (tempora cautiora inuenere appellationis beneficium) quibus ob pacem Reipublicæ refragari non licet. Arbitri ſimplices, aut compromiſſarij, etiam ſunt in quauis Republica iudices, in quorum ſententiam, aut pacto non recedendi, aut aliter, actor & reus conuenire iurareq; ſolent. quod quidem in iudicum ſubſidium eſt inuentum, atque in litigatorum commodum. Sunt uerò ea iudicum genera multa admodum. Nam & quiuis Princeps quarundam rerum cognitionem ſibi iuridicam ſeruat, & ſummi magiſtratuum de omnibus negotijs cognoſcunt, aut de quibuſdam tantum. Verum iſta paulò pòſt. Explicant ius, aut ſecundum ius cauſas exponunt iudicibus, aut aduocati, aut procuratores, quum frequenter ipſi litigatores ius ignorant. Audiunt tantum ius priuatæ conditionis homines, niſi fortaſſe arbitri aliquando ad dicendum conſtituantur. Cæteri, præter priuatos, præterquam quod dicunt, etiam audiendo & parendo

iur

iuri ſunt. Poſtrema hominum partitio hæc eſt: Omnes homines, aut nobiles, aut ignobiles, aut ſunt religioni adſcripti. Apud omnes nationes uirtus præcipue militaris, aut reipublicæ conſeruatoria, præmium ſuo poſſeſſori conſenſu illorum qui illa ſenſere aut cognouere attulit, quandam celebritatem ſcilicet, & beneficij in rempublicam aliquãdo collati memoriam, ex qua illuſtrium familiæ in ſingulis populis ſunt. Non rarò opum magna uis id effecit, inde & autoritas, & uis, & potentia, ut quis uulgaribus hominibus maior crederetur, atq; ex opinione confirmationem & autoritatem, atq; adeò tyrannidem compa rauerit. Itaq; quædam nationes eam magnitudinem in poſteritate admiſerunt. aliæ tantum in illis qui uirtutem comparauere propria induſtria, ne falſo nomine ſine uirtute paternaq; gloria tantum ſibi placeat poſteritas. quæ ſanè opinio plures quotidie ad uirtutem incitare ſolet. Qui leuant Rempu. aut prudentia, aut opibus, in eodem numero meritò habendi ſunt. Hæ ſunt nobilitatis origines. Ignobiles ſunt, qui nil præclari facinoris in repu. geſſere: aut ſi geſſere, præmio (quod frequẽtiſſimè fit, factũq; eſt) ſunt ab ingrata multitudine, aut à prin cipe (qui paulo clariora timere, aut illis inuidere ſolet) deſtituti, aut pereũte memoria auorum ſpoliati. Nam natura cunctos homines ſimili ortu, corpore, animoq; protulerat, uirtus & opinio euehunt. Religioni adſcripti ſunt, quibus religionis augendæ conſeruandæq; cura incumbit. Atq; iſta hominum genera, aut animorum aut corporum, aut rerum externarum cõditionem conſeruant. Animos curat religio, & philoſophia: corpora, miles, iudex, medicus. bona fortunę, & iudex & miles: niſi inuerteretur rerum uſus. Nam quis cuſtodiet ipſos cuſtodes? Verum hi quamuis nequam, potius tolerandi quàm tollendi.

QVID POSSIDEANT HOMINES IVRIS *beneficio, quomodo'ue iura amittant, conditionesq; mutent.* Cap. XV.

IN ſingulorum hominum rebus ſolent eſſe naturæ iura, id eſt libertas, iura loci, in quo quis natus receptus'ue eſt, quæ Romani uocant ciuitatem: & ſanguinis, quæ familiam dicimus. Nam quiuis homo natus liber, & alicubi naſci, & à quibuſdam ſolet. Iura itaq; utendi ſuo arbitrio habet à natura: ſui conſeruandi, atq; res ad ſui tuitionem poſſidendi, ex beneficio iuris quo utitur populus ubi naſcitur, ſolet conſequi, & ſe in aliquam familiam neceſſariò adſcribere, ex qua ueluti traduce natus eſt. Iura naturæ aut perduntur propria culpa, aut aliena opera. Quum quis ad participandũ precium ſe uendi patitur, aut ex ſuo facto eſt corpore ad ſeruiendum obligato, ueluti quum ex debito rei operis'ue ſuæ, aut à ſe pręſtandæ, tunc ipſe ſe naturali iure deſtituit. contrahit etiam infamiam cum damno, dum uolens perit. Aliena opera, quum quis abs quouis hoſte capitur, atq; in ſeruitutẽ ducitur: ex quibus quum ſe exemerit, iure poſtliminij in ſua redit. Nec enim infœlicitas neceſſitate comparata officere natalibus, iuri'ue naturali ſolet, debet'ue. In iure ciuitatis poſſidemus aut publica tantum, aut publica & priuata, id eſt noſtra. Publica quamuis in nullius bonis ſunt, ſunt tamen in omnium uſu, nec minus omnibus facultatibus deſtitutus poteſt ubiuis gentium aut ſacra adire, aut uia publica incedere, aut in foro locisq; publicæ utilitati dicatis diuerſari, atque uſura auræ, aquæ, ignisq; uti, quàm diues. Præterea ad illius conſeruationem ſunt poſitæ leges, non ſecus atque diuiti. Illæ enim naturam, non fortunam ſequuntur, & quicquid de rebus tractant, id ut naturæ conſeruationi ſtudeant, faciunt. Cæterum quum illarum beneficio liceat ubiuis terrarum ſua poſſidere, etiam illis cõſeruationem rerum noſtrarum

debemus

debemus. Nam aut res noſtræ, opera noſtra, noſtræ factæ ſunt: aut aliena, emptione, permutatione, occupatione ue res noſtras facimus. Aliena opera accedunt donationes, hęreditatesq́, quas acceptando, adeundóue noſtras facimus, quæ ipſa legibus debemus. Nam niſi leges & magiſtratus uoluntas, contractus ratos facerent, nosq́ in noſtris poſſeſſionibus retinerent, hæredeq́ ſtatim mortuo uiuum poſſeſſorem ſtatuerent, quem ideo (ſeu legitimus, ſeu ſuus, ſeu neceſſarius ſit) hæredem dicimus, uellentq́ ut res eſſet donati, proculdubio nil certi poſſideremus, iactaremur, omnia fortiori adquirerentur: fierent omnia, quæ in rerum euerſione fieri ſolent. Ciuitati itaque meritò Paulus iuriſconſultus adſcripſit omnia quæ in re noſtra ſunt, ut ciuitatem intelligamus, uim & maieſtatem legum in quouis loco probatarum. Nam coëunt legibus homines: qui coëunt, aut ciues ſunt, aut ueluti ciues. Ciues, qui magiſtratu ſub legibus fungi: tanquam ciues, qui parēre tantum neceſſe habent. Hæc in ciuitate ſunt. Familiam habemus tantum, aut habemur à familia, aut utrumque, aut neutrum. Mos erat Romanis, omnes quotquot eſſent nati à maſculini ſexus liberis, ſeu filij, ſeu nepotes ſeu pronepotes & adnepotes eſſent, quamdiu eſſet autor paterq́ illius familiæ ſuperſtes, ut in familia eius eſſent, illisq́ quicquid par eſt parentem primo in loco præſcribere, parēreque neceſſe habebat illa familia, tam maſculini quàm fœminini ſexus: recidebatq́ ſemper tota illa familia in ſenioris poteſtatem, niſi quum uirgines ducerentur. Nam tum è patria poteſtate ueluti manumiſſæ tranſibant in aliam, ubi generabant liberos: non poteſtati patris unde uenerant, ſed mariti, illius'ue patris. dicebatur'que hæc capite minui, & familiam perdere: niſi manumiſſio, aut in aliam poteſtatem tranſitio, ueluti eſt adoptio, eximeret maſculos: aut niſi ingratitudine priuarentur bonis paternis, nunquam à familia recedebant. Poſtremi qui nondum genuere, tantum in familia habentur: tantum habet familiam, cui maiores parentes periere, aut à quorum loco, regione, legibusq́ omnino receſſit, & in alia Republica genuit liberos. Qui ſuo iure eſt, etiam inter parentes habet, & habetur: qui medius inter extremos eſt, nec habet, nec habetur: qui eſt ubiuis gentium aduena, ubi non genuit: quo in loco ob reuerentiam, & decus matrimonij ſunt habiti ſpurij, & uulgo concepti, antequam genuerint, niſi ſuccurrat illis lex, aut Princeps, in'que familiam patris cuiuſdam inſcribat. Serui tales ſunt, qui ſi generant, dominis generant. quod ſunt geniti, capitis maxima diminutione perijt. Sunt enim omnino nulli, quod ad iura Romana attinet, niſi in rem domini. Communis uſus mortalium, tantum familiam attribuit patri, quoad liberi uxores duxerint, aut ætate ad adminiſtrandam hæreditatem apta fuerint: tunc ſui iuris planè, quemadmodum & emancipati, fieri ſolent. Sed iſta ſunt opinionis. Satis eſt naturalem patrem præeſſe ſuis imperio, quoad corpore, iudicioq́ integro ualeant, & familiam ipſi regere, & rebus ſuis bene conſulere. Nam & gentium omnium, & animantium exemplo id probatur: ut ſit maior libertas. Ius Romanum parentis loco proſpexit ante ætatis uigeſimum quintum annum, quod uideatur iudicium humanum debile & parum ſubactum, ante illam ætatem neminem debere patre deſtitui. Varia alioqui de ætate iuſta ad res adminiſtrandas opinio eſt ſequenda. Oportet enim uſu rerum rationem, iudicium'que perfectius, non natura tantum parari. Itaq́ ubi pater liberos ſuperſtites ante illam ætatem reliquit, iure conſtitutum eſſe debet, ut tutores & curatores uice patris fungerentur. Niſi enim pater moriens tutorem liberis inſtituerit, proximi parentes curare debent, alioqui autore præ-

tore datur tutor curator'ue, & illis qui mente laborant, quoniam intereſt Reipublicæ, ne quis ſuis rebus malè utatur. ideo potiſſimum ijs conditionibus hominum ſuccurri ſolet, ſi quid in detrimentum rerum ſuarum ſit commiſſum, quamuis contractu actum ſit. Qui extruditur à familia, aut uolens diſcedit, id modo poſſit, minima capitis minutione cenſetur. Si ius ciuitatis ſine delicto perdimus, etiam familiam perdere neceſſe eſt: ut deportati, relegati, aduenæ. Eſt'que media capitis minutio, quum ſerui ſimus omni iure ſpoliati, maxima capitis minutione affligimur. Nam & quod natura dederat, deſideratur. Duplex uero ſeruorum genus nouerat antiquitas. Vnum uulgare ſine delicto natum, ob id capi ſolitum, quod patriam aut factionem conſeruatam uoluerit, cui poſtliminij iure omnia recipere licebat. Alterum ex delicto, quos ſeruos pœnæ dicere Romani ſolebant. Nam quamuis atrocia eſſent delicta, antiquitas quoad poterat, uitæ hominum parcebat. Qui contra Rempublicam in qua eſt natus, educatus, conſeruatus, arma cæpit, aut latenter conſpirauit: qui religionem euertere tentauit: aut qui uitæ hominis, ad cuius mutuam tuitionem nos officioſos natura creauit, inſidiatus fuerit: qui hominem uolens, & ex præcogitato occiderit (niſi dum ſe tuetur) qui res alienas diripuerit: aut contra leges, dominiq́ uoluntatem in naturæ pacis'que publicæ perniciem inſurrexerit, meritò & auxilio humanæ conuerſationis deſtituetur, & ueluti membrum putre reſecari debet. Poſſe uerò ad frugem redire homines, ut peccare, nouerat antiquorum prudentia. eam ob rem loco mortis quam meruerant delinquentes, uaria ſuppliciorum excogitauit genera: quorum ſtatuendorum ſecundum legum præſcriptum, æquitate & lege uiua moderatum, iudex habuit poteſtatem. Qui grauiſſimo ſupplicio afficiebantur, ad metalla in Reipublicæ uſum fodienda, ubi uix integerrimo corpore homo ad quinquennium durat, relegari ſolebant. Alij in exilio aut perpetuo mulctabantur, aut temporaneo relegabantur in inſulas, aut quaſdam prouincias externas alij. Omnia tentabant, ut hominem in uita ſeruarent: quamuis meritò legibus, familia, naturáque deſtituēdum. Eſt enim ſummum, uita: infimum atque utiliſſimum, miſeris'que optandum mors. pœna'que diuturnior, morte grauior, apud gentes quaſcunque. Qui legibus contrauenit, illis priuari, aut morte, aut pœna exilij, proſcriptionis, aut alio quouis ſupplicio ſolet. Sed hæc de hominum poſſeſſione, conditionisq; mutatione ſint dicta.

QVID SIBI MVTVO PRAESTARE HOMINES *poſſint, quomodò ue obeſſe.* Cap. XVI.

IN officio (ſi duce natura mutuò id obſeruarent homines) eſſe poſitum, quicquid iuris eſt, conſtat. Verum id officij, quod aut nobis, aut rebus noſtris adfert compendium, omnes facilè recipimus, adpetimus, ambimus: rependere uero, niſi aut pudore, aut ui legum cogente, frequenter negligimus. Natura enim quum nudos ediderit, unà & deſiderium quoddam non tantum in præſens rerū cumulandarū, ſed perinde atq; ſi eſſemus in æternū uicturi, ſine ullo cupiditatis modo reliquit. acceſſit neceſſitati orbis labes, opinio, ut non tantum quæ uſui, ſed quæ gloriæ ſint, futura cupiamus. Poſteritatis cura ne in conſpectas à nobis incidat miſerias, auxit habendi uotum, coëgit æquitatem gratitudinemq; inter homines exulare. Illa exploſa, cœptum repenſionibus agere, fide rebq; nec homini, nec illius fidei (quæ tamen inter bonos maximum ſemper fuit uinculum) ſed rebus ipſis, quæ ultro citroq; tribus partibus conſtant, quicquid

enim

enim homo homini præſtare poteſt, aut in re exhibenda, aut in illius uſu, aut in facto hominis eſt. Rem damus mobilem, uel ſe mouentem, uel immobilem, aut ad eas conſequendas iura. Mobile eſt, quicquid extra ſolum uita carens eſt, ſeipſum mouens, omnia animantia. Immobile, ſolum, aqua, atque ædificia. Tradi uerò ſolent, aut ſimpliciter ſpe gratiæ habendæ, aut naturæ prorogandæ, aut proprio quodam tradentis uoto: ut ſunt donationes, hæreditates, legata, cæteræq; donationis ſpecies. Nil enim recipit qui dat, præter eam quam ſperat magis quàm habet beneuolentiam: contra quam, & pacta in donatione facta ſi quid agitur, meritò notatur ingratitudine, req; donata priuari ut ingratus poteſt, niſi ſit ſimpliciter facta. Nam ſi dirum facinus in eum qui dedit, admittatur, meritò leges ſua ſeueritate moderantur tales conatus. Viuunt enim leges & defunctorum, & abſentium loco: & ob eam rem rata faciunt, quæ ab illis conſtituta ſunt. Res rebus permutari poſſunt (nunc à rebus paulisper ſubſtrabo pecuniam) cum res ſolidæ ſine externa ulla æſtimatione, pro rebus dantur, quo genere rerum rudis antiquitas ſua mercimonia exercere ſolebat. qua in re quum eſſet multum laboris, in agendis uehendísq; ultro citroq; rebus, aliquid excogitarunt mortales cum ſummo omnium bono. primum (quod tamen demum uerſum eſt in ipſorum perniciem) quod'que facile omnium rerum loco & nomine mutari poſſet, minima'que eſſet mole, pecuniam ſcilicet, quæ à præcipua antiquorum poſſeſſione, quæ in pecudibus erat, nomen habet. Ea uero ferrea, plumbea, coriacia, lignea, aurea, argentea'ue, aut ex alia quauis materia ſit, fuerit'ue (ut certè fuit olim) nil referebat, modo illa legum & popularium conſenſu, principum'ue iuſſu tanti æſtimaretur, quanti res eſſent. Verum quum poſt adoleſcentiam orbis, cæteræ materiæ, ueluti & ſignorum adulterationi, & moli maiori, & corruptioni obnoxiæ, cognitæ fuiſſent: omnium orbis ferè totius popularium conſenſu, aurum, argentum'que probari cœptum: quod etiã neceſſitate factum conſtat. Nã quum multæ prouinciæ ſibi nõ ſatis eſſent, & à uicinis regionibus neceſſaria adminicula petere cogerẽtur, ignoraretur uerò illa legum uis, quæ alibi pecuniæ dediſſet precium, coacti ſunt ferè omnes mortales, aurum, & minima mole, & minime aut ægrè corruptioni obnoxium, pondereque ubiuis æquabile, amplecti: cuius, ueluti Dei, eſſet par ubique poteſtas. Quum ante illius tam crebrum uſum, multis in regionibus negligeretur, atque non ſecus quàm ferrum eſſet in uſu uinculis ſontium fabricandis: bona pars nuper aperti orbis etiam uſum illius ignorabat, antequam eò perueniret corrupti orbis peſtis auaricia. Nunc itaque in toto terrarum orbe expetitur aurum, in cuius ditione quicquid terra profert, occultat'que, poſitum eſt: cuius nomine & rem, & uſum, & factum, abs quouis homine cõſequi liceat. Ob id meritò antiquæ poëtarum fictiones Ditem, & Plutonem, inferorum'que regem dixere: quod quicquid etiam ex intimis maris terræ'que uiſceribus effoderetur, ipſius iuris eſſet. Res aliquando una plures'ue pro uſu alterius, plurium'ue dari ſolent. Quid porrò ſit uſus, ſatis patet, eſſe ius utendi re aliena ad aliquot tempora, quæcunque ſint aut continua, aut interuallis diſtincta, ſalua rerum ipſarum ſubſtantia. quod quum latius patet, ad omnem uidelicet rerum prouentum, tunc non uſus, ſed uſusfructus dicitur. In uſu enim neceſſitas utentis ſpectatur: in uſufructu, & commoditas, & quicquid eſt poſitum in rei emolumento. quamuis aut ipſe uſus, uſusq; fructus ſint res, utpote iura, tamen res magis propriè appellamus in iure, quarum cauſa, aut ex quibus trahi poteſt utilitas. Crebrò itaque contingit, ut aliquis loco rei

 accipiat

accipiat uſum, uſum'ue fructum, aut ediuerſo. Facti ratio patet latiſſimè. Nam & in officio, & in obligatione, & in negligentia, infecto'que eſſe poteſt. Res etiam frequentiſſime loco facti rependi ſolet: ut ſi agrum illum, rem'ue illam tibi do, ut hoc mihi facias: debes mihi factum exhibere, non ſecus atque rem exhibui. Innumeræ inde contractuum ſpecies oriuntur, quæ quamuis de re, uſu, facto'ue permutatis ſigillatim, aut coniunctim tantum ſunt, tamen pecunia omnia metiri ſolent, quum quanti interſit, requiritur, arithmetica æqualitate: aut quanti res ea fuerit, eſt'ue. Nexu uerò obligationum multiplici, ſibi hæc tria debent, præſtare'que (ſi iura ſequantur) ſoliti ſunt homines. Sin autem pergunt eſſe iniuſti, & iniqui, erga illos quibus ſunt obnoxij, eo quòd contra ius ipſum, actiones mortalium loco exulantis fidei conſeruans in eſſe, faciant: dum non tantum fidem uel à ſe, uel ab his quorum iure utuntur obſtrictam, uel ex rerum conditione natam negligunt, ſed etiam ipſis contractibus, pactis, & conuentis, quæ par eſt apud omnes mortales ſeruari, contraueniunt. hinc natæ actiones ad ius conſequendum. Nam Reſpublica, ueluti mater pientiſſima, quum nos ſinu ſuo fouendos ſuſcepit, id etiam curat, ut ex illius poteſtate conſequamur, quicquid iuris noſtri eſt: ne quando nos deſtitui contingat munijs ad uiuendum utilibus & neceſſarijs, ne'ue regnet inter homines ſui contemptus, iniuria uidelicet. Vnde & naturæ, & rerum humanarum labes. Itaque & ſi res, uſus, factum, aut ius noſtrum perſequi aut non poſſimus, aut negligimus, ſeu in res, ſeu in perſonam nobis fiat iniuria, ipſa peculiari nomine uindicandos, aut iuuandos, ubiuis terrarum fuerint ciues, ſumit. Ventrem in poſſeſſionem mittit, tutores dat pupillis, curatores adultis, & furioſis, læſos uindicat, ſontes plectitur, etiam nemine id poſcente: tantum naturæ, prudentiæ, rationi, bene'que poſitis legibus, atque inde omnium autori Deo Optimo maximo, debere nos, fateri cogimur. Læduntur itaque homines, quum ui legum ab inuicem petere coguntur, quod ius ratioq; faciendum, dandum'ue, aut non faciendum, ſuadere debebat.

DE ORIGINE INIVRIAE.

CAP. XVII.

NEceſſitatem, ambitionem, atque auariciam, eſſe cauſam iniuriæ, clarè inſpicienti patêre poteſt. Nam & qui iniuriam infert in corpus, cupiditate uindictæ, aut gloriæ, quod alteri ſit, aut uideatur ſuperior, ducitur: qui in res peccat, auaritia, aut neceſſitate, ambitione'ue ſanè torquetur. Iniuriæ porrò tres ſunt ſpecies, impietas, auaricia, iniuria, contumelia'ue. Impietas contemnit deos, religionem, res'que religioni diuis'que adſcriptas, ut ſacras res, perſonas'ue, atque defunctos, probris'que adficit, parentes demum atque patriam. Nam hæc non tantum legibus prophanis, ſed & ſacris oportet eſſe ſacroſancta. Bis ergo, ut minimum, grauiſſime peccat, qui contra hæc peccat. Nam & in homines, & in utriuſque iuris præſcripta committit. Auaritia propriè, atque neceſſitas, appetentes raptores'que alieni facit. Fit enim circa res ad uitæ munia comparatas. Iniuriam alteri inferimus aut uerbis, aut calumnia, aut uerberibus. Verbis & cõtumelia in famã, uerberibus in corpora peccatur. Oritur uero in homine inferẽdæ iniuriæ cauſa, aut neceſſitate, aut opiniõe, aut uolũtate, aut peruicacia, fraudeq;. Opinio res aliter q̃ ſint ſuadet, ad quã ſequẽdã plerũq; ſunt magis homines procliues, quàm ad ueritatem.

ritatem. Hinc mundi pernicies, meum & tuum, quum permutantur, nobis lites generant. Nam dum tua mea credo, tu ediuerſò, paſcimus egregiè coruos, uolui dicere patronos, contendere'que ſummo iure ex opinione malumus, quàm falſa opinione arbitris promiſſa, ut inde uerum cui aſſentiamur eliciant, pacatè degere. Voluntas mera res ipſas iure uel iniuria poſſidendi, etiam palàm ius perfringit, ſuáque libidine aliena rapit, labefactat, euertit, atque in pleriſque eſt pro ratione. Tertium genus perditiſſimum eſt, quòd ipſo iure, non ad Reipublicæ ſalutem, ut comparatum eſt, ſed ad iuris euerſionem utitur bona pars mortalium. Is eſt demum finis rerum præſtantiſſimarum, ut quæ aliquando pro Reipublicæ incolumitate ſalubriter ubiuis gentium ſunt conſtituta, ea contrectatione aſſidua hominum, præcipuè iniquorum, in peruerſum ſenſum torqueri ſoleant, niſi ſingulis ſeculis omnino innoues: qua quidem re nulla infœlicior eſſe poteſt. Ius enim quum apparet ei, qui falſa detinebatur opinione, cædit quidem, ſolet'que iudici non ita inuitus acquieſcere. Quum uis palàm infertur, id uix fieri poteſt, niſi à tyranno, aut in eo loco, ubi iuris, ſancti'que nihil eſt. At quis ferat illos, qui ſacroſancto legum præſcripto, ne illorum uerſutia pateat, primo ſtatim obtutu, ſuas fraudes obtegunt, atque ex iure ſummam iniuriam facere ſtudent? Verum ea eſt conditio & infœlicitas legum, tam diuinarum, quàm humanarum, quæ pauimentorum eſſe ſolet. Ea enim ſi noua, æqualia, & in bene poſita uia ſunt, nemo facilè dixerit, quantum utilitatis inde, qui ingrediuntur, capiant: ſi ſemel euerſa, cumulis'que & foueis permixta fuerint, nemo tutò illac iter facit, nemo non detrimentum maximum accipit, nemini non eſt optabilius uia cœnoſa, quàm tali pauimento incedere. Itaque quum leges naſci, poni'que inter homines incipiunt, retinent, ſi non omnes, certè quàm plurimos, in officio. Verum ubi à uerſutis hominibus earum ſenſus circumueniri incipit, tunc pro bona fide, dolus: pro uero, falſum: pro iuſtitia, iniquitas, in inſontium hominum caput iuris tegumento comparatur. Religiones ex pietate aucupium opum, ex innocentia mille tutò nocendi artes generant, uerſutorum hominum uaframentis. Legibus quidem prophanis non uſque adeò licet, niſi potentioribus, & qui poſſunt patronis ſuppeditare. Quæ quidem eueniunt partim hominum nequitia, partim nimia opinionum iuri adſutarum mole. unde fit, ut nemo ſit tam iniquo iure, quin ex congerie illa opinionum id decerpat: quo ſi non uincat, ſaltem egregiè aduerſarium torqueat.

QVOT MODIS, ET À QVIBVS, ET IN QVOS *peccetur*. *Cap.* XVIII.

PEccati uocabulum latius patet ipſa iniuria. Nam plurima peccata non ſunt iniuriæ, omnes uero iniuriæ peccata ſunt. Potenti enim quum non fiat iniuria, quum homo in ſe, aut ſua peccat, quia uolens facit, & patitur, peccat quidem, at iniuriam non committit. Peccata uero omnia fiunt aut in religionem, aut in naturam, aut in homines. Contra religionem facit, qui externis ſignis, receptis'que moribus illam obſeruare negligit: id'que tanto magis, quo maior eſt, qui uerbis conuellere priuatus nititur. qui contrà facit, atque aliter, quàm uſus poſtulet, receperit'ue. Nam hæc omnia ad eius euerſionem faciunt. Pariter qui res religioni adſcriptas, ueluti qui ſepulcra uiolat, qui ſacras uirgines inceſtat, qui ſacris addictas perſonas quauis iniuria afficit, qui res

ſacroſanctas furto expilat. Nec uero ſunt tantum ſacrę res religionis, ſed & quę ad omnium incolumitatem faciunt, ut quæcunque commoditati, uiæ, fori, murorum'ue faciũt, ſuntq; eis attributa, ea omnia tanquam in ſacris rebus eſſe debent: quæ ſi quis uolens, ſciens'que euerterit, diſiecerit, ſurripuerit, aut uiolauerit, uehementer peccaſſe conſtat. In his enim & ſimilibus, præter facinus admiſſum, quod etiam priuato homini illatum uindicaretur, eſt etiam toti corpori Reipublicæ damnum perpeſſo faciendum ſatis. Nec ulla eſt, uſquam'ue fuit gens, quin hæc in grauiſſimis delictis poſuerit. Varia quidem certè fuit de ſepulchris opinio. Condiebant alij odoribus, & uitro: odoribus tantum alij: quidam corporibus parentum, ut Scythæ parentinori: quidam canibus, alij ignibus, multi humo. Verum id quidem fuit omnibus nationibus commune, eum locum in quo aut ſolidum corpus, aut cineres repoſiti eſſent, religioſum facere: adeò ut etiam in quibuſdam regionibus moris ſit, etiam qua mortuus illatus ſit uiam facere, quamuis antea non fuerit, priuataq; res ſit. Nec mirum omnium gentium conſenſu, ius etiam illos ſacroſanctos eſſe nobis uoluiſſe, à quibus & eſſe, & iura ipſa accepimus. Religioſum locum ſoli Chriſtiani, antequam mortuos inferant, faciunt: in alijs religionibus corpus religionem inducit. Quamuis ergo uicinis ridicula ſint, religionibus quibuſcunque recepta, quæcunque tamen illa ſunt, cauendum eſt quicquam contra ea, quibus in locis probantur, facere. Nam id eſt turbare, & euertere Reipublicæ caput, religionis opinionem imminuere: niſi id tanta modeſtia fiat, ut meliorem inducere antequam recepta euertatur, poſſis: idque ſis facere potens, autoritatéque potiſſimum ad hoc ualeas. Nam illis religionibus potiſſimum coaleſcunt populi, terroribus'que ſub legibus & Principibus retinentur: quæ eſt prima Reipublicæ utilitas. In naturam peccat, quiſquis aliquid molitur, quod uni pluribus'ue hominibus perniciem adferat, quod ſcelus eſt ſummæ inhumanitatis plenum, in priuato homine. Nam pacis retinendæ, aut comparandæ gratia, quælibet Reſpublica poteſt (poſtquam ad cupiditatum & opinionum miſerias uentum eſt) aut urbes, aut regiones uicinas ad internecionem cædere, ſi noceant, niſi ſe dedant. Præſtat enim, quum pacis cauſa omnia facta ſint, paucos in quiete, quàm multos in aſſiduis miſerijs, atque conflictu uiuere.

Præterea naturæ quodam uſu, hominibus quidem occulto, ob id'que religioſo, quum res humanæ maximè adoleuerint, uoluptatibus defluxerint, maiore ſint multitudine homines ubiuis terrarum, quàm qui poſſint uno in loco ali: neceſſe eſt, aut à ſe ſibi, alijs'ue, aut è diuerſo parari exitium. qua in re, quum fatum plurimum poſſit, Principum'que libido, neſcio ſi quis uehementer peccet. Verum nulli priuato alterum lædere licet. Qui ergo hominem, cuius edendi, conſeruandíque Natura eſt ſtudioſiſſima, uſui cuius quicquid eſt & legum, & rerum aliarum, eſt comparatum, occiderit, occideré ue tentauerit, in naturam ideo pecaſſe dicitur, quod rerum naturæ ſummam & apicem, hominem ſcilicet innocuum, & fratrem, è medio ſuſtulerit. Ob eam rem in omnibus Rebuſpublicis ſunt magiſtratus, huius iniuriæ uindices. Qui uerò pluribus aliquid molitur ruinę, ut qui aquam aerem'ue quo plures utuntur, inficere curat, inſidias ſtruit, periculum quacunque ratione creat, quod in perniciem uitæ plurium tendat: longe ſceleratiſſimus eſt, eq; medio tollendus. Itaque qui præſens periculum uitæ hominis cre

at

at, ille quidem in naturam delinquit, & hominem. Nam ideo in naturam peccat, quod illam exuit, dum ſe quam dederat humanitate ſpoliat. In hominem uerò, cuius mutuæ tutelæ, & officijs fuerat à legibus ſeruatus, quum non ſolum officio fraudat, ſed uita priuat. At qui in famam hominis, hominum'ue, aut in res eiuſdem quicquam admittit, in hominem quidem, non in naturam dicitur peccare: quamuis, ſi proximè ex admiſſo crimine ſit ille qui paſſus eſt iniuriam periturus, uidetur etiam in naturam commiſſum crimen. Peccat uerò homo, aut in unum, aut in plures, aut in omnes. In unum quidem, aut ſeipſum, aut alium. In ſe quiuis negligentia, uel actione delinquere poteſt, id'que in rebus animi, corporis, fortunæ: quæ externa uocant bona. Negligimus, non frequenter curare animos, uirtutibus ornare, exercere magnis rerum cogitationibus: unde quicquid erroris eſt, ſerpit. Vitijs inficere ſatagimus, actionibus iniquis cogitationem labefactare non ceſſamus: quarum rerum quia periculum ad nos pertinet, nec poteſt ab hominibus hominum cogitatio capi, ideo non eſt uindex legum ulla pœna, ſed delicti expiatio refertur in religionem, Deíque timorem, qui ultor erit illorum qui rationem ſibi diuinitus in hac corporis harmonia compoſitam excolere & conſeruare neglexere.

Si quis corporis ualetudinem negligenter curauerit, aut periculum adierit, ſibíque malum caſu uel ſponte accerſiuerit, proculdubio is ſibi aſcribere debet: nec eſt ulla lex uindex illius peccati. Nam natura uſqueadeò magnam uitæ conſeruandæ curam, non homini tantum, ſed omnibus animantibus dedit, ut nulla ad eam rem lege ſit opus. Inde mors maximo timori eſt: uita, & quæ ad illam faciunt, ſummo gaudio. cui poſthabenda ſuaſit omnia, natura. Sunt quidem uitijs corporis ſua remedia, ſed quæ nemo inuitus adeat. Natura enim ſatis quæ ſunt appetenda, fugienda'ue, docuit, abſque eo quod quiſquam hoc præſcribat. Si curari (qui corpore laborat) nolit, quoniam nolenti non fit iniuria, ſua debet inſania frui: niſi iudicio, aut ætatis, aut morbi, aut naturæ uitio laboret. Illis enim leges, ſi parentes deſunt, patris loco eſſe debent, in'que bene conſtitutis Rebuſpublicis ſolent. Dum quis dilapidat temere, & in uſus aut ſibi, aut Reipublicæ inutiles abſumit, quæ habet bona externa, uitæ'que adminicula, profectò quamuis ſibi peccat, ſi quid peccat, quoniam intereſt Reipublicæ, ne quis re ſua male utatur, deberet legibus coërceri. Inde enim Reſpublica detrimentum accipit, quum coguntur qui ſua abliguriere, aut quouis alio modo rem decoxerunt, mendicare, familiam deſtituere, atque adeò uiuentes mori. Nec tam latè patêre debet arbitrium priuato in re ſua, ut illa abutatur. Reipublicæ enim, non ſibi uiuere debet. Maieſtas legum, ferè ubiuis gentium, ne id fieret, proſpexit: & quibuſdam curatores, tutores, adminiſtratores'ue dedit, quibus ipſis meliorem rerum ſibi commiſſarum facere conditionem permiſſum eſt, deteriorem non licet: quod potiſſimũ etiã patet in Reipublicæ neruis. Neruos nuncupo, uires utriuſq; iuris, tam prophani, quàm ſacri, cui adminiſtrando, quum præſint neceſſariò homines, & loca, & rem partam illis eſſe, aut ſuppeditatã, neceſſe eſt: quam quidẽ augere, & meliorem reddere, cuilibet uolenti eſt permiſſum: minuere, nequaquam. Nam res paratæ ſunt, ut creſcant, conſiſtant, durent'que, quantum Reipublicæ opera fieri poterit. Nemini itaque tantum licere in ſua, præſertim hæreditate relicta, deberet,

cenſoribus'que coërceri poſſet. Verum malunt plerunque leges id permittere, ut ſerò ſapiant Phryges, ſintq́ cæteris exemplo, quàm tot occupationibus præpediri. Innumeris enim magiſtratibus eſſet ad eam rem opus. Itàque ſunt permittendi & iſti, ut ſua fruantur inſania. Tot modis in ſe & ſua peccant homines. In alium delinquunt ſuperiorem, aut parem, aut inferiorem. Hominum paritas, aut imparitas, duabus in rebus conſiſtit: autoritate, aut opibus. Nõ ſolet opum ſine autoritate & poteſtate, uſqueadeò ratio haberi, ſi ſint utraq; coniuncta, demum ſolet perpendi. Autoritas opibus deſtituta, ſacroſancta eſſe & debet, & ſolet. Iniuria fit maiori, etiam detrectando illius imperium, ſi ſit Princeps: iudicium, ſi ſit iudex. nec tantopere perpendunt leges, legum'ue uindices, cui perſonæ, quàm cui dignitati ſit refragatum. Quis enim ſit iuſtitiæ exercendæ in illa Republica locus, ſi priuatus aliquis ſe auſit illius ſanctionibus opponere Idem eſt, atque nullam habere. Itaque maiores ſceleribus petimus, dum aut in autoritatem, aut in perſonam, aut res illius quæ ob dignitatem ſolent eſſe ſacroſanctæ (præter ius alienum id eſt intelligendum) aliquid contra ius admittimus. Quum in autoritatem peccatur, & in Rempublicam peccari certum eſt. Itaque minimi etiam iuſtitiæ miniſtri, quoniam non abs ſe, ſed à Republica ius habent, quum ob officij illis commiſſi rationem, quacunque afficiuntur iniuria, nos delinquere certiſſimum eſt, grauiſſime'que. Viatores itaque, apparitores, citatores, &c. id genus cum ſint Reipublicæ miniſtri, ſunt in ſuo munere exercendo ſacroſancti, eorum'que autoritas par eſſe debet illorum poteſtati à quibus delegantur: nec ratio perſonarum uiliorum, ut natura ſolent eſſe, nos debet ad inferendam iniuriam procliuiores facere. Nec enim à ſe, ſed à principe magiſtratu poteſtatem habent. Cauendum itaque imprimis eſt, ne autoritatem legum imminuamus: ſi ſint pares pro ratione officij, poſſumus quidem non iniuria afficere (quod nemini licet) ſed iure cum illis, & cum quibuſuis contendere, nec quicquam uiolenter committere. Contra inferiores quum plura poſſimus, longè minora licere debent. Nam alioqui facile eſſet & autoritate, & opibus potentem, uincere inferiorem. In his uero delictis admittendis, ſolet maximè perpendi perſonæ ratio, atque dignitatis. Nam ſi is qui delinquit, eſt in autoritate poſitus, longè grauius peccat, quamuis legibus coërceri nequit, quàm priuatus, quum eam autoritatem, quæ ad conſeruationem hominum eſt poſita, in perniciem illorum uertat. Idem planè iudicandum, ſi collegium, corpus, curia, aut quiuis conſenſus omnium partium illius conſenſu, aut in maioris dignitatis autoritatem, aut perſonam, aut rem committat: & meo iudicio, ſi omnes conſenſerint, ſunt grauius puniendi qui ita peccant, quàm qui ſoli: atque (ut uno uerbo tradam) ut uirtutes in ipſis uires concipiunt, fiunt'que maiores, ita & uitia. Nam & peccato & exemplo nocent, qui maiores, fortiores'ue ſunt: qui minores peccato tantum, & eo quidem grauiſſimo, ſi de detrectando Principis, naturæ'ue imperio agant. Peccat ergo aut priuatus, aut donatus autoritate: ille minus, iſte magis. Quot modis in unum (quiſquis ſit) peccetur, uiſum eſt. In plures peccat, qui contra municipium, uicum, urbem, corpus, aut collegium, aut conuentum in parte delinquit: aut qui quod pluribus noceat, etiam diuerſi generis, loci, profeſſionis, committit. ut qui partim communitatis, profeſſionis, artis, aut corpora, aut animos, aut res inficit, occupat, perdit: qui adulterinas merces ſupponit, curat'que adulterari, & ſexcenta huiuſmodi, quorum labes non ſerpit in omnes, ſed in earum

rerum

rerum quæſtum facientes, atque opinione magis quàm neceſſitate rebus utentes. Illis enim ſua perit atque comminuitur pecunia, aut opera. Omnes porro labefactat, qui omnium animos falſis, & in Reipublicæ euerſionem tendentibus, opinionibus inficit, atque Reipublicæ ſtudio auertit, urbes incendijs abſumit, aerem aut aquam, cuius neceſſariò eſt omnibus uſus, inficit: ut corpora pereant, quæ ipſa quamuis non omnia pereunt, tamen per eum non ſtetit, quin omnes perierint. In eodem uitio eſt, qui annonam & res, ſine quibus hæc uita non conſtat, auertit, traducit aliò, hoſtibus dat, monopolijs in immenſum cogit precium: qui canonibus, indictionibus, uectigalibus, homines torquendos præter æquum & bonum ſuadet, qui falſam atque adulterinam cudit monetam, atque ut omnia complectar, qui patriam ob ſuum compendium prodit. Iſta enim ad omnes pertinent, inq; naturæ, religionis, legum, hominum, atq; rerum illorum ruinam, diſpendium'que tendunt, ob id acerrimo uindicanda ſupplicio. Pariter plures aut loci, aut profeſſionis unius, in unum, plures'ue, aut omnes committere poſſunt. In unum, ut ſi qui ex municipio in Principem, aut præpotentem hominem inſurgant: ſi contra aliud municipium, urbem, locum, artem, profeſſionem delinquant: ſi in omnium perniciem ea committat, quæ paulo antè priuatum dixi: difficile quidē eſt iudicium, quum de pluribus quæritur. Nam plerunque (niſi ex eodem municipio, aut loco conſenſiſſe omnes probetur) inſontes plecti pro ſontibus poſſunt, atque triticum cum lolio defalcari. Omnium terminus latiſſimè patet. Nam omnes, & toto in orbe, & in urbe, & in regionibus, regnis, prouincijs, atque locis omnibus, æquè dicimus: ſed ita demum capiendum eſt uocabulum omnium, ut qui cōueniant legibus ijſdem, omnes dicamus. Qui certe ſi peccant contra Principem, frequentius peccant. Vix tamen fit, ut quod omnium conſenſu fit, modo ſint in rebus exequendis ſuperiores, dicatur peccatū. Nam peccatum dicitur, quicquid unitatem durationem'q; rumpit, quod'que contra leges omnium conſenſu probatas fit. Verum illi quum ſint integri & ſuperſtites, melius ſanè nō peius feciſſe uidentur. Idem eſt de Principe, qui eſt ueluti totius Reipublicæ corpus conciſum, atq; compendiarium, quiq; uniuerſum ſurſum prorſum arbitratu agit, eſt planè ſentiendū. Nam illū priuatum & tantum regē credere, piaculo non caret. Itaq; omnes cū aliquid quod ad omniū conſeruationem faciat, aggrediuntur & peragunt, quamuis cuidam aut homini, aut populo fieri iniuriam credimus, quæ certe ſit & longe maxima, tamen quia ad ſui conſeruationem & augmentum id facere natura etiam in artificioſis docuit, peccatum non creditur ab eo qui commiſit, quoniam & lege uetante caret, & rationem prætextumq; cur id faciat, habet. Eſt itaq; illud peccatū paſſiuè tantum, quod in agente nullū dicitur: delictumq; delicto carens, in quo hæc ludit mortalitas, & ſibi omnia ſecundum nauram in naturæ diſpendium permittit, nuncupatur. Omnes itaque non peccare dicuntur, quamdiu puniri non poſſunt. referri uerò ſolent illa ſupplicia, quæ à legibus haberi non poſſunt, in religionem, ut ſibi quiſq; eſt conſcius, ita olim merita ſenſurum. quod toties fieri ſolet, quoties humanarum legum auxilia ceſſant. Atqui ceſſare certum eſt, quum qui illas in poteſtate habent, delicta committunt, & ex uoluntate rationem & neceſſitatem creant. Quum'que omnia referri ad bonum, honeſtum, neceſſarium, utile debeant, ſola ab illis ſpectatur utilitas, libidini quę illam frequenter euertit coniuncta. Id uero naſcitur plerunque etiam ex ipſis rebus, quum omnia quodam motu & agitatione neceſſariò agantur, Nam pax diuturnior, cuius cauſa petuntur omnia, molles &

effœminatos

effœminatos,inq́ luxum & ſeditionem propenſos reddit homines parum prudentes(ut longè maior pars eſt) & legibus, quàm propria ratione magis in officium regi ſolitos, quos feras quàm corrigas utilius. Nam qui omnes malos tollet,aut paucis, aut fortaſſe nullis imperabit. Hinc neceſſariò dum uitijs aut populi,aut noſtri incitamur, in bella & mortes ſponte ruimus, atque aut alios aggredimur,aut propulſamus iniurias, aut aliena appetimus, aut noſtra tuemur, aut non rarò etiam labefactamus, dum compendia maioribus diſpendijs quærimus. Cœleſtis etiam uirtus,& occulta cauſa non parum ad eam rem facit. Neceſſitasq́,& rerum naturalium ſimilitudo incitat. Neq́ enim edere cupiet,quem fames nō torſerit:nec bibere, qui nō ſitierit: nec quieſcere, qui non laborauerit. In rerum enim uiciſſitudine, poſuit omnia Natura, neceſſitati coniuncta: ut dum medium inter extrema ſeruamus, uirtute donemur. Verum ſat fuerit id noſſe, omnes, aut omnium nomine Principem, dum quæ ad ſtatus conſeruationem atque augmentum faciunt, etiam cum iniuria in unum plures'ue, aut omnes alterius Reipublicæ homines, bellis, cædibus,rapinis'que procurat: non peccare, niſi quod ad religionem. cui æquè Princeps,atque popularis,faciat ſatis, neceſſe eſt. Nam(ut inquit Lyricus) Dijs te minorem quod geris, imperas. Nunquam aliter à receptis inter homines legibus imperióque, fieri ſolitum: nec unquam in hac mortalitate fiet, quamdiu uita noſtra neceſſitati uiciſſitudinum erit coniuncta, niſi alium ordinem uitæ dederit natura. Quot, quibus'que modis uindicentur illæ quum iniuriæ,tum peccata, agerem, ſi ſatis hominum omnium, & præcipuè dignitate ornatorum deſcripta eſſet autoritas. Aſt oportet primum diligenter de perſonis agere,antequam ad res atque actiones', quibus uindicantur iniuriæ, ueniamus. Antequam enim poſſumus agere ut res noſtras aut conſequamur, aut conſeruemus, aut iniuriarum actione, atque ut omnia comprehendam, ſeu in rem, ſeu in perſonam ſit agendum: opus eſt iudicem illi rei deſtinatum, de qua ſimus acturi, eſſe in Republica:rem'que aut mihi æſtimare, aut aſſerere, adimere'ue. De magiſtratibus itaque,& eorum ditione eſt dicendum.

DE IVDICIBVS ET MAGISTRA- *tibus*. CAP. XIX.

QVum Rerumpublicarum quælibet ſpecies ad eoſdem fines tendat, ad quietem ſcilicet, & durationem, conſiſtentiam'ue, ijſdem rebus alatur, conſeruetur, augeatur, uigeat: ſimilibus periclitetur, mirum tamen eſt, ipſum adminiſtrationis modum in magiſtratuum conſtitutione uſqueadeò differre, ut niſi numero & ordine, ferè nulli cum alia conueniat. Verum quum referre inſtituta omnium quotquot extant, aut literis memorantur, fuiſſe aut excogitata eſſe, & infinitis operis,& parum neceſſarij(niſi præclara ſint exempla, ut in noſtris Athenienſium Magiſtratibus monſtrauimus)eſſe uideretur: nos ex rerum neceſſitate, & uſu, ea magiſtratuum genera quæ in quacunque Republica ſunt, ſi non peculiari officio, certè cum alio coniuncto trademus. Magiſtratus potiſſimùm ex naturæ imitatione conſtitutos, & ſenſim ex rerum neceſſitate eſſe ortos, patet. Nam natura omnia animantia eò uſque fœtus curam omnino habere docuit, quoad ipſa proles poſſit ſibi proſpicere, & quæcunque ad uictum faciunt per ſe quærere. inde in brutis animantibus affectum illum ademit, ut ad aliorum fœtuum procreationem properent. Homini perpetuã ſuorũ curam cognitionemq́ relinqui uoluit, ut quod lōgiori uſu fuerit adeptus in uitæ ſubſidiũ pater, illud ſemper liberis inculcaret, atq́ ſenſim erudiret,

inq́

inq́ eam perfectionem deduceret, quæ etiam futuræ familiæ & poſteritati eſſet adiumento. Pater itaque primum liberis imperitare cœpit, quæ eſſent neceſſaria, aut ſignis (ante excogitatas linguas) aut uerbis præſcribere, appetere appetenda, fugere fugienda docuit. cuius imperio quum liberi parerent, longe fœlicius deſtitutis omnibus illis adminiculis agere cœperunt. Atque ille primus imperandi modus fuit. Adultis uerò hominibus, in'que maiorem multitudinem creſcentibus, quum præmerentur iniuria, familiæ'que in familias, aut libidinis, aut neceſſitatis gratia inſurgerent, ſeſeque mutuis iniurijs afficerent, uiſum eſt naturam imitari, & quorundam conſenſu unum hominem ex toto cœtu, uirtute, opinionè ue differentem eligere, cui omnium nomine ſcelerum uindicandorum facta poteſtas eſt: atque ſanciendi, quiſquis talia in poſterum commiſerit, talibus ſupplicijs aut pœnis eum affligendum eſſe, indeq́ non tantum ſingulorum defenſionem, ſed omnium tutelam & curam, & commendatam & receptam eſſe conſtat. Itaque municipia, uici, urbes, populi, prouinciæq́ creatæ, dum naturæ imitatione mortales ſibi caput unum, & ueluti parentem delegere, qui expetenda expeteret, ſuóque nomine omnium autoritate donato fugiẽda procuraret. Nec quicquam moror, ſtatim principes degeneraſſe in tyrannos: quibus ſublatis, pluribus bonis uiris permiſſa poteſtas, quæ dicta ariſtocratia eſt: inq́ tyrannicam oligarchiam tranſiens genuit democratiam, atque inde iniquam ochlocratiam, ſeu confuſum imperium. Nam quamuis tria ſunt uitioſa adminiſtrationis genera, & tria expetenda tamen uel malis & iniquis regi præſtat, quàm nullis, atq́ mutuis cædibus debacchari. Si Princeps, aut qui legum habeat autoritatem, deſit, quemlibet obuium tyrannum ſentimus, atque uindictæ, ambitionis, gloriæ natura animis noſtris inditæ cupiditate, & ipſa etiam neceſſitate, ſumus cæteris tyranni, inq́ inuicẽ debacchamur atq́ ſæuimus. Id in populis nuper toto orbe apertis patet, qui quum ſint longè plures quàm qui totam Europam inhabitant, nihilq́ cultioris ingenij nouerint, nec ſcriptas leges, nec literas habeant, tamen Principes iniuriæ uindices, aut uindicandæ duces habent: nec ulla gens eſt tam barbara, quæ aliquo duce careat. quod & in minimo ferè omnium animantium patet, in apibus ſcilicet. Ea ergo ueluti ſacroſancta poteſtas debet religioſè obſeruari, ut ſine qua, nulla hominum conuerſatio tuta futura eſſet. Quod maximè patet, quum mutuis cædibus graſſari homines uideas, atque etiam ſeipſos deuorare. Nec ſtatim putandum eſt, omnino eſſe à natura eam humanitatem, quam nobis parentum, legum, Principum autoritas ſenſim inſtillat (nam id ſatis eſt, dociles, non doctos naturam edidiſſe) omnes enim quotquot ſunt ubiuis terrarum, eadem eſſent peritia atque humanitate tenerentur, ueluti ab eadem natura editi. nam & multi ſunt qui nec loquuntur, nec leges habent, nec ullius rei uerecundia ducuntur (quam credimus maximè eſſe à natura) nec leges, nec religiones norunt: non ſerere, non metere. unde patet, à prudentia iſta inuenta, naturæq́ docili infuſa, atque tenellæ omnium opinionum capaci ætati oblata. quod nobis etiam, dum noſtra initia diligentius introſpicimus, monumentisq́ tradita conſideramus, innoteſcere poteſt. Nã nulla fuit unquam gens ferè, quin aut humanas carnes in delicijs habuerit, adeò ut uictimãdijs gratiſſimã quod habebãt chariſſimũ darẽt: quod hodie inter adultas reſp. quis nõ exhorreſcat? Nulla gẽs Scythica nõ habuit in gratiſſimos cibos hoſtiũ corpora, quod hodie etiã multis in locis patet: habuit in delicijs, & ſenum parentum corpora, apud quos iam matura ætate uſqueadeò

mortis

mortis non erat incuſſus timor, ut ſeipſos ultrò iugulandos, & epulis deuorandos parentibus lęti exhiberent. Tantum ergo debemus nō naturę, quę rerum omnium egenos, atque omnium animantium miſerrimos (niſi nos ſpes, religionis Dei cognitio, uitæq; & gloriæ cupiditas attolleret) creauit: ſed Deo, religioni, prudentiæ, legibus, principibusq;, qui nos in humanitate retinent, ad'que cultum ingenij indies traducunt, naturam'que ipſam per ſe mancam, emendatam in nobis facerent. Expetentibus uero neceſſitatibus, non tantum homines ſinguli in ſingulos ſæuiebant, ſed multi in multos, aut uindictæ, aut neceſſitatis, aut gloriæ motu, dum aut cuiuſdam ſtudio capiuntur, aut quæ uicini habent, habere ſtudent. Illius ergo multitudinis, quæ in aliam inſurgit, repellendæ cauſa Princeps bellum paratat: que comparatas & ab omnibus collectas opes, libertatis tuendæ gratia ſuo arbitratu, ueluti (ut dicebam) compendiarium Reipublicæ corpus impendit, hoſtem proſternit. Nam de uictore populo, & Principe, mihi uolo exemplum ſumere: quum uictus uictoris leges accipere ſoleat. Et bello oborto, & durante, & tranſacto, neceſſe eſt tria ſaltem magiſtratuum oboriri genera: qui domi propulſent iniuriam, qui foris, qui uires ad utrumq; ex Reipublicæ ſingulis hominibus colligant. Nam qui præerat, unus nomine omnium ante bellum poterat eſſe ſatis. Erant enim reges, Principes'ue (nam differentia in uocabulo, non in re eſt) & iudices & ſacerdotes numinis, cuius tutela urbes aut conuentus adminiſtrantur: ſi tamen erat prior oborta & excogitata religio. Itaque quum duo loca habeat, niſi ambos populos una in loco uno habitare compellat: quum'que in altero commode tantum principis fungi poſſit officio, in altero deſit neceſſe eſt. Nam uolo talia loca, quę orbem iam adultum eſſe monſtrent. Fac in altero agere, in altero eſſe magiſtratum unum qui ius dicat inter contendentes: atque eos coërceat, qui contra leges agunt: oportet alterum inſtitui, qui potentiam Principi ex ſingulis membris colligat, Quæſtorem ſcilicet, ad uectigalia colligenda, & qui fortaſſe delectum militum habet.

REIPVB. ADMINISTRATIONVM PARTITIO, *expoſitioq;.* *Cap.* XX.

OMnis igitur magiſtratus aut domeſticam iniuriam, aut externam profligat: aut potentiam, qua utrumque fieri poſſit, colligit: aut appendix eſt illorum qui iſta curant. Sunt itaque tria prima elementa, Iudex, quæſtor, princeps: ille inteſtina regit, alter potentiam cogit, tertius uiolentiæ & inteſtinæ & externæ ſe obijcit. nam & iudici ſalaria repræſentat, ut operas Reipublicæ commodius exhibeat: ea militi ſumptus ſuppeditat, ſibi'que & ſtatui neruos diuitiarum & opum facit. Nam quamuis autoritate omnium conſenſu donatus eſt, niſi eſſet priuato ditior, ut ſe amicis gratioſum, & inimicis & delinquentibus formidabilem reddat, proculdubio irrita eſſet eius autoritas. Nec enim Reſpublica quamuis erga illum bene affecta, poteſt ex tempore ſuppeditare, & ueluti emendicare, quæ ad emendanda delicta, aut uitanda ſtatim requiruntur. ſuam autem autoritatem ipſi iudici impertitur, ut ipſa non quidem ad arbitrium, ſed ſecundum leges æquum & bonum, atq; illius præſcriptum utatur. Nam mero imperio ſolus eſſe Princeps debet, ne ſibi plus licere quàm par ſit, aliquis priuatus eo donatus putet. Verum augendum noſtrum imperium eſt, perq; uictorias Princeps noſter ad maxima educendus, noſtri'que demum ſimplices magiſtratus multiplicandi. Demus toto in orbe, ſi poſſet fieri, Principem unum. Nam id eſt maximè ad inſtar diuinitatis unius, ex qua naturę ordo

pendet.

pendet, æternũq́ durat, ut Homeri ſententia ſeruetur, οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. Aut ſi totius orbis eſſe nõ poteſt, ut certe ne decimę quidem rex poteſt potuit úe unquam haberi, ſit quantus ad ſuorum conſeruationem eſſe poterit. Nec enim minor eſt uirtus, quàm quærere, parta tueri: quod qui plura habet, uix facere poteſt, quum præſens deſciſcentes coërcere uix poſsit, præcipuè ſi diutius regnet. Ob eam rem nulla unquam imperia, maiora ſuis uiribus aggreſſa, durare potuere: minora, diutiſsime. Quia prima pręcipuaq́ cauſa principũ inſtitutionis fuit, domeſticas iniurias & querimonias ſedare, ulciſciq́: ſecunda, propulſandi externi periculi: primũ de iudicibus dicã, quot genera eſſe debeant, ſintúe in politia bene conſtituta. Omnes iudices, ut in religione dixi, aut ſummi, aut medij, aut infimi ſunt. Sũmus eſt ſanè in quibuſdã cauſis, quas meritò ſuę cognitioni ſeruat princeps. Secũdo loco ſummi magiſtratus poſt illũ ſunt, qui in his quæ non uult princeps ab inferiorib. terminari, aut quæ perperã ſunt deciſa, aut quæ in cõtentionem ueniunt, inter medios præcipuè ius dicere ſolẽt, & ut uno uerbo dicã, omnib. pręeſſe. In Gallia noſtra quo res ſit exactior, ſunt duo eiuſmodi magiſtratus: Sacroſanctũ cõſilium, in quo nõ infrequenter princeps adeſſe ſolet, magnates uero quotquot inſigni ſunt rerũ prudẽtia & uſu, quibusq́ ob merita id princeps indulſit, admitti in tam ſanctum conſeſſum ſolent. alioqui pauci & præcipui ſolum accedunt, ſi res ſit præſertim arcana, ſecretiorúe. Vocant ideo priuatum concilium, quod ueluti priuatim partim ratione, partim arbitrio res componantur, aut ſtatuantur à principe. Huic ſanctioni non obtemperare, nephas & piaculare. At quia quiuis læſus non poſſet facile eò accedere, habuere ſemper principes quoſdam inſigni rerum uſu & ſcientia homines, libellorũ ſupplicum magiſtros, qui preces principi in eo conſeſſu offerrent, ſeq́ paſsim obuios omnibus remedia poſcentib. darent. Alter cõſeſſus iudicum Magnũ conſilium dicitur, ubi pręcipuè de his agiť, aut quæ princeps priuilegio uult ab illis cognoſci, aut de iure, iuriſdictione, recuſatione, cõtentione inferiorũ diſceptať: & quoniã tam ea quæ in ſummo quàm quæ in magno cõſilio acta ſunt, egent ſingulari diſpunctione atq́ perpeſione, uidendũq́ ubiq́ eſt, ſi ſit ex ueritate et Reip. uſu. atq́ ſi ueritate preces nitantur, maxima prudẽtia, ſcientia, rerũ longo uſu, atq́ ſubacto in rebus omnibus ingenio homo à principe conſtituetur, qui diſpiciat an ſint rata habenda quæ ſtatuta ſunt, (nam non rarò & falſa ſuadentur principibus, & inutilia) tum demum ſigillo regiæ authoritatis confirmatorio (ſine quo nil publice uim recipit) muniat, & uirtuti legum acta coniungat, quum ſcilicet nil niſi æquum & bonũ fuerit: alioqui cancellare atq́ frangere inſtrumenta ſolet. ideo gallicè Cancellarius dicitur. ambigentibus de iuriſdictione, aut cõquerentibus, quod ſtatuit etiam ratum habetur. Quamuis mihi propoſitum eſt, nõ ius ciuile Romanorum, aut alterius populi, ſed omniũ gentium cõſenſu aut probatum, aut probandum, aut probabile, tradere: uolui tamen hoc exempli è Rep. noſtra deſumere, ut quod nemo homo facile improbare poterit. Nam à prudentibus inſtituta, longo uſu probata, omniũ conſenſu confirmata, & bello & pace conſtantia, ſunt certe cuiuis mortalium expetenda. Sunt & alij ſummi magiſtratus, quotidie à quouis principe conſtitui ſoliti, uerum non ad Reipublicæ totius curam, ſed ad cuiuſdam negotij cauſæ úe cognitionem conſtituti, qui abſoluta ſententia nõ ſecus atq́ princeps in ea re decidere ſtatuereq́ poſſunt. Verũ ad medios uenio, quos Gręci ὑπαλλήλους, Galli ſubalternos uocant: qui certe patebũt longe clarius, ipſis extremis declaratis. Sunt

ergo infimi omnes iudices pedanei atque municipales, qui in locis à principe conſtitutis, atque opportunè, ut poſsint ab omnibus adiri, commodè diſpoſitis, ius ciuibus aut plebi dicunt, infrà quos nullus poteſt ius dare. Sunt hi ueluti fex iudicum, non uſqueadeò rerum periti. ob id aut cauſæ ad certam ſummam illis audiendæ permittuntur, & de cauſis capitalibus ſolis ipſis non licet ſtatuere, niſi conuocato plurimorum iudicum conſeſſu, aut adito: aut cauſæ meritis exhibitis expoſitisq́, à quibus ſi quid ſit in illorum ſententijs errati, adpellationis beneficio læſis ſuccurri ſolet. Medij ſunt, qui ſuperiorem agnoſcunt, & qui inferiores, à quibus ad eos prouocari poſsint, habent. Verum ſunt trium generum. Nam quidam à principe pendent ſine ullo alterius iure, quidam ſunt conſeſsibus religioſis adſcripti, quidam ſunt meriti & uirtutis atque bonæ fidei ergò nobilitate donatis uiris permiſsi, nec tantum medij, ſed & infimi. Nam omnes Princeps conſeruandæ & augendæ religionis, promouendæq́ & excitandæ in hominibus uirtutis gratia, non tantum re, ſed authoritate etiam rei defendendæ, atq́ Reipublicæ in ſua ditione opitulandi donatos uult, aut religioſos conuentus, aut uiros de Republica benemeritos. Illi enim dum beneficium ab eo acceptum cognoſcunt, ſuisq́ ſimiles eſſe ſtudent, ſunt ueluti manus & adminicula, quibus cæteros homines agit, atque ſua poteſtate uti facilius poteſt. Talis eſt nobilitas, de qua iam dixeram: quam an melius ſit eſſe diuturnam, & in liberis locum habere, an in benemeritis tantum, ægrè poſsis iudicare. Poſteritatis cauſa nos longe plura quàm noſtri ſuſcipere, certius certo eſt: atque maiori ſtudio teneri augendi conſeruandiq́ rem poſteritati noſtræ etiam profuturam, quàm ſi noſtra tantum tueremur. Eam ob rem & maiori ſtudio Rempublicã colimus, & defendimus, quàm ſi hic ſimus temporarij, nobisq́ ſolis uirtutis gloriam habeamus, non item poſteritati relinquamus. Longe ergo regnat tutius qui auitam, quamuis falſo nomine paterna gloria utentem nobilitatem habet, quàm qui ex infimo loco petitam & ueram. Nam uera iſta uix egit radices quum euellitur. Illa in immenſum induſtriæ, opum propriarum atque auitarum beneficio, qui Reipublicæ neruus eſt, creuit & conſiſtit. Habet ergo hæc nobilitas & iudicis ponendi licentiam, tribus generibus diſtinctam. Nam quidam coërcere ut alijs iudicibus reddant ſontes, non punire uerberibus mulctareúe poſſunt. alij & coërcent, & multa præfinita aut arbitraria uel uerberibus, afficiunt. alij & coërcere & morte plectere, aut proſcribere loco ſuæ ditionis poſſunt, uel perpetuo exilio uel temporario multando: quibus in iudicijs, appellationibus ſemper ſuccurri debet. Verum id ſummopere cauendum, ne ſuo arbitratu data à principe authoritate abutatur, dum id credit ſuum quod ſuum non eſt, ſed à principis poteſtate pendet. Nam facile omnes homines & præcipuè authoritate donati, inſoleſcunt, ſibiq́ multa permittunt, niſi continua uirtus & iuſti amor illos retineat, aut legum metus præſensq́ pœna coërceat. Inter medios noſtros iudices quoſdam eſſe oportet ſummos, & in ſumma dignitate, authoritate, ſocietateq́ conſtitutos, quibus præſit aliquis authoritate ſumma dignisſimus: qui præcipuè de appellationibus, iudicumq́ inferiorum erratis iudicent, ſtatuantq́, & à quorum ſententia prouocare non liceat, ne ſint lites æternæ, niſi principis placito (quod ægrè & cuiuſdam utilitatis publicæ gratia uix debet fieri) aliquid contrà ſtatuatur. Nam princeps ſuam Rempublicam euertit, qui dignitatem & authoritatem iudiciorum imminuit, litesq́ æternas creat, dum à ſimili ſibi ſuccurri magna-

tes permittit. Quotquot ſint infra illos medij, parum intereſt admodum, quum ab illis ad hos prouocari poſsit, ſeu primò, ſeu ſecundò, ſeu tertiò, nil refert. Mediorum primi, poterant ſummi dici, eo quod ab illis prouocari non poſsit, niſi aliquando illorum ſententiæ retractarentur, & ius in contentione curiarum ad inuicem audirent in priuato & magno conſilio: quod quidem illorum non minuit authoritatem, quum in re ſua nemo poſsit eſſe iudex. Id unum notandum eſt, quod in rebus religionis ſua etiam eſt prouocatio ad ſummos religionis antiſtites, dempta cauſa ſectarum de religione recepta ambigentium: quæ quoniam ad Reipublicę perturbationem tendit, propterea ea probata, uel leuibus indicijs, & teſtibus etiam infamibus, iudex ciuilium cauſarum ius de ea dicit.

ALIA IVDICVM PARTITIO. CAP. XXI.

IVdices omnes ſunt aut capitalibus iniurijs uindicandis, aut ciuilibus controuerſijs, aut utriſque terminandis poſiti, inſtituti ue, inque uno loco atque negotio ius habent, aut in omnibus. Sunt ordinarij, aut ſubſidio miſsi, deque re priuata aut publica fiſci ue cognoſcunt. Criminis perſequendi, publicæ ue iniuriæ uindicandæ, prima ratio eſt. nam eam ob rem primum principes ſunt delecti, atque è publico ſubſtentati, ut ius, ſi quid iniurię fieret homini ab homine, redderetur; eſt enim longe leuius in rebus peccatum, quàm in corpora: nec piaculare fuit in eas deliquiſſe, niſi in furto & ſpontaneo nocumento, quod quidam morte, quidam quadrupli pœna, alij alia multa punire ſoliti aliquando ſunt. Lacedæmonijs fuit aliquando in gloria, niſi depræhenderetur, tum cautiores ad res hoſtium diripiendas, tum ad domeſticas conſeruandas attentiores. Crimen uero capitale, non tantum in hominem cui fit fieri certum eſt, ſed & in ſuos omnes. Multæ quidem iniuriæ in opinione ſunt poſitæ uariarum gentium, quæ aliæ in nullo loco, aliæ etiam in honore ponunt. Verum ullum hominem (præter hoſtes, aut ſi quos impune recepta lege licet) interemiſſe aut ueneno, aut telo, aut conſilio, ſeu quacunque fraude necaſſe, petijſſe ue, nuſquam omnium gentium licet. Porrò iudex in pœnis expetendis legum præſcriptum & opinionem, pro pace publica receptam ſequi debet, idque ſeuere in peccare ſolitos, maximè ſuperſtite appellationis beneficio. Alioqui ſummo iudici æquitas ſummo iuri præferenda eſt, cauſaque moderanda τῇ ἐπιεικείᾳ. In ſecundo loco ſunt qui controuerſias dirimunt, quæ de rebus habentur. Poteſt & iudex ad utranque cognitionem conſtitui, horis ſtatis, quum aut cauſarum paucitas, aut iudicum penuria eſt. Ne uero ſibi multa permittant iudices, aut licentia, aut negligentia munus contaminando, ſunt à principe dati, aut dari debent ipſis cuſtodes authoritate ſumma, ut iudices aut aduocati, aut procuratores earum rerum, quæ ad Reipublicæ conſeruationem faciunt, curam habentes, atque adeò cuſtodum cuſtodes, ſine quorum authoritate nil quod in fiſci aut naturæ diſpendium uergat, ſtatui poteſt: quibus rogantibus aut obſiſtentibus, in huiuſmodi rebus eſt parendum ut principi, alioqui ad principem poſſunt ipſi referre. Ad hoc munus multæ Reſp. cenſores habuerunt, aliquæ magiſtratibus functos accuſare, cuiuis uolenti permiſere: quæ omnia ad retinendos in officio iudices inuenta ſunt, ueluti ſummę authoritatis oculi. Vbi autem non ſunt multæ lites admodum, aut rariores iniuriæ, iudex quidem poteſt multis in locis ius dicere: uerum ſi ſint res compoſitiores, ne ue alter alterius

authoritatem impediat aut perturbet, ſtatas & fixas eſſe omnium ſedes opus eſt, iusq; unumquenque certis in locis & temporibus præfinitis dicere, reddereq; opus eſt, alioqui res fuerit in ſumma perturbatione. Habent ergo ſuas ſedes ubiuis terrarum, quas nec egredi, niſi impetrata à uicino uenia, nec relinquere debent: in quibus etiam nullus, niſi ſummus magiſtratus aut principis authoritate, ut illic ius dicat donatus, poteſt iudicis fungi officio. At quoniam poteſt aut iudex ipſe morbo, aut rebus quibuſdam neceſſariò præpediri, ut quum non frequenter ad maiora iudicia ſatisfacturus adit, opus eſt proſpicere, ne deſtituta ſedes maneat. itaque aut à principe conſtitutus, aut ab eo ob probitatem delectus eſſe debet, qui ius abſente illo dicat. Verum peccatum eſt iam grauiter in hanc rem, à Gallica Republica. Nam qui olim muneris exercendi gratia ſtipendijs ampliſsimis erant donati, nunc quidem prætores in ſingulis prouincijs ea percipiunt iudicandi planè imperiti, munusq; in ſuppræfectos, uiros quidem doctos & bonos, ſed tenuiores & minori ſalario, quàm ad iudicis innocentiam ſordesq; fugiendas ſit ſatis, omnino rejciunt. Quod ſanè eſſet ſummopere fugiendum. Nam inde prima mali labes, & delictorum cauſa oritur, in ipſis iudicandi arbitris. Quoniam autem in ſingulis prouincijs eſſe ſolent aliqui nebulones, prædones, latrones, qui totas regiones infeſtent, atque ſine ſedibus ut nomades, uagi, modò huc, modò illuc conuolant cum iniuria ſumma popularium, quiq; non facile à ſtatarijs iudicibus poſsint coërceri atque depræhendi: altero genere iudicum etiam errantium fuerit opus, qui errones ubiuis terrarum proſequi, appræhendere, atque in quocunque loco fuerint capti, adhibito iudice prouinciæ, aut prudentibus aliquot hominibus illis capitalem, aut quam delictis meriti ſunt pœnam ſtatuere, atque exequi ſine prouocatione poſſent. Res uero priuatas hi non attingunt, niſi forte ne torpeſcant, lites aliquando iudicibus ſtatarijs præparant, aut rogatione partium, de quodam facto uerum eliciant, iudici exhibendum. Oborientibus porrò nouis morbis noua remedia ſunt conquirenda. Solet enim fieri ut uerſutia hominum, aut etiam iudicum negligentia, aut utraque cauſa (nam quo magis homines coërceas, eo magis anguillarum more labi ſtudent) litium tam criminalium quàm priuatarum ciuilium ue immenſus pœnæ numerus oboriatur. Ad hæc homines nequam, quo magis perquiruntur ad rationem uitæ reddendam, eo peruicaciores eſſe ſolent, atque iudicijs, utpote conſcij ſibi, minus obedientes. cui uitio ut medeatur Princeps, ſuprema ue iuris dicendi poteſtas, deligere ex conſeſſu maiori ordinum optimos uiros debet: aut ſi ex curijs iudicum non poſsit ob numerum, authoritate quoſdam donare, qui regiones illas eant malis hominibus purgatum, atque litium multitudini finem, ut breuiſsime fieri poterit imponant, idq; pro ratione rerum, altero tertio aut quarto quoque anno faciant in ſingulis prouincijs. Nam ita & terrore & pœnis & remedijs orbi medebuntur. Factio præterea & affectio quædam non raro eſſe ſolet inter ipſos iudices, prouinciarum aut locorum munerumq; uariorum, qui quo plus authoritate ualent & opibus, eo magis ſolent eſſe gratioſi: quos ideo ius dicere in rem ſuam, aut ſuorum nulla ſapiens Reſpublica pati ſolet, nullum ius permittere. unde fit ut beneficio principis plures à iuriſdictione, aut cui ſubſunt, aut in qua litigant, ob aduerſam iudicum gratiam eximantur: atque delegatos, ut aiunt, iudices habeant, qui in ea tantum cauſa ius ibi dicere tantum poſſunt. Omnibus ſceleribus aut Reipublicæ perturbationibus litibusq;, quæ in homi-

num

num priuatorum aut authoritate donatorum, etiam ipſorum conuentuum rebus oboriri ſolent, iudices conſtituti aut conſtitui ita poſſunt. Illi nobis ſuperſunt, qui de rebus fiſci agant, uindicentq́. de quibus tum demum erit dicendum, quum appendices iudiciorum deſcripſerimus.

DE IVDICIORVM APPENDICIBVS. CAP. XXII.

APpendices uero intelligo eos magiſtratus, dignitates, munera ue, ſine quibus aucta & diutius durans Reſpublica ægrè poſsit conſiſtere. Nam nouæ Reſpublicæ, & nondum longo uſu auctæ formatæq́, aut antiquiores quidem, ignaræ uero ſcelerum, ipſis carere potuere, aut nondum cognitis uitijs, obortis ue, aut ignoratis remedijs. Nam maior rerum cognitio, prudentia maior, rerum copia affluentior, bona quum animi, tum corporis, tum fortunæ, quum ſint in hac uita ſecundum uirtutis opinionem, ſummum bonum, ſummopereq́ ideo ab omnibus expeti ſolitum: ſi tamen iuſticia & moderatione externarum rerum uſus deſtituetur, proculdubio uitiorum omnium ſunt fomenta. Parum itaque ab adoleſcentibus Rebuſpub. olim peccabatur, ob rerum ignorantiam & tenuitatem. Nam ſollicitudo ad neceſsitatem tantum tendebat, non item ad gloriam & opinionem: cuius exemplo carebat, ſolebat procedere. Homo enim hominis ſimia eſt. & tamen hæc moderata appetitio eſt ſummo uſui, ſi modus in rebus adſit, qui in animo, non in rerum copia poni debet. Egent uero iudices tribus hominum generibus. nam alij principijs cauſarum, alij medijs, alij finibus rerum conſtitui ſolent in his rebus exequendis, in quibus iudex operam ſuam impendere ægrè poteſt. Sunt enim, aut eſſe debent, qui homines facinoroſos, aut in ipſo facinore deprehenſos, aut quæſtione, teſtibus, iudicijs, coniecturis, confirmata in culpa eſſe notatos, appræhendere iniuſſu iudicis poſſunt, atq́ ad tribunal ſiſtere. unde eos apparitores, quod apparere reũ iudici facerent, Latini dicebant: aliàs uiatores, gallicæ curiæ ſeruientes, quod ſint iuſticiæ miniſtri, nuncupant. Eodem iure ſunt uigiles ubiuis gentiũ. Nam quia maxima nocendi poteſtas eſt in nocte, ius eſt illis quoslibet aut hora inſolita prohibitaq́ oberrantes, aut crimine admiſſo, aut ad excubias ſine teſſera accedentes, aut ſi quod habeatur in uitio facinus in quauis Republica cõmittentes, uinculis coërcere, iudiciq́ repræſentare. Sunt & quæſtores non parricidij tantum, ſed & ſceleris cuiuſcunq́ grauioris admiſsi, qui loca adeuntes quæſtionem habent, aut eo rogante qui læſus eſt, aut iudice iubente, aut etiam ex officio lites & quæſtiones iudici præparant. Ille uero cognitis cauſæ meritis, aut citari, aut præhendi reum ſtatuit, (niſi ſit graue facinus, aut ſit fugę periculum, permittitur citatio) cui ſi non paret ad diem dictam, aut tempus præſcriptum, aut pro ratione iuris & cauſæ prorogatum, aut in uinculis concludi iubetur, aut ſententia abſenti dicitur. contumaciæ enim reus eſt. Olim licuit in omnibus Rebuſp. facinoroſos in ipſo delicto deprehenſos, cuilibet arripere, adq́ tribunal ſiſtere. Ea nunc iure gallico tantum poteſtas permiſſa eſt quibuſdam, ne calumniæ mutuæ eſſet locus, atq́ iniuriæ. Verum in publica iniuria patêre latius id debet, ut quiſq́ ſit uindex. Nec etiam Romani in ſceleribus id permittebant tantum, ſed etiam in ciuilibus cuilibet fiebat poteſtas, reum ſuum in ius uocandi præſente teſte uno, quem ipſi eximere nulli licebat: ut nec ab apparitoribus, qui eam demũ Reipublicæ operam dabant, ut qui uocati in ius uenire nollent, cogerentur, ab

illiſq; ſiſterentur. Verum ſuus cuiq; ferè mos eſt. Viatores enim poſſunt inſtitui, & perpetui & temporarij, & in rem resq; præfinitas, atq; rogatu litigantium in ius uocare, facinoroſosq; coërcere, ſeu ſponte, ſeu præcepto iudicis parentes. Id omnibus pacis publicæ gratia debet eſſe commune, ne latius eorum ius pateat, ſiue in ius uocant, ſiue pignora capiant, ſiue facinoroſos perquirant, quàm prouincia iudicum, quibus ſubſunt. Nec enim poſſunt hæc in alterius ditione exequi, uenia non impetrata, niſi ea ſint authoritate, aut à principe pridem conceſſa, aut ad id negotij tantum permiſſa, ut ubiuis poſsint officio fungi. Libello itaque, aut actoris rogatu, aut iudicis iuſſu, reo oblato, uiq; eius in ius uenire iuſſo, iudex capita cauſæ ibi cognoſcit, referente uiatore, atq; inde probationum adminicula ſibi à litigatoribus exhiberi petit. Inde ſunt in uſu ob hominum imperitiam (ut aiunt) patroni & procuratores, qui iudici facta & merita cauſæ exponunt, ſuntq; in media lite in uſu, idq; in iam deprauatis Rebuſpub. Quum uero quicquid iuris eſt, prætor ipſe aut per ſe, aut ex inſtrumentis actis ùe, aut ex uerbis litigatorum neceſſariò comprǽhendere debeat, quæ ad cauſæ cognitionem faciunt, poſſet ſanè illis adminiculis carere, atq; quemlibet per ſe dicentem audire: ob id plurimæ nationes carent illis hominibus, iudiciq; ea æſtimanda relinquunt, quum patroni ipſi præter quendam ordinem & lucem uerborũ nil addere ad cauſam poſsint. Verumenimuero in eo iudicio, abſentibus ubiq; debet per illos homines ſuccurri, pariter & lingua captis, fœminis, pupillis, ineptis, mente captis, & qui eo uitio laborant, ut ius ſuum explicare, aut animi ſenſa, quid ùe iuris habeant, nequeant: quorum cauſa etiam inſtitutos aduocatos primum puto, quemadmodum ſunt etiamnum in multis rebus publicis, qui ius pro reis etiam maximi criminis dicunt. Procurator itaque, quæ agenda pro uſu iuris ciuilis ſunt, aduocato aperit: hic ſcriptis uel uoce iudici exponit, rationibus additis, quæ ex gentium iure peti ſolent. Non infrequenter etiam iudices iudicibus lites præparant. Poſſunt uero omnes iure Romano admitti ad procuratoris munus, præter minores, mulieres, furioſos, infamia notatos, atq; religionibus adſcriptos, qui in rebus ſacris poſſunt eſſe aut procuratores, aut ſyndici, & ſi qui legum ciuilium opinionibus ubiuis eximi ſolent, poſſuntq; aut in negotium unum, aut in omnia conſtitui, ad quoduis tempus. Si uero aliquis gerat alicuius res ſine mandato, geſtor negotiorum dici ſolet, non procurator. Si mandato, uerbo, aut literis, aut denunciatione iniuncto, non ut procurator adiri ſolet à iudice, quod ſatis inique conſtitutum uidetur. Nam unumquenq; audiri aut præſentẽ par eſt, aut per amicum, mandato ùe inſtitutum. Verum multi corui aliorum opibus inhiantes periclitarentur. Eam ob rem præſtat eos in Reipublicæ diſpendium alere, quàm tollere. Superſunt nobis, qui poſt deciſam cauſam iudicibus adſunt, ueluti dictata: cui rei præeſt ſcriba, primum dum interrogantur partes, aut referuntur cauſæ merita in criminalibus. in ciuilibus autem dum iudex dicit ſententiam tranſcribit, & ueluti codicillos facit: quæ poſtea iudici commonſtrans, cumq; eo conferens limat, atque inde libellum inſtrumentum ùe iudicati edit, eiq; cui iudicatum eſt dat. quod inſtrumentum ut robur legũ habeat, oportet & ſigillo principis, aut eius ſub quo miniſtratur ea iuridictio muniri, cuius demum effectus debent conſequi. Nam fruſtra ius diceretur, niſi & in rebus cõſequi poſtea effectus ſolerent. Nil itaq; abs quouis iudiceſtatui iudicari ùe, quin ſtatim excipi à ſcriba, atq; in diariũ ſaltẽ aut inſtrumentũ libellũ ùe, ſi res poſcit, debeat. Quũ quis monitus iudici nõ obtemperat,

non

non poteſt dolo carere. itaque aut qui in ius uenire iubet, aut alius qui à noſtris aut hoſtiarius aut commiſſarius dicitur, cogit ut pareat reus, idq́ ui aut pignoribus ad rei æſtimationem captis. Vbiuis enim gentium qui ſaltem de ſuis rebus iudicio cõtendunt, ita res componi ſolent, ut iudicatum ſolui fieri ue expediat, alioqui & principes & iudices fruſtra inſtituerentur. Verum hæc de iudicibus, eorumq́ miniſtris. Cætera ſunt in opinione poſita.

DE MILITARI ORDINE ET AVCTOritate. CAP. XXIII.

NVnc paucis illi qui ad propulſandas externas iniurias ſunt inſtituti, nobis tractandi ſunt: quoniam non ad iuris ipſius cognitionem, ſed non infrequenter ad eius euerſionem faciunt. Quamdiu res fuerunt paruæ admodum, nondum aucta opinionibus ambitione, cumq́ non late pateret rerumpub. principum'ue ditio, proculdubio princeps & ſacris præerat, & iuri dicendo, & externæ iniuriæ propulſandæ. Nam & raræ lites atque iniuriæ, paucæ religiones, non uſqueadeò multi hoſtium inſultus, nec formidabiles tunc oboriebantur. Verum quum ea poteſtas fuit diuidenda, religionis quidem apex potuit quod ad ſummam potentiam attinet, retineri à principe: iudicia ob crebriores lites alteri fuere permittenda, ut docuimus. Vis et armorum potentia in unum principem eſt collata. Ea poteſtas trifariam diuidi debet, in inteſtinam, externam, aut mixtam. Nam ſeditiones ciuiles motusq́ popularium, ne in ius dicentes, aut principem inſurgant, ſunt compeſcendi maiore quidem quam iuris ui. Sunt & aduerſus hoſtes uires comparandæ. Sunt & in utrumque uſum conſtituendi, quum princeps ubiuis eſſe non poſſit. Veluti in limitibus regionum, ubi ob uarios rumores uicinorum principum, parum conſtanti animo & fide eſſe ſolent populares. Hunc itaque cuſtodem (nam ita Plato uocat milites reipublicæ cuſtodiendæ inſtitutos) oportet eſſe principi fideliſſimum, reipub. amantiſſimum, prudentiſſimumq́, quiq́ue animos eloquentia non ſecus atque armis poſſit agere corpora, & in ſuam trahere ſententiam, inq́ principis ſui fide retinere, atque contra hoſtem quamuis uicinum & amicum pro principe potentia arma ſumere. Quod ut faciat magis ex animo, ne illecebris fortunæ (ad quam uos inclinatos & natura & neceſſitas & opinio reddidit) ab aduerſario ſollicitetur, opibus in medio regno conſtitutis eum donare debet princeps, aut diuitem mediterraneum ſtatuere, ne facile fidem hoſtium ſequatur. Nam opes & iam parta res retinent hominem in fide, ſi quid aliud: nec fides ulla ſine re uſquam fuit diuturna. Itaque fidem, alienam ſpem ſectando tantum, atq́ incerta petendo, dum certa relinquat, nemo facile irritam fecerit. Qui pauper eſt, niſi amore ſuorum iuſtiq́ teneatur uehementer, uenalis ſanè eſt. Id eſt commune omnibus militiæ addictis, ut ſacramento pro uſu patriæ & religionis exhibito, in principis fidem, ſalutemq́ iurent reipub. contra quod ſacramentum ſi quid commiſerint, exauthorari, atque ſacramento eximere ut nequam probroſosq́ homines decet, quum ob illorum pœnam dedecusq́, ut qui in rempublicam grauiſſime deliquerint: tum ob exemplum dedecoris, cuius natura & opinio nobis timorem incuſſit. In rebus itaque ſummis ſacramentum illud fidei exhibere debet. eſt enim ueluti utriuſque iuris matrimonium ſacroſanctum. Nam dum miles rogatur ſacramento, nu-

men aliquod, aut poteſtas, aut res in opinione poſita (cuius authoritas ſacroſancta eſt, atque timorem negligenti ſacramenta ſuo nomine ſumpta, incutere debet, ſoletq́) aſſeri interponiq́ debet, noſtramq́ fidem ita duraturam affirmamus, ut illud uerum eſſe & diuturnum credimus, uolumusq́ per quod iuramus, quod ſi quando negligere contingat, quia teſtibus non tantum hominibus, ſed dijs iniuria fit, & præterea ſcelus admiſſum eſt, merito ut fœdifragi aut pœna afficiuntur, aut notantur infamia, qui peierant. Nam nulla gens quæ cultum receperit, legesq́ probet & recipiat, non ſeruat fidem, quam ſibi ſeruari credit, uultq́. Qui fidem ergo ſoluit, & Deum & homines ultores ſentire debet. Sed ad principem redeo, qui quum unus ſit non poteſt ſatis eſſe, ut locis omnibus (niſi tantum authoritate) adſit. Opus ergo eum magiſtratus, duces, tribunosq́ militum exercitibus illis præficere, & qui illos imperata facere iubeant, & curent, iusq́ inter eos reddant. Oportet enim furioſum & Marti ſacrum illud hominum genus, iniuriæq́ inferendæ, niſi crebro animaduertas, natum, non legum iudicumq́ & prouincialium manſuetudine coerceri, ſed à ſuis ſtatim moneri, terreriq́, aut puniri, aut exauthorari. Alioqui enim omnia in licentiam uertant, nil non labefactent, nil ſanctum ſacrumq́ habeant. Sunt etiam præter duces, qui frequenter iuſta negligunt, etiam iudices qui ſontes plectant, conſtituendi, non tantum in exercitu, ſed & in aulis. Nec enim aliter qui ualent uiribus coerceri poſſent, niſi à paribus dignitate, ſed authoritate maiori, maioribus'ue nixa uiribus. Qua in re Turchæ nunc rerum ampliſſimi domini, ob unam rem militarem bene conſtitutam, mirum eſt quàm ſint prudentes, ſeueri'que. Nam ſi decurio ſcelus in bello uindicare, ordinem'ue aut quæ ſunt officij ſeruare neglexerit, atque centurioni innotuerit aut neglexiſſe, aut uindicare noluiſſe, loco facinoroſi ſtatim decurio plectitur. Pariter ſi centurio, Chiliarchæ, (nam & ſingulis ſunt ſua iura) item ſi Chiliarcha ſuo duci, omnes pœnas luere pro uſu rei militaris lege lata ſolent, loco ſontium. nec minus miles facinoroſus punitur, ſi poſtea deprehendatur. Eſt uero in bello pœna decuplo atrocior, quòd ubi maxima eſt delinquendi occaſio, illic ſupplicium maius grauius'que eſſe debeat. In mediterraneis, ubi ſtatarij ſunt milites, opus potius iudicibus quàm ducibus, utriſque in duobus alijs ordinibus. Omnes uero quum ſint aut equites, aut pedites, pro principum arbitratu ſolent muneri committi. Verum id longe certiſſimum eſt. denos decurioni, denos decuriones centurioni, denos centuriones chiliarchæ, denos chiliarchas duci; duces demum omnes ei qui curam totius exercitus habeat, nihil refert ſi alio numero conſtituantur, modo poſſint ab uno facile tractari. Ita fit ut ſi quid ſit faciendum, ſtatuendum'ue, ſtatim à ſummo ad imum præcepta perueniunt, ſtatim ad conciones ueniunt, imperatáque faciunt. Hi ergo tam ob intractabile genus, quàm quia parum ſunt militiæ munera iudicibus cognita, tum quod alterum genus alteri exoſum eſſe ſolet, iudicia propria habere debent, alioqui ultio potius quàm æquitas obſeruaretur. Ideo & principes ſolent ſuos familiares domeſticos certis tribunalibus addicere, ne alibi præpediti (ut aiunt) à principis famulatu abſint. Verum opinionis iſta ſunt. Nam unicus iudicum ordo, quicquid eſt ſceleris, cognoſcere ſine delectu atq́ perſonarum ratione deberet, uiresq́ ad coercendos etiam maxima turba & autho-

authoritate fultos, in promptu habere ubiuis terrarum. In aulis uero & exercitibus, quæ ueluti ſunt ciuitates effrenes, oberrantesq́, opus eſt eos quos diximus eſſe, eiuſdem generis ſcilicet.

DE EXPEDITIONE. CAP. XXIIII.

Militibus porrò ipſis eſt proſpiciendum, ut tam quæ ad uitæ neceſſitatem & armorum uſum habeant, quàm quæ ad uiæ & expeditionis neceſſitatem. In primis itaq; opus eſt magiſtratu, ad id temporis comparato, quo potiſſimum durat expeditio, cui omnium aut ſaltem munerum potiorum cura incumbat, eaq; authoritate eſſe, ne quis illius imperio impune repugnare auſit, qui primam habeat curam neceſſariorum, tam ad hominum quàm ad equorum uictum parandorum. Conuehenda ex proximis agris frumenta, uina, pabulum, curandumq́ ut uiliori precio diſtrahi poſſit. Nam dum miles ingenti precio comparare annonam cogitur, operas ſtatim denegat, dum in neceſſarijs perquirendis occupatur, aut plura cogitur expendere quàm ſtipendijs accipiat. Nam id eſt in primis notandum, quòd hoc hominum genus lucri & fortunæ ſplendidioris gratia, quæſtum uitæ diſpendio facere ſtudens, niſi lucrum ſe conſequi poſſe putet, nunquam operas ſuas exercet liberali animo. Curandum itaque eſt, ut quàm poterit fieri ſit annona uilior. Nec enim ullus princeps eſt, qui ea quæ uulgo extra artem militarem expendi poſſunt, militi in ſtipendijs ponat: & ſi ponat, nullus miles exponere totos uitæ ſudores uelit. Congeruntur uerò aut in unum locum, aut in unam uiam. Si in uiam, ad tranſitum id fit. Si in unum locum, iam id magna diligentia eget. Si ut aggrediamur præſentibus fructibus opus eſt, ſolum quantitas expoſcitur: ſi obſideamur, opus eſt illis quæ diutiſſime poſſint aſſeruari: ut ſunt oriza, milium, farinæ tritici, ſecale, hordei. Nam ubi ſunt detrita, non putreſiunt facile, quoniam aërem in corpore non amplectuntur. Secundo in loco ſunt ſalſa omnia caſei, carnes, piſces. Tertio loco, triticum, ordeum, auena, in eo loco ubi frequenter moueantur, ne pereant concepto aëre. Viua animantia non ſunt diutius uiua aſſeruanda in obſidione, ne illa abſumant quibus equi & homines poſſint diutius uitam tolerare. Præterea ſale optime poſſint aſſeruari & durari. Niſi enim pabulum affatim ſuppeditetur, ipſa domi necantur, & non paruo diſpendio ali ſolent. Hæc de obſidione. De inſtrumentis uero ad uiam, & machinis ad expugnandum aut propugnandum, ea haberi cura debet, ne quicquam in tempore deſit. Nam dum miles aut in uiæ anguſtijs hæret, aut machinas agere nequit, aut pontem expectat, alia ne quauis ratione moratur, & ſumptum facit, & faciendum eſt tandem ſummo tumultu quod pridem proſpectum oportuit & factũ. Itaq; fit in ea re ſumma iactura. Vt uię ſint æquabiles machinis agendis, militiq́; tranſportando, prima cura eſt, ut complanatorum adſit copia, uiæ uero militares, & copijs agendis aptæ, more Romano à popularibus & delectis hominibus fieri debent pontes, ſi deſint. eſt materia aliunde longe ante conuehenda, & præparanda in locis aptis: unde & peritum regionum perſpectorem habere opus eſt, alioqui ſi deſint ligna, corijs utres inſtruendi inflandiq́, quibus miles tranet. qui ſi ſatis non ſunt, poſſunt ſocijs fune remitti. Trabes, dolia, aſſeres, &c. poſſunt æſtate eſſe loco pontis, uerum in tyronibus ea ars eſſe debet. Quum uero nos ſumus hoſtibus uicini, debet

bet ea eſſe in præfecto diligentia, ut omnia hoſtium conſilia captet, exploratoribusq; utatur fideliſſimis, ut remedijs qui rebus proſpicit ſuccurrat. Nam facile trudimus clauum clauo, ſi proſpicitur. Imparatum etiam feſtuca terret. Quũ quæuis regio ſua genera habeat propulſandi & inſultandi, non eſt per ſingula diſcurrendi opus. Vnum id primũ in quouis duce eſt, ut ſint celerrimi conſiliorum maturorũ effectus. quod ſi ſenſerit ſibi ab arte ſua cauere aduerſarium, ſtatim ad aliam eſſe ſibi confugiendum ſciat. Proteum enim eum eſſe oportet. Verum ad proſpectorem eſt redeundum, qui tres more cæterorum magiſtratuum hominum ordines habeat neceſſe eſt. Nam præficere quoſdam debet ampliori prouinciæ, cui plures inferiores pareant. Primumq; curet, neruum belli ad ducem referendum. Nam & uias debet malis hominibus purgatas habere, ſecundò quæ ad uictum hominum, tertiò quæ ad equorum, quartò quæ ad impedimenta ſunt, ut quæ ad arma tam hominum & equorum quàm totius excercitus requiruntur. Nil uero uetat eſſe ad uaria munera uarios magiſtratus. At quo ordine dixi, eos eſſe nemo negauerit. fit enim in rebus humanis certo quodam cõſilio, quod ab uno capite tantum pendet, inq; multas partes ordinate diſpenſatur. nam & ſingulos ſibi fidos deliget, eorumq; fide iubebit principi. & ſi quid uitij ab illis admiſſum, id cõpenſare debebit: unde ſumma in eos authoritate, quoad coërceat, eſſe debet. Poſtquã enim coërcuit, ſi ſunt in uitio multari: ſi ipſe malos elegit, puniri poteſt, aut luere. Dum enim plures in eodem munere ſunt, fit quadam rerum humanarum inuidia, ut mutuo ſe traducant, iniurias inferant, mutuò accuſent, atq; loco negotij publici ſeipſos curent, ſuasq; factiones ſectentur. Verum ſunt nunc comparandæ opes ad utrunq; munus, in ſtipendium uidelicet iudicum, & militarium munerum.

DE PRIMIS OPVM ELEMENTIS, *atq; de rerum diſtinctione.* CAP. XXV.

MAgna & ingens uarietas inter homines eius poteſtatis colligendæ fuit, quam conceſſam uult reipub. capiti conſenſus hominum. Nam poſt conceſſas primum opes principibus unde ſibi proſpicerent, dum reipub. curam habent, ſolebant antiqui eas tantum dare creato ad id magiſtratu, qui ab omnibus id poſceret quod æquum erat. Tum ipſa municipia, aut ſingulos aut plures homines ſolebant deligere ad militandum idoneos, illiſq; ſumptus facere ex publico conſenſu. Alij utramq; pecuniam colligebãt & ſuam & militarem, iudicibus uero domi dabatur. Quidam & iudicum, & ſuam, & militarem cogebant: quo ſemel in uſum tracto, cœpere uectigalia una eademq; opera porrigi, arbitriumq; petendi penes principem eſſe. Itaque quidam à perſonis, quidam à rebus, quidam ab utriſque indictiones percipere conſueuere, ſenſimq; quicquid eſt, unde aliqua poſſit haberi utilitas, obſeruari cœptum, fiſcoq; obnoxium factum. Verum quicquid moris fuerit, tria illa genera paulo ante poſita omnia comprehendunt. Nam ſi à perſonis petas, omnia perſonæ poſſident: ſi à rebus, omnes ſunt oculis & ſenſibus obnoxiæ: ſi ab utriſq;, idem erit iuris. Reſp. primæ cenſebant capita, atq; pro cenſuum ratione fiſco ſoluebatur, quod ex ſimplici ſacramẽto ſine ulla cenſus deſcriptione multæ reſpub. in Germania etiamnum faciunt. Nam quæ ſint in bonis ſingulorum ægre cognoſcas, niſi ſit uir aliquis tam probus, ut ſtatim apperiat quantum poſſideat, quæ ſanè rara auis eſt. Nemo

mo enim lubens quod ſibi contraueniat dixerit. Quod ex rebus habetur, multiplex eſt. Nam in terra, aut in aqua opes ſitę ſunt. In aquis ſunt mobiles & immobiles, aut partim. In terra mobiles, immobiles, ſe mouentes. Romana reſpub. multæq; aliæ ab aquæ compendio, ut ſine cuius uſu non uiuatur, nil uectigalis captum uolebant. uolebant enim uſum & aquæ marinæ & piſcationum & littorum maris, & ferarum eſſe communem, atque occupantis omnia fieri quoad poſſideret. Ripæ fluminum ſemper fuere propriæ. A mari ueniunt mercimonia, piſcatio, ſales. Mobilis res eſt mercimonium. Ius piſcationũ, ſi ſit ubiuis pariter, ſi alicubi coartetur, ut in quodam littore occupato & proprio, ſunt immobilia illa, à quibus petitur utilitas: ſi res ſine cuiuſdam certi littoris uſu fieri non poſſit, ut ſunt ſales partim arte, partim natura facti, mediam conditionem obtinent. Nam quatenus res eſt in ſolo, eſt immobilis: quatenus diſtrahitur, alioq; comportatur, mobilis. Ius fluminum ueluti uia eſt, & pari iure, niſi quod ad piſcationes attinet, quæ in proprijs rebus nunc ferè in toto orbe cultiori & aſtutiori eſſe ſolent, alioqui communis iuris ſunt. Aquæ certis limitibus ſoli concluſæ, ut lacus, ſtagna, pro uſu regionis ſunt publicę uel priuatæ. Si quis in ſuo ſolo incluſas habeat, eius eſſe certum eſt. Ratio littorum riparum'ue, niſi aliter iure ſit receptum, iura uicinis dant. Poteſt & aqua fluens in perpetuo eſſe uectigali, ueluti ſi traducatur ex ſuo curſu alueus, inq; regionem quam longe meliorem irrigationibus reddat deducatur. tunc cuius opera factum eſt quandiu illac utiliter curret, poteſt uectigal exigere à ſingulis poſſeſſoribus, aqua per unciales menſuras in conſtitutas horas dieſq; conceſſa: qui prouentus in multis locis eſt, ſed potiſſimum in Gallia ciſalpina, quam Longobardiam dicunt, eſt multo uberrimus. Diligētiores enim reſpub. aut principes, Nilos atq; Euripos aut ex montibus corriuādos in humiliores regiones, aut dioriges ex Pado, Atheſi, alijſq; fluminibus in planas atq; æquabiles traxere. Ex rebus commoditate aquarum haberi ſolitis, quia mercimonia non minus defendit atque tutatur princeps quàm quæ ſolo naſcuntur, quamuis aut aliunde aduecta, aut quòuis ſunt deportanda, tamen uectigal ex illis poteſt capere, & ex ſalibus præcipue. Verum in arbitrio principum iſta ſunt poſita. In ſolo ſunt ſata, arbores, prata, paſcua, ſyluæ. In ſatis quiduis leguminum & frumentorum, rerumq; quotannis ſeri & colligi ſolitarum, intelligimus. Arbores ſunt aliæ fructiferæ, aliæ ſteriles, aliæ in ſyluis, aliæ in cęduis ſyluis. Prata paſcuaq; quamuis induſtria iuuari poſſunt, tamen potiſſimũ in naturæ beneficio ſunt poſita. Syluarum ſunt plurimi uſus. nam in uſum domeſticum ignis, inſtrumentorum, ædificandi, paſcendi, uenationis, ſeruari ſolent. Hinc mercimonia ex terrę ſuperficie nata, ligno, leguminibus, fœno, fructibus, armentis. Sunt & metalla, quæ ſine ſyluarum beneficio non poſſunt pura reddi: ob id eorum originem in terræ uiſcera, perfectionem in ligni ad decoquendum uſu ponemus. Sunt uero aurum, argentum, ſtannum, Cyprium æs, aurichalcum, plumbum, ferrum, argentũ uiuum, & mineralia cætera, lapideſq;, lapilli, gemmæ, & ſi quid curioſius ſpectantibus parit nobis natura. Supereſt genus animalium ſeipſa mouentiũ, quę in capita aut greges relata, mercimonijſq; ducta aliò quàm in natiuo ſolo, etiam ſunt in magnis opibus. Nos itaq; alia diuiſione facilime tam quæ terra quàm quę mari habentur, poſſumus tradere. Omnia enim ſub ſuperficie, aut in ſuperficie, aut partim intra, partim extra ſunt. In ſuperficie terræ ſunt cuncta animantia terreſtria, & aëria, partim ſupra, partim infra, quicquid terra uegetabile producit. Infrà, omnia metalla, aut medica-

menta, gemmæ, & ſiquid in precio eſt. In mari ſunt piſcationes, nauigationes, ſales. Supereſt nobis pars ampliſſima opũ, longeq́ ut opulentiſſima, ita cognitu difficilima. Nam à neceſſitate orta, ſi quæ alia in opinionem eſt omnino traducta, quod quibus potiſſimum rebus delectari poſſit aliqua regio, induſtrij homines præſentientes, nulla habita utilitatis, neceſſitatis ue cura, modo rem faciant, merces peregrinas eò ducunt, atq; ſi dicere licet, ſæpe orbem labefactant. Nam homo natura præter proprium loquendi munus, quo differt à cæteris animantibus, id etiam habet, quod peregrina omnia admiratur, ad inſolita obſtupeſcit, atq; externis inutilibus, potius quàm domeſticis probatisq́ capitur. Congeruntur opes etiam alijs artibus, ſed tamen ex quibuſdam earũ rerum quas diximus. Bona pars primorum hominum uenatu uixit, alij furto terra mariúe commiſſo, quidam paſcuis aut animalibus, alij agricultura, opinione alij, ut qui religiones opibus auxere: corporis alij laboribus, alij ingenij beneficio, qui ſoli mortalium ſolent eſſe in rep. chariſſimi, atq; minime fiſco obnoxij. Nam dotes animi ueram nobilitatem, modo in reipub. uſum conuertantur, ferè ubiuis gentium ſolent comparare. Ab his aut omnibus, aut pluribus rerum elementis fiſcus aliquid decerpere poteſt, in reipub. conſeruationem & protectionem. Res etiam quæ deſinunt eſſe alicuius poſſeſſoris, aut quæ ueluti poſtliminio ad fiſcum redeũt, principis eſſent: ut ſunt bona proſcriptorum, aut qui crimine capitali ſunt notati. Quidam in eodem iure bona eorum ponunt, qui aliunde nati, in alieno ſolo poſſidendo acquirendo úe moriuntur, non adepta à principe gratia, ut ciues uel populi fundi fierent: quo iure utitur Rex Galliarum. Nam alibi natorũ, atq; in ſua ditione morientiũ bona fiſco iungit, ne ſenſim plures extranei incogniti irrepant in regionem. Verum ea ſunt opum capita ſumma.

DE QVÆSTORIBVS ÆRARII. CAP. XXVI.

QVum uectigalia porrigi inciperent, eſſentq́ unius aut alterius urbis & municipiorũ tantum principes, nõ erat opus magno, nec multo admodum magiſtratu ad illa cogenda, quoniam cuiuſcunq; priuati opes facile principi æquitatis arbitro innoteſcere poterant. Verum auctis opibus, ditionibusq́, ſiue res ſigillatim eſſent ſpectandæ, ſiue ſoli æſtimatione, ſiue hominum potentia, opus fuit primum cenſus, facultatum, rerumq́ arbitro, qui indicta à principe ſumma, imperataq́ in quamuis prouinciam, diuidat, conſideratisq; diligenter omnium locorum opibus, partes maioris expetitæq; ſummæ diſtribuat, ſecundum urbes, uicos, hominum conuentus, pagos, in id quod facere poſſunt condemnando. qua indicta, opus eſt municipali magiſtratu, qui accerſitis rerum particularium peritioribus, ſecundum uires ab illis expoſitas, æquam ſoluendorum partem imponat. qua in re mirum quantum ſibi permittant hi, quos Galli electos uocant. Summa iniquitate alios qui muneribus corrupere eximũt, alios grauiter opprimunt, niſi ab utriſq; acceperint. Municipales quæſtores coacta à priuatis ſumma, quæſtori prouinciali accepta ferenti chirographis & teſtibus exhibet, ille ſummo quæſtori, qui in ærarium refert: aut in eos uſus quos princeps ſtatuit, impendit. Quibus in rebus ne fraus ſubſit, ægre perſpici poteſt. Tamen antigrapharius ubique eſſe debet, inq; diarium referre, quicquid eſt acceptum ab ipſis quæſtoribus. Et ne quid una & quæſtores, & antigrapharij delinquant, opus eſt magiſtris rationum (quos ubique eſſe decet) qui accepti

& impenſi rationes diſcutiant,atq; in reipub. tabulas referant. At quum aliquid quod fiſco erat acquiſitum, Rex, Princepsúe dono dat cuiquam, ut confiſcationes, aut ſi quid aliud eſt, oportet etiam id inſcribi rationibus poſcentibus, qui à theſauro ſunt, quibus Reſpub. non paucæ carent. Nam ſatis eſt rationi omnes eſſe obnoxios qui fiſco debent, aut qui ab eo accipiunt. Verum hæc res adeò lubrica eſt, ut uix poſſit ullis uinculis coërceri. Seu ergo inductiones, quas taleas uulgò nuncupant, ſint perſonales, id eſt æſtimationem facultatum etiam occultarum ſequantur: ſeu ſint reales, id eſt ſolum & res apparentes, is ordo ſeruandus, quemadmodum & in re militari. Quoniam uero is eſt cibus reipub. opibus ualere: & quia de principis arbitrio nemini priuato licet diſquirere, iſta dilationem, ueluti & uenter, non patiuntur. pignoribus enim captis ſtatim quiſque cogitur atque corpore ſi de multa agatur, coartari ſolet, ut uel pereat, uel ab amicis ſolutione liberetur. Quæſtores itaque iſti ſunt rerum ſtatarum. Idem ordo eſt, ſi quicquam ab alijs ordinibus expetatur: quod ſemper eſt factum à religionibus, quum in immenſum ditatæ ſunt. Nam opes quouis modo habeantur, opes ſunt, reiq; publicæ utiles, fiſcoq; ſi egeat obnoxiæ. Alioqui omnia ſacris adſcribere liceret, rempublicamq; deſtitui. His quæ caſu fiſco obueniunt, oportet etiam ſuum quæſtorem eſſe, ueluti quum multæ, quibus ſuus eſt quæſtor, ſunt recipiendæ. Ea munera quæſtuoſa, quæ non ſunt iudicijs admixta, defuncto poſſeſſore ad reipub. fundum redeunt, rurſumq; uenundari ſolent. Sunt & uectigalia, quum quiduis mercium agitur aut uehitur ſtatis in locis. Inde enim rempub. quæ illas tutatur, capere poteſt uectigal, demptis his ſine quibus commode uiuere non licet, Nam quiſque ſoluit quod fiſcus cœpit: nec mercator quæſtuoſus ſoluit, quod ſtatim ab emptore recipiat, ob id eſt reipublicæ incommoda ea uectigalis pars. Ne mercatorem abigas, modo res adferat reipublicæ utiles. Liberum diſtrahere ſinito. Si inutiles diſtrahit, uectigali multato. Quum abs te neceſſario capit quo eget, tunc multato, non adeo ut ſuo lucro priuetur. nam non accederet, ſed ut illius fias particeps. Cæterum ex re qualibet lucri bonus odor, atque ſecundum opinionem tyrannidemq; principum uaria indies excogitantur exactionum genera. Nam quidam, ut Turcha, etiam corpora tenuiſſimorũ hominum, addictorum perſuaſioni Chriſti, & Moſis, in uectigali eſſe uoluit, quod quia perſoluere non poſſunt, aut corpora detinentur, aut à communicipalibus liberantur, ſi ſit ſtata annuaúe ſumma. Millies mille in ſuam ſunt colligendæ pecuniæ, uiæ indicis, & militis alendi prætextu. Verum quia hæc miſera uitæ conditio, quoſdam indies tollit è medio, quoſdam procreat, oportet ita magiſtratus conſtitutos eſſe, ut ſummi quidam, quidam medij, quidam ſint infimi. Maximi à principe, medij à maximis, infimi à medijs pendent, in indicijs & milite parando, iubendóque. In queſtoribus imperata diſtribuendo, diſtributáque colligendo, referendoque. Nam niſi refers, nil rerum agis. Hæ ſunt perſonarum rationes, ordines, atque munera, quibus in bene conſtitutis rebuſpublicis eſt opus, ex quorum authoritate pendet, tractaturúe, quicquid in iure oboriri poteſt cauſarum. Ius ſuum conſequendi, & res ſibi ſeruandi, lex una ubiuis gentium eſt. Sed quia actionum formulis ſolet quæuis regio uti, non tam certa methodo poſſent quę ad praxim attinent, quàm quæ ad theoricam ſpectant, tradi. ideo eſt ad uulgarem uſum remittenda iſta tractatio. Satis enim fuit iſtis elementis explicuiſ-

ſe, qua ratione aut noui populi poſſint à principe regi & informari, aut qua arte ubiuis terrarum retineantur diuturna imperia.

DE ORBIS CONCORDIA

LIBER IIII. DE FALSARVM PERSVASIONVM AD VERAM CONVERSIONE.

QVIBVS ARTIBVS SIT OPVS PRINCIPI *religionem mutaturo, & ueram fidem falſæ ſubſtituturo.*

EX omnibus notionibus, quibus animus noſter mouetur, nulla aut ægrius admitti, aut cum maiori difficultate relinqui ſolet, quàm quæ de religione habetur opinio. Et uix unquam contingit, niſi aut ſumma ui, aut diuturna diuerſa inſtillandi opera, ut ſine ſanguine, aut rerum mutatione poſſit omnino alterari. Ideo Plato ſuadet in Legibus, nō eſſe temerè mouendam de Deo recepto in quacunq; repub. perſuaſionem. Contingit enim, ſi parum prudenter princeps, ſeu quiuis alius animos uetuſta ſoluat, antequā recenti religione liget, ut popularis concordia & uinculum commune labefactetur, ægreq; aliam admittat etiam præſtantiſſimam populus ueteri ſolutus. Id uero contingit multis rationibus, ad quas diligenter attendere debemus, antequam altius pergamus de adulterinis profligandis, & uera ſubſtituenda tractare. Superiori libro demonſtratum eſt, omnibus hominibus eſſe cōmune, ut & ſi qualem Deum habere debeant, ignorent, omnes tamen habendum cenſent. Quod ipſum ex gratiæ cuidam referendæ occaſione omnibus à natura data proficiſcitur. fieri enim non poteſt, ut animal iſtud ſagax, rationiſq; plenum, à natura rerum omnium egenum, & ueluti expoſitum ad omne miſeriarum genus, quum totam hanc rerum omnium machinam ad eas miſerias compenſandas & profligandas ſibi comparatam cognoſcit, non agnoſcere tanti datorem muneris percupiat, colatq; quicquid à parentibus loco Dei haberi audiuerit. Ad gratiam & ueluti compenſationem accedit ætas tenaciſſima, & quo ſemel, ut inquit ille, imbuta eſt, odorem diutiſſimè ſeruans: quæ ipſa conſuetudini ueluti ſecundæ naturæ ſe tradens, falſa perinde ut uera poſtquam ſemel recepit, mordaciſſimè retinet, & tutatur: ut nil uerius quàm quod à parentibus accepit, credat. Quanto uerò falſior ubiuis gentium eſt de dijs opinio, tanto ardentius omnibus artibus (id ſuadente Satana, falſæ perſuaſionis opinionumq; malarum authore) illam ſacrificuli retineri, & omnibus probari debere contendunt. Quod uel iſtis argumentis patet. Vir bonus & ſibi bene conſcius, ſua contentus conſcientia, nec ſua uenditare, nec alienum de ſe iudicium magni admodum pendere ſolet: quòd à uerbis hominum nil in rerum natura mutari ſciat, ueramq; laudem à bonis tantum expectandam & fugiendam, ut ſolida accedat nouerit. Facinoroſus & ſibi malè conſcius omnia de ſe dici putat, ſeipſum effert, prædicat, ingerit, ut quam ſub pectore uulpem gerit, probitatis à ſuffragijs emendicatæ opinione tegat. Hinc uaniſſimos homines ſua uenditare, & aliena eleuare quotidie cernas. In religionibus falſis planè idem eſt. Ideo ambiguis reſponſis eludebant, & omnibus uidebantur ſatisfacere. Quod antiquitas dum uocauit Apollinem λοξίαν, & deorum parentem Saturnum ἀγκυλομήτην, innuere uoluit.

uoluit. Accedebant tripudia ſoliſtima, auguria, extiſpicia, diuinationes, inuolucra illa, quibus & ſapientibus & plebeis imponebatur. Si quis uerò contrà hiſcere auſus fuiſſet, morte plectebatur. Id enim habent falſæ perſuaſiones, ut quum malè ſuaſæ ſint, uelint ſe omnibus ingerere, gladio præſente ſint probandæ, de illis pœna capitis diſceptare nemo audeat, ut metu ſaltem & ſilentio probare uideatur, qui contra eas metu mortis ne hiſcere quidem audet. Qui ſunt ergo imperiti falſi à uero diſcernendi, eo uehementius falſis religantur religionibus, quo magis inſtatur à ſacrificulis & earum ſacerdotibus, ægriusq́ illis medeare. Nam habent credulitatis principia cum bonis communia, ætas accedit, conſuetudo cogit, inſtat falſitas. Quo fit (nemine talia curante aut conſiderante) ut uerum parum latè pateat: falſum ſe ubiuis ingerat, uigeat, probetur. Satis enim habet quiuis princeps, retinere populos pacificè, & ea quæ ad fiſcum pertinent, in rem ſuam, iuridicam & militarem impendere. Miles uix ullis legibus profanis uel ſacris retinetur. Iudex uindicat iniurias, dubia, lites, & iurgia ſoluit. Populus myſteria non capit. Vnus ſacer magiſtratus curam religionis habet: quam uel perditiſſimam, quia ex ea quæſtum capit, nunquam mutari patitur: cōcitat plebem, adfuturam ſatis peſtem minatur, clades prænunciat, quibus rebus percellit ferè omnium animos. In conſternatione autem animi, uix ulli ſupereſt liberum de rebus iudicium. Et ſi quis etiam liberè & incorruptè de rebus iudicando tum audiri uelit, in diſcrimen ruat neceſſe eſt, atque præſentem mortem lubens ſubeat. Mortem uerò quum natura timendam docuerit, nemo ſpontè niſi diuino actus ſpiritu, & omnino immutatus, quales teſtes Ieſu Chriſti fuerūt, ſubire uult. His igitur diligenter perpenſis, reipub. moderator ſenſim & ſine magno hominum conſeſſu, proceribus primis communicare quæ mutata uelit in repub. ſuaſionibusq́ & leni captatione ſuadere debet, quidq́ in rebus religioſis mutandum cenſeat. Quod ubi probauerint (nam ſi omnibus diſplicet, aut expectandum ſuadendo, aut cogendum, quod poſtremū parum tutum eſt regnanti ex alieno arbitrio) tunc & ſummi iudices ſunt etiam cogendi uarijs in prouincijs: ut, quum tale quicquam, quale uoluerit princeps, concionatores ſuadent, etiam ſuadere ſenſim uolentibus permittant. Sunt uerò tertio loco, & iam alienata utraq́ & procerum & iudicum potentia, ne eorum factionibus adiuti conantibus obſiſtant, uocandi pontifices, ſummusq́ cogendus uelit nolit, ut illa quæ optima probauit, & doctiſſimorum conſenſu examinauit princeps, ſuadeat, aut ſuadere permittat: nec uerbo quidem obſiſtere illis audeat, qui à principe docendi gratia ſunt miſſi. Debet autem deligere ad ſuadendā ueram fidem uiros idoneos, & omnibus artibus, quantum fieri poterit, ſed potiſſimum in ueræ religionis placitis exercitatiſſimos: ad ſoluenda autem falſæ obiecta, ex philoſophia inſtructiſſimos. Qui quum pauci haberi poſſint, totas regiones ſacroſanctiſſimi, inuiolatiq́, etiam ſi ſit opus cuſtodia peruigili ſeruati, peragrent, & uolentes ueræ religionis placita probare initient, cæterum libertatem credendi cuiuis relinquant. Nam quod ui factum eſt, uix unquam ad frugem proficiſcitur. Ideo uera religio uetat, uim cuiquam recto conſtantiq́ iudicio fieri: & improbat, ſi quis ui imprudenter adactus ad ueritatem fuerit. Animos enim liberos uult Deus. Poteſt quidem, ſi qui pauci infideles ſint inter multos, & ab illis labes in multitudinem proficiſcitur, illis dies conſtitui, quo aut uolentes in perſuaſionem tranſeant, aut nolentes excedere regione cogantur: ne ex putridis membris paucis labes in totū corpus ſerpat, perniciemq́ adferat. Hæ ſunt

principis artes,quibus nullo planè diſpendio,ſummo cōpendio & facilitate poſſit ſine tumultu & ſanguine uerum ſubditis ſuadere. Viſiones uerò & ſomnia principum,ubi uero conſentiunt,ſunt ab illis loco reuelationum habendæ, falſum illis exibilandum,uerumq́; confirmandum. Nam quamuis iam antè uerū uerum fuerit,& falſum falſum,tamen dum beneficio hominis in authoritate poſiti illud repetitur,ueluti nouum à plebe pendente ex authoritate creditur, & facilius longè etiam falſum ab authoritate probatur,quàm uerū ratione ab humili homine demonſtratum. Quid ergo principem non ſuaſurū ueri putemus, quū à ſola authoritate falſum ſuadere poſſit?Debet uerò ante omnia coacto ex uera religione præſtantiſſimorum hominum numero cōcluſiones in breuia axiomata reductas habere:& ſi poſſit fieri,etiam ſcire,mandareq́; memoriæ, ut ab eius ore etiā magna authoritate ſeu ſacra ſeu prophana homines poſſint audire,quę docti & profeſſores ſint ſuaſuri,perſuaſuri & confirmaturi.Eas cōcluſiones amplisſimè primo libro attuli,ſuaſi,confirmaui,quæ de uera religione ſuaſuro ſunt neceſſariæ.Inde peti poſſunt.

QVIBUS MODIS CITRA CVIVSQVAM *offenſionem ſit uera fides prædicanda:deq́; eius officio,qui curam emendandæ, aut omnino euertendæ falſæ perſuaſionis ſuſcipit.*

OPortet eum qui à principe munus ueritatis ſuadendæ ſuſcepit, non minus earum rerum quas aduerſarij ueritatis probant,quàm ueri ipſius peritum eſſe. Nec enim tantum docendum & confirmandum uerum eſt,ſed & obiectiones falſæ ſunt ſoluendæ, diluendaq́; argumenta. Quod niſi colliſione locorum falſi fieri nequit. Adhæc uidendum,ut fiant omnibus omnia, id eſt ita ſe illis accommodent,quos edoctos cupiunt, ut à probatione eorum legum incipere uideantur, quoad attentis factis tandem, elicitisq́; concluſionibus, aut noſtra confirmemus, aut aliena parum firma oſtendamus. Summopere uerò illud eſt obſeruandum, ut quod exoſum aut improbatum populus habet, illud ante quā eius deſcriptio ſit diligenter tradita,non nominetur. Nam id nos ſuſpectos à principio redderet, animumq́; auditorum à beneuolentia & attentione,ſine quibus (niſi miraculo ſpiritus ſancti) nil perſuadeas, auerteret. Vt ergo animi habeantur populi cuius ſalutis cauſa iſta fiunt, eſt in principio eorum infirmitati conſulendum,laudandi probandiq́; ſunt ueluti boni, ſemiimpij & ſemimali: ut dum partim acquieſcunt,& conſortia eorū qui uera docent,factisq́; probant, frequentare incipiunt,ex aſſiduo cōuictu ſenſim emendentur, & immutentur. Conuerſatio enim & aſſiduus cultus temporis prolixitate adferet, quod prima fronte nunquā impetres. Tales ſuſcepit filios Iſraël Moſes. Ita omnibus omnia, quoad conuerſationem, fiebat Paulus. Ob id Ieſus Chriſtus legem impleturus uoluit etiam ceremonijs legis ſubijci. Animū autem ad tria ſemper intentum habere debet,qui docet. Id enim ob oculos ſemper ſibi proponat neceſſe eſt, primam docendi uim à perſona dicentis eſſe,ſuadendi ab auditoris animo,perſuadendi à re ipſa. Sit ergo uitæ ſumma innocentia, & ut inter homines licet, irrepræhenſibili,ueritatis præco. Nouerit auditoris animū, quidq́; illi uehementer placeat,aut diſpliceat. Tertiò ea ſit eruditione, ut de quacunq́; re fuerit illi dicendum,per ſe etiam ſilentium & auſcultationem mereatur. Si uero illi non ſit perſpectus animus populi, & quàm facilè acquieſcat ueritati, cōmunia & omnibus nota principia in medium afferat,& ab his captato auditorio, quum iam eſt attentus

tentus populus, inſtillet ſenſim & pedetentim, quæ ad particularem ueritatis probationem faciũt. Ita fiet, ut quod princeps effectum cupit, quodq; omnium ſaluti expedit, facilè recipiant. Vocabulis uerò, niſi dum uidemur in laudem falſi dogmatis tendere, eſt abſtinendum, ne rapiantur etiam bene adducta in inuidiam. Sed his adductis atq; perpenſis, quibus & princeps & concionator uerbi Dei debent eſſe inſtructi, exemplis eſt agendum, quoq; modo eſt in ſingulis religionum perſuaſionibus à uera alienis horum præceptorum praxis exercenda, tractandum. Primum ergo qua arte in Muhamedicis, qui latiſſimè fereq; toto in orbe ſerpunt, ſit agendum, trademus. Secundo loco, qua ethnicorũ & idololatrarum quodcunq; genus adoriri ualeamus. Poſtremo uidendum erit, ſi ſuaſionibus poterit fieri, ut aliquem Iudæorum ab infelicitate, qua ab occiſo Chriſto premuntur, eximamus. Nec enim unquam tota ea gens accedet ad Deum per Meſſiam, priuſquam poſt aduentum ſummi antichriſti reliquiæ ſaluæ fiant, atq; cum electis adnumerentur. Vbi ergo ſuaſiones attulerimus omnibus illis gentibus accommodas, finem huic libro & operi imponemus.

SVADENDI MVHAMEDICIS FORmula, à Deo.

LIbro ſecundo uiſum eſt, quid habeamus cum Muhamedicis commune, quid differens. Fatentur enim quæcunque de diuinis tenemus, ſuo tamen more: præter illa quæ de diuinitate Ieſu Chriſti, & eius morte, nobis ſunt probatiſſima. Quia ergo offenduntur uehementer, ſi Deum Chriſtum uocari audiant, quoniam contrarium uoluit toto Alcorano ſuadere impoſtor ille mendaxq; Muhamedes, ideo non eſt ab exordio ſuaſionis quicquam de illo agendum. Quamuis in eo ſit totius religionis ueræ ſcopus, pariter ut in morte & eius reſurrectione. Si de Chriſto quicquam dicetur, non oportebit id excedere illa, quæ de eo ſunt tradita in Alcorano: ne aduertentes ſacrifices, populum ab audiendo clanculum, ubi palàm non licebit, auocent. Declamandum ergo de diuinis beneficijs erit, ut ornatiſſimè poterit fieri. Nam quamuis lingua Arabica & Turchica eſt ſuæ eloquentiæ capax, tamen nil ineptius eſt illis ſuaſionibus, quæ ab illorum Alphachijs fiunt. Subiungenda erit uarietas orbis, fructuũ, animalium, regnorum, quodam ordine: ut luce ordinis capti, & nouo docendi genere illecti, attentiſſimi & frequentes fiant. Comparato maiori auditorio, de potentia & beneficijs creatoris eſt agendum, ſed altiori quàm antehac methodo. Nam ſacroſanctę trinitatis myſterium eſt attingendum facilioribus demonſtrationibus. Eius enim audiendi ſunt auidiſſimi Muhamedici, qui doctrina quacunq; pollent. Primum exemplum ab intellectu eſt familiariſſimum, ita inducendo: Quæcunq; ſunt perfecta, bona, iuſta, & quacunq; perfectione abſoluta, illud à Deo habent. Quod uenit à quodam principio copioſiſſimè in quædam effecta & particularia, neceſſarium eſt ut ſit longè perfectius, copioſius, & maius in cauſa, quàm in effectu. ut ſi multæ pulcherrimæ domus ſint ab excogitatione præſtantiſſimi artificis factæ, nullus negabit in eius animo eſſe potentiam infinitam deſignandi infinitas ſimiles, aut pulchriores domos: ita quod in nobis eſt præſtantiſſimum, & in omnibus cõſtitutum, etiam imaginem in Deo habere certum eſt. At nil in rebus aut earum actione quamuis ſimpliciſſima, trinitate caret. nil enim fieri ſine ternaria poteſtate poteſt. Nam ſis quantauis potentia ad quiduis agendum, niſi adſit ſcientia efficiendi, & earum partium quæ

ad opus requiruntur cognitio, ſummaq; & par potentiæ ſapientia: illiſq; duabus proprietatibus accedat uoluntas efficiendi,& amor conſeruandi, certè nulla omnino res in effectu poteſt eſſe,fieriúe. At ſi eſt illud in præſtantiſſima noſtri parte,in animo ſcilicet,certè Deus præſtãtiſſimè habet eam trinitatem. Nec enim (quamuis potens ſit) niſi ſapientiam ab æterno habuiſſet,& uoluntatem, atq; amorem creandi,quum illi uiſum eſt, potuiſſet quicquam in eſſe deducere. Eſt ergo Deus trinus & unus. Nam eadem diuinitas eſt in potẽtia,eadem in ſapientia,eadem in amore:et tamen nõ ſunt tres diuinitates,ſed una diuinitas. Vt quũ cogito,exprimo,facio,ſunt differentes actiones:et tamen non ſunt tres res, ſed una tantum. Cogito formã ædificij,explico eandem uerbis, aut ſcriptis, aut ichnographia,demũ illud fieri curo. Sunt itaq; tres ædificij conſiderationes, prima ut in mente, altera ut in explicatione, tertia ut in opere: & tamen non ſunt tria,ſed unum. Ita Deus pater eſt ut potentia, filius ut ſapientia, ſpiritus ſanctus ut amor & effectus. Sunt iſta multis exemplis confirmanda & inculcanda, & inuectionibus agendum in eos malos Chriſtianos, qui dicebant ante prophetã eſſe tres deos: quũ non ſint tres dij, ſed unus Deus. Dum autem crebrò iſta inculcantur, uidentur pro illis facere. Confirmandũ erit illud, quod neceſſariũ uiſum eſt, ſimilitudine rerum omnium, & potiſſimũ præſtantiſſimarũ. Sol nil planè poteſt ſine ternario numero agere. conſtat enim corpore, luce radijsúe, & uirtute. Nec enim corpus luminoſum eſt radius, aut ediuerſo, ſed radius à corpore procedens à principio differt, effectus caloris ab utroq; diſtinguitur. Attamen non ſunt tres actiones, aut potentiæ, aut calores. Ita & in omnibus rebus. In artibus erit exemplum familiariſſimũ. Nec enim figulus unquam poterit ollam unam, aut quoduis aliud fictile formare, niſi potentiæ ſcientia, & uoluntas ab utraque procedens adfuerit. Poteſt enim quoduis in ſua arte poſitum ita demum facere, quum ſcientiam & uoluntatem eius formandi habuerit. Hoc uerò in homine quum ſit præſtantiſſimũ, neceſſe eſt eſſe etiam in archetypo præſtantius longè, quanto ſcilicet Deus homine maior. Quemadmodũ enim in potentia artificis eſt tota ars, ita etiã in eius ſcientia eſt tota ars, & in eius uoluntate atq; effectu eſt tota ars: nec tamen ſunt tres res, aut artes, ſed una ars. Et item: Nil agi ab arte aut natura poteſt, quin ſit in actione copia, proceſſus, uoluntas: aut ut dixi, fœcunditas, partus, amor. Nam ſi ab ea potentia artis, quam quis habet, non poſſet eſſe progreſſio, & generatio procedere, nil planè ageret: Et niſi actione delectaretur, & delectum faceret corporis, in quo agat, proculdubio nil poſſet ab artifice fieri. In rebus naturalibus facilius adhuc eſt exemplum. Piper aut gingiber niſi adurendi & pungendi perpetuã & inexhauſtam copiam, à qua procederet ſemper mordicatio & aduſtio haberet, & niſi natura eà delectaretur, & uellet quodam ſuo modo ſemper ita agere, proculdubio eſſe non poſſet. Quod autem etiã inanimata uideantur ueluti delectũ habere, id probat, quod actiones omnes in magis diſpoſito ſubiecto primũ dirigunt. Piper quidem urit, ſed non ubiq;. Poris corporis apertis ſudore aut exercitatione, agit parum, excoriata carne uehementiſſime, ſed præſtantiſſimo modo in lingua, quoniam membrũ illud eſt guſtandis et ſentiendis rebus aptum. Ponatur ignis iuxta ſulphur, ſtupas, ſtramen, ſicca uirgulta, ſolida ligna craſſaq; demum media in ſylua, nunquam in obiecto deligendo aut agendo peccabit. Ita & ſaxum, cuius præter occultas proprietates eſt tendere deorſum, ſupra corpus terreum mole parum ſubſidet, in luto magis, in aqua ualde, in aëre quoad terram attingat. Sic deligunt omnia

uege-

uegetatiua ſibi peculiare alimentum ex omnibus humoribus circunſtantibus. Amplius. Erit ad actiones ueniendum: quarum nulla fieri ſine ternario poteſt. Nemo poteſt amare, quin illi adſit amatum aliquod propoſitũ; nec poteſt ſine medio amore ab utraque parte procedente ulla amicitia fieri. A' materia & forma etiam cum doctis, & rerum naturalium peritis erit agendum. Quoniam cardo rerum uertitur, ut Deum, qualis eſt, cognoſcant, erit ſummopere inſiſtendum in hoc. Eo enim demonſtrato & ſuaſo, multa præſtantiſsima conſequentur. Deum ſcilicet habere filium, & ab æterno illum de ſe generare, ſine quo nil poteſt fieri: ab utroq; procedere uoluntatem, amorem, effectum, quem nos ſpiritum ſanctum dicimus. Sequetur etiam falſum & mendacium eſſe, uel ducenties ſcriptum in Alcorano, quum toties illic repetitur, Deus nec generat, nec generatur, non habet filium, non eſt trinitas, &c. Quas ſententias ex Alcorano, ſi obijcient aliqui Imamin, & ſit illis (nondum refutato opere) ſatisfaciendum, ne turbas excitent, aut uideantur premere Euangeliſtam, quũ nõ reſponderet, debet ita ſatisfacere. Eſſe quidem in propheta eorum has ſententias ſcriptas, uerum illos ita debere etiam alias ſententias legis probare. Scripſit duobus in locis, interpretationem ſententiarum Alcorani neminem debere aut poſſe tradere, pręter prophetam ipſum. Adhęc, eſt traditionibus ab eius ore receptis ſcriptum, ex duodecim milibus Aiet, id eſt uerborum ſeu miraculorum, tantũ eſſe tria milia uera; reliqua uerò falſa. Vt autem liberè poſſent omnia aut uera, aut falſa dici, illa non diſtinxit. Dicendum itaque erit ab Euangeliſta, uerba illa quæ contraria ſunt rationi naturali, eſſe falſa, & illis non eſſe ſtandum; cætera uera.

Altera inſtantia ab homine.

Quum iam de Deo rectè ſentire incœperint, confirmata ea opinione, homo eiusq; dotes, tam animi quàm corporis, erunt extollendæ. Ad hæc ipſa uirtus, cuius ſolus homo capax eſt, omni genere laudum eſt efferenda, pudicitia inter cætera, & humanitas, conſeruatioq; uitæ hominum ſummopere & frequenter eſt ob oculos ponenda. Ideo angelos, & Deum eſſe præſtantiſsimos, quòd nunquam Veneris labe polluantur, ſemper ad conſeruandos homines attendant: quiſquis contrà facit, eum eſſe iniquum, & contra naturam armari. Naturam enim ideo creatum uoluiſſe hominem, ut eſſet Deo, quantum fieri poſſet, ſimillimus. Et quia lubentiſsimè audiunt ſanctorum primitiuæ Eccleſiæ uitas, eſt ſumma earum peritia Euangeliſtæ habenda: ut uideatur in illis Euangelij uirtus, & uirtutum omnium ornamentum. Facilius enim exemplis, quàm uerbis ad præclara facinora incitamur. A' miraculis erit ordiendum ueteris Teſtamenti, laudandusq; erit Deus in ſanctis ſuis. Notandum uerò ſemper illud erit, nomine Dei inuocato, & precibus fuſis, aut præcepto à Deo recepto, omnia ante Chriſtum miracula edita fuiſſe. Chriſtum autem in ſuo proprio nomine, uti Deum uerum, miraculorum omne genus edidiſſe. Adhibendum erit in his Euangelium in teſtimonium. Eius enim ſunt eò ſtudioſores Muhamedici, quo ſunt doctiores, & à nugarum captiuitate magis liberati. Quod ipſum animaduertentes Chaliphæ, quantum poſſunt, arcent à lectione philoſophiæ, & Euangelij. Quoniam quotquot ſunt eruditi, aut opinione Chriſtiani, aut omnino ſine ulla religione moriuntur. Nec enim qualem Deum ſcripſit Muhamedes, poſſunt mente concipere. Nam præter quàm quod author mali uidetur, etiam homicidij, idololatriæ, ſceleris, rapinæ, luxuriæ, uoluptatis, pæde-

raſtiæ, brutalis concubitus principium & præceptum in eum refertur. quod horres etiam credere in homine omni ſcelerum genere contaminatiſsimo. Curandum id in primis concionatori eſt, ut ſecum habeat innumera exempla Euangelij Arabicè excuſa, ut cuiuis uolenti communicet, det, diſtrahat. Adhibito Euangelio, & uiſa Ieſu Chriſti uita, ſunt in unum ea cogenda, quæ de Chriſto in Alcorano, eius interpretibus, & Suneh habētur, atq; ob oculos ponenda: efferendus eſt, quantum fieri poteſt. Addendum uerò illius laudibus eſt, quod Suneh affirmat futurum iudicem uiuorum & mortuorum Ieſum Chriſtum: unde Deum eſſe fatendum eſt. Nam Dei ſolius, qui omnia nouit, eſt iudicium. Itaque Deus pater nunquam iudicium, in quo omnia quæcunq; ab æterno & à creato mundo fuerint, cognoſcenda & perpendenda ſunt, Ieſu Chriſto permitteret, niſi ipſe eſſet Deus omnia ſciens. Ad hæc, quū uerax fuerit, ſeipſumq; Deum, ut erat, dixerit: eſt illi credendum. nam prophetæ à Deo illuminati, nunquam potuerunt mentiri. Alioqui prophetæ non eſſent, pariter nec ſpiritusſancti gratia donati noſtri Euangeliſtæ. Aiebat Auguſtinus, ſi unicum mendacium in toto Euangelio haberetur, nullo pacto eſſet illi credendum. Quum autem Muhamedes nouem millia mendaciorum ſcripſerit, propheta eſſe non potuit. nam Deus omniſcius non poteſt fallere. Itaque ſi à Deo & eius angelo, in quos nec obliuio nec ignorantia cadit, hæc lex fuiſſet, nec contrarium, nec ſuperfluum, nec mendacium habere potuiſſet. Sed nondum eſt contra prophetā aut legem agendum, antequam antiquis teſtimonijs, proprijs uerbis & eius operibus, cōfirmatione etiam aduerſariorū, ſuorum ſectatorum facinoribus, Deus innoteſcat, & habeatur Chriſtus. Quod ubi obtinuerimus, ſtatim ſine ulla deſignatione, aut nominis odioſa traductione, qualis ſit Muhamedes, omnibus patebit. Lux enim tenebras & fugabit, & prodet. Huiuſmodi ergo inductionibus erit agendum. Quæcunque præſtantiora ſunt, nemo magis eligenda eſſe ambiget. Vter pręſtantior, qui caſte uiuit, aut qui Venereis totus diffluit? qui dat, aut qui rapit? qui ſanat, aut qui lædit, obterit, occidit? qui pacem naturæ, aut qui bellum adfert? facilis delectus. Atqui, quum multi perfecti fuerint, quatenus homini licet, nullus unquam maior, ſanctior, diuinior propheta ipſo Hiſſa, id eſt Ieſu fuit. Igitur nec eius lege, præſcriptis, & imitatione ſanctius. Eſt ergo omnibus legibus præſtantior lex Chriſti. Et item, Si quis homo detur ex ſpiritu ſancto & uirgine conceptus, miraculis ab ipſa natiuitate clarus, ſapientia diuina donatus, uita innocentiſsimus, humaniſsimus, qui multis uitam & ſanitatem reſtituerit, qui nil terrenarum rerum unquam poſsidere uoluerit, qui ita ſuos uiuere uoluerit docueritq;: & ex oppoſito detur homo more cęterorum conceptus, in idololatria educatus, mercimonijs exercitatus, miraculis nullis clarus, morbo animi & corporis laborans, qui aliena diripuerit, innumeros homines necauerit, læſerit, oppreſſerit, qui omnia ad quæſtum retulit, ſuosq; in cæteros mortales gladium ſtringere docuerit, uter horum cenſebitur præſtantior? Quis naturæ utilior? Vtrius potius parendum legibus cenſeas? Nonne leges redolent authorum ingenia? Ille naturæ amicas, hic inimicas dictat. Ille naturam fouet, hic in eam armatur. ſalutem ille, perniciem iſte adfert. Taceo utriuſque dotes. Si enim dem diuinitatem Chriſto, & reſurrectionem, ſine ullius ſancti oratione factam: Muhamedi illos titulos, quos erubeſco cogitare: quis non uidebit, cuius exempla ſequamur? Ita multis exaggerationibus ab utriuſque uita deſumptis, nominandus erit Chriſtus, ſupprimendus Muhamedes, quoad diuinitas

in Chriſto ſit perſuaſa, & ille omnino ſuis coloribus depictus pateat omnibus. Satisfaciendi uero gratia, non referemus occaſionem falſitatis in uerum ſcopũ, ſed prophetæ dicemus Iudæos ob odium Chriſti multa ſuaſiſſe ab Euangelio diuerſa, ut reuera fecerunt, interq́ cætera diuinitatem (quæ à iudicio uniuerſali,& diſcipulorum Chriſti uita patet) conſtat eos adimere uoluiſſe. Et ideo illis credidit, quoniam primi fuerunt eius & informatores, & ſectatores. Præterea ea uerba quæ in Alcorano ſunt de trinitate, Chriſti diuinitate & morte, nõ eſſe muhchemat, id eſt iudicantia & uera. Vera certè occaſio ademptæ à Chriſto diuinitatis in Alcorano fuit, ne eſſet gloria cõmunis Muhamedi & Chriſto, aut Moſi. Nam utriuis ſubſcripſiſſet, gloria in eos recidebat, & partæ peribant opes. Iam ergo de uirtute & omnibus hominibus facto ſermone, inductionibusq́ crebris contra ea uitia factis, quibus ſcatebat falſus propheta, ut iam dixi, à ſignis ſe prodet Muhamedes, & eadem opera exaltabitur Chriſtus atque apoſtoli. Itaque ut ſint abundè, quibus ſuadeamus, homines Chriſti ſectatores diuinitatis eius quum uerbis tum factis præbuiſſe teſtimonium, compendio quodam uitas quorundam apoſtolorum, & aliquot aliorum ſanctorum ſubiungere exempli cauſa decreui.

DISCIPVLORVM QVORVNDAM IESV CHRISTI *uitæ compendioſæ.* PETRVS.

NVllus antecedere debet eũ, qui primo ad apoſtolicũ munus eſt uocatus. Itaq́ primo in loco Petrus, qui & Bar Iona, & Cephas, & Simhon eſt dictus, deſcribendus eſt. Natus Betſaieda urbe ad lacum Tiberiadis (mare ſacra uocant) ſita, Petrus triennio ſequutus eſt Chriſtũ: cum quo id miraculi cõmune habuit, ut dum Chriſtus in transfiguratione ſuæ diuinitatis fidem faceret, maria ſeu lacũ ſiccis pedibus ſine nauigio calcarit, quod ante præceptor Chriſtus fecerat. Verũ quia præſens erat cũ eo Ieſus, in eũ iſtud referri poſſet, citius quàm ea quæ à morte Ieſu Chriſti contigerunt, quamuis eius nomine omnia facta ſunt. Miraculũ, 50 à reſurrectione die, ab aſcẽſione decimo, omnibus diſcipulis unà cõgregatis, fuit ſpiritusſancti ſpecie igneæ lingulæ cõſequutio, eã gratiã omnibus cõferens, quã impoſitione manuũ omnibus ad fidẽ accedentib. dare aut cũ ſigno, aut abſq́ ſigno poterant. Eo munere omniũ linguarũ peritiã ſunt conſequuti, quo nil in tota natura mirabilius. Tã innumera uerò ubiuis terrarũ, qua iter faciebant, edebant miracula, ut literis cõprehendi nõ potuerint. Pręſente tota urbe Ieroſolymitana ad portam templi, claudus ab utero matris ſanatus eſt à Petro in nomine Ieſu Chriſti. Ab eo tẽpore Ananias, & Saphira uxor, quod eſſent ante apoſtolũ Deo mentiri auſi, ſunt extincti ſolo uerbo & nutu Petri. Diſſipato aũt in uarias partes cõſortio, Petrus diuinitus eſt ab angelo è carcere liberatus, & extra urbẽ ductus, etiã ipſo non ſatis credente, donec extra urbẽ ſe eſſe agnouit. Lyddæ agens Aeneã paralyticũ ſanitati reſtituit. Ioppæ uerò puellam Thabithã nomine, ex mortuis ad uitã ſuſcitauit. Singulis in urbib. miracula edebat. Sed nulla unq́ tanta copia, quanta in Antiochia. Nã quotquot ex urbe & uicinia languidi haberi potuerunt, omnes in unum locũ collectos, Petrus in nomine Ieſu Chriſti ſanauit. Fuit uerò tanta multitudo, ut dena credentium millia eo die ad ueram fidem accederent. Atque eo factum eſt, ut primum in Antiochia eccleſia locum, & ſedem, & uocabulum Chriſtianæ acceperit. Sedem epiſcopo dedit domum ſuam quidam Theophilus, urbis primarius. Nolo hîc

adferre,quum breuitati ſtudeam,quot fuerint conflictus Symonis Petri,& Symonis Samaritani. ſat fuerit noſſe,uno congreſſu Petrum Symoni (quamuis Sadducæorum poſt Doſitheum principi) tria hominum milia ademiſſe,& à magicis præſtigijs ad ueram fidem traxiſſe: ipſum uerò Symonem ita refutauiſſe,ut nullus illi in tota Syria locus eſſet, populis quos iam ante luſerat eum inſectantibus. Peſtis hæc Syria decedens petit Romam, ſibi quæſitura fautores. Firmata in Antiochia ſede, ne uenenum Symonis inficeret Romanos, Petrus eum ſequitur, Romāq; etiam & ueri prædicandi, & falſi conuellendi gratia adit. Vtebatur uerò pro omni genere ciborum, pane cum oliuis, & quandoque holeribus, aquæ potu, indumentis palliolo & tunica. Hæc erant apoſtolorum principis impedimenta: hæ pompæ, triumphi, currus. At ſub ea tenuitate poteſtas erat, quæ etiam naturæ imperaret. Præſtigijs uerò ita Romæ luſit homines Symon Samaritanus, ut illi ſtatuam ponerent, Symoni Deo ſancto inſcriptā, quæ etiam iuxta Tyberim diutius fuit. Inter conflictus autem Romæ cum Symone habitos (nam multi uarijq; fuere) duos celebriores tantum in mediū adferam. Quoniā omnes eius technas eludebant apoſtoli, et quibus apud curioſiſsimū & rerum nouarum auidiſsimū monſtrum Neronem multū ualebat artibus, uanas oſtendebant, & hominibus periculoſas, atq; inutiles, ideo in magna frequentia populi inter Petrum & Symonem pactum eſt, ut qui mortuum non poſſet ſuſcitare, occideretur. Cōmodùm obijt paulo antè quidam iuuenis. Primùm Symon accedit, incantationes admurmurat: uidetur mouere caput exanime cadauer. unde furioſa plebs iam in ſanctos apoſtolos ruebat, à mago incitata, donec uix impetrato ſilentio hęc dixit Petrus: Si uiuit mortuus, ſurgat, ambulet, loquatur. ſi id non poſsit, ſciatis eſſe malorum dæmonum præſtigias. abſiſtat à lecto Symon: uidebitis nil planè moueri. Abſcedente ergo Symone, mortuoq; quieſcente, acceſsit Petrus, et ita dixit: Iuuenis in nomine Ieſu Chriſti Nazareni crucifixi ſurge, & ambula. Et ſtatim ſurgens ambulauit, locutus eſt, & poſtea diutiſſimè uixit, teſtimoniumq; apoſtolis præbuit. Alter conflictus fuit Symonis poſtremus, & eius uitæ cataſtrophe. Nam ſe offenſum à Galilæis (ita noſtros ob inuidiam uocabat) dicens, Neroni affirmauit, ſe uelle relinquere urbem, quam tutandam ſuſceperat: diemq; dicit, qua ad Capitolium coëat multitudo. Futurum enim, ut ex eo in cœlum euolaret. Dicta die adeſt populus, adeſt imperator, adſunt apoſtoli. Symon laurea corona ut uictor tempora cingens, Capitolium conſcendit, atque inde in aëra ſublimis opera dæmonum ferri cœpit, donec orantibus Petro & Paulo deſtitutus à dæmonibus, cadit in terram ſemianimis, atque inde à ſuis Aritiam ob dedecus delatus, inſequenti die animam infelicem dæmoni reſignat. Is eſt finis uitæ Symonis, qui cauſa mortis apoſtolorum fuit. Nam inde captata in eos occaſione Nero non deſijt, quoad ſupplicijs ſunt deſtinati. Finit itaque Paulus uitam, gladio ceruice abſciſſa: Petrus cruce more præceptoris, ſed inuerſo ad terram capite dies clauſit. Is eſt finis eorum, qui uera docuere, innocentiſsimeq; uixere. Hoc eſt præſentiæ Ieſu Chriſti, & diuinitatis eius, mortisq; & reſurrectionis ſignum, quum in eius nomine tam inſignia fiunt miracula. Hæc & ſequentia ex Luca, Clemente, Lino, Cleto, Egeſippo, Tertuliano, Leone primo, Ianuenſi, Gennadio, &c.

ANDREAS.

Solet ſecundo loco poſt Petrum poni Paulus, ut quo nullus apoſtolorum labores magis aſsiduos, aut maiores ſubiuerit, Sed ratione cognationis & fraternitatis

nitatis Petri, Andream ſecundo in loco ponere decreui. Miſſus à ſacro conuentũ, ut Scythis euangelizaret, (non Aſiaticis, ſed Europæis) quum uerbum non acciperent, petens Grçcię partes, in Epirum & Peloponneſon deuenit. Multos itaq; in Achaiæ finibus lucrifecit Chriſto. His uerò miraculis claruit. Quũ quidam iuuenis ſe illi adiunxiſſet, eius mater furore dæmonis percita, concubitum filij appetit. cui dum non obſequitur filius, eundem accuſat attentatæ maternæ pudicitię. citatur iuuenis, coram iudice ſiſtitur, patronum accerſens Andream. Iudex audita fœminę cauſa, quum puer pudore obmuteſceret, addicit eum morti, Andreã uerò carceri. Nam ad cauſæ grauitatẽ hoc addebat infelix fœmina, hoc eſſe conatũ filium, à quo ſe Andreæ iunxerat. Poſt iniquam iudicis ſententiam, & increpatã mulierem, truſus in carcerẽ Andreas, quũ pro liberatione iuuenis oraret, cœlitus fulmen, à terra ſiſmus, unà oboriendo miſeram fœminam abſumpſere, proſtrauereq; eos qui aderant, & tanto terrore omnes affecere, ut orarint apoſtolũ ne perirent. In Nicæa Aſiæ, iuuenẽ à canibus occiſum ſuſcitauit, & ſanitati reſtituit. Suſcitatus ad Chriſtum acceſsit, ut & antè iudex fœminę cum familia. Accedebant ad eum nauigio 40 uiri, fidei & baptiſmi cauſa. Quos fracta naue merſit, occiditq; dæmon, nullo ſuperſtite. Eiectorum ad littus cadauerum miſerabilem caſum audiens, inuocato Chriſti nomine omnes ad uitam reuocauit, & ſacris formauit inſtitutis. Demum multis alijs miraculis, uitę innocentia & doctrina clariſsimus, cruci in decuſſem porrecta, ab Aegea procõſule Achaiæ affigitur: quam ardentiſsimo uoto ut Chriſtum ſequeretur, amplecti uiſus eſt.

PAVLVS.

Verum maiora ob uitæ integritatem, indefeſſos labores, miraculaq; Paulo debeamus, an ob ſanctiſsima ſcripta, uix poteſt iudicari. Certè maior fructus ex ſcriptis diuinum illud pectus ſpirantibus, indies Eccleſiæ accedit, quàm ex miraculis, quibus noui noſtri Chriſtiani fidẽ abrogant. Ex Actibus apoſtolicis cõſtat, eius imprecatione Bariehum magum pſeudoprophetam percuſſum fuiſſe cæcitate. hoc factum eſt in Papho Cypri urbe. Lyſtris in Aſia minori claudus ſanatus eſt. Philippis uerò dæmonem à puella, à qua domini oſtentando magnum quæſtum faciebant, expulit. In Troade iuuenem lapſu à tecti feneſtris, dum ipſe prædicaret, occiſum, uitæ reddidit. Epheſi impetrauit, ut ſpecie uiſibili ſpiritus ſanctus in duodecim uiros illaberetur. Sed quid eius uocatione & mutatione miraculoſius? In Sicilia eiectus naufragio, ſeruatiſq; Dei gratia, qui in conſortio erant, hominibus, nil eſt à mordente uipera læſus. Oratione à dyſenteria infirmũ liberauit. quotquot adfuere ex tota inſula infirmi, ſanati ſunt. Iam ſi quis cogitet, quàm innumera Corinthi, Atheniſq; ubi tamdiu egit, edidit, nemo credat. omnia morborum genera curauit, mortuos ad uitam ibi reuocauit, teſte Dionyſio eius diſcipulo, quem Grçci magnum ob inſignem eruditionem, Ariopagitem ob munus uocant, nos ſecundo uocabulo tantum. Agens uerò Romæ, & cum Petro frequenter conferens, auxilio ad Symonis præſtigias detegendas fuit. E domo uerò imperatoria iuuenem Neroni familiariſsimũ Proclum nomine, ad uitam reuocauit, & Chriſto adduxit. Tandem capite plectitur iuſſu Neronis, & cum eo & Petro innumera turba martyrum.

IOANNES.

Tam ob familiaritatẽ cũ Chriſto, quàm propter inſignẽ diuinarũ rerũ cognitionẽ Ioannes inter primos ſibi locũ uẽdicat. Eius ẽm carne nil mũdius, eius animo pręter Deũ nil diuinius, eius ſcriptis nil ſublimius. Apud Domitianũ de reli

gione

gione accuſatus, inq́ue feruentis olei cacabũ cõiectus, poſtq́ue illęſus inde euaſit, relegatur in Pathmon inſulam unam ex Cycladibus: ubi egit ad mortẽ uſque Domitiani, cuius actis à ſenatu reciſis, repetit Epheſum Ioannes. Ibi Druſianam ſuſcitauit. Cratonis philoſophi detritas oſtentationis gratia gemmas cõminutas refecit, ſaxa & uirgulta in aurum & gemmas uertit. Iuuenem nuper uxoratum à mortuis ſuſcitauit, oratione Dianæ ſtatuam comminuit, uenenum illæſus ab Ariſtodemo oblatum bibit. Eius ueſtis attactu, mortui ab Ariſtodemo ſunt ſuſcitati. Demum miraculis clariſsimus, 99 uitæ anno, ad diem conſtitutam in ſepulchrum deſcendens, luce tectus cœleſti diſparuit. nec quicquam in eius ſepulchro præter manna repertum eſt.

MATTHAEVS.

Matthæus in Aethiopia prædicationes cõfirmauit miraculis quàmplurimis: ex quibus inſignia ſunt iſta. Quum Zaroes & Arphaxad magi ſeducerent populum, & præſtigijs luderent, eorum artes ita aperiebat, ut pudore ſuffunderet. Solo ſigno crucis & Chriſti nomine inuocato dracones oppreſsit, & abegit. Filium regis Aethiopiæ uitæ reddidit. Ignem uero à furioſo principe in domum ſacram, uirginibusq́ue dicatam, immiſſum oratione ita extinxit, ut inde diuinitus in regiam irreperet: unde uix ſolus princeps euaſit incolumis. Tranſuerberatus autem gladio uitam clauſit.

PHILIPPVS.

Philippus Scythas illos qui ad Aſiã pertinẽt, Chriſto adduxit, labefactatosq́ue fœdo ſerpentis ex ſacello Martis prodeuntis anhelitu ſanauit, ſerpente profligato: tresq́ue primarios homines, qui etiam apoſtolũ ad mortem raptabant, à ſerpente necatos uitæ reddidit. Crucifigitur demum ſenex, præſentibus duabus filiabus, in Hierapoli Phrygiæ. Ex actibus patet, quomodo eum ſpiritus rapuerit ad baptiſmum eunuchi Candacis. cui poſtea Matthæus domi confirmauit uerba Saluatoris. Fuit Philippus primus miniſter eius religionis, quam etiam hodie ſeruant in Aethiopica India, ſub eo principe quem uocamus Preſtoianum. Ita etiam illi referunt hodie.

THOMAS.

Thomas in India prædicans, quotquot erant morbis correpti in ea regione, in qua conſtitit, iuſsit in unum locum ampliſsimum deduci, aut deferri: præſenteq́ue populi innumera turba, oratione fuſa, cœlitus accedente lumine, omnes ſanauit in nomine Ieſu Chriſti. Synticæ fœminæ primariæ lumen oculorum pridem amiſſum reddidit. Demum quum Cariſius regionis princeps eum ante idola procumbere cogeret, eo genua flectente, oranteq́ue, idolum ab inhabitante dæmone comminutum eſt. Quamobrem à ſummo falſorum ſacrorum antiſtite diuerberatus enſe, uitam clauſit. Illi etiamnum in India citra Gangem ſunt poſita tẽpla Paleacheti, & Tarnaſſeri, iuxta Narſingam. Vlteriori Indiæ uerbum Dei Bartholomæus prædicans, confirmauit ſignis plurimis Euangelium. Templa omnia euertit, ſtatuas diſsipauit, mortuos ſuſcitauit, languidosq́ue quàm plurimos ſanauit. Excoriatus autem, & capite poſtea abſciſo obijt. Eiectum ab ethnicis in mare corpus, cum plumbea libitina littoribus Siciliæ diuinitus appulit, ſeſeq́ue reuelatione manifeſtauit. Fuitq́ue, quoad Muſſulmani diriperent Liparam urbem & inſulam, ante nongentos annos in Eccleſia Liparitana. atque inde Beneuentum ſunt, etiam reuelatione ſelecta, delata eius oſſa ante à Mauris diſperſa. Quis omnia perſequatſ? Sunt qui ad ducenta & plura miracula edidere. Quid Dionyſio mortuo mirabilius? qui abſciſſum caput duo paſſuum millia tulit? Teſtis fuit tota Lutetia, teſtis Feſcennius tyrannus, & ſui.

Bartholomæus.

ſui. Idem Luciano Belluacenſi contigit. Muhamedici etiam probant hiſtoriam ſeptem dormientiũ. Ea eſt adducenda. Non eſt obmittenda Antiochena res geſta ab apoſtolis, de qua ſupra dixi. Septem iam annos in ſepulchro agẽtem Renatum ſuſcitauit Mauritius, atq; poſt eum epiſcopen Andium diutiſſimè ſanctiſſimeq; rexit. Quanta uerò eſſent omnes Chriſti ſectatores continentia, uitæq; innocentia, nemo explicare ualeat. Oblata immenſa auri põdera tanquam ſtercora omnes ſunt arbitrati. Omnibus caſtitas, humilitas, charitas, patientia, ieiunium, nuditas, & cæteræ uirtutes peculiares fuere: quæcũq; ſumma ducit mundus, ea ne aſpicere quidem ſunt dignati. Hæc eſt Ieſu Chriſti μεταμόρφωσις ſacroſancta, certaq;. Erant hi homines humanam facultatem ſupergreſſi. Potuere homines ineruditi, inopes, imbecilles in toto orbe utrãque iuris euertere potẽtiam. Nam qui religionem mouet, etiam ſtatũ ciuilem commoueat oportet. Reſpub. enim nunquam patitur deorum ſacra euerti, quin ſumma ui, diuina aut humana, potentia ciuilis cogatur in receptam religionem. Atqui quum inermes eſſent Chriſti ſectatores, & ditiſſimas orbis perſuaſiones aggrederentur conuellere, ſoloq; uerbo crucis'ue ſigno omnia templa, aras, & ſtatuas deorum falſorum euerterent, quid turbæ non excitabant innumera ſacrificum & pontificum multitudo, quæ habenas imperiorum ſe habere iactabat? Principes quamuis optimi, obſequi cogebantur illis peſtib. impoſtorijs, ne populos ad defectionem ſolicitarent. Ideo innumera fuiſſe teſtium ueritatis Ieſu Chriſti milia, nil mirum. Sed quod magis mirere, quo magis affligebanturr, eo maior ad præſentem mortem accedebat multitudo: quod cum natura aliorum hominũ pugnat. Fuit ergo Deus, eſt, eritq;, in cuius nomine illa fiebant. Nunc ex oppoſito accedere debent ſceleribus clariſſimi illi Chaliphæ, qui auaritiæ, faſtus, ambitionis, libidinis gratia tot hominum milia oppreſſere, ſeq; mutuò confecerunt: ut nil planè naturæ magis inimicum unquam ſit natum. Sunt etiam refutanda, & in dæmonem referenda ea miracula, quæ inter Muſſulmanos fiunt. Nam & inter idololatras authore dæmone fieri plurima ſolita erant: quum tamen uerum Deum nullus eorum noſſet, aut coleret. Immittebat morbos dæmõ, ut curare uideretur, dum idolum colebatur. Quod ipſum ſtriges, & preſtigioſi, faſcinatoresq; etiam nunc faciunt, eodem authore. Diuinationes uerò, quæ ſunt in ſacris (niſi à Deo tibi reuelari per ſanctum uirum petas) prohibitæ, crebras in falſis perſuaſionibus fuiſſe indicandum. Nam ideo non tantum Apollini & Mercurio impoſtoribus diuis, ſed & ſingulis dijs atq; deabus erant uates, quæ aut ſomnia ambigua, aut uera impulſu dæmonis quotidie referebãt. Non tamen ob id erant bonæ illæ leges, ſed longè falſiſſimæ. A' quibuſdam exemplis ſũt refutanda falſa miracula & diuinationes. Vnum uerò aut alterum uerbi gratia adferam, quæ uulgo recitantur in ditione Turcharum. Quum conſpiraſſet aliquando natio perditorum illorum hominũ (quos religioſos & ſanctos uocant) in necem principis, & facinus deprehenſum eluere uellet apud eundem primarius eius factionis, diluere tamen non poſſet obiecta, ſe facturum probitatis periculum in medio igne eſſe paratum, niſi princeps illi credat, dixit. Incenditur rogus: in eo diutius agit illæſus (ut aiunt) & oſtentant quidam parentes eius ſoleas ab igne non tactas, ut fidem rei faciant. Sunt nugæ: paucos parentes id noſſe, quod iudicio principis media in urbe eſſet factum, & monumentis publicis tam celebre facinus non tradi? Non'ne erat iuſtiſſima cauſa principi de capite ſollicito, animaduertere in eos homines, qui frequen

tiſſimè in eum inſurgunt? Dæmonis ſunt iſtæ technæ, ad illudendos ſtultorũ populorum animos excogitatæ. Quid de præſtigijs Gothuel mirſini celeberrimi, & apud eos qui quippiam amiſere ſanctiſſimi, dicam? Ita luduntur illic hominum oculi, ut cẽties per locum unum tranſeuntes non uideãt, quod ſtatim (nuncupato comedendi uoto cum peregrinis illis, de quibus ſuprà dixi) ſe omnium oculis offert. Si aliquid ſancti indicant, non tamdiu torquent, nec uendunt ſuas operas comedendi cauſa. Non faſcinant oculos. Præterea reb. fluxis & caducis, ſunt parum parati ſancti: niſi de uita aut ſalute hominis agitur, uix unquã et rariſſimè adſunt uocati. Nepheſougli, id eſt incubi filij (ſi qui ſint: nam fama tantum eſſe accepi) ſunt exibilandi, & ueluti dæmonum partus putandi. Ita colliſione ueri & falſi ſine ulla inuidia ſe ueritas aperiet, ſuadebitq́;. Ex beneficijs ergo à Deo homini collatis, & natura ipſa hominum corrupta, excellentiaq́; tam Chriſti quàm ſectatorum uero demonſtrato, ad diuinitatis eius probationem eſt pergendum, ſuperiora frequenter repetendo. Non poſſe eſſe hominem tantũ, qui miracula proprio nomine, non inuocato Deo ediderit: ſummum prophetarum mendacium dicere non potuiſſe: Chriſtum ſe multis in locis dixiſſe Deum, in quo uerbo impoſſibile illi fuit mẽtiri. Tertiò, eum qui ſua ſponte nullo pro eo orante ſurrexit, Deũ humanitati iunctum neceſſariò circumtuliſſe. Quartò, tantum Dei eſſe iudicium. Et tamen fatentur etiam illi, Chriſtum futurum iudicem omnium, æquiſſimo iudicio. unde Deum illum et omnia cognoſcentem eos credere oportet. Quintò, qui ex ſpiritu ſancto ſit conceptus, non poſſe perdere ſeminis originem: at quum ſpiritus ſanctus ſit Deus, neceſſe eſt fateri Deum Chriſtum. Quamuis enim non ſit ex ſpiritu ſancto ueluti ex traduce, ſed ueluti ductu, tamen fieri nõ poteſt, quin diuinitatem ſemper ſecum habuerit. Sextò, à probitate apoſtolorum & ſanctorum. Nam ſi maluere mori eius diſcipuli, quàm uel idolo proſterni, & magnis donari honoribus, longè magis credendum eſt exhorruiſſe mendacium. At in omnib. locis Chriſtum Deũ dixerunt. Eſt ergo Deus. Septimò, eum in cuius nomine miracula omnia facta ſunt, non poſſe non eſſe Deum. At inuocato nomine Chriſti, omnia miraculorũ genera ſunt ab apoſtolis & ſanctis edita, edũturq́;. Octauò, immutatio ſuorum, & cũ mundanis diſſimilitudo, arguit eius authorem fuiſſe Deum. Iam ſi admittant omnino euangelium, quot argumenta diuinitatis ſe offerent, & quæ à propheta non poſſint fieri? Teſtimonium ab euangeliſtis habet, quòd ab æterno ſit. Docuit uox cœlitus, quum intingeretur, miſſa à patre, hic eſt filius meus dilectus. confirmauit transfiguratio, mortis & reſurrectionis prædictio, aſcenſio, Spiritus ſancti miſſio: quæ omnia nullius creaturæ eſſe poſſunt.

Pro colophone erit addendus (ad id quod ex Suneh fatentur futurũ iudicem uniuerſorum Chriſtum) etiam articulus fidei illorum, quem deſumpſi ex Tezchere elimam, ubi ita habent. Quod in iudicio extrahet à ſuis locis Gog & Magog Chriſtus, & morientur, tum ſuperſtes erit Chriſtus & ueri fideles: nec coletur in terra niſi Deus, & peregrinabitur, & peregrinabuntur cũ eo conſortes fœlicitatis: & illi ſunt diſcipuli eius. Hæc traditio maximè (quum tamen ſit falſa) confirmabit noſtra, quoniam unũ ouile & unus paſtor à Deo tantum & Chriſto fieri poteſt. Ponit uerò felicitatem paradiſi in terra cum Nicolaitis, & alijs hæreticis. A' falſo uerò ſumere teſtimonium, quamdiu fides illi adhibetur, non ſecus licet, atque extorquere gladium ab hoſte, quo illum conficias.

Inſtan-

INSTANTIA AB ORDINE *rerum, & hominis officio.*

DOcendi poſt Dei & hominis cognitionem erũt, de rerum ordine, & hominis officio. Quomodo uniuerſum conſtet ſupercœleſti, cœleſti, & elementari mole: quæ ue res & creaturæ in illis ſint. Senſibus nobis patent quatuor rerum genera in inferioribus. Nam quædam ſunt, uiuũt, ſentiunt, intelligunt, ut homo: bruta ſunt intellectu deſtituta: plantis abeſt ſenſus: lapidibus metallis, & elementis, uita. Quemadmodũ ergo trib. primis, ſcilicet eſſentiæ, uitæ, ſenſui, ad ſummam perfectionem accedit intellectus, dans omnibus complementum: ita etiam ad ſummam hominis perfectionem, quæ iam ternario conſtabat, corpore, anima, & intellectu, opus fuit accedere diuinitatem, & ſummæ primæ intelligentiæ iungi primam creaturam. Quemadmodum enim homo quartus ab infimis eſt, ita & Deus quartus ab angelis eſt: poſſibilitas eius rei in Deo eſt, Dei uoluntas omnia optima uolentis eſt, ad ſalutẽ hominis eſt neceſſarium. Igitur Chriſtus fuit, eſt, eritq́ in æternum Deus. Vide primi libri rationes. Homo in hac uita trium rerũ cauſa natus eſt: cauſa Dei, ut eum colat, agnoſcat, amet, operum bonorũ obſequio, mera beneuolentia humilitati atq́ fidei permixta captet. Secundo, eſt cauſa ſui, ut ſe patre digniſſimum, puritate innocentiaq́ maximè illi probare ſatagat. Tertio, quòd ab utroque procedit, ut beneficio, & quacunq́ arte poterit, erga fratrem alterum hominem oſtendat, non fruſtra ſe in hac uita natum. In eum ſcopum (quum omnibus ſit propoſitus) tamen ob naturam deprauatam collimat nemo. Ideo opus fuit medico & emendatore huius uitę, qui homines ita affectos curaret, & uitæ priſtinæ redderet. Inſpiratione ſimplici Deus hoc non facit, angelus inſtaurare non potuit, multo minus homo. Opus ergo fuit homine Deo unà compoſito, qui naturam emendaret: qualem in ueris Chriſti ſectatoribus uidit uniuerſus orbis. Nam illi omnia in ſcopum diuini honoris, propriæ innocentiæ, & charitatis retulere: quod nemini à Chriſto alieno contigit. Hæc & ſimilia diuinitatem in Chriſto ſatis aperuere. Inde uerò eſt paulatim ueniendũ in nefariæ legis improbationem.

QVOMODO SIT FALSA *perſuaſio refutanda.*

QVuum ſumma ueritas, & ſapientia, & cæteræ animi dotes & uirtutes ſint à Deo, quumq́ nunquã ſit mali author, non poteſt falſitas, ignorãtia, aut ullum uitiũ eſſe in eo, aut ab eo. At in Alcorano ſunt nouem milia mẽdaciorum & falſitatum. unde à diabolo eſſe patet. Quæ lex iubet in naturam armari, quam Deus conſeruatam cupit, illa non eſt à Deo. Tale eſt Alcoranum. Huc referenda ſunt, quæ toto ſecũdo libro contra diuinam bonitatem, naturam, artem, pacemq́ publicam pugnare uiſa ſunt. & interim dum ſoluitur uinculum uetus, illud in ore ſemper eſt habendum, ut principibus obediatur. Nam abrogata lege ueteri, & noua introducta, uidendum ne quid oboriatur ſeditionis. Sunt armati patientia Chriſtiani, donec omnino rebus compoſitis, & magiſtratu Chriſtiano introducto, liceat iuridice ius ſuũ perſequi. Nã in hoc maximè probamur, ſi patienter ſufferimus. Inſtauratio origini ſimilis eſſe debet. Adferenda ſunt Chriſti & ſuorũ exempla: de rerũ fortuitarũ incertitudine ſermo frequens eſſe debet: pari uſu, origine, cataſtrophe eſſe principes & plebeios: in hoc uno poſſe differre, quòd prandio uel cœna abſumũt

principes, quæ innumeris mediocribus ſatis eſſent, alerent infinitos tenues. ſerico, purpura, byſſo tegātur magnates: uix tela ſuperſit pauperi. omnium eſſe apud Deum feliciſſimum qui pauciora habeat, eo quod pauciora debeat. Plura loca ſunt ex Alcorano in hanc ſentētiam iam perſuaſa. Verum ea quia bona ſunt, erunt in Euangelium traducenda: ut luculenter appareat, ſi quid boni in ea lege uideatur, eſſe longè melius & meliori ordine in ueteri & nouo Teſtamento traditum: ut dum relinquunt falſæ perſuaſionis ſeminarium, nullam ſe iacturam facere ſentiant. Verum noſtris perſuaſis, & alienis diſſuaſis, maxima difficultas ex uario ceremoniarum ritu oboritur. Nullo maiori odio flagrat in nos gens Muhamedica, quàm ob uſum imaginum. Itaq; ad tēpus eſſent tollendæ ſanctorum imagines, aut illis ſua templa permittenda. Lōgè melius ſanè abolendæ uiderentur, quàm ut uario cultu neophyti & catechumeni offendiculum accipiant. Calendario ſeruatæ liturgiæ poſſent æquè abſente imagine, quę nil poteſt, ſeruari, indiesq; celebrari. Suum uerò cultum ſi nollent ſtatim deponere, tolerandi quàm tollendi eſſent potius, quoad aſſiduitate euangelizandi ad ſynceritatem doctrinæ & cultus peruenirent. Qui plures duxerint uxores, ut illis mortuis, aut repudiaris, unam tantum habere liceret. Quæ oues in paſcha mactantur, ſi quis ſtatim eum ritum omittere nolit, inuocato Chriſti nomine cum pauperibus edi. Si nolint omnibus omnium ſacramentorum & orationum cultibus adſtringi, urgendi principio non ſunt. Ita nec à ſuis inuito animo depelli debent, niſi quæ manifeſtè in Chriſtū peccant. Grauiora ſcelera, quibus ea gens urgetur, & quibus lex nefaria fecit uiam, aſſenſumq; præbuit, ſunt diris imprecationibus agitanda, & lege proſcribenda. Ita fiet, ut aſſiduitate prædicationis & conuerſationis ſine tumultu ullo quiuis princeps trahat populum ad uerā pietatem. Quod ut fiat facilius, abolere omnia priuilegia falſæ legi fauētia debet, edictoq; promulgare, ut quiuis priuatim aut publicè agitare liberè illam poſſit. philoſophiæ opiniones illi præferre liceat: & interim, ut quicunq; uolet, euangelium legat, habeant omnes Alphachi & Imami. Ita bona pars ſponte ab ineptis blaſphemijs reſiliet. Is eſt cum Muſſulmanis agendi modus.

ETHNICOS AD VERITATEM *trahendi modus.*

COmmunibus præceptis (ut tertio libro ſunt tradita) ſunt idololatræ & quibuſuis falſis de Deo opinionibus imbuti, adoriendi. Nil eſſe Deo præſtantius, illi omnia deberi. Concedere aliquid oportet infirmitati. Non ſtatim refragandū eſt eorū falſis de Deo opinionibus, ſed cōniuentia quarundā quoad attentus ſit populus, eſt utendum, hiſq; ſuadendum inductionibus. Hominem eſſe tanto excellentiorem, quanto maiori eſt obnoxius & familiaris. Et ſi inferiora uideantur aliquid habere uirtutis, omnia tamē ſubeſſe Deo ſummo, et patri omnium. Si credatur ſol Deus eſſe, demonſtrandum eſt eum eſſe ſeruum, & obedire Deo neceſſariò. quia non habet uoluntatem, nec poteſt quieſcere: quum cogitur, non habet arbitrium. quod nō habet libertatē, ſeruit: quod ſeruit, deus eſſe non poteſt. nam deos longè liberrimos, feliciſſimos, intelligentesq; eſſe oportet. Inde ſequetur, ſtatuas, pannum, ſyluas, & cætera omnia in dijs habenda non eſſe. Demonſtranda erit ſimilis materia uulgaribus, in qua non eſt ſanctitas. Cæterum ut res poſſit cum religionis arbitris tranſigi, erunt admonendi, ut ſi nolint abolere prima fronte uetuſtū

cul-

cultum, ſeruatis opibus, oblationibus, ſacriſq; ritibus, ſenſim omnia Deo cœli ſummo deorum adſcribant. Iuſtum Dei iudicium eſt ob oculos ponendum. Non inferiorē quandam potentiam feciſſe uniuerſum, ſed Deum, ſummā: apud quem ſit homini ratio de totius uitæ actione reddenda. Non enim poteſt eſſe Deus niſi iuſtus. Dum cōſulunt infirmitati populi, ſi aliter à principio fieri non poteſt, potentia numinis crediti eſt ad certas rerum conditiones arctanda: cætera omnia ſummo Deo tribuenda, qui etiam ea poſſit, quę inferiorem poſſe credunt. Ita introducto ſummo Deo, ſtatim idoli quæcunque ſpecies explodetur. Quod ut facilius fiat, ſunt de ſuis ritibus & dijs interrogandi, & ex eorum uerbis refutatio introducenda. Fieri enim non poteſt, ut indigna Deo non ſint, quæ de inferiori quauis potentia creduntur, & dicūtur. Quum enim quicquid ſummum & Deus creditur, debeat neceſſariò potentiſſimum, ſapientiſſimum, beneficentiſsimum, per ſe beatum, nulliq; corruptioni aut iniuriæ obnoxium eſse: fieri non poteſt, ut quicquam illi conueniat. Inferiora itaq; ſeipſa prodent, quum cōferentur cum ea potentia. Ab enumeratione beneficiorum Dei, & ordine quodam, dum euangeliſta incipit dicere, acquieſcet facilè plebs. Rationibus uerò princeps & primaria poteſtas ſunt perſuadendi, qua arte retineātur illis animi populariū, admiſſa uera perſuaſione fideq;. Sunt populis in memoriam reuocanda beneficia à fiſco recepta, iuſtitiæ ſcilicet inſtitutio & conſeruatio, prouinciæ defenſio, uiarum inſtauratio, urbium conditio, augmentū, conſeruatio, ordines iuridici, ſacri, militares, ut æquo ſemper animo principib. acquieſcere uelint: polliceri futurum, ut poſtquam uerum Deum coluerint, & ſecundum eius præſcripta uoluerint uiuere, ſint feliciſſimi. Adferendæ ſunt hiſtoriæ rerum Chriſtianarū, ut ab his falſis opinionibus ad ueras alliciantur. Nam ita fiet, ut dum falſa opinione ducuntur, quos non trahit per ſe ueritas, tandem acquieſcendo ſint bonis ſimilimi. Pauli enim conſilium eſt in principijs ſuadendi imitandum. Ait enim, Dūmodò ſiue per occcaſionē, ſiue per ueritatem Chriſtus annūcietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo. Quamuis enim uerus Chriſtiani ſcopus ſit nihil pendere terrena, ſplendores, famam, gloriam: tamen dicendū, quod ſint illa maxima inter eos, & tanta copia, ut nullus non ſatis habeat, illiſq; abundet: id uero non repugnat uoto. Plures ſpes felicitatis temporariæ (cuius ſenſu maximo omnes homines tenentur) ad ueri perſuaſionem trahere poterit, qui poſtea ſancto conſortio falſum & inane uotum cōtemnere cum bonis incipient. Recepta de ſummo Deo fide, & confirmata, etiam Trinitatis fides neceſsariò ſubſequetur. Nam nemo creatorem intelligere poterit, quin potentiſſimum, ſapientiſsimum, et beneuolentiſsimum intelligat. Erit ergo potentia, ſapientia, uoluntas in Deo admittenda. demum cæteris argumentis abſoluēda demonſtratio, ut ſtatim ad Ieſu Chriſti generationem utramq; & æternā & temporariam ueniat euangeliſta. In his omnibus ſanctiſsima euangelij præcepta, & quantam pacem adferant obſeruantibus, eſt docendum, ut inter ueros Chriſtianos uideatur adeſse paradiſus. Quibus ſuaſis euangelicæ hiſtoriæ erunt externa teſtimonia adferenda, quib. Chriſtum fuiſſe Deū cōſtat.

EXTERNA TESTIMONIA DE *Chriſti diuinitate & magnitudine.*

QVamuis hominibus à Deo inſpiratis, et uerum ſtatim amplectentibus, nil maiori fide poſset dari, quàm euangelium, in quo animus ſibi bene conſcius quietem & felicitatem reperit: tamē quia ſunt longè plures nequam

& perfidi, quàm boni & fideles, qui tametſi uidentur deplorati, tamen negli-gendi non ſunt: ideo & ueritati euangelicæ, qua nil maius, dum adduntur externorum & à nobis diuerſorum authorum teſtimonia, ſolent quidam ad ſe redire, & quam ex euangelio fidem non recipiunt, illam ex literarum humananarum authoribus petunt: atq; inde non rarò in ſe deſcendentes, errorem agnoſcunt, uerumq; ex ipſis fontibus concipiunt. Signa itaq; externis cognita ſunt ad ſacrorum fidem adducenda. Nil prius celebrius ue ſe offert uiſitatione illa Magorũ, qui à partibus oriẽtis, ſi Iudæam reſpicias (nam omnis partis mundi poſitio dicitur ad aliquid) ex occidua uerò parte Perſidis, contenderũt Hieroſolymam, ut in urbe totius regionis primaria ſciſcitarentur de puero, ad quem adorandum uenerant. Tres fuere, ut ab ipſis euangelijs diſcimus. Primaria authoritate ſapientes, quod uox Magus ſonat. Qui conſpecta in eorum regione ſtella, nõ cœlo, ut cæteræ, affixa, ſed in aeris regione terrã uerſus oberrante, dum attentius in eam uertunt oculos, & quid ſibi uelit, ut erat gẽs in cœliſtibus obſeruandis attentiſſima, diſpiciunt, in ea apparet, ut ipſi retulere, & per manus fideliter eſt traditum, forma pueri, igneo toto corpore: qui ait ad eos, eſſe in Iudæa natum puerum, qui Iudæis & orbi imperitaret. debere illos eò proficiſci, & illum adorare. Fidem adhibent dictis, citi ſterni ſibi camelos & dromades iubent, et per deſertæ Arabiæ atq; Madianitarum fines tranſeuntes, 13. die Hieruſalem intrant, & à ſapientibus de puero recens nato quærunt. Quod noſtri interpretes dicũt, uiam fuiſſe miraculoſam 13. diebus, dum ab oriente in Iudęam ueniret, falluntur. Nam in uocabulo Orientis hallucinantur, dum unam ſimplicem eius uocabuli ſignificationem putant, quæ multiplex eſt. Oriens enim dicit̃ ad aliquid. nec eſt ulla orientis poſitio, quin eadem diuerſis cõparationibus ſit & meridies, & occidens. In omni enim cœli puncto ſol agens, orientem, meridiem, & occidentẽ ſemper facit. Malè ergo intelligunt ab oriente, id eſt à diſtantia 90 graduũ & quadrantis cœli. Quoniam dromades cameli, quamuis poſſint die naturali 60. M. paſſuũ perreptare, tamen non paucioribus, quàm nonaginta diebus ueniſſent ab oriente Iudeæ Hieroſolymam. Venerunt ergo à regione Magorum, quæ Perſidi Chaldeæ & mari Perſico contigua eſt, diſtatq; à media Syria Phœnicũ 13. gradibus longitudinis, eadem planè latitudine. In ea uero latitudine 30. & unius gradus, aut circiter, longitudinis gradus habent 55. milia paſſuũ. quod iter planè quadrat cum mediocri curſu dromadum. celerrimus enim diurnus curſus eſt 60. milium paſſuũ, ut dixi. minimus 45. mediocris 54. Si eſſent gradus æquatoris, die quolibet illis 60. M. paſſuũ fuiſſent peragenda. Totũ enim iter habuiſſet 690. M. paſsuum. tredecim uero diebus, permittentes aliquid curæ corporis 515. M. paſſuum mediocri curſu uenere. Tranſeundum uerò illis fuit per regionẽ Madianitarũ, ut prophetiæ implerentur. Ait enim Eſaias cap. 60. Multitudo camelorũ operiet te, dromades Madian et Epha: omnes de Saba uenient, aurũ et thus deferẽtes, & laudẽ Domino annũciantes. Hęc rem acu attingunt. Nam Madian eſt Arabiæ deſertæ pars orientalis, Epha notat eandem in felici Arabia partem: Saba regio notat Arabias omnes, & præcipuè felicẽ. Ad ſinum itaq; Perſicum pertinebat horum ditio. Cæterum reges eos uocat Dauid, dicens de Deo, Tibi offerent reges munera: Pſalmo 68. Et item 72. Reges maris & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adferent. Erant uerò reges inſularum & maris Perſici, & reuera ſoli nomine tam ſancto digni: quorum ideo imperium ueluti legitimũ ſolum, Chriſtus approbare uo-

re uoluit. Erãt enim, quales feliciſſimæ reſp. ſenſere, quales Plato optauit ſuæ reip. quam tũc reuera futurã beatam ſcripſit: aut quũ princeps philoſophabitur, aut rex erit philoſophus. Cęteris enim ſolet non minus orbis labefactari, quàm regi. Fuiſſe uerò Magos Perſarum inſigni ſapientia, teſtantur omnes omnium gentium literæ. Hos fuiſſe reges, & rerum ſummæ pręfuiſſe, ita eſt literis traditum. Ea regio quæ à Magis regebatur, deligebat primarios ſapientia uiros numero duodecim, qui rerum ſummæ præeſſent. Illi ſuffragijs ex eo numero tres in ſingulos annos regni habenas tractaturos ſeligebant, qui & de cœlo ſeruarent, & ſi quid oboriretur urgens, id obire ſtatim poſſent. Tres hi electi erant eo anno ſummi philoſophi, & ueri reges, nomineq́ digniſsimi. Illi ex tam longinqua regione accedentes, ubi à principibus Iudęorum locum nati pueri quęſiuere, eum ſalutãt in ciuitate Dauid, offeruntq́ infantulo ſumma omnium rerum nuditate obſeſſo, munera imperatoribus digna. Quibus peractis abiere ad magiſtratus ſui complendam adminiſtrationem. Feliceſq́ & Chriſtiani in eadẽ obiere. unde corpora 300. poſtea annis Helena Conſtantini imperatoris mater, dum ſanctam crucem quæreret, curauit ad ſe adferri, & Conſtantinopolim ſunt delata. Inde per diuum Euſtorgium Mediolanenſem epiſcopum, ſunt ad eius epiſcopen translata: indeq́ ab Heinricho imperatore Coloniã delata, ubi uis miraculis clara. Nunc ad penitiorem hiſtoriã. Quũ Herodes rex alienigena occiſis omnib. regij ſanguinis hominibus, imperij ſcelere & dominorũ morte (nam fuerat ſeruus Macchabæorum principũ) parti retinendi cupidiſſimus, de rege Iudæorũ à Magis audiuit, tunc ſimulata beneuolentia rogauit illos, ut ſibi de puero referrent. Quod ubi non feciſſe illos, ſed abijſſe audiuit, ne elaberetur puer, omnes à bimatu in finib. ciuitatis Dauid (quę Bethlehem dicitur) tolli è medio, necariq́ iuſſit. Quod facinus non tantũ in Iudeæ finibus anguſtis eſt cognitũ, ſed ſtatim ad Auguſtum Cęſarem Romam perlatũ eſt. Teſtis nobis locuples huius rei erit Macrobius, homo à nobis omnino alienus. Ita enim in iocis Auguſti ſcribit: Quũ Auguſtus audiſſet inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorũ intra bimatũ iuſſit interfici, filium quoq́ eius occiſum, ait: Melius eſt Herodis porcũ eſſe q̃ filiũ. Hæc Macrobius, homo alioqui impius. Audite impij, maiorem humanitatis authorib. fidem q̃ euangelio habentes. Subſcribit euãgeliſtæ Macrobius. Cõſtat factũ fuiſſe. Quæ uerò tanta amentia corripere hominem alioqui ſplẽdoris & glorię cupidiſſimũ potuiſſet, ut eam ſumeret tam immanis ſceleris labẽ, notãq́ in ſe reciperet? Quid in eum innocentiſſima ætas peccare adeò potuit, ut cum alijs etiam filiũ perimeret? Certè à Magis acceperat, natũ regem Iudæorum, mundi imperatorem. alioqui nunquam id ſceleris cõmiſiſſet. Vna negnandi & tyrannidẽ occupandi libido ſola poteſt patrem armare in filios: iura omnia & diuina & humana ſoluit & peſſũdat ſplẽdor imperij. Oportebat eius occaſionis gratia eò rabiei hominem ueniſse, ut in propria conuerteret uiſcera ferrum. Ioſephus ſubſcribit, quũ ait: Quotquot nouerat regij ſanguinis, aut ex quib. ad regni ſpẽ aliquis peruenire poſset, eos omnes occidi iuſsit. Totũ ſenatum, uno qui ipſi prænũciauerat imperiũ ſeruato, ſuſtulit, & necauit. Tanta fuit in eã partẽ hominis ſæuities, ut occiſorũ numerus innumerabilis ſit uiſus. Suffragãtur euãgelio hiſtoriæ Romanorũ. Erat perſuaſiſsimũ Iudæis, ut ait Suetonius, tunc imperatorẽ orbis inter eos naſciturum. quod uſq́ adeò erat euulgatum apud exteras nationes, ut Romanis tunc tẽporis eſset Iudæorũ potentia formidabilis. Ideo eam prouinciam tot bellis fregerũt, ſuiſq́

hominibus dato præſide Romano regendos ob ſeditiones tradiderunt. Ru-
mor ille non fuit falſus. Nam tunc ille natus eſt, qui in propria uenit, & ſui
eum non receperunt. Plurima monumenta literarum faciunt miraculorum
quæ eo anno contigerunt fidem. Tres ſoles uiſi diutius, demum in unum co-
ierunt: quod aliàs factum non legitur. Nam παρήλιοι crebrò contingentes, et
ueluti duos aut tres ſoles repræſentãtes, nunquam coeunt, ſed impreſsione à
nube euaneſcente diſparẽt. Argumẽto certè fuere diuinitatis hominis propi
us inuiſentis, unumq; & trinum Deum ſignificantis. Neſciunt Romani tem-
plum recens conditum auguſtiſſimum, ob diuturnam pacem, qua ſub Augu
ſto utebantur conditum, ideo de cœlo tactum fuiſſe, quòd uirgo pepererat.
Nam eo anno qui fuit 42 Auguſti, Pacis templum quod æternum & opinio-
ne credebatur, & titulo dicebatur, fulmine tactum eſt. Condito uerò illo tem
plo Romani non minus egentes quàm cupidi diuturnæ pacis, conſuluere o-
raculum Apollinis, quantũ eſſet tam præclarum templum Paci dicatum dura
turum? reſponſum eſt à dæmone, duraturum quoad uirgo pariat. Illi æternũ
opus fore arbitrati, titulum pro foribus inſcripſere, Templum pacis æternũ.
Tandem 12. ab eo tempore anno quum Chriſtus naſceretur, funditus corruit
immenſa moles. Quod poſtquam audiuere multis poſtea annis Chriſtiani
Romæ degentes, poſuere ibi diuæ uirgini templum, quod nunc Sanctæ Ma
riæ nouæ dicunt. Quî poterat fieri, ut opus tam recens, tam integrum, tam
magnum ita corrueret, nullo terræmotu Vrbem diuexante? Certè alia pax q;
humana in orbem uenerat: author pacis Deus inter homines ſeſe demiſerat:
ut quam nulla arte in hac uita conſequi pacem ſine illo ualemus, illam omni-
bus orbis habitatoribus in eum credentibus conferret. Nam pax nõ eſt à bel-
lo requies tantum. Animis pacatis opus eſt (quod optimi philoſophi ſuaſere)
antequam ſit ulla in homine quies. Non eſt in arte poſitum humana, ut ali-
quis illam ſine ſapientiæ Dei cognitione conſequatur. Quid dicam de baſi-
lica Auguſtana, quæ poſtea nomen prætorium ad ſacra deduxit? Certè ſine
conſpectu miraculi princeps à religione uera alienus non feciſset ſacrum lo-
cum, & baſilicam medijs in ædibus. Eſt tamen dicatus locus uirgini in aureo
cœlo, quodq; hodie extat templum conſtructum. Oroſius non indiligens hi-
ſtoriographus ait, ſereno cœlo hora tertia iridem aureo colore ſolem am-
bientem, Auguſtum uidiſſe: cuius rei admiratione quum teneretur, conſu-
lit Sibyllam, quid ſibi hoc ſigni uellet. Illa ait, propediem naſciturum qui ab
eo & toto orbe colendus eſſet. Debere itaq; ſummopere cauere ne diuinos ho
nores illi à populo Romano oblatos reciperet, ſed coleret illum qui naſcitu-
rus erat. Quamobrem locum in quo ſpeciem illam uiderat, ignoto numini ſa
crum uoluit, quoad à noſtris Deum uerum cognoſcentibus dicatum uirgini
puerperæ templum eſt, & in cœlo aureo dictum. Ad imitationem eius mul-
tis in locis Italiæ eodem titulo conſtructæ ſunt baſilicæ. Quid de fonte dicam,
ex quo Romæ die integra olei ſcaturigo ebuliuit, quum eſt natus Chriſtus? In
numera miracula adferrẽ ex noſtris authoribus: ſed noſtris apoſtatis fidẽ non
facerent. Ethnicis ethnica doctrina opus eſt. Malunt Luciano quàm euange-
liſtæ credere. Si ad ea ſigna quæ humanitate Chriſti moriente cõtigere, uenia-
mus, quanta copia teſtium externorũ noſtris ſuffragabitur Euangeliſtis? Ecli
pſis illa mirabilis, quæ ad tres horas durauit, quæq; in archiuis Romanorum
eſt diutiſsimè ſeruata, Perſarum diarijs notata, à Phlegronte ſcripta, à Dio-
nyſio Areopagita & Apollophane obſeruata, quum contra naturam fuerit,
& tem-

& temporis ſpacio, & ſiderum oppoſitione, non potuit non ſignificare, ſuum authorem etiam corpore deliquium pati. Quod autem contra naturã fuerit, docet oppoſitio. Erat enim 14. dies lunæ, in qua ipſa lumine ſolis, interpoſita è diametro terra, deſtitui poteſt, ſol minimè. nam in ſynodo tantum poteſt fieri ſolis deliquium. Duratio uerò etiam contra naturam fuit trium horarũ, quum naturalis modus dimidiarum durationũ nunquam cum hora dextantes ſoleat excedere. Oportuit rerũ authorem ſecundũ humanitatẽ pati, quum præclariſsimæ cœli partes in eius morte defecerint. Quis neſcit ſupra omniũ literarum memoriam terræmotum fuiſſe uniuerſum? Nam & in Aſia & Romæ ea uehementia notata eſt: quum alioqui terręmotus alij nunquam ſint uniuerſales, imò uix patent ad horizontem in terra uiſilem, ſeu ad ducenta milia paſſuum. Quòd ſi excedunt, regiones tantũ, aut prouincias diuexãt. Oportet enim quum naturaliter fit, ſtatas & fixas eſſe cæteras terræ partes, atq; obſiſtere, quum una concutitur. Nam ſine renitentia & fixo puncto nõ poteſt fieri motus, etiam in animalibus: quãto minus in tam uaſta terræ molæ? Plinius hũc notauit temporib. Tiberij contigiſſe. Eiuſdẽ principis temporibus, quid ſibi uoluiſſent illi dæmonũ eiulatus, tam celer eiuſdem rei nũcius? eadem dæmonum agitatio etiã in orbis finibus? Moriente certè quantumuis magno homine, aut propheta, nil quicquã ſimile cõtigit unquam. Aeſtimetur ſanctiſſimorum hominũ exceſſus, perpendantur clariſſimorũ hominum exitus. Prodeat in mediũ Oſyris, Cambyſes, Xerxes, Alexãder, Auguſtus: quid illis maius orbis inter homines uidit? Quib. maiores fautores & adulatores fuere, ut etiã ex mure elephãtem facerẽt? At illis decedentib. è uita, nil planè ſimilis prodigij cõtigit. Niſi id cõtigiſſet moriente Chriſto, quî fieri potuiſſet, ut apoſtoli & euangeliſtæ hominũ genus tenuiſsimum, humano deſtitutũ pręſidio, auſi fuiſſent oculatiſſimo mũdo, & rerum omnium celebrium diligentiſſimo obſeruatori iſta proponere? Si uel minima mendacij ſuſpicio in eos cecidiſset, nunquàm habuiſset locum euangelium. Noſtra ſunt à Porphyrio, Celſo, & Iuliano agitata. Hi omnes hæc aberrantis & laborantis naturæ facinora probarũt. quod niſi probatiſsima fuiſsent omnium gentium monumentis, non fuiſsent pretermiſsuri, quũ etiã apiculos (& ſi quid minutius) in noſtris, cõtra dicẽdi animo uellicarint. Nõ adfero Ioſephi ſententiã de Ieſu Chriſto, & eius mirabilib. operibus. Mitto Abagari epiſtolam. Pilati de eo ad Tiberiũ ſcripta non repeto. Philonis iudiciũ de noſtris Therapeutis prætermitto. Norũt omnes ex epiſtolis Plinij Secundi, noſtrorũ innocẽtiam, & quo cultu Chriſto ſacra faciebãt. Epiſtola Marci Aurelij de aquis à milite Chriſtiano diuinitus impetratis extat. Ob id noſtros maleficos uocauit Suetonius, quòd ſiniſtrè ſacerdotes idolorũ miracula in Chriſti nomine facta interpretarentur. In eadẽ culpa eſt Cornelius Tacitus. In eodẽ uitio ſũt Iudęi, qui in ſuis Thalmudicis traditionibus, nunq; non agitant Chriſtũ. Alij magũ & maleficũ: alij in nomine יהוה è tẽpli ſacro lapide deſumptũ, & per ianitores leones mille annos natos occultatũ, miracula edidiſse aiũt. Omnes in eo conueniũt, quòd ſit humanã facultatẽ ſupergreſſus. Cõfirmatˀ uero eius diuinitas ex pręd'ctione uerſionis rerũ Iudaicarũ. Nã, ut uidimus ex Iudaicis, propter occiſum Chriſtũ ſexageſies cẽtena hominũ milia duab. Romanorũ expeditionib. cæſa ſunt: à morte Ieſu Chriſti ubiuis terrarum Iudęi ſeruitute oppreſsi, libertateq; omnino deſtituti ſeruiũt. Maximã uerò cõfirmationẽ diuinitatis Chriſti Iulianus imperator apoſtata à ueritate prębuit Hieroſolymis. Quũ em̃ in Gallilęorũ (ita nos odioſè

ſcom-

ſcommate perſtringere & ſubſannare erat ſolitus) inuidiam & probrum gen
tem Iudæorũ ſupplicem, & munerib. interpellantem impiũ hominem, redu-
cem Hieroſolymis uellet facere, coegit eorũ ingentem numerũ: qui antequam
aliunde cæteri accederent, templum quo in loco ter fuerat conſtructũ & euer-
ſum, inſtaurarent. Mirũ dictu, factu admirabile, contigit effoſſis altius funda
mentis, cũ fundamenta operis eſſent iacturi cum artificib. eorũ magnates, eru
perunt è terræ uiſceribus globi flammarum, quibus ſemel et iterũ non paucis
abſumptis ab incœpto opere deſtitere, etiam cœleſti igne contacti: ut autem à
Chriſti uoluntate iſta eſſe ſcirẽt, in omnium Iudæorum ueſtibus ſignũ crucis
apparuit. Verũq; eſſe uerbum ueritatis cognouerũt. Dixerat enim Chriſtus:
Ecce relinquetur uobis domus ueſtra deſerta. Et item: Amen dico uobis, nõ
relinquetur in templo lapis ſuper lapidem, quin euertatur. Dedit autem ne-
farius imperator perfidiæ pœnas. Nam dum caſtra haberet iuxta Cteſiphon
tem urbem in Aſſyriæ & Mediæ finibus ſitam, diuinitus uibrato telo in ho-
minis pectus, uitam finit, emittẽs hanc uocem in Chriſtum, Viciſti Galilee.
Ita obſeſſum à dæmone animũ illi reſignauit. Factum conſtat, prophani ſunt
authores. Quæſtori uerò eius Libanio à religione tunc alieno, quiq; in lite-
ris illum formauerat, nocte eius morti proxima uiſus fuit Mercurius Martyr
miles Chriſtianus in Iulianum telum contorquere, atq; Imperatorem confice
re. Quod quum inſequenti die uerum cognouiſſet, fidem adhibens ſomnio,
relicta quæſtura ad D. Baſilium properat, & Chriſtum baptiſmo profitetur,
eo ardentius, quoniã quum cõficeretur apoſtata, itidem Baſilio atq; Libanio
in ſomno contigerat. Nec tantũ uiolati Chriſti, eiuſq; neglectæ & eleuatæ re
ligionis pœnas dedit Iulianus: impietatis pœnas dedit Arrius, effuſis in latri-
nas uiſceribus. Herodes unus ob inſectatam Chriſti infantiã, & necatos cru-
deliſſimè innocentes: alter, ob appetitos Chriſto debitos honores, morbo pe-
diculari abſumpti ſunt. Eadem lues Lucium Hieronymianum in Cappodo-
cia, ſæuiſſimum Chriſtianorum inſectatorem & perſequutorem abſumpſit.
Non abſimili fine Galerius & Maximinus, omni crudelitatis genere marty-
res Chriſti cõficientes, infelicem uitam clauſerunt. Honorifico Vandalorum
regi in confirmatam religionem inſurgenti, idem contigit. Dedit pares pœ-
nas Arnulphus imperator, ob ſpoliata Chriſti templa, & ſacros ordines affli-
ctos. Cõſtantinus cognominatus κοπρώνυμος εἰκονομάχος ob perfidiã lepræ de
dit corporis uermiculoſi reliquias. Aegeas Pelopõneſi proconſul, affecto ſup
plicijs Andrea apoſtolo, repente in furorem à dæmone actus expirauit. Va-
lenti imperatori orientali ob afflictos etiam ordines ſacros, & ſacris addictos
homines ad militiam coactos, prẹnunciato à Paphnutio fine, miſerã uitã clau
ſit, igne palearum ab hoſtib. Gothis & Vandalis excoctus potius quàm exu-
ſtus. Sibi partim manus intulit, partim à ſuis eſt confoſſus Nero. Domitianũ
domeſticus ſeruus iugulauit. Commodus omnib. incommodus, in noſtros
etiam ſæuiens, ſtrangulatus eſt. Qualem meruerat exitiũ Macrinus, habuit.
Heliogobalus digno fine clauſit dies, quòd non ſatis habuiſſet impotentiſſi-
mè uitijs omnibus laboraſſe, & alios in ſcelus traxiſſe, niſi & cum multis mar-
tyribus Calyxtũ pontificem uita ſpoliaſſet. Maximinus à militib. cõfoſſus di
uina ultione interijt, ob mortes innumeras & ſtrages Chriſtianorũ: alioquin
militi, à quo uir ignobilis dictus erat imperator, grauiſſimus. Non multo feli
cius obijt Decius. Valerianus occiſus eſt Mediolani. Aureliano uitam ſeruus
ademit. Vt omnes percurram, nullus imperatorum Romanorum, aut aliorũ
quorum

quorumcunq; principum Chriſtianos perſequentium, nō eſt uiolenta mor-te abſumptus, præter Diocletianum: qui ne idem illi, quod omnib. fermè an-tè illum contigerat, accideret, depoſitis imperij inſignib. priuatus conſenuit, & deceſsit. Quamuis autem à corporis morte non ſit omnino uitæ con ditio æſtimanda, Deo æterna impijs ſupplicia ſeruante: tamen quum uitæ u-ſum dederit Deus, non ut uiolenter finiatur, ſed ut quietis ſenſibus animo parato ſubeatur mors, argumentum quoddam eſt futuræ perditionis, quum ita perire Deus hominem ſinit, ut omni ſcelerū lerna infectus, ne cogitare qui dem de prima cauſa, niſi ad condemnationem poſſit. Vult Deus etiam his ex emplis impios terrere, ut quamuis nil futuros animos poſt funera iudicent, ta men turpiſsimæ & infeliciſſimæ mortis exemplo terreantur: qui eò omnia re ferunt, ut longiſsimam honeſtiſſimamq; ſui memoriã poſt ſe relinquant. Re-uoluãtur diligentiſſimè omniū gentium hiſtoriæ, & à Chriſto nato res geſtæ perpendantur: ubi non fuit receptus Chriſtus, uix decimus quiſq; princeps ſicca morte generum Cereris adijt. Apud Chriſtianos uix decimus infauſta morte perijt. Excipio quoſdam regulos & principes Romani, ut aiunt, pecto ris, qui Chriſtum blaſphemando ſemper in ore habent, Deum uerò uocabu-lum tantum putant. Nam quamuis agant ſub Chriſti imperio, nil præclarius putant, quàm hominem occidere. Quibus ſi talio frequenter refertur, nil mi-rum. At Machianellus impiorū parēs dicet, homines Chriſtianos, ad ſeruitu tem natos, nil libertatis noſſe, principes ideo non poſse tollere: quæuis quan-tumuis iniuſta imperia æquo animo ſuſcipere, ideo non eſſe mirum nullos in ter ipſos principes confici. Si uires naturæ perpendiſſet, & quæ nunc & à mil le annis geſta à Chriſtianis ſunt, proculdubio nunquam animum bene ſibi conſcium uires corporibus imminuiſſe aſſeruiſset: quum ediuerſo conſcius trepidatione omnia oppleta habeat. Nec eſt quòd nobis Romanos opponat. Si enim hodie reuiuiſcerent Romani, non illis eſset tam procliuis atque olim attritis aut inermibus regionibus, de omnib. populis uictoria. Nō deperdita aut oppreſsa à Chriſto libertas in cauſa eſt, quòd iniqui principes ferantur, ſed prudentia & pax publica. Præſtat enim rebus bene ſub tyranno compo-ſitis, eius imperia quamuis iniqua ferre cum diſpendio, quàm dum per ſedi-tionem tollitur, quot uicinos et magnates tot tyrannos experiri. Princeps ini-quus fortunas inuadit, corporib. parcit. In rerum uerò mutatione neceſſe eſt altercationibus & factionibus omnes ſpoliari: multos etiam, ſi ſe opponant, necari. Omnia militi principem deligenti, & quum uult tollenti, liceant ne-ceſse eſt: quoniam nunquam dat pœnas, qui etiam imperatori imperat. Quā-ta fuit infelicitas populi Romani à Iulio Cæſare ad Conſtantinum impera-torem totis fermè quadringentis annis? Certè qui inter illos imperatores fuit præſtantiſsimus felicitate, non eſt conferendus cum mediocribus Chriſtia-nis. Nulla itaq; rerum præſtantior conditio (quamuis inter Chriſtianos non deſunt ſannæ & peſtes, ſummaq; uafricies) quàm ubi Chriſtus auditur. V-biuis gentium ſunt perditi homines: uerum ideo inter Chriſtianos magis no tantur, & quòd nequior ſit qui ſub optima lege ſit malus, & quòd inter bonos multos nequitia ſe magis prodat, oppoſitis ſeſe mutuò indicantibus. His ſua-ſionibus ſunt ad ueri cognitionem ſenſim attrahendi ethnici: ut dum terrore pœnarum malis inflictarum, ne idem illis contingat, reſipiſcunt, etiam ſpe-melioris fortunæ & conditionis reip. ad bona inuitentur. Fient enim tandem bonorum exemplo, etiam ob ipſum bonum ſummum, ueri ſectatores. Hac

allicien-

allíciendi ad felíciorem fortunam arte Moſes erga populum peruicacem eſt uſus, quamuis finis ultimus eius religionis eſſet uita æterna, ſicut & Chriſtianæ. Dum uerò pollicetur terram lacte & melle manantem, dum longæuitatem, dũ bona terrena, ut uocat, promittit, populũ ſub lege cogit, donec ipſa ueniret ueritas felicitatis, quã bona Domini non terrena, ſed in terra uiuentiũ uocat Dauid, quum ait, Credo me uiſurum bona Domini in terra uiuentiũ. Et alibi: Satiabor, ait, quum apparuerit gloria tua. Sũt his addenda uaticinia Sibyllarum, oraculorum reſponſa, & quęcunq; Chriſto teſtimonium ferunt. Sibyllæ, fœminarum genus diuinitus inſpiratum, multis ante Chriſtum annis eadem de Chriſto & eius diuinitate, admirãdisq; operibus ſcripta reliquere, quæ & euangelica ueritate probamus, & affirmamus. Quid diuinius illis carminibus, quæ antè mille trecentis annis quàm Chriſtus naſceretur, protulit Erythræa, in quorũ capitibus (ne de alio intelligi poſſe crederetur) nomen Ieſu Chriſti literis notaretur his uerbis? ἰησοῦς χριςὸς θεοῦ ὑὸς σωτὴρ. Sunt totidẽ uerſus, quot literæ. Ne autem iſta conficta putarentur à Chriſtianis, Ròmanis ipſis ex eorum archiuis et libris Sibyllinis adducebantur, & omnium manibus circumferebantur. Quomodo uerò authoritate deſtitutum hominum genus, quales fuere ad 300 annos Chriſtiani, auſum fuiſſet ea eſſe impudentia, ut ſenatui imperatoribusque iſta proponeret, & ex libris Sybillinis eſſe affirmaret, niſi ſtatim prolato codice iſta ſe propalaſſent? Extant hi Græci uerſus ἐν τῷ λόγῳ βασιλικῷ apud Euſebium. adferũtur à Lod. Viue in Commẽtarijs in Auguſtinũ de Ciuitate lib. 18. ca. 23. ubi eos uerſus latinè uertit Auguſtinus. Agunt de futuro iudicio, & ſecundo Chriſti aduentu, rerũq; immutatione. Chriſtum autem fateri coactus eſt dæmon in templo Apollinis, quum conſuleretur, quis homo fuerit. Erat, inquit oraculum, mortalis ſecundum carnem, ſapiens uero & admirabilibus operib. clarus: uerũ à Chaldæis iudicibus comprehenſus, flagellis cæſus, crudeli morte obijt. Legatur diligenter Lactantius, Iuſtinus martyr, & Auguſtinus de Ciuitate Dei, Oroſijq; hiſtoria. Innumera teſtimonia de Chriſto in illis habentur, ex ethnicis contra ethnicos, quæ & idolorum cultum euertunt, & ueram religionem confirmant. Sed praxi, quomodo ſint hodierni cultus aggrediendi, uidendum.

DE VARIO CVLTV HOdierno, quomodo refutetur.

PRæter Muhamedicum Moſaicumq; cultum, eſt dæmonis ampla religio. Nam ubicũq; lemures colunt, illic tetra dæmonis effigies ſe crebrò repræſentat, hominumque mentes deludit. Palàm uerò & ex profeſſo colitur ferè in tota India, & orbe nouo, cum inſulis. Sol à multis Tartarorum colitur. Vtrique polo ſubiectæ regiones nondum nobis innotuere: ideo quo cultu ſint, nõ poſsumus dicere. Quoſdam Lapponibus proximos colere rubri panni quadratum fragmentũ, tradidit Olaus Gotthus. Omnes certè poterimus, ut ſuprà notaui, ex eorum dictis refutando, falſitatem uincere. Nam in rebus omnibus, ſed potiſsimũ in diuinis, & à ſenſu ſemotis, potius & facilius arguitur falſum, quàm uerum attingitur. Fac itaque tibi offerri dæmonem teterrimum falſi cultus authorem (nam ſub eo omnes ſpecies idololatriæ fouentur) eumque haberi deum, ut apud Indos Ciſgangenſes, ſi Deum unum ſummum fatentur (quod ferè omnes faciunt) quũ ſit longè præſtantius

dare

dare nomen in exercitu principi, quàm magiſtro militũ, & huic quàm chiliar-
chæ, & chiliarchæ quàm centurioni, & ſic in cæteris, quî fit, ut ſint ita conſter-
nato animo, quum Deum agnoſcant cœli terræq́ conditorem, ſub quo etiam
tremit ſatanas, ut more mancipij uelint neglecta principis perſona, in inferio-
ris tantum, & perditi clientela agere? Quis ita inſanus miles (fac eſſe bonum
ſatanam) ut non ſe probare contendat principi potius, quàm inferiorum ordi-
num ductori? Nonne eò tendunt omnia, ut gratiam benefacti à ſummo duce
recipiamus, eumq́ agnoſcamus, qui ſummus eſt? Si nobis illata iniuria eſt, un-
de uis nos uindicans, niſi à ſumma potentia proficiſcitur? A' quo pœnas male-
facti, beneficij præmium, aut timemus aut ſperamus? omnia certè in ſummum
tendunt, inde procedunt, eò redeunt. Proponenda ſunt multa exempla ab arti-
bus, dignitatibus, & cæteris eiuſmodi, quæ familiaria & nota ſunt illis populis,
apud quos agetur, ut familiari inductione perſuaſi fiant attentiores. Erit ſe-
cũdo loco inſiſtendum, de honore, & uiolata maieſtate, tractando inductioni-
bus, his & eiuſmodi inſtantijs. Si quis ſtipendia ſub quouis duce à poteſtate
ſumma dependente ageret, poteſtatemq́ illam primariam noſſet, & haberet
obuiam, neglecta uerò illa tantum colendum & obſeruandum ſibi putaret
eum, in cuius phalange eſt conſcriptus, nonne ſumma illa authoritas (fac eſſe
unius, paucorum, aut omnium, ſed in unum caput coaluiſſe) meritò ſuccen-
ſens eum militem non tantum exauthoraret, ſed etiam ut maieſtatis reum, &
ſeditionis authorem condemnaret? Nam quis ordo in Republica uſquam ha-
beri & ſeruari poſſet, niſi primariæ potentiæ omnes colla ſubdiderint? Non
agnoſcere enim ducem pro duce, perinde eſt atque ſi te pro duce haberi uelis.
Reus itaque maieſtatis ſtatim habetur, qui non omnia defert primariæ poten-
tiæ. Vos ergo ô Indi, & omnes διαβολόσεβοι rei erga Deum maieſtatis, inq́ er-
rore & perditione ſepulti agitis. Quod autem uos colere hanc tetram poten-
tiam, ne noceat, aſſeritis, & requiem Deo ſummo præſtare uultis, ne uobis
condemnandis & dirigendis ſit intentus, & laboribus occupatus, quid aliud
quàm uobis ipſis contradicendo, eum eſſe negatis, quem fatemini Deum? Si
Deus eſt, ut reuera eſt, & uos affirmatis, omnipotens ſit neceſſe eſt. Si omni-
potens, ſemper omnipotens, nec laboribus ullis orbem adminiſtrando urge-
tur, ut putatis, ſed omnia luſtrat penetratq́. Itaque & ueſter dæmon, quem eius
iuſtitiæ executorem ideo colitis, ne quum uobis erunt pœnæ dandæ iniquita-
tis, ſæuiat, nonne ſi poſſet aliquid contra Dei præſcriptum & permiſsionem,
ſibijpſi primum conſuleret, & ſententia ſummi iudicis cancellata, minus
pœnæ quàm ſit ſibi inflictum à Deo, in ſe reciperet? Quî poterit fieri, ut le-
uius quàm uelit Deus, uos puniat, qui ſtatim à creato orbe damnatus, à cœlo
& beato conſortio exulat? Falſò iſta creditis, ô Indi. Qui ſibi deeſt impotentia,
cæteros iuuare non poterit. Ad hæc, quum omnis lex & religio in ſpem me-
liorem & ad fœlicitatem traducere homines debeat, ſoleatq́, quî fit ut ſacro-
rum multitudine, hominum ſanguine, ſerpentum inuiolatorum innumeris
iniurijs, ſummo uitæ diſpendio, uelitis infernum & pœnas diaboli ſubire,
quum religione non ſit opus, ut infernum adeatis? Quo quis eſt nequior, eò
eſt ueſtræ fœlicitati & fini propior: & per tot labores diſcrimina hæc uobis pa-
rata uultis. Negatis Deum ô Indi, negatis Deum, quum arbitrium eius ſen-
tentiæ moderandæ permiſſum diabolo putatis. Nil iuris habet in pœnis infli-
gendis, aut moderandis diabolus. Rerum ueſtrarum ſtatus eſt perinde atque

ſi ciues unius Reipublicæ, eo quòd poſſent quandoque peccando ſupplicium mereri (ut nullus non poteſt) & capitalem ſubire ſententiam, nullum alium quàm tortorem in tota Republica colerent, demererentur, captarent obſequijs, neglectis interim iudicibus, & iuris dicendi condemnandíque arbitris. Quis princeps ferret in ſuo imperio tam imprudentes ciues? Immò quis priuatus ferret filium, uernum, ſeruum, ſi aliunde quàm ab patre aut domino agnoſcere uellet imperium? Quæ domus integra eſſe diutius poteſt, niſi ad unius ſummi arbitrium, laudem, & gloriam omnia referantur? Summum imperatorem totius orbis, qui infœlici dæmoni imperat, agnoſcatis oportet: alioqui æterno ardebitis ſupplicio, nec uobis erit ulla moderatio ſententiæ diuinæ. Omnes ad hanc diem perijſtis. Reſipiſcite miſeri, & ſi uos non monent uitæ æternæ calamitates, præſentis uitæ ueſtra uos incitet conditio. Perpendite, quantum miſeriarum uobis hactenus infanda attulit ſuaſitque perſuaſio. Quod animal magis naturæ humanæ exhorrendum, damnoſum & inimicum tulit natura ſerpentibus? At illi ſunt uobis ſacroſancti, ut ne lædere illos, aut ipſis imprecari audeatis. Quid in rebus externis charius dedit Deus homini ipſis liberis? At mors illorum fœliciſsima putatur, ſi à ſerpentibus deuorantur, aut necantur. Quæ maior cura data eſt à natura homini, quàm uitæ propriæ ſeruandæ? At diabolus ſuaſit illam ſponte crudeliſsima flammarum morte claudere. Quæ maior peſtis poteſt homini etiam ualido, & mentis compoti terrorem incutere, quàm dæmonis tetra effigies? At quum extremum agunt ueſtri homines ſpiritum, ſi deſit tetri ſpectri forma, docuit medicos, ſacrifices, & hierophantas ea figura laruis ut teterrimè poſſunt conficta, ægros animam agentes inuiſere. Certè in America cuilibet, aut obeunti, aut grauiſſimo morbo laboranti ſine uicaria opera, tetra dæmonis effigies adeſt, etiam multo eiuſdem generis ſatellitio ſtipata. Hi ſunt ueſtræ religionis fructus Indi. Serpens uobis eſt homine ſanctior, liberis ueſtris charior, uita propria infernus precioſior, diabolus uitæ humanæ pernicies Deo ſummo omnium rerum authore prior. His & ſimilibus à falſis religionibus deſumptis, diſſuadenda falſa religio, offerenda uera. Nullus enim ferè eſt, quin & ſi non ſtatim fateatur Deum unum ſummum (quod Ciſgangetani & Tranſgangetani faciunt) tamen uaria eſſe dæmonum genera agnoſcat. Inter uaria autem & diuerſa neceſſariò dari unum ſummum, quo non poſsit dari maius, concedent omnes. Nam & ipſi inſularum occidentalium Cubæ, Pariæ, & totius continentis incolæ, quoſdam dæmones eſſe alijs præſtantiores, omnes fatentur. Eſt uero opus Euangeliſtæ, ut contra has peſtes ſumma fide, & ut ait Ieſus Chriſtus, oratione & ieiunio armetur. Erit certa in cruce uictoria. Quod futurum ſperare certo certius debemus. Nec enim euanuit ſumma Ieſu Chriſti uirtus, ut putant noſtri impij. Non minus audit hodie ſuos Chriſtus, aut diua uirgo, eiuſque diui, quàm olim: modò inter illos potiſsimum, qui de eo nunquam audiuere, agatur. Quod uel his argumentis patet. Hieronymus Pragenſis poſt exactam uitam ſolitariam, uiginti annis tempore factionis Huſsitarum, eſt à Polonia in Lituoniam uarijs falſiſque cultibus deditam regionem miſſus. Eum cum literis cōmendaticijs dimiſerat Vladislaus rex Poloniæ ad Vitoldum Lituaniæ principem, ut falſa ſuperſtitione expulſa, ueram religionem ſubſtitueret. Colebant ſerpentes domeſticos alij, alij ignem ſacrum & perpetuum, alij malleum cum ſole, ſyluas longè maxima pars. Statim exploſit tres primas ſuperſtitiones. In

quarum

quarum prima id mirabile contigit: quòd quum ſerpentes domi ex delicatiſsimis epulis in molli ſtrato nutriri ſolitos, in medijs foris exurendos detuliſſent, unus inuſitata magnitudine ita à ſuo principe dæmone ſeruabatur, ut illæſus in igne maximo cæteris exuſtis permanſerit: nec niſi ſigno crucis, & Chriſti nomine inuocato, potuit abſumi, comminuente illum multitudine. Quum uerò ſyluas innumeris ſeculis intactas ſacroſanctasq́ multitudini, & in quibus (ſi quis ante uiolauiſſet) ſtatim detrimentum accipiebant à dæmone, ipſe Hieronymus accepta ſecuri abſcindere inciperet, tunc multitudo inſequuta uirum, ſuccidere innumeras arbores cœpit: donec uentum eſt ad quercum annoſam inſolitæ craſsitudinis, & religione celeberrima. Quam quum omnes attingere uererentur, unus audacior cæteris ictum primum librando, ſibi tibiam ſecuri abſcidit, & ingenti eiulatu edito, concidit. Plebs accuſare Hieronymum, ſanctiſsimum lucum, deorum domum uiolatam deplorare, terreri, ſeditionem concitare. Impetrato ſilentio Hieronymus, eſſe iniqui dæmonis illuſiones, hominem nil mali paſſum eſſe oſtendit, illumq́ præhendens erexit ſanum. Quare omnes attoniti, in religione ſacram quercum inſurgunt, totumq́ lucum ſuccidunt. Tam præſens adeſt Chriſtus, ubi de eius gloria agitur. Sunt hæc ueræ fidei uires. Hæc hiſtoria latius ab Aenea Syluio in Europa eius tractatur. Sed longè celebrius & recentius miraculum eſt ob oculos ponendum, ut diuæ Virginis matris Ieſu Chriſti præſentiam etiam ſuis adeſſe cultoribus oſtendamus. Scribit illam Petrus Martyr, uir minimè ſuperſtitioſus, cæterum ſingulari in noui orbis deſcriptione tradenda fide. Scio riſuros & irriſuros hanc meam narrationem quoſdam, quod ſim tanta ſimplicitate, ut iſta credam: uerum & iſta, & longè maiora de diua uirgine habeo perſuaſa. Sed audiant, & perpendant, ſi miracula omnia ſint authore dæmone facta. Quum quidam nauta aduerſa correptus ualetudine in Eubæ littoribus à ſocijs fuiſſet expoſitus, quærendo ſi aliquem haberet obuium, in cuius ædibus refici poſſet, incidit in regulum quendam, qui eius miſertus, domi ad receptam uſque ualetudinem illum fouit. Cuius rei memor, curare res eius principis diligenter cœpit, ita ut exercitui eius præficeretur. Conflixit uerò eius nomine ſæpiſsime, fœliciſsimeq́. Nam ſemper reportauit uictoriam. Linguæ autem illius regionis peritia concepta, regulus rogauit, quo numine aut potentia ita ſemper eſſet fœlix: nauta (ut ſimpliciores, quod ad ſacra, eſſe ſolent plebeij) Mariam diuam uirginem, quam quotidie colebat, & ſimulachro appenſam collo geſtabat, eas illi largiri uictorias: Zemes, id eſt eos quos falsò crederent deos, eſſe dæmones pernicioſiſsimos, qui hîc homines à ueri Dei cognitione diſtraherent, & tandem in interitum & uoraginem mergerent, & perderent. Si illā uirginem eiusq́ filium uellet ſuſcipere, atque baptiſari in nomine Ieſu, futurum planè, ut nullus hoſtis illi unquam noceat. Statim Cacicus, id eſt regulus credit: conſtruit aram uirgini data nautæ imagine. illi profert Aue Maria, ſequuntur ſubditi: & quas Zemibus ceremonias inſtitutas habebant, eaſdem imagini uirginis in ſublimi erectæ addicunt. Sunt uerò in ambitu ſimulachri uariæ ollæ, oppletæ carnibus, cum uaſis aqua plenis, atque uarijs monilibus, quibus capi & uti ſuos Zemes, id eſt lemures perſuaſum habent. Deturbantur itaque loca Zemibus ſacra: petitq́ regulus, ut baptiſmum liceat conſequi. Accerſito ſacerdote ex Hiſpaniola, Chriſtum profitetur, Cōmendatorq́ uocatur, eo quod equites quidam in Hi-

 ſpaniola

ſpaniola ita uocabantur. Illis religione formatis & inſtitutis, nauta cum ſuis ad Hiſpaniolam proficiſcitur, nil aliud illis relinquens inſtitutionis, quàm ut proferrent Aue Maria: & in periculis his uerbis erumperent uoce Hiſpana, Santa Maria auida nos. Hæc & ſequentia miracula narrauit regulus Anciſo prætori, in Cubenſia littora deſignato, & innumeris teſtibus confirmauit: retulit Anciſus Petro Martyri. Quum tam fœlix eſſet uictorijs commendator, cœpit uicinis eſſe formidabilis. Itaque attriti bellis paciſcuntur, ut liceat ſine ſanguine experiri, quinam Zemes eſſet pręſtantior: ille (ita uocabant Virginem) quem nuper ſuſceperat commendator, an patrij. Conueniunt, ut ex aduerſarijs copijs ſinguli iuuenes arctiſsimis uinculis uinciantur, & qui ſoluetur primus, illius Zemi ſacra aduerſarij facient. Ligatis iuuenibus, fuſa utrinque oratione, ſtatim uocanti & dicenti, Sancta Maria adiuua me: adeſt uirgo omnium oculis patens, uirgam manu geſtans, qua tetrum dæmonem etiam ſpectro (quod eſt illis familiare) præſentem fugans, attigit iuuenis baptiſati uincula. Quæ ſtatim ante omnium oculos alium ſtringunt. Ita fit, ut non tantum is ſolutus ſit, ſed ut aduerſarius duplici nexu obſtringatur. Volebant herbam porrigere uicti ſecundum pacta: ſed ſenes quidam, id non præſtantia aduerſi numinis, ſed humanis præſtigijs factum dicentes, negarunt, niſi præſentibus illis id fieret, ſe uelle pactis ſtare. Delectis ergo octo prudentiſſ. ut apud eos licet, pacta & facta eadem, atque prius fiunt. Vocantibus his uirgo, illis teterrimus dæmon, qua forma uulgo pingitur, ante omnium obuerſatur oculos. Virgo uirga abacto ne ſuum ſolueret, dæmone, ut prius attingens commendatoriani uincula, illa in aduerſum transfert. Quo uiſo omnes & ſenes & iuuenes, ſacram religionem profiteri contendunt. Ideo quum Anciſus adijſſet eam regionem, ab eo petiuere ſacerdotes, qui illos initiarent. Sunt uerò ex hoſtibus commendatoris una die baptiſati centum & triginta, qui non tantum ſe illa duo miracula uidiſſe retulerant, ſed quoties conflixerant cum commendatore, à quo Chriſtianus erat, uiderant eandem uirginem ante aciem ſceptrum tenentem, & minaci uultu illos terrentem. Qua re compulſi ad religionem ueram tranſiuerant, magis quàm poſterioribus inducti miraculis. Ita uoluit Deus angelum præire filijs Iſraël forma uiſibili, ita angelus Ioſues ante Ierichunta adfuit: ita Senacheribus eſt confoſſus, fugatuſq;. Non eſt manus Domini abbreuiata, ut non poſsit ſaluare. Quum duce Gothofrido Galli ad liberandam à Muhamedicis terram ſanctam pergerent, & in Aſia minori nondum coactis copijs longo itinere defeſsis, etiam imperatore Conſtantinopolitano proditionem in noſtros moliente, factus eſt obuius Solimanus Turcharum dux, cum tercentis hominum millibus, quos ſuis in regionibus triginta Chriſtianorum millia profligarunt, necarunt, fugarunt. Id uerò maximè admirabile illic contigit, quod quum uix cèdendo ad diem unam itineris hoſtem noſtri inſequuti fuiſſent, ſtrages tamen ingens facta eſt ad trium dierum ſpacium: à quibus uero, nunquam eſt aliter cognitum, niſi quod quidam Turchæ captiui retulere, fuiſſe illam ſtragem à tribus equitibus albis armis & equis factam. Dixere quidam uiri Græca religione, & inſigni ſanctitatis opinione, fuiſſe Sanctum Georgium, Theodorum, & Demetrium. Quicunque illi fuerint, non fuiſſe homines conſtat. Scribit iſta uir quidam nobilis & primarius ſuppreſſo nomine, qui ſemper Balduino comes eius expeditionis fuit, & totam illam hiſtoriam ſcripſit: quamuis ita lati-

nè,

nè, ut nec latinè, nec gallicè, nec congruè, tamen ea fide, ut ne Thucydidi quidem maiorem ſim fidem habiturus. In ſimplicitate enim ueritas, in eloquentia amplificandi libertas, falſa multa ueris admiſcens eſt ſpectanda. His exemplis, & apoſtolorum martyrumque facinoribus, Euangeliſta in ſpem erectus, fide armatus, innocentia fretus, charitate ardens, amore diuino flagrans, ieiunijs & orationibus attentus, humilitate tremens, nil ſibi à Deo non debet polliceri. Eſt illi ſemper adfuturus, & ſuos conatus confirmaturus. Nam ſi non tantum optimis apoſtolis & martyribus adfuit, ſed & militi parum iuſto miſit angelum: ſi in nomine Chriſti etiam mali, & ab eo alieni edidere miracula: ſi uirgo Maria nautæ & ſemipaganis inuocantibus, ad religionis filij confirmationem fuit præſens: ſi quotidie in locis innumeris claret miraculis, precibus uiri boni, & ex animo & fide inuocanti, certè non eſt defutura. Scio nullum ita iuſtum eſſe, ut ob ſuas iuſtitias, quæ ſunt ut pannus menſtruatæ, ſi diuinæ bonitati comparentur, poſsit demereri fauorem diuinum. Beneficium hoc Dei eſt, impetrare miracula nemo poteſt. At quia nemo iuſtus ad Deum comparatus eſſe poteſt, non eſt ideo more quorundam male Euangelij libertate abutentium, pene dixi more Epicureorum, uiuendum: ieiunandum eſt, & orandum ſtatis diebus & horis. Eſt aliquid prodire tenus, ſi non datur ultrà. At quid in genere de his attinet dicere? Optimi illorum nunquam bibunt, niſi ſitiant: non edunt, niſi fame incitante: non ſuccenſent, niſi inferas iniuriam: Venereis non utuntur, niſi arrigant. Nonne eſt hoc ſecundum Euangelium uiuere? Certè quamuis ab impijs hæc Euangelij praxis non differt, eſſet tamen id tolerabile, niſi genti in uentrem propenſiſsimæ lex Chriſti ita lata expoſitionibus facta fuiſſet, ut inter Euangeliſtas illos ſit certiſsimum, nil eſſe certi. Nõ eſt quidem certè, nõ eſt Euangeliſtę uiuendum more Epicureo, quamuis fidem habeat liberrimam. Sed redeo ad inſtitutum. Refellentur, ut ſuprà diximus, Indi fatentes & agnoſcentes ſummum Deum, quibus dixi, rationibus. Hi quia præſentia dæmonum ſæpiſsimè fruuntur, erunt admonendi etiam infœlicitatis, quam ab ea peſte experiuntur. Demum ſi ſe opponant illæ peſtes, ſigno crucis inuocato Chriſto, eiuſque ſanctis, erunt profligandæ. Facilius longè hi tranſeunt in ueritatis præſcriptum, quàm Iudęus aut Muhamedicus. Iam ferè tota Hiſpania noua ad ueritatem tranſijt. Innumera enim multitudo quotidie ad Chriſtum accedunt. In Narſingæ regno non pauci etiam lubentiſsimè de Chriſto audiunt. De cæteris ſuperſtitionibus nil quicquam dico, quoniam ſeipſas confodient. Quum hi homines in ueram cognitionem Dei tranſierint, ſunt moderatè ritibus onerandi. Suaſionibus quidem ad ueritatem cultus, & inſtituta ſancta ſunt inuitandi, non cogendi. Si priſcas ceremonias falſi cultus uelint ſeruare, uanitas illa eſt ſenſim explodenda, niſi habeat in ſe peccatum. Permittendum, ut cultus ille qui idolo fiebat, ſi poſsit ſine naturæ diſpendio ferri, Chriſto adſcribatur, quo ad eo lacte infantiæ educati, & in uera religione confirmati, ſolidique cibi capaces, Deum è cœlo petant, atque optimis ſimiles fiant. Ita paucis diebus adoleuerit religio. Contra nefaria eorum ſacrificia, qui proprios liberos Zemibus, aut quibuſcunque idolis ſacrificant, eſt à naturæ dignitate, & ſceleris immanitate incipiendum, ſuadendumque primò, ne in ſuos iſta committant. liberos, parentes, amicos, domeſticos, demum omnes homines eſſe à nefarijs ſacrificijs eximendos. Verum Hiſpanicæ nauigationis beneficio ferè omnes receperunt

 Chriſtum,

Chriſtum, cœliq́; & terræ conditorem agnoſcunt. Mirum eſt totam eam nationem eſſe recutitam, quum tamen nulla non ſit idolorum & lemurum cultui dedita. Quantum poſsit ſatanas, uel ex hoc uno poſſumus iudicare, quòd in toto orbe terrarum ſuaſerit hominem pro homine, & ſæpius pro libidine & opinione uaniſsima ſacrificare. Nulla enim gens toto in orbe terrarum fuit, quin aliquando hominem idolis mactauerit. Omnium conſtat hiſtorijs. Nos illum ritum, lege à Claudio Cæſare lata primum in Gallijs exploſimus. Nephariam religionem perditus ille Hercules ad nos, ad Britannos, ad Hiſpanos, ad Mauros ex Aegypto attulerat. Futurum facilè eſt, ut etiam ex illis regionibus explodatur. Nulla magna induſtria ad nefarium illum cultum eliminandũ eſt opus. Itaque ad res Iudaicas me confero.

IVDAEOS AD IESV CHRISTI COGNI- *tionem & fidem adducendi modus.*

TOt præclara ingenia, tot uiros doctos, tot omnium artium & diſciplinarum genere inſtructos homines, ceruicoſa iſthæc gens fruſtra occupauit, tam multa in eius perfidiam ſunt ſcripta, ut etiam ego eloquentia infantiſsimus & balbutiens, ſcientia ignarus, methodo confuſus, & ut uno uerbo abſoluam, uix ulla re commendabilis, me operam luſurum putem, qui qua in re ſapientiſsimi nil profecerunt, eam me quicquam aſſequuturum ſperem. Non puto ſanè, non puto unquam futurum, ut ulla quamuis ab omni parte abſoluta arte poſſint ſuaderi Iudæi, & ad ueritatem adduci, quoniam à ſpiritu ſancto per prophetas, & à Ieſu Chriſto homine & Deo benedicto prædictum eſt, genus Iſraëlis à captiuitate, in qua nunc eſt, non ſenſurum liberationẽ uniuerſalem, priuſquam ad iudicandum toti orbi terribilis ueniat ſecundo aduentu Ieſus ipſe. Quamuis autem præſtantiſsimi uiri uix quicquam contra gentis obduratæ peruicaciam ſcriptis perfecerint, non tamen ideo mihi ab hac prouincia deſiſtendum eſſe iudico. Contigit enim ſæpiſsimè, ut quæ urbs arte & induſtria ducis præſtantiſsimi, licet ſæpius impetita, capta tamen non fuerit, ea gregarij militis opera tandem deuincatur. Non raro tyro ſpecimen de ſe præbuit, quod ueteranus admirari potius quàm imitari potuit. Ante Chriſti terribilem aduentum gens tota non colligetur. Cæterum quæ de ipſius diſperſione dicta ſunt, nec ueritatis priuationem inducunt, nec arbitrium ſalutis tollunt, ſed rerum ſtatum & adminiſtrationem adimunt, quod iam à mille quadringentis ſexaginta annis experiuntur. Quamuis enim ea gens eſt ad ſalutem & libertatẽ tutandam animatiſsima, & cuiuis prophetiæ aut ducis Iſraëlitici nomine parẽdi paratiſsima, tamen à quo egit in crucem Chriſtum ſuum ſeruatorem, ſemper miſerè in omnibus conatibus fuit oppreſſa, & quod eſt mirabilius, & fidei Ieſu Chriſti maior confirmatio, deteriori Iudæus eſt conditione inter ethnicos, & à noſtra religione omnino alienos, quàm ubi agunt Chriſti ſectatores. Nec tamen uſquam ab afflictionibus, ieiunijs, orationibus, ſabbathiſmis, & cæteris ritibus uacant. Vnde peccatum grauius ipſis idololatris commiſiſſe, & in Deum totius naturæ parentem incredibiliter deliquiſſe, palàm fit. Illi enim certò ſciunt ſe ſacra Deo omnipotenti facere, eodemq́; planè cultu, atque quum præſens omnibus uotis illis adfuit Deus, illum uenerantur: & tamen non permittit, ut illi tam grata olim ſacrificia, ieiunia tam accepta, preces tam gratæ, populus tam pius, ulla libertate & rerum adminiſtratione ſe tutetur, quum ipſi impij idololatræq́; pace feſta,

impe

imperijs ampliſsimis & populi Iudaici dominatione fruantur, eumq; grauiſsimis tributis & diuexationibus corporum torqueant, ut uix de tam inſigni & à Deo inſtituto cultu cogitare uel ſacerdotibus liceat.

Aggreſſio prima.

Non agam uobiſcum ſcripturis in principio Iudæi, quoniam earum interpretatione, à uero quidem & authorum ſenſu aliena, ſed tamen ueſtrorum rabinorum authoritate probata, omnia eluditis, quæ in rem ueſtram & ueri confirmationem adducuntur. Ratio & nobis & uobis & cæteris hominibus communis adferetur in medium, ut ſi quæ illi ſunt conſentanea negare audebitis, ſaltem totius orbis conſenſus ueſtræ perfidiæ ſit teſtis. Nec enim puto futurum, ut illi ſubſcribatis, ita perfidia & peruicacia in uobis de magnitudine certant, ut etiam confeſſis ueris ſi non uerbis, ſaltem factis aut infectis refragemini. Incipiemus ergo primum à principijs & finibus huius mundi partium, ut inde ductis demonſtrationibus tandem conficiamus eos ſyllogiſmos, qui à ueritate alieni non ſint. Admittitis cum philoſophis Deum uniuerſum hoc naturæ templum cauſa hominis, hominem uerò cauſa Dei, ob iſta beneficia colendi, honorandi, & ſuper omnia diligendi condidiſſe. In Dei cognitione uos non hallucinari puto. Nam illud quicquid eſt ſummum, æternum, infinitum, incompræhenſibile, ſupra omnem materiam & formam, Deum à uobis, ut à conſenſu ſapientum omnium uocari arbitror. Omnia igitur Dei cauſa facta eſſe mediatè conſtat, immediatè hominis gratia. Quemadmodum autem Deus actus purus, ſemper eſt attentus circa tres mundi partes ſummam, mediam, infimam: ita & homo cuius cauſa ſunt illæ, certum ſcopum debet habere. Nam hominem Dei cognitionis, & laudis gratia factum, non oportet eſſe ocioſum. Homo ergo ad imaginem Dei creatus, id eſt ratione quæ affinis diuinitati eſt pollens, liberoq; arbitrio prædítus, etiam circa tria ſemper attentus eſſe debet. ut omnia ſcilicet quæcunque agit in gloriam Dei, innocentiam ſui, & utilitatem proximi referat, & quæcunq; uult agere, ea diligentiſſimè perpendat, ut ſi quid peccet in utrumuis horum trium omnino illud fugiat: ſi uero in quoduis horum tendere intellexerit, non dubitet tribus eſſe conducibile. Præcipua tamen cura eſſe debet, ut fratrem alterum hominem iuuando ſe probare Deo maximè ſatagat. Nam & ſacra & prophana tunc negligenda ſunt, quum de hominis uita conſeruanda agitur. Itaque falſò prætexitur nomen religionis, quum fratris inopia, cui poteſt ſuccurri, negligitur. Hæc ratio iuuandi hominis ab homine eſt longè probatiſſima philoſophis, quum ueſtri & peruicaciæ ueſtræ cauſa Moſes Dei precepto, non ſtatim omnes homines, ſed amicos uobis in fratrum loco habendos ſcripſerit. Ita uos ceruicoſos & refractarios nouerat, ut uix ſemiiuſta præcepta uobis daret, quod multis in locis ſacræ ſcripturę liquet. Nam ea præcepta ſunt latius & humanius poſtea explicata, & frequens peruicacię ueſtrę mentio facta eſt. Nónne ſatis patet etiã ipſo Moſe uiuẽte iam illa peruicacia uos uſos fuiſſe, & circumciſione abuſos? Nam Deuteronomij 10. ita ſcriptũ eſt: Circũcidi te igitur præputium cordis ueſtri, & ceruicem ueſtrã ne induretis amplius. quia Deus, &c. Sed quum ueſtræ duræ ceruicis ſint multa admodum teſtimonia, ex factis ſatis patet. Quum Moſes uobis uellet eſſe uindex, illum profligaſtis, poſt uiſa miracula in Aegypto ad mare rubrum murmuraſtis, mari diuinitus ſciſſo impotentem uos in deſerto alendi Deum iudicaſtis. Si uelim omnia ſa-

cra percurrere, nil ferè frequentius, quàm ueſtra in Deum perfidia ſe offeret. Quod uerò ea præcepta quæ uobis Deus prima facie dedit, ſint ueſtræ infirmati & nequitiæ accommodata, & non abſoluta, his maximè patet, quæ de dilectione proximi ſunt uobis multis in locis tradita. Nam primo in loco ait Moſes, Diliges amicum tuum ſicut teipſum. Ita ſe uobis accommodabat Deus, ut non maius præceptum uobis daret, quàm quo gentes & lege carentes utebantur. Nam nullus eſt homo tam impius, quin aliquem amicum habeat, quem amet uehementer. Imò multa animantia ratione deſtituta, ſenſum & conſortium amicitiæ habent. quare ergo tam exile præceptum datur? Id in cauſa eſt ô Iudæi, quoniam deterrimi mortalium (quamuis legis Abrahami aliquam memoriam ceremoniasq; ſeruabatis) eratis etiam amicis infenſi. Verbo & lingua diligebatis, more aulico: cæterum amicis ueſtram fidem ſequentibus, impoſturis & perfidia ita abutebamini, ut nulla planè inter uos eſſet fides, eſſetisq; (uobis de quibuſdam ceremonijs placendo) longè etiam multis brutis, cæterum omnibus diſſimulatoribus nequiores. Nam alioqui ſi non peccabatur in eam partem, non fuiſſet uobis ea danda lex, quam in legibus ciuilibus reperire non licet ueluti ſuperfluam. Nam nemo ſponte non amat amicum. Contrariam huic legem elicere inde licet. Nam ut uos animaret Deus ad eos populos, ueluti ex profeſſo hoſtes, qui in terra ſancta ante uos egerant, necandos, & ne eorum labes in uos ſerperet (quod poſtea factum amplè eſt) omnino exterminandos, ideo uos in illos odio armare uoluit, tanquam dixiſſet: Diliges amicum tuū, & odio habebis inimicum tuum. Nam uos noſtis melius, ferè omnia præcepta inducere contrarium. Eadem ratione ſe ueſtræ infirmitati eodem uerſu Moſes uoluit accommodare, quum ait: Non ulciſceris, nec ſumes de ciuibus tuis uindictam. Nam & in omnibus ethnicorum ciuitatibus eadem lex locum habebat. Ea lege erant ubiuis leges uiuæ iudices ipſi, qui omnium nomine pœnas ſumebant de nefarijs hominibus. A' contrario ſenſu uos animatos in hoſtes ueræ religionis uoluit, non æternis odijs in naturam ſæuire. Nam in cantico ſuo, quę ueluti cataſtrophe legis totius eſt, uindictam dicit Dei eſſe, ut aliquādo funditus uos perderet, ob iniquitates ſub ſancta lege à uobis admitti ſolitas. Voluit ergo uos eatenus uindicta uti, quoad rempub. inſtituiſſetis, profligatis indignis habitatoribus, non autem in quoſuis homines prætextu religionis in poſterum armari. Vindicta enim propriè eſt eius, qui grauitatem delicti nouit, & quo animo res fiant perpenderit: quod priuato homini, aut affecto, aut ignorantia preſſo, contingere non poteſt. Ideo uera uindicta Dei ſolius eſt, alioqui ad iudicē remittēda, ne quos homines et uicinos infenſos habemus, eos ſtatim iniuriæ prætextu perimamus. Nā niſi frenaret̃ noſtra libido legibus, nullus eſt quin in ipſo affectu uelit uitā fratri pro minima iniuria adimere. Quod indies patet, quum ob minimam læſionem corporis aut famæ aut ob uaniſſimam opinionem trucidari hominem uidemus, & imprudentes, aut inſidiatores dare pœnas. De amicitia uero fratris, id eſt alterius hominis, quid poſt Moſem ſenſerint prophetæ, quum multis locis pateat, tum uno Micheæ loco. cap. 6. liquido apparet. Quid, ait, dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelſo? Nónne offeram ei holocauſtomata, & uitulos anniculos? Nunquid delectatur dominus multis arietum milibus? aut multis fluminibus olei? Nóne dabo primogenitum meum pro ſcelere meo? fructum uentris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi ô homo, quid ſit bonum, & quid Dominus

minus requirat abs te. Vtique facere iudicium, diligere miſericordiam, & humiliter cum Deo incedere. Is eſt ſcopus hominis in homine: iuſte cum eo uerſari, quæcunque ſcilicet ab eo tibi fieri uis, ea illi facere, peccantis miſereri: famelicum ſaturare. Quod quamuis non dixerit de omnibus hominibus Moſes, tamen ſatis in quo futura eſſet legis perfectio oſtendit, quum ſcriptum reliquit: ſi occurreris boui inimici tui, aut aſino erranti, reduc ad eum. Si uideris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis quin eum ad ſubleuandum adiuues. Iſta officia oſtendunt etiam eſſe inimicos diligendos, aut ſaltem officio ueluti amicos promerendos. Nec enim poteſt fieri, ſi locus ſit ſimultatibus & odijs fouendis, ut uſquam ſit felix reſpub. Ne uerò tantum officij ratio inter ſuos putaretur ſeruanda, addidit Moſes: Peregrino moleſtus non eris. Noſtis enim aduenarum conditionem, quoniam aduenæ fuiſtis in terra Aegypti. Nullam uult etiam cauſa falſæ religionis, iniuriam ulli inferri, aut ullum eo nomine (niſi uim inferat) pro hoſte haberi. unde patet, quamuis ſe accommodauerit naturæ populi cui præerat Moſes, tamen nullum eſſe inter hoſtes habendum, quum omnes officio promerendos ſenſerit, & cenſuerit. Hæc ideo bene ſuaſa & perſuaſa Iudæis uelim, quoniam uerum hominis ſcopum euertere ſuæ legis præſcriptis ſatagunt. Eſt certè, eſt homo alterius hominis cauſa natus, & erga omnes (neceſſarijs & ueræ perſuaſionis hominibus primo in loco poſitis) ex æquo debet eſſe affectus: ut quemadmodum unum Deum, unam naturam, unam naſcendi uiuendi & moriendi conditionem communem ſortiuntur, & habent omnes, ita mutuis officijs ueluti fratres ſe iuuent. Eſt certe homo tanto perfectior, quanto Deo ſimilior. Atqui Deus æque in omnes eſt beneficus: quoq; magis beneficium communicat, eo magis digna Deo facit. Fouet uero perinde hoſtes ut amicos, & non raro clementius, ut beneficijs onuſti datorem agnoſcant, aut meritò ingratitudine infames perpetuis ſupplicijs non agnitorum tantorum beneficiorum cauſa pœnas luant. Si itaque mihi conceditis Iudæi, eſſe illum hominem longè præſtantiſſimum, qui ſit Deo ſimilimus, qui beneficio in omnes collato, ſe probare patri Deo ſatagat, qui innocentia ſumma ſeipſum ſeruet, ut Dei filium, qui in patris Dei (ueritatis ſcilicet) contemplatione, eiusq; creaturæ, propter cauſam admiratione ſummũ bonum ponat, iam inter nos conuenit. Si uero id negare audetis, ad ſacroſanctam maieſtatis diuinæ rationem præſente totius orbis conſenſu referam, ut poſtquam eò impudentiæ ueniſtis, ut rationem exuere quàm uero ſubſcribere malitis, ueſtram perfidiam, quæ nec lege dirigi, nec ratione ſe patitur uinci, meritò pertinaciæ & damnationis legibus obſtringat, æterniſq; ſupplicijs uos uolentes uidenteſq; adiudicet. Sed uos acquieſcere puto tam claris & omnibus notis principijs. Nam ſi obſiſteretis, hoc uno argumento uobis cognito uinceremini. Fatemini enim, mundum uiſibilem & ſenſibilem cauſa hominis, id eſt κόσμου μικροκόσμου gratia factum: & ipſum mundum paruum & magnum, uiſibilem & inuiſibilem eſſe cauſa Dei. Si ergo omnia inferiora cauſa hominis ſunt, quum homo ſit in mundo inferiori, hominis etiam cauſa eſſe neceſſe eſt. Si cauſa hominis, igitur ſui & alterius. ergo qui cauſa finali Dei gratia factus erat, eſt & ſui & alterius hominis ergò. Vnde patet aſſumptum uerum. Non ſine cauſa inſiſto, ut huic ſententiæ ſubſcribatis. Facit enim maxime ad conſequentium tractationem. Pergamus. Deus ergo quum ad ſe omnia ueluti in finem ſupremum referri uellet, & hominem omnium rerum nomi-

ne

ne illi eam uniuerſi gloriam, quam ob res creatas meretur, repreſentaturum cõſtituiſſet, ne ullam ignorationem in rebus, quæ ad eum ſcopum pertinent, prætexere poſſet, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, id eſt rationis ductu ornatum, uoluit creare, ut quoties ſui exemplaris formam in memoriam reuocaret, illi ſimilimus (quatenus per fragilitatem noſtram licet) effici ſatageret. unde axioma iam ante aſſumptum liquet, Eſſe ſcilicet eo præſtantiores homines, quo ſunt Deo ſimiliores. Vt autem uideamus, diligentiusq́ ſpectemus, quid ſit in boni uiri officio poſitum, qualis ſit Deus, quomodo & quid agat uidendum: Quia cum ceruicoſa gente mihi res eſt, uolo ea quæ in primo libro, Deum eſſe trinum & unum demonſtrarunt, compendio quodam huc referre. Deum eſſe ſimpliciſſimũ, infinitum, iuſtiſſimum, potentiſſimum, ſapientiſſimum, beneuolentiſſimum, & cæteris omnibus titulis bonitatis & uirtutis multo ornatiſſimũ, aut (ſi poſſim aliquid de illo digne exprimere) præditiſſimum abſolutiſſimum ue, fatentur nobiſcum Iudæi. Quum autem ab effectibus eas illi qualitates (quarum tamen ut qualitatum eſt expers) adſcribamus, quas ueluti creator habeat proprietates, ſine quibus intelligi creator nequit, eſt diligentiſſime attendendum. Quamuis ſit potentiſſimus, niſi in ſe rerum omnium creandarum & ſapientiam & abſolutam etiam particularium partium cognitionem habuiſſet, atque beneuolentia & amore motus fuiſſet: ut quæ poterat & ſciebat crearet, nunquam quicquam creare potuiſſet. Nam potentia quæuis niſi ſciat quid ſit factura, nil agit: & ſi ſciat, & nolit, itidem: ergo Deus eſt trinus & unus. Nam ut potens pater & author eſt, à qua potentia generatur in æternum ſapientia quæ filius eſt, & ab utroque procedit agendi amor, id eſt ſpiritus ſanctus: omnipotens eſt potentia, omnipotens ſapientia, omnipotens amor. nec tamen tres omnipotentes, ſed unus eſt omnipotens: nec tamẽ ſpiritus ſanctus eſt pater aut filius, nec filius pater aut ſpiritus ſanctus: ſed perſonæ ſunt ſibi coæquales, diſtinctæ proprietatibus, quum ſint una tantum diuinitas. Exemplo familiari & nobis quotidiano eſt, iſtud quatenus licet cõcipiendum. Quum cogito quicquam agendum, uerbi gratia caſtrum ædificandum, in mente & cognitione omnino habeam oportet, antequam ulla de eo firma notio conſtet: nil tamen ago niſi uoce, aut pictura quam animo concepi, formam aperiam: nec etiam quicquam proficio, niſi & conceptio & diagramma, explicatio, uel deſcriptio ad opus ueniat. Itaque totum caſtrum fuit in mente, totum in diagrammate, totum in opere. Nec tamen ſunt tria caſtra, ſed unum caſtrum eſt. Ita nec caſtrum in opere, eſt caſtrum in diagrammate, uoce uel ſcripto: ſic nec caſtrum in uoce, eſt caſtrum in mente aut in opere: ſed certis proprietatibus differunt adinuicem, quum tamen res una ſit, eaq́ ut in ſuo genere ſimpliciſſima. Non poſſet fieri ut in rebus in natura exiſtentibus eſſet aliquid in quo omnes conuenirent, niſi à communi principio in quo eſſet illud perfectiſſimum, proficiſceretur. Nulla res eſt quin ad ſuæ eſſentiæ complementum, quamuis ſit ſimpliciſſima, egeat ternario numero. Verbi gratia, quoduis granum ſeminis, niſi à quo tempore accepit complementum (quoad deſinat eſſe) habeat fœcunditatem, ſeu agendi potentiam, progreſſum & agendi amorẽ ſeu uoluntatẽ, ex eo nil produci poteſt. Capiamus glandem, quum in terram defoſſa fuerit, niſi fœcunditate & potentia producendi ex ſe arborem ſit, non producet. ſi deſit illi ab ea potentia progreſſus, nil aget: ſi non alere ſuam arborem, & in tali ſolo & forma amauerit, arbor nunquam producetur, ſubſiſtetur. tota tamen arbos, & ſemen

men eſt potentia, & item proceſſus, & amor aut naturalis delectatio: & tamen non ſunt tres arbores, ſed una arbos. ita in tota natura eſt. ergo Deus qui cauſa omnium eſt, eſt maximè trinus & unus. Quũ Deus ſit maxime unus, eſt tamen in tota natura ante numerum unitas, ante differentiam et inęqualitatem rerum æterna æqualitas, ante ſeparationem nexus. unitas pater eſt, æqualitas filius, nexus ſpiritus ſanctus: & tamen non tres dij, ſed unus eſt Deus. In animo qui unus & Dei imago eſt, ratiocinatio potens apprehendendo, omnia cõprehenſioni ſeu perfectæ cognitioni & diſcretioni tradens, memoriæ ita mandat, ut reminiſcentia repeti poſſit, totus intellectus comprehendit, totus cognoſcit, totus reminiſcitur: nec tamen ſunt tres intellectus, ſed unus. Brutorum animæ fantaſiam, cogitationem, memoriam habent. Senſus in eſſentia uita & ſenſu conſtat. omnia materia, forma, compoſito ab utroque procedente ſurgunt. Artificioſa cogitatione, explicatione, arte: ars artifice, inſtrumento, materia, &c. ut ſunt primo libro tradita. Nec tantum Deus ſimplex trinus et unus eſt, ſed etiam eius actio ſemper triplicem mundum reſpicit, ſummum medium infimum. Quidquid autem agit, uſus et finis gratia agit: unde author boni ex æquo omnibus eſſe uult, mali nemini. Nam authorem mali credere nefarium eſt. Si omnibus proponit ſua in medium, uult etiam ſumma iuſtitia diſtribui. Quæcunque itaq; poſſunt ad tutandam hanc tenuem mortalitatem excogitari, & longe plura, quàm quiuis uſquam animo comprehendere poſſit, facere in gratiam hominis uoluit, ut qui omnium pater & author habetur, etiam digniſſima tanto patre in medium proponeret. unde philoſophi prodijt ſententia: Bonum quo cõmunius, eo diuinius. quod ipſum non tantũ uoluit Deus gentem Iudaicam auaritiæ addictiſſimam ex naturali rerum uſu diſcere, ſed quadraginta annis in deſerto ita confirmauit, ut nil magis perſuaſum ea gens deberet habere. Quum enim man illis plueret longe maiori copia, quàm pro tanto exercitu alendo ſatis eſſet, tamen qui inobediens diuinis præceptis διχοίνικα aut amplius unius perſonæ gratia collegiſſet, niſi pridie ſabbathi, præterquam quod nil amplius cæteris habebat, etiam quod in terræ ſuperficie incorruptum durabat, domi uermes et putredinẽ generabat. qua in re irritos mortaliũ in opibus ſupra neceſſariũ uſum cumulãdis conatus arguere uoluit Deus. Nec enim uidere licet, quid aliud quàm proprias ærũnas in cõgerendis undiq; liberorũ neceſſariorũ propinquorũue aut etiã luxus gratia ſentiat aut acquirat, qui totus habẽdi ardet deſiderio. Socordiam certe, ignauiã, ſuperbiam, luxũ, uoluptatũq; omnium inſtrumenta non pauci illis quos ſuis opibus auctos cupiunt, ſolent relinquere: uirtutẽ nemo parauit opibus. Quæ uirtutis pars diuitiarum adminiculis ſolet exerceri, nemo in uitio eſt qui illis deſtitutus, eam non exerceat: qui uero adminicula opum habet, poteſt eſſe in grauiſſima culpa, eaq; duplici. Nam ſi nõ det quantum debet, eſt iam reddendæ rationi obnoxius, ſi gloriam earum rerum quas largitur, ſibi quærit & adſcribit, nil dediſſe pręſtiterit. Creator itaq; quum omnia in medium poſuit, ita demum ab his qui plura ſunt conſequuti, uoluit diſtribui, ut præter neceſſaria nil ſibi ſeruarent. eſt enim diuitibus credita diſpenſatio. Ad hominem noſtrum nũc eſt ueniendum. Eſt Deo ſimilimus, qui ſemper tripartito ſcopo eſt attentiſſimus, qui ad honorem Dei, innocentiam & cultum ſui, id eſt animi, ad proximi charitatem & uſum omnia refert, qui nemini unquam iniuriam faceret, qui mori mallet quàm contra rectum animi iudicium agere: qui quæcunq; in eo ſunt poſita, illa omnia fratribus, id eſt cęteris hominibus parata cupit & habet

bet, qui nullam gloriã à ſuis facinoribus quærit. Nam gloria & honor Dei ſunt peculiaria munera. eſt ergo eo quis melior & naturæ utilior, quo magis ad hanc accedit conditionem. Sunt & præſcripta eo ſanctiora, quo magis iſta iubẽt, ſuadent & docẽt. ergo Moſe Chriſtus melior, iuſtior, ſanctior, naturæ utilior, Deo in carne ſimilior. Euangelium præſtantius lege ueteri, Chriſtiani Iudæis ſunt longe præſtantiores. Vnde ſalutem & ſalutis ueram uiam in noſtra religione eſſe certum eſt. Aut prima ſunt uobis neganda, aut ultima cõcedenda: nam nullus in hoc argumento eſt ſubterfugiendi locus. Euangelicũ pręceptum eſt, Deo & naturæ omnino conſentaneum. Quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, eadem & uos illis faciatis. Longe iſta latius patẽt quàm quum ita ſcribitur, Non facias alijs quæ tibi fieri non uis. Nam hoc poſtremum eſt atq; ſi dicas deſine à malo: primum eſt ut ſi addas etiã, & fac bonum. ut enim nemo ſibi inferri iniuriam uult, ita nemini debet inferre. at ut ſis Deo ſimilimus, quæcũq; tibi fieri ab alijs uelles, eadem illis facere debes. Verũ obijciet mihi quidam Rabi, Chriſti legem non uideri bonam, quoniam ſuſtulerit ceremoniarum ueteris Teſtamenti maximam partem, quum de lege unus apex obmitti non debeat. Satisfacio. Probant Iudæi prophetas & hagiographa: quamuis quod in Dauide & Daniele ſunt grauiora & urgentiora teſtimonia, ideò neoterici Thalmudiſtæ inter hagiographa, ut minori authoritate uiderentur, reiecerunt. Audite Ieſaiæ ſententiã, quid de externo cultu ſexcentis ante annis ſcripſerit: nec accuſetis Chriſtum uiolati cultus. Audite, inquit, uerbum Domini principes Sodomorũ, percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorræ. Quo mihi multitudinem uictimarum ueſtrarũ, dicit Dominus? Satiatus ſum, holocauſta arietum, & adipem pinguium, & ſanguinem uitulorum, agnorum & hircorum nolo. Quũ uenitis ante me ſacrificaturi in atrijs meis, quis petit iſta de manibus ueſtris? Ne offeratis ultra ſacrificium fruſtra, thus eſt mihi abhominatio. Neomeniam & ſabbathum & feſtiuitates alias non feram, iniquæ ſunt ſynagogæ ueſtræ. Calendas ueſtras & ſolennitates ueſtras odit anima mea. ægrę iſta fero. Quum extenderitis manus ueſtras, auertam oculos meos à uobis: & quum orationem multiplicaueritis, non exaudiam, manus enim ueſtræ plenæ ſunt ſanguine. Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum ueſtrarum ab oculis meis. Deſinite peruerſè agere, diſcite benefacere. Quærite iudicium, ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo, defendite uiduam, & uenite & diſceptemus, &c. Si ſanctos feciſſet cultus legis, & ille ſacrificiorum et ceremoniarum numerus, fuiſſentq; ſemper illa duratura, quî fit ut ſanctiſſimus propheta, illis reprobatis omnino ad pietatem cordis, & interiorem bonitatem religionem totam referat? Nónne ſatis habuiſſet, aut uitia illa redarguiſſe, quæ prætextu ſacrorum cõmittebantur, aut uirtutem cõmendaſſe, non ſuggillatis ſacris: quæ quum à Moſe eſſent inſtituta, eſſe uitij cauſa non poterant? certè omnino ſciebant prophetæ futurum ut abolerentur, quòd non tantum Ieſaias, ſed Ieremias etiam eſt eas eleuare auſus. Capite ſexto ita ait: Nolite confidere in uerbis Domini, dicentes Templũ domini templum domini eſt, quoniam ſi bene direxeritis uias ueſtras, & ſtudia ueſtra, ſi feceritis iudicium, &c. Nõne templum ſanctiſsimum Solomonis erat in cauſa cõmiſſorum? minimè. & tamen improbatur, eo quòd eſſet ſpelunca latronũ. Et ideo uetat propheta orare pro populo, quoniã nõ exaudiet Dominus, quod ſanè de captiuitate Babylonica intelligi nequit, quoniã ex ea reduces, & exauditi fuiſtis. Sed adhuc ſunt addẽda teſtimonia in eandem rem. Amos quinto: Væ deſide-

deſiderantibus diem Domini, ad quid eam uobis? Dies domini iſta tenebrę, & nō lux. Quomodo ſi fugiat aliquis à facie leonis occurrat ei urſus, et ingrediatur domū, & innitatur manu ſua ſuper parietem, & mordeat eum ſerpēs. Nunquid nō tenebræ dies domini & non lux, caligo & nō ſplendor in ea? Odi & proieci feſtiuitates ueſtras, & nō capiam odorem cœtuum ueſtrorū. quod ſi obtuleritis mihi holocauſtomata & munera ueſtra, non ſuſcipiam, uota pacificorū non recipiam, aufer à me multitudinem cantilenarū, &c. Hæc non tantum abrogationem ſacrorū cultuum in aduentu Chriſti prædicunt, ſed eum aduentū diei Domini uobis in ruinam tenebras et caliginem futurum aſſerunt. Erant omnia tollenda ueniente luce euangelij. Sed audire etiam lubet Dauidis de hac abrogatione ſententiam. Cantico 50. ita ſcribit: Audi populus meus & loquar, Iſraël, et confirmabo tibi quod Deus tuus ego ſim. Non de ſacrificijs tuis arguam te, nec de holocauſtis tuis, quæ ſunt in conſpectu meo ſemper. Non accipiam de domo tua uitulos, & de gregibus tuis hircos, &c. immola Deo laudem. Nonne iſta euertunt ſacrificia, & conuertunt in pium cultum? Niſi fuiſſent aliquando ceſſatura, quare prophetæ uiri ſancti agitauiſſent? Ceſſare debebant externa omnia, etiā ipſa circumciſio, aduētu Ieſu Chriſti. Moſes ipſe Deuterono. 30. ait: Si ad cardines cœli fueris diſſipatus Iſraël, inde te trahet dominus Deus tuus, & aſſumet atq; reducet in terrā, quam poſſederunt patres tui, & obtinebis eam, & benedicens tibi maioris numeri eſſe te faciet, quàm fuerint patres tui. Circuncidet dominus Deus tuus cor tuū, ut diligas dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ut poſſis uiuere, &c. Itidem antè 10. cap. adduximus. Ieremias idem habet cap. 4. Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium ueſtrorum uiri Iuda, & Ieruſalem. His patet, nō tantum ceręmonias fuiſſe ueniente Chriſto auferendas, ſed & circumciſio præputij in cordis circumciſionęm mutari debebat. Verum interim ſicco pede (quod aiunt) non eſt Moſis ſententia prætermittenda: excutienda diligenter eſt, quoniam Iudæi ſibi ex ea patrocinātur, futurū putantes ut Deus duce Meſſia illos reduces faciat, & in terram ſanctam iterum collocet. Quod non intelligatur ea reductio de Babylone, ſatis patet: quoniam circumciſio poſtea adhuc fermè quingentis annis durauit. oportet ergo intelligi de reductione temporis Meſſiæ, à quo erat circūciſio tollenda. Quum de terra loquitur in qua reduces erunt, non poteſt intelligi de Palęſtina, Iudæaúe. Nam maiores opes aut populum illic eſſe poſſe, quàm florentibus ſub Solomone rebus, eſt omnino impoſſibile. Nec enim poterat ferre eam multitudinem hominū ea regio. Dicit terrā patrū, more Dauidis, qui quū eſſet ditiſſimus & fœliciſſimus, & ab omni parte beatus princeps, tamē bona Domini ſe uiſurū in terra uiuentium dixit. Nam in hac uita ſumus omnino, quamuis fœliciſſimi, in terra morientiū. Ita dum uobis polliceri uidetur unū, intelligit alterū. quemadmodū quum uobis polliceretur Palæſtinam (pręter paucas ualles fertiles) omnino ſterilem regionem, ut uos in ſpem & rerū cœleſtium argumentum traheret, dicebat terram lacte & melle manantem ſe uobis daturū. Nunquā enim fonteş mellis aut lactis illic uiſi ſunt. At ſi Chriſtus uenit, dicūt, quomodo non fuit rex Iſraël? quomodo non reduxit Iudæos, ex toto orbe collectos in aliquam regionem, quam colerent longe quàm antè fœliciores? qui fieri potuit, ut nullos ſatellites, nullam potentiam, ſummam inopiam contemptumq; habuerit, quem dicitis Chriſtum? Multa ſunt hic propoſita, omnibus ſingillatim eſt ſatisfaciendum. Certe circa tempora aduentus Chriſti, Iudæi ex toto orbe terra-

rum fermè in Iudæam confluxere. erat enim à prophetis prædictũ tempus præciſum, quo eſſet uenturus Meſſias. At quia non erat tyrannus Chriſtus, quia erat (ut dixi, & ex uita eius patet) Deo etiam ſecundum carnem ſimilimus, quia nullam ſibi arrogauit potentiam, omnia in afflictorum & miſerorum ſolatium impendit, honores mundi calcauit, uitia nefariorum magiſtratuum & ſacrificũ palàm arguit, non tantum eum ducem non ſunt ſequuti, ſed & morte multarũt principes. Quod uero ex toto orbe confluxiſſent Iudæi in Syriam, in ſpem ſanguinarij cuiuſdam Meſſiæ, qui cæteros homines orbem euertendo conficeret, dominiumq; rerum amplum illis cõpararet, arguit ea multitudo hominum incredibilis, quæ ſub Tito & Hadriano perijt. Nam paulo ante ſub Machabeis qui proximè anteceſſere Herodem alienigenã, ſub quo Chriſtus uenit, uix maximæ Iudaicę uires ad 10. hominũ milia poterant peruenire, attritis frequenter rebus, ut quotidie erant in motu. intra 60. annum ad tantam multitudinem eo conuenerant, ut Ieroſolymis undecies centena milia concluderentur Tito obſidente. Cæterum referente Egeſippo Iudaici generis homine, in eo bello in uniuerſum deſiderata ſunt, uiceſies centena hominum milia. quinquageſimo autem poſtea anno ſub ſecundo Barchoziba, ſunt, referentibus ueſtris authoribus, quadrageſies centena hominum milia, Betora euerſa occiſa. Addunt, in finibus Alexandriæ 70. myriadas ab eodem occiſas. quidam dicunt quater mille myriades in Bittera, aut circà fuiſſe confectas. unde tantus impetus ſanguinis à ſtrage illa defluentis fuit, ut ſaxa immania à ſanguineis torrentibus raptarentur hinc uerſus mare, inde uerſus ſtagnum Geneſareticum. Fit primi Barchozibæ mentio à Rabi Moſe Aegyptio, quem Ben mannon uocant, in ſententijs regum, ubi de rabi Alziba Barcozibarum fautore & Thalmudico authore dicit. Amplius in libro συνεδρίων, quem Sanedem dicunt, in cap. Helec, & in Echa rabati, id eſt commentarijs lamentationum Ierèmiæ, ubi dicitur, Facti ſunt hoſtes eius in capite, &c. Verum in libro Megila copioſe de his. De ſecũdo autem Barcozba multis in locis, ſed potiſſimum in Bereſſit Raba. Legatur ibi Rabi Iohãnes ſuper uerſum illum: Vox quidem uox Iacobi eſt, manus autem Eſau, &c. Item in libro Echa rabati, & in Maſchet haghittim, cap. hammazichin. Sed interim non eſt illud obmittendum, quod ipſi de ſuo Barchozba ſecundo tradunt. Nam maxime confirmat ea quæ antè attuli. tantam tradunt undiq; confluxiſſe ad ſpem futuri Meſſiæ multitudinem in Iudæam, ut quater centena hominum deuotorum milia abſciſo uno digitorum, & auulſa cedro pro tyrocinio, ſe illi iunxerint. qua multitudine fretus in hæc uerba prorupit: Domine mundi ne fulcias, aut iuues nos, neque facias nobis animos. Nonne tu es, qui repuliſti nos? Non egrediaris in exercitibus noſtris. Quum autem, poſtquam tres menſes obſediſſet ciuitatem Hadrianus, illamq; cœpiſſet, miles uero quidam abſciſum caput Barcozbæ attuliſſet imperatori, illi mandat ut truncum corpus ad ſe adferri curet. Redit èueſtigio miles, inuenitq; trunco ſerpentem inuſitata magnitudine obuolutum. quod quum audiuiſſet Hadrianus, ait, Reuera niſi hũc Deus eius occidiſſet, nemo mortalium illum ſuperare poterat. Hæc in Echa rabati, & Bereſſit raba. Coacti certe fuerant ex toto orbe Iudæi, non ut regnarẽt, aut ſanguinarijs Meſſijs parẽrent, ſed ut uere tota gens admiſſi in Ieſum Chriſtum ſceleris daret pœnas, & reliquiæ cum dira eius cædis memoria perpetuam apud omnes gentes duramq; ſeruitutem ſeruirẽt. Oportebat in uobis, ô Iudæi, prophetias impleri.

DE REPROBATIONE IVDAEORVM.

PRimo in loco ponam ea loca quibus Iſraëliticæ gentis reprobatio patet, ſecundo ſoluam eorum obiectiones, demũ qualem Meſſiam & qualem ſub eo rerum conditionem erũt habituri, poſtremo ex prophetis colligam euangelicam prophetiam: ut pateat an talis ſit noſter Chriſtus, qualem dixere prophetæ. Non congregandã totam gentem, ſed tantum reliquias, his locis patet. Ieſaias 10. poſtquam de Aſſur dixit, etiam de pœna ſecunda ſubſcribit. Et erit lumen Iſraël in ignem, & ſanctus eius in flammam, & ſuccendetur & deuorabitur ſpina eius, & uepres in die una. Paulo pòſt: Et reliquię ligni ſaltus eius præ paucitate numerabuntur, ut puer ſcriberet eas. Iſta de falſo quodam principe & de internecione dicta eſſe oportet. Nam à captiuitate Babylonica multa milia captiuorum ſuperfuerunt. Dicta itaque ſunt non de captiuitate, ſed de internecione perditorum hominum ſub perdito principe, quem lucem putabant, ut fuit uterque Bachoziba. Nam qui ſuperfuere à clade Ieroſolymitana & Betherenſi, potuiſſent à puero ſcribi. Sequitur, & erit in die illa, non adijciet reſiduum Iſraël, & hi qui fugerint de domo Iacob inniti ſuper eo, qui percutit eos, ſed nitetur ſuper Dominum ſanctum Iſraël in ueritate. Hæc omnia conſentanea ſunt. Nam ante factiones ſub Tito & Hadriano obortas, innitebantur ſuper Romanos, qui percuſſerunt eos, quouſque poſt occiſionem factam in Betora multi ſunt ad fidem Chriſti conuerſi. Reliquiæ, inquit, propheta conuertentur, reliquiæ inquam Iacob ad Deum fortem. Si enim fuerit populus tuus Iſraël, quaſi harena maris, reliquię cõuertentur ex eo, &c. Non dicit totam multitudinem, ſed eius reliquias ſaluandas. ſaluandi enim pauci, Apoſtoli & diſcipuli Chriſti & magnus numerus, in primitiua noſtra eccleſia. Longe itaque maior pars erat cæde peritura, minor ſaluanda, cætera in obſtinatione ad perpetuum ludibrium omnium gentium ſeruanda. Verum tam paruas futuras reliquias reſpectu totius, dixit ſpiritus per Ieremiam: ut nil ſuperſit. Ait, cap. 11. Propterea hæc dixit dominus Deus exercituum, (quod ſcilicet Chriſtum repulerant, & occiderant) Ecce ego uiſitabo ſuper eos, iuuenes morientur in gladio, filij eorum & filiæ eorum morientur in fame, & reliquiæ non erunt ex eis, quãuis enim Ieremias loquitur de Anathoth, tamen ſub eius nomine, de toto genere Iſraël dicit. Nulla uero fuit diuturna obſidio ab Aſſyrijs, unde fame tunc in Hieruſalem non eſt laboratum, quare ad euerſiones ſecundas eſt referendum. Ezechiëlis nono, nunquid clare liquet eos qui non erant ſignati ſigno T. id eſt ſanctę crucis, eſſe tollendos omnino & exterminandos? Nónne quum ueniret Titus in Ieruſalem ad obſidionem, uox eſt audita in cœlo, ſæpius hoc repetens, Migremus hinc, migremus hinc? & ita fuere obcæcati Iudæi, ut nullus exire potuerit: Chriſtiani uero omnes exierunt, qui ſigno Tau erant notati. ita ait propheta: Et clamauit in auribus meis, uoce magna dicens. Acceſſerunt præfecti uiſitationi urbis, & unuſquiſq; præditus erat inſtrumento in manu ſua, & ecce ſex uiri ueniebãt de uia portæ ſuperioris, quæ reſpicit ad aquilonem, quiſque inſtrumenta perditionis in manu habens, & paulò poſt: Et dixit Dominus ad uirum indutum ueſtibus albis (nam Chriſtus inſtrumento Romanorũ pœnas de uobis ſumpſit) quiq; in medio aliorum erat: Tranſi, & ſigna thau ſuper frontes uirorum, quibus abhominationes diſplicent. Et dixit illis: Tranſite per ciuitatem, ſequentes eum, & percutite. Non parcat oculus ueſter, neq; miſerea-

mini. Senem, adoleſcentulum, & uirginem, paruulum, & mulieres interficite ad internecionem. Omnem autem ſuper quem uideritis Thau, ne occidatis, & à ſanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à uiris ſenioribus, &c. & paulo pòſt: Iniquitas domus Iſraël magna eſt, ut maior nõ poſſit eſſe, & repleta eſt terra ſanguinibus, & ciuitas repleta eſt auerſione. dixerunt enim, Dereliquit Dominus terram, et Dominus nõ uidet, igitur & meus nõ parcet oculus, neq; miſerebor, uiam eorum ſuper caput eorum reddam. & ecce uir qui erat indutus lineis, qui habebat atramentarium in lumbis ſuis, reſpondit uerbum dicẽs: Feci ſicut præcepiſti mihi. Iſta omnia uobis oſtendam ad literam planè quadrare excidioni Titinæ. Pręfectus uiſitationi urbis fuit Veſpaſianus. Quinq; uiri cum eo, qui ſextus eſt: ſunt, Titus filius eius, & cũ eo quatuor duces, dux Arabiæ, dux Phoenicis, dux Alexandriæ, dux Palęſtinæ (traditur in Echa rabeti.) Veniunt à uia aquilonari. nam terreſtri itinere per Aſiam minorem, & Seleũciam quæ eſt ad ſeptentriones, fecit uiam, duxitq; exercitũ Veſpaſianus, Tito cogente in Aegypto copias. qui in medio eorum erat, erat Chriſtus: ad quem uindicãdum, dum imperij res uidentur procurare (ſic uolente prouidentia) uenerant. Nam qui cauſa eſt cuiuſdam cœpti, quoad fiat in medio eorum qui exequuntur, eſſe intelligitur, dum res eius fit nomine. Suos ſignauit ſigno Thau, id eſt ſanctæ crucis, quos à ſceleratorũ turba exemit. A' ſanctuario incœptum eſt, quoniam principes ſacerdotum & ſacerdotes, fuerant potiſſimum cauſa mortis Ieſu Chriſti, alioqui non erant cæteris nocentiores. Cauſa fuit non idololatria, ſed interfectio iuſtorum. ait enim de ſenioribus propheta, Contaminate domum, implete atria interfectis, egredimini: quod dicitur de morte Ieſu Chriſti, & Iacobi iuſti. Nam in templo grauiſſime uulnerarunt Iacobum, ac demum Ananus pontifex repugnãte ſynagoga lapidandum in atrio populo tradidit, cum alijs Chriſti ſectatoribus. quamobrem putat Ioſephus, cladem Ieroſolymitanam contigiſſe. Nam erat ſanctiſſimus Iacobus, & eius ſanctitas fuerat perſpectior, quod à Chriſto primum moderãdam Ieroſolymis eccleſiam ſuſcepiſſet. Cæterum ne reliquijs quidem pepercit Veſpaſianus in Ieruſalem, effudit furorem ſuper uos tunc temporis Deus. Dixerant Iudęi, non uidet Deus, quum innocentiſſimum fratrem Chriſtum uendiderant: quamobrem & eos qui erant in Bitter, & decem uiros primarios ſynagogæ occidit Hadrianus, ut uos ieiunio annuo teſtamini. Ideo non miſerebitur ueſtri, id eſt uniuerſæ gentis Deus. Peracta cæde Hieroſolymitana dixit Chriſtus patri, Feci ſicut præcepiſti mihi. Non ſunt iſta detorta, non eſt hic Gabriel & uana Chimahi interpretatio, de Babylonijs & Aſſyrijs. Nil illius commenti planè conuenit. Nam propter idololatriam illa contigit: at iſta propter effuſum ſanguinem. Itaque uerbum de uerbo quadrat hiſtoriæ prophetia, quæ ne una quidem, uel minima coniectura cum captiuitate Babylonica conuenit. Ex hoc uno loco à ueſtris Rabinis detorto patẽre lippis & tonſoribus poteſt, illos abijſſe & uos traxiſſe in reprobum ſenſum, quod etiam futurum prędixerant prophetæ. At uidendum primo eſt, quales reliquiæ conſeruandæ ex Iſraël futuræ erant. Ait, Tzephanias cap. 3. poſtquam dixit de ultimo aduentu: In illa die, poſt aduentum Chriſti ſcilicet, non confunderis ſuper cunctis adinuentionibus tuis, quibus præuaricata es in me, quia tunc auferam de medio tui exultantem ſuperbiam, & non adijcies exaltari amplius in monte ſancto meo. & derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum, & ſperabunt in nomine Domini. Reliquiæ Iſraël non facient iniquita-

tem,

tem, nec loquentur mendacium, & non inuenietur in ore eorum lingua doloſa, quoniam ipſi paſcentur & accubabunt, & non erit qui exterreat. Lauda filia Zion, iubila Iſraël, lætare & exulta in omni corde filia Ieruſalem. Abſtulit Dominus iudicium tuum, auertit inimicos tuos, rex Iſraël Dominus in medio tui, & non timebis malum ultra. Veræ reliquiæ Iſraël ſunt, futuriq́ ſunt pauperes, humiles, ueritatis amatores, oſores mendacij, qui, quòd cor nulli rei humanæ habeant addictum, nil planè timent, quoniam in medio illorum pauperum habitat rex eorum Chriſtus Deus, cum ſuis agens uſq; ad conſummationem ſæculi. Eſt uerum regnum, & uera requies, ubi nulla regnat cupiditas, nullum uitium dominatur, adimit omnem prædonibus & tyrannis iniuriæ occaſionem, quum nil poſſidet quod ponat inuitus. Ille ſemper ſecurus, omnia in aliorum utilitatem non ſecus atque in ſuam facit, nil cumulat, ſemper pauper eſt, & ſemper abundans: ea eſt rerum præſtantiſſimarum conditio, ô Iudæi. Nam iuſtitiæ & fœlicitatis humanæ cataſtrophe in hoc conſiſtit, ut ſit aliquis Deo ſimilimus, id eſt omnia in hominum gratiam faciat. Si mihi obijciatur uita nefaria & ambitioſiſſima, auariſſimaq́, & ab omni parte penè deplorata, qua multi ſub Chriſti lege uiuunt: uitia iſta ſunt hominũ & temporis, non ordinis. Nam quod ante Chriſtum pluſquam octingentis annis, erat tanta auaritia in ſacerdotibus & principibus ueſtris, ut nulla poſſet eſſe maior, non tamen ideo mala lex Moſis erat. Nam prohibendi ſemper officio fungebatur, ne talia fierent: in uitio erant homines, qui non audirent, ita & nos ſumus, quoad Deus nos uiſitet, ut iam pridem & ſæpius in eccleſijs orientis fecit. Diuturnitate & abuſu aurum quoduis uertitur in ſcoriam. pauci boni ſunt. Poſſunt multæ præclariſſimæ demonſtrationes ex hoc loco prophetæ uobis depromi, ô filij Iſraël. Primo, quod Iehouah habitabit in medio timentium ſe & uerarum reliquiarum Iſraël, eritq́ pro rege perpetuo inter bonos. Cæterum qui reuera illam paupertatem & uitæ regulam profitebuntur, illis Deus ſuſtulit iudicium, quoniam ita ab eo ſeruantur ut peccare ad mortem non poſſint. Quandiu enim aliquis eſt tam magno animo, ut iſta inferiora propter Deum omnia deſpiciat, proculdubio rarò eueniet ut ex animo unquam peccare uelit. Meum (inquit ille) & tuum, ſeminarium iniquitatis inter mortales attulere. Corporis & uoluptatis cura hominem ſuijpſius mancipium fecerunt. Itaque qui nil corruptibile curat, non timebit malum ultra. Nam qui ſummum principem familiarem habet, nullum inferiorum timere debet. Sed quum diuina prouidentia, cui præſentia perinde atque futura cognita ſunt, paucos admodum ex uobis amplexuros hanc tenuitatem nouiſſet, ideo inſpirauit prophetas, ut qua conditione maior gentis Iudaicæ pars eſſet futura, aperirent. Ieſaias 6. ait: Et audiui uocem Domini dicentis, quem mittam, & quis ibit nobis? & dixi, Ecce ego, mitte me Domine. & dixit, Vade, & dices populo huic, Audite audientes & nolite intelligere, & uidete uiſionem & nolite cognoſcere. Impigua cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude, ne forte uideat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde ſuo intelligat, & conuertatur & ſanem eum. & dixi, uſque quo Domine? & dixit, Donec deſolentur ciuitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra relinquetur deſerta. & longe faciet Deus homines, & iterum reparabit dies, & augebit quæ fuerant derelicta in medio terræ, & ſupererit adhuc decima, & cõuertetur, ſed depaſcetur ueluti tilia & quercus, quarum folia ſunt decuſſa & ſupereſt truncus: ſic ſemen Iſraël ſanctum uelu-

ti truncus eſt. Hanc obdurationem & contradictionem duraturam dicit, quouſque fiat euerſio ſub Tito & Hadriano. nil enim factum eſt uniuerſalis euerſionis, donec illi Iudæam adierint. Nam in captiuitate Babel, multi ſuperfuere in terra ſancta. Si autem de captiuitate Babylonica intelligatis, illa decima pars, ad quam legem eſt conuerſa? Certe lex Moſis durauit adhuc à conſtructa ſecunda domo, fermè 500. annos. nec ad ullam aliam legem potuit conuerti decima pars, quum una tantum lex eſſet: ſupereſt ut lege Chriſti data, ea euerſio rerum futura eſſet. unde quum audierint & uiderint Chriſtum, & de eo cogitauerint, noluerunt illi acquieſcere, ſed eum occiderunt, ut futurum prædixerunt prophetæ: atque inde ſecuta ultione, ſuperfuit 10. pars, quæ quia conuerſa eſt ad Chriſtum, eſt more martyrum & rebus & corpore multata. Quanta uero ſtrages ueſtrorum ſit facta, paulo poſt Chriſtum & circa eius mortem, nulla ullis uſquam literarum monumentis lecta eſt. Nam ſi uobis, qui ob ſacra omnes in diario habebatis, credatur, deſiderata ſunt tam in Cyrenaica regione, quàm Aegypto, Syria, Cypro & Meſopotamia, ſexies decies centena octingenta & ſexaginta hominum milia: quam cedem quum ipſi imperatores uiderent, referentibus ethnicis & Iudaicis hiſtorijs, dicebant ſe non eſſe in cauſa tantæ ſtragis, ſed Deum illam expetere. tanta uero fuit, ut ad ſeptennium & ſuprà, ex riuis ſanguinis longiſſime profluentibus, & putrefactis ſtercorarentur agri & uites uicinæ. Decima pars eius multitudinis erant 686000. hominum paulo plures, quàm qui ex Aegypto exiuerant. Nec ſatis habuit miſera ueſtra gens occidiſſe Chriſtum, dediſſe tam acerbas pœnas, elegiſſe Barcozbas duos, ſed ſub Theodoſio, Alexandria nuda pulſa eſt magno numero, quod factionem concitaret. Secuta eſt Muhamedem pſeudoprophetam, amentem & ſonticum nefariumque hominem, illique uires comparauit, demum in præmium ad centena hominum Iudæorum milia ſunt ab eo & ſuis confecta. Falſo Moſi in Creta dedere fidem, qui quum tranſitum maris illis pollicetur, mergit innumeros. Ob uiolatam Ieſu Chriſti imaginem, Conſtantinopoli cæſi ſunt. Ob affectam probris ſacram Ieſu Chriſti hoſtiam, Pariſijs ſunt pulſi. Ob nefaria ſcelera, & nephandas crudelitates in Chriſti dedecus, Britannia, Hiſpania & Gallijs exulant. Pulſi nuper ſunt ab Archiepiſcope Colonienſi, quòd omnes ſingulis diebus ſummo mane Chriſto redemptori, eiusque matri & Tito imprecentur. unde maxime patet dictum prophetæ, quod eorum obduratio ſit quaſi æterna. Sentiunt & agnoſcunt tantam Chriſti potentiam, ut à quo in eum peccauerunt, nunquam potuerint aliud quicquam quàm ſeruire: & tamen illi quotidie imprecari non deſinunt. Quis tam delirus & mente captus, ſi ab arbitrio cuiuſdam principis aut tyranni penderet eius libertas, ut non potius captare illum muneribus, & omni officiorum genere ſtuderet, quàm laceſſere? Vltorem & ita potentem putant Ieſum, ut ſuperari non poſſit, & tamen irritare pergunt. Quid hoc eſt niſi in reprobum abire ſenſum? contra animi ſententiam ita pugnare? Hoc debetis ueſtris Rabinis, & eorum faſtui & auaritiæ. Quod enim illos Dominus libere arguiſſet, conceperunt tantum in eum odium, ut quum uiderent ob ſanctitatem illius & ſuorum eum iam haberi Deum apud omnes ferè nationes, auſi ſunt ſcripturarum interpretationes uobis inuertere, à uetuſtis doctoribus deſciſcere, & ne id parũ eſſet, paſſim in eum odioſè debacchari. Hoc uobis faſcinauit oculos, faſcinatque, quod eorum ſententijs & interpretationibus ſubſcribitis, potius quàm

ulli

nulli rationi & textui apertiſsimo. Ita habentes clauem ſcientię, ut dicunt, nec intrant, nec alios intrare permittunt. Sed ad ueſtram reprobationem redeo. Peccatum Iuda (inquit Anathotites propheta) ſcriptum eſt ſtilo ferreo in ungue adamantino, exaratum ſuper latitudinem cordis eorum, & in cornibus ararum eorum. & paulo poſt: Et relinqueris ſola ab hæreditate tua quam dedi tibi, & ſeruire te faciam inimicis tuis, in terra quam ignoras, quoniam ignem ſuccendiſti in furore meo, uſque in æternum ardebit. Non poteſt iſta comminatio ad Babylonicam captiuitatem referri, quò omnia contorquetis. Nam pœna illa non fuit æterna, ut quod eſt in adamante inciſum. Ad hæc diſperſio illa in terras quas ignoras, non eſt facta, ſed in Perſide, Babylonia, Aſsyria, & Aegypto, quoniam illas noueratis regiones: ſequitur ergo, ut de captiuitate in qua nunc eſtis intelligatur, quæ non tantum durabit in hac uita, ſed & in futura in inferno. Hoc incendium Chriſtũ Ieſum occidendo incitaſtis, & in uos ardebit in æternum. Vſqueadeò eſtis à Deo alienati, poſtquam confidere potius in homine rabino quàm in Deo maluiſtis, ut præter æternam captiuitatem, & à lege ueſtra alienationem nil experiamini. A uobis eſſe circuncisionẽ, nullus negare poteſt: at profligati Iudæi ad extremas uſque terras, illam tantum ſeruantes, & uaria idolorum genera colentes, ſacrificant proprios filios dæmonibus, & affatim humano ſanguine litãt, quod ipſi feciſtis in Tophet. Vnde alioqui nefarius ille ritus inter populos innocentiſsimos perueniſſet? & unde circuncisionẽ habuiſſent? utrunq; ritum uobis debent. O Iſraëlitæ, utinam ſaperetis & intelligeretis, & nouiſsima prouideretis. Certè Deus miſereretur ueſtri, non omnium, nam ante diem iudicij nunq̃ fiet, ut ueſtrorũ rabinorũ peruicacia cedat ueritati. Cogantur furore domini & aduentu ſecũdo Chriſti, qui eos cõgregabit ad pœnã, oportet: uerus aũt Iſraël cõgregabitur Domino. Nam Iudęi ſoli reiecti ſunt extra hæreditatẽ, quæ illis erat parata. ſolidæ prouinciæ gentiũ acceſſere domino Ieſu Chriſto: quum tamẽ infidi Iudęi noluerint eum recipere, præter paucu-las reliquias ſemicoactas. Prædixerat hoc Hoſſa prophetes. Nõ ignoratis poni in principio libri eius parabolã de Deo & populo eius. Nam populũ Iſraël uocari fornicariã ſeu fornicatricẽ mulierẽ, quæ ſit fornicata in adinuentionib. eius cũ lapide & ligno, id eſt multis locis probatiſsimũ. Dicit ergo propheta tres libe-ros filiũ & filiã & filiũ ex fornicatione natos. prima cõditio eſt nomine filij primi de ſcelerib. quæ cauſa euerſionis & captiuitatis Babylonicæ, cũ ipſa captiuitate fuere, cuius miſertus eſt Deus. altera conditio nomine filiæ poſita, excidio Titi & Hadriani abſumptos ſignificat: & ideo uocatur ſine miſericordia. tertius filius uocatur non populus meus, quo præſens Iudæorum conditio ſignificatur. Gomer filia Deblain ſcortum quoddam celebre infameq; erat eo tempore, meo iudicio, quod in typum nefarij populi aſſumpſit. atque ſi quis Romanos ob ſcelera aliquis Floram uocaſſet, Athenienſes Laida aut Phrynen. ait uero: Vade ſume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationis, quia fornicatur aſsiduè terra à Domino aliena. & abijt & accepit Gomer filiam Debelaim, & cõcepit & peperit ei filiũ, & dixit dominus ad eum (prophetam) uoca nomen eius ſemen Dei, ſeu Iezrahel, quoniam adhuc modicum & uiſitabo ſanguinem Iezrahel ſuper domum Iehu, & quieſcere faciam regnum domus Iſraël. Et in illa die conteram arcum Iſraël in ualle Iezrahel. Et concepit adhuc, & peperit filiam, & uocauit, & dixit ei: uoca nomen eius Sine miſericordia, quia non addam ultra miſereri domui Iſraël, ſed obliuione obliuiſcar eorum. Et do-

mui Iuda miſerebor, & ſaluabo eos in domino Deo ſuo. & non ſaluabo eos in arcu & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus. Et ablactauit eam quæ erat abſque miſericordia. Et concepit & peperit filium, & dixit: Voca nomen eius Non populus meus, quia uos non populus meus, & ego non ero ueſter. & erit numerus filiorum Iſraël, quaſi arena maris quæ ſine menſura eſt, & innumerabilis erit. & erit in loco ubi dicebatur eis, Non populus meus uos, dicetur eis filij Dei uiuentis. Et congregabuntur filij Iuda, & filij Iſraël, & ponent ſibi caput unum, & aſcendent de terra, quia magnus eſt dies ſeminis Dei. Attendite ſingulis Iudæi, attendite obſecro per miſericordiam Dei, quoniam de ſalute ueſtra agitur. Excutienda diligenter ſunt ſingula, & apparebit prophetam uelut hiſtoriam futurorum contexuiſſe. Fornicaria ſynagoga nomine Gomarę ſatis patet. Nā quum omnia bona fecerit illi Deus, & expectauit ut faceret uuas, produxit illi labruſcas. coluit ut uineam, produxit fructum ut agreſtis. eam habuit loco fœminę, uix habuit Deum patrem loco adulteri & riualis: filium uero eius, quem bos & aſinus in præſepe cognouerant, populus eius non cognouit, ſed tanquam hoſtem crudeliſsimè necauit. Quod primus uocatur ſemē Dei, id in cauſa eſt, quod erant adhuc multi boni ante captiuitatem, & Chriſtū. & quod ſemē Ieſu Chriſti ſeruatum erat in illis, ut ait Ieſaias: Niſi Dominus exercituū reliquiſſet nobis ſemen, id eſt futurum Meſsiam, quaſi Sodoma & Gomorra eſſemus. Et propterea non exterminauit, ſed fecit Dominus quieſcere regnum Iuda 70 annis in Aſsyriorum poteſtate quod paulo pòſt contigit, & fractę ſunt uires Iſraël in ualle Ieſrahel. Nā ob oſtēſas opes domus Domini, regi alieno uenit pœna, & accelerata eſt, incœpitq; à Domini primis ſeruis. Filia uocatur exors miſericordiæ, quia interfecto Ieſu Chriſto ita ad internecionem cæſi ſunt omnes, cuiuſuis ætatis ſexus, & dignitatis ordinis ùe, ut nulla planè miſericordia motus ſit Deus in gentem ſceleſtam, quum alioqui etiam barbaris mitigare furorem ſoleat, ne in innocentes ſæuiant. Ita Dominus Tito & Traiano atq; Hadriano acuere bilem uoluit, ut darent Iudæi interfecti filij ſui, uenditi iuſti & fratris, pœnas. Dominus uero quum in gentes à Deo alienas permittit bella immitti, aliqua miſericordia utitur, quum in ſeruitutē ſeruari, aut tenellæ ætati parci curat. ſed nil ſimile in Ieroſolymitana & Bitterenſi euerſione contigit, ad unum interiere in paſcha, numerata & inſcripta ſexageſies centena hominū milliā, quot uix Deus apud ſceleratas & idolis deditas gentes multis ſeculis necari permiſit. Peccatum certè peccauit Ieruſalem tam magnum, ut totus orbis maius cōmittere non potuiſſet: ideo conuerſa eſt retrorſum. Itaque non addet ultra miſereri ueſtri, ſed obliuione æterna ſepeliet uos. Sequitur: Domui autem Iuda miſerebor, & ſaluabo eos in Domino Deo ſuo. & nō ſaluabo eos in arcu, et gladio, &c. Dominus hic loquitur, Dominus inquā pater & Deus cœli & terræ. Et tamen ſaluabit uerum Iuda in domino Deo ſuo, id eſt in Chriſto Ieſu Meſsia, qui homo & Deus eſt. Itaq; apparet Iudam hic uocari Chriſtianos confitentes reuera Deum, qui in magnam uenere potentiam, & ſunt ſaluati ſine bello, ſine arcu, ſine gladio, ſine equis & equitibus: ſed per ſummam patientiam, innocentiam, pietatem, charitatem, humilitatem, per mortes & tormenta uenerunt ad ſummam gloriam, & rerum omnium maieſtatem. Vidit Iſraël Deum, ſed uidit tantum: Iuda uidit, & confeſſus eſt. Non ſolum autē hoc in loco Iſraël pro reprobatione Iudæorum ponitur, ſed & Ieſaiæ 49 eadem ſententia eſt. ait: Et nunc hæc dixit Dominus, formans me ex utero ſeruum ſibi, ut

reducam

reducam Iacob ad eum, & Iſraël non congregabitur. & glorificatus ſum in oculis domini, & Deus meus factus eſt fortitudo mea. Loquitur in hoc loco Meſsias ſecundum humanitatem ſuam de patre, qui illum glorificauit, & eius fuit fortitudo, & poſuit eum in ſalutem Iuda, & omnium gentium, & tamen Iſraël non congregabitur. eſt enim mutatio ſententiæ antecedentis. Nam dixerat Deus: Seruus meus es tu Iſraël, quia in te glorificabor. & ego, ait Meſsias, in uacuum laboraui, ſine cauſa & uane fortitudinem meam conſumpſi, ergo iudicium meum cũ Domino, & opus meum cũ Deo meo. In propria enim uenit Chriſtus, & ſui eum nõ receperunt, & non tantum uanè inter illos laborauit, tantum enim abſuit ut in illum crederet Iſraël, ut etiam occideret crudeliſsima morte. unde dicit iudicium ſuum, & opus ſuum in Iſraël cum Deo, id eſt ante iudicium Dei patris, quo omnes iudicabit, non habiturum iudicium & opus in Iſraël. Itaque ueluti retractans propheta, quod eum ſeruum dixiſſet, qui non erat futurus, dixit quod Iſraël non cõgregabitur. quod autem in Ticcun ſophrin, id eſt ſcribarum correctionibus, aut corruptionibus deprauationibusq́ ſcribitur, core catib, catib eſſe lo per uau, & catib eſſe per aleph, ſenſui prophetæ contrauenit. Nam ante uocauerat ſeruum, & ſecundo loco mutare uoluit ſententiam. ob id inquit, & nunc, perinde atque ſi diceret, tunc quidem quum te primum uocaui, ſeruus meus eras: at nunc poſtquam inter te & tuos laborauit Meſsias, in uanum certè dico Iſraël non congregabitur, quum tamen reliquias quaſdam & feces pauperum ex illis uocauerit Chriſtus, & beatiſsimos fecerit, in hocq́ Deo ſimiles, quod nullis egerẽt, prodeſſent omnibus. Sed uideamus ſi legatur לו pro לי, quis ſenſus reſultabit? erit ſanè legendum, & Iſraël ſibi congregabitur. Vide quæ ſententia ex deprauata ſcriptura redundet. Si ſibi congregabitur, ergo non congregabitur Meſsiæ. Nam qui ſibi, id eſt in rem ſuam quicquam facit, non facit duci aut principi. Itaque ſcripturarum deprauatores incidunt in Scyllam, cupientes euitare Charybdim. Nam nil planè differt an ita dicas, ueniente tali principe ille populus ab ipſo non congregabitur: an dicas ſibi, non illi congregabitur. erit enim ſemper aliena ab eo eius populi ſubiectio. Dictio uero lo chinui dicitur de tertia perſona, at hoc in loco Chriſtus loquitur pro ſe: ita fuiſſet dicendum li, id eſt mihi, ut ſenſus ita quadraſſet, at Iſraël mihi congregabitur. Certè ſi fuiſſet quandoque ſcriptum lo per uau, ut uolunt, feciſſent aliud core catib, & ex לא lo feciſſent לי li, quoniam lõge maior eſt affinitas iod & uau, quàm aleph & uau, quæ nil habent in figura commune. Quam meritò de perditis ſcribis dixit Ieremias: Quomodo dicitis, ſapientes nos ſumus, & lex domini nobiſcum eſt? Vere mendacium operatus eſt ſtilus mendax ſcribarum. Nam illi Sophrim, qui poſt Ieſum Chriſtum fuere, quæcunque illos manifeſtè conuincere, & poſſe inter tranſcribendum deprauari uidebantur, ea omnia inuertere conati ſunt. ex multis locis uero iſte unus eſt. Eſt & alter, clariſsimè aſtum & nequitiã ſcribarũ prodens Pſalmo 22. ubi habetur de Chriſto, quæ ita conueniunt eius affixioni pedum & manuum, ut ſi præſens propheta uidiſſet, clarius deſcribere nõ potuiſſet. Ita uero genuinè habet locus, ברו ידי ורגלי caru iadai ueraglai, id eſt Foderunt manus meas & pedes meos. Fecerunt ſcribæ ex ברו· בארי, id eſt ex foderunt, ſicut leo. Sed iuuat locum penitius intueri, & quid præcedat, aut ſequatur perpendere. Ita loquitur propheta de Chriſto. Quum eſſet à nefaria gente in crucem actus: Sicut aqua effuſus ſum, & diſperſa ſunt omnia oſſa mea: Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in

medio

medio mei. Aruit tanquam teſta uirtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me? Quoniam circundederunt me canes, conſilium malignantium obſedit me. Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerarem omnia oſſa mea. ipſi uero conſiderantes inſpexerunt me, diuiſerunt ſibi ueſtimēta mea, & ſuper ueſtem meam miſerūt ſortē. Quàm quadret uerbū de uerbo hæc prophetia morti & tormentis Ieſu Chriſti benedicti, nunc nō dico: ſuo loco patebit. Inter utroſque conſtat (quouis detorqueant & deprauent) dici pſalmū de perſona in magna afflictione poſita, & quæ uno tenore de ſuis afflictionibus conqueratur. Iudicet ergo uel Iudæorum ceruicoſiſsimus, quàm aptè ita diceretur de afflictionibus omnibus cumulato homine, ſicut leo manus meas & pedes meos: aut recto caſui, quæ affinitas, leoni ferociſsimo cum manibus & pedibus hominis, uſque adeò plagis & tormentis attriti, ut poſsint oſſa eius compagibus ſeparata numerari, quæ ferocia animoſitas, aut quiduis aliud leoninum poteſt cum ſimilibus manibus quadrare? Iudicate cæci, iudicate an iſta poſsint cōſtare. & tandem ueſtrorū rabinorum nequitiam peroſi, reſipiſcite. At eſt confirmandæ ſcribarum nequitiæ gratia, adhuc unus aut alter locus adſcribendus. Quum eſſent in ſacris offerendis nequiſsimi, tamen ne irritare uiderentur Deum, locum quo arguebantur à propheta, deprauauerunt. Vbi enim erat Malachiæ primo, Et uos polluiſtis illud, in eo quod dicitis Menſa domini contaminata eſt, & uile ad manducandū, quod illi ſuperponitur. Et dixiſtis, ad quid iſte labor? & diuexaſtis, ſeu leuem putaſtis me, aut exuflauiſtis me. ita olim erat ſcriptum: quo loco quia male tractati, etiam florentibus rebus ſacrificij, & deriſi Dei arguebantur, poſuerunt ſcribæ אתו pro אתי, id eſt illud prò me, quaſi ſi eſſet uau loco iod in ſcripturis, nulla amplius in Deum iniuria eſſet. Hoc notatur à R. Salomone, dicitque eſſe unam ex 15 dictionibus, à ſcribis correctis & mutatis. Nunc uero non ſunt quindecim, ſed quingentæ: quas ſi auſi fuiſſent in litera, ut in margine, notare, iampridem nil integrum in Biblijs eſſet. & item Oſeæ quarto, quod ad reprobationem ueſtram facit: Succiſus eſt populus meus, eo quod non habuit ſcientiam: quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliuiſcar filiorum tuorum & ego, ſecundum multitudinem eorum ſic peccauerunt mihi, gloriam meam in ignominiam conuertam. Præterquam quod eſt mihi notandus locus deprauatus, id non eſt obmittendum, quod illi fuere eo nequiores quo plures. nam id dicit, Secundum multitudinem eorum peccauerunt mihi. Patuit uero ſub Barcoziba, Nam in toto orbe terrarum in tam anguſto loco, atque eſt Iudæa ante quadraginta annos exciſa, nunquam quadrageſies centena hominum milia ſunt uiſa, multo minus occiſa. Paulo antè eam nequitiam temporibus Traiani in Cyrenenſes exercuerant Iudæi, ut 220 milia peremiſſe nō ſatis habuerint, ſed peremptorum inteſtinis cingebantur, cute tegebant caput, etiam corda & carnes pro libidine comedebant, donec cæſi ſunt ad 260 milia. repulerat iam Deus ſacerdotium. Sed locus deprauatus ita habet. ubi olim erat כבודי, id eſt gloria mea, illic כבודם id eſt gloriam eorum repoſuerunt, ut mutarent de ſcripto Dei ſententiam, quam de facto ſentiunt. Nam illic Cabod, pro populo Iſraëlitarum ponitur, ut in multis locis. aſſerebat itaque futurum propheta, ut ſuam gloriam mutaret, id eſt alium populum ad ſuam gloriam deligeret eo relicto. quod ne faceret Deus, cancellato eius decreto ſe facere poſſe putarunt. O ſenſu deſtitutos homines, qui etiam Deo ſe facere poſſe fucum arbitrantur. In eandem ſententiam

mutaue-

mutauerunt Ieremię ſecundo, eandem dictionē eodem actu. Similiter Iechezchelis 8. ita deprauauerunt: Certe uidiſti fili hominis. Nunquid leue eſt hoc domui Iuda, ut facerent abominationes iſtas, quas fecerunt hic, quia replentes terram iniquitate, conuerſi ſunt ad irritandum me? & ecce applicant fœtorem ad nares ſuas? (erat olim ſcriptum, ut notat Bereſsit raba, ad nares meas) ergo & ego faciam in furore, non parcet oculus meus, nec miſerebor, & quum clamauerint ad aures meas uoce magna, non exaudiam eos. Locus deprauatus patet. Nam naribus domini reuera fœtorem omnium uitiorum applicabant, ſed uerbo demum ſe tollere poſſe putauerunt, & applicauerunt ſuis naribus fœtorem. Si de peccatis dicitur ille fœtor, ut reuera dicitur, non poteſt fieri quin ad nares Domini (ſi haberet membra) id eſt ante & contra eius maieſtatem inſurgat. unde idem planè ſenſus, uelitis nolitis, manet ô ſcribæ. Nam quicunq; quocunq; modo peccat, ut minimum, in ſe & Deum grauiter committit. Si fratrem lędit, & Deo probrum, & ſibi nequitiam, & homini facit iniuriam. Si dicebatur de fœtore, qui poſſet eſſe gratus homini, & ingratus Deo, aut utrique, cur tanta pœna eſt ob id uobis inflicta? à temporibus Symonis iuſti & ſancti non habueritis ſacerdotem, à Machabeis regem, à Chriſti tempore prophetiam, & tamen nunquam ceſſaſtis ad dominum clamare, ſemper orare, ieiunare, nunquam affligi, totis iam mille quingentis annis? certè Deus eſt uerax. Promiſit uobis nō exauditurum preces ueſtras, prædixere prophetæ pręſentem rerum ueſtrarum conditionem. & interea miſere uos lactando, omnia captiuitatū genera ad Babyloniā referūt Rabini, nō aduertentes, quod ab eo loco uos exaudiuit Deus, & reduces fecit. Sed tamen eſt omnino cōplendū uerbū Dei, quo pręd ixit penè innumeris locis, quandoq; nō auditurū uos, nō congregaturū, repulſurū etiam, nec preces auditurū. Verbū eius manet in æternū. uerax eſt. Si eius uerbis creditis, uera eſſe credatis oportet. Iſraëlitę erant depellendi ad extremū uſq; iudiciū, tunc enim illi cū ſingulis gentib. colligenſ, ut iudicenſ. Nam ueſter Meſsias, nō erat permiſſurus, ut illas calamitates pateremini in ęternum, in hac uita. oportet ergo ſub eo regnante apud alias nationes, ut mala illa quę uerax Deus de uobis prædicta uoluit, patiamini. Nā ſunt duo tempora uobis promiſſa, tempus legis, & tēpus Meſsiæ glorioſi. ſub lege impoſsibile erat ita uos à Deo repelli, ut nūq; uos audiret Deus. Nā alioqui lex ueſtra eſſet mala, & à malo authore, ſi eſſet uobis cauſa malorū. multo minus debebatis pati ſub lege Meſsiæ, illi credētes: quia erat futura lex Chriſti longe maiori perfectione, quàm Moſaica. alioqui fuiſſet ſuperflua. At uos legē, ut dicitis, ſeruatis: et nondū lex Meſsię uobis eſt cognita, & tamē à Deo derelinquendi eſtis. unde reſtat, ut ea mala patiamini propter occiſum Ieſum Chriſtū, & neglectā eius legē, in quam ueſter Nizahon, & quidā alij uirulentā linguā exercere auſi ſunt, quibus ꝓpter obſtinationē potius quàm ueritatem ſubſcribitis, quia uitijs ueſtris applaudūt. Nullū alium Meſsiā ô Iudęi eſtis habituri, quàm Antichriſtū: qui è diametro pugnabit, ut petitis, cōtra Ieſu Chriſti legē. Iſta ueſtra captiuitas iam durat ab occiſo Chriſto, ut dixi: unde ueſtra calamitas ortum duxit, ante diem iudicij nō finienda, niſi paucis ante diem illum annis, quibus ad filium perditionis uos iungatis. Niſi uobis fuiſſet infenſiſsimus Deus, ad eas omnes miſerias, quæ in uos undique procubuere, nō acceſsiſſet tam celebre eius iræ argumentum ſub Iuliano apoſtata. Quum enim perditum & nefarium hominem, magicis figmentis attentum, noſtræ religionis ex profeſſo hoſtem & inſectatorem acerrimum, ueſtri maiores, quibus

odio

odio noſtri placere uolebat, adiiſſent: fecit illis inſtaurãdi templi Ieroſolymitani copiam, ut ueſtrã gentẽ reficerent. cementis temperatis, ſaxis cõuectis, materia omnino parata, foſsis etiam ad iacienda fundamenta excauatis, repente pridie quàm primus lapis poni deberet, tantus eſt obortus terræmotus, ut non tantum templi locum, ſed Heliæ partem longè maximã euerteret, & præcipuè porticus omnes, in quibus innumera Iudęorũ gens undecunq; profecta periit. Die autẽ inſequenti ex artificũ caſa globus igneus exiit interdiu, qui ſępius per errans totam urbẽ, & ſubinde locũ repetens, quotquot Iudęos habuit obuios cõfecit. ſalutem fuga multi quæſiere, tantæ cladis nũcii: quibus ut appareret uolẽte Chriſto, & nõ caſu illa facta, ueſtes omnes ſigno crucis ita ſunt impreſſæ, ut nulla arte ualuerint aboleri. quæ omnia quũ cõſpicerent, ſunt facti Chriſtiani ferè quotquot erant in tota Syria Iudæi. Hoc eſt ſcriptum nõ tantum in noſtris, ſed in ethnicis hiſtoriis. Hæc uobis nollent aperire ueſtri rabini, ne reſipiſcatis. Redeo adhuc pauliſper ad quædam ticun. Quid nõ auſi fuiſſent inuertere ſcribæ? Rabi Atriba lumen Iſraël, ut putatis, maximus decem ueſtrorum maiorum, qui ab Hadriano uariis ſuppliciis ſunt affecti, & in quorum memoriam quotannis decimo die tiſri ieiunium propitiationis celebratis, inuertens ſcripturas, ita legebat in fauorem Barcozibarum, quod Numerorum 24 ſcriptum eſt, Orietur ſtella ex Iacob: qui locus de Meſsiæ aduentu eſt. Male ſcriptum eſſe aſſerebat, & ubi erat cochab, dicebat debere reponi cozab, id eſt loco ſtellæ mendacium. Id ſcriptum habetis in libro Taamith, in capite quod incipit tria capita, & in Echa rabati. Ille Meſsias ueſtra infœlicitate dignus erat, & re & nomine, quia falſum uero ſemper prætuliſtis. Sed minus miror ſcribas & doctores ſibi id permiſiſſe in lege Dei, quum illud ipſum ſeruis licere uoluerint. Scriptum eſt in Talmud lib. Iebamoth, cap. haeret. dixiſſe Rabbi Iohanam nomine Rabbi Symeonis: Bonum eſt ut auferas literã unam de lege, & ſanctificetur nomen cœli in publico. id eſt bonum eſt euertere legem Dei, & ſenſum eius, ut placeas hominibus. Ita Hoſa 9. ubi erat ſcriptum, Et caro mea ex eis: ſcripſere, & quum receſſero ab eis, &c. innumera ſunt deprauata & immutata, ne uerum agnoſcat poſteritas. Sed redeo ad expoſitionẽ primi capitis Hoſa, unde ad ticun ſophrin erã digreſſus. Notauimus iam duo loca, ubi Iſraël non cõgregabitur. Sequebatur, Et ablactauit eam quæ eſt abſq; miſericordia. Quæ eſt iſthęc ablactatio? Internecio. Nam à naturæ beneficio, & Dei munere præſtantiſsimo, qui uita eſt, ſunt ſpoliata, ut dixi, intra 140. à Chriſti natiuitate annũ, ſexies decies centena 860000. hominum Iudæorũ, & uix decima pars fuit ſalua, quæ uitã ſanctã ſub Chriſti lege eſt amplexa, de cuius ſanctitate uidere apud Philonẽ ueſtratẽ hominẽ licet. Filius tertio loco genitus à fornicaria gẽte Iudaica uocatus eſt, nõ populus meus, quia nec Iudæi qui ab excidiorũ tẽpore nati fuerũt, nec ſunt populus Dei, nec Deus eſt Deus illorum, quamuis ſemper ſe afficiant ieiuniis, & ceremoniis. Deus nõ eſt amplius Deus illorum, quàm gentilium & idololatrarũ, quia iam quamdiu lex Ieſu Chriſti durauit, mille ſcilicet & quingentis annis, ſunt à Deo alieni, nec habent Remp. miraculũ, aut prophetam. Illis proſcriptis nunc uerũ Iſraël & falſò ſubſtitutum ponit propheta, qui ſunt Chriſtiani toto in orbe innumerabiles, qui ubi ante non erat populus Dei, id eſt extra terram ſanctam, illic populus Dei dicti ſunt, uerumq; ſunt ſemen Abrahę, ſuperantes arenam maris: cum quibus in die iudicii iungentur etiam ex Iudæis & omnibus gentibus omnes electi, & aſcendent duce Chriſto in cœlũ, fietq; unũ ouile, & unus paſtor. eſt enim

ille

ille dies magnus ſeminis dei. Vidiſtis ueſtræ infelicitatis tragœdiã ad unguem depictã, & ſeriem rerum ad finem uſq; mundi. Falſus Iſrael ad finem uſq; mũdi erit à Deo alienus, uerus Iſrael & ſequens Chriſtũ, & eius præcepta ſeruãs, uiuet in æternum, ſine ulla rerum humanarum cura, niſi quatenus ad Dei gloriam, ſui innocentiam, & fratris charitatem faciũt. Illi in curribus, & alij in equis: nos autem in nomine Domini magnificabimur. Meſsias à uobis expectatus ſi Moſe maior erat, ut erat certe (alioqui tamdiu à Deo promiſsũ fuiſſe, niſi meliorem, uanum fuiſſet) ita longè perfectiorem ſtatum, quàm unquam antè habueritis, erat uobis daturus. At, cœli ſoli ue benignitate opum affluentia & omni parte felicitatis corporeæ nulla unquam gens fuit fortunatior, quàm fuiſtis ſub iudicibus Dauide et Solomone. Nam in libris Regum dicitur, fuiſſe tantam copiam auri & argenti atq; gemmarum, quanta pulueris aut lapidum. Si hoc uobis ſummum bonum eſt, certè Solomon uobis fuit Meſsias, quia eo rege, eiusq; regno nil unquam fuit florentius aut abundantius. Tamen ille idem tam diues qui opes à toto orbe in orbem Syrum conuehi curauerat, uobis opere dicato teſtatum uoluit, in copia opum auri & argenti, prouinciarum, ditionis, & huiuſmodi, præter uſum neceſſarium, nil aliud quàm uanitatem & afflictionem ſpiritus ineſſe. Torqueri fruſtra mortales momentaneos, ut cœleſtia negligant. Quum ergo uana iſta ſint, hominemq; beatum, & qui ab omni parte ſibi ſatisfaciat, facere non poſsint, ſupereſt ut in illis beatitudo à Deo promiſſa eſſe nõ poſſit. Nam quum ſit ſumma prudentia, in re uaniſsima non poneret ſummum bonum: quare ſequitur, quæ felicitas ſub Meſsia uentura promittebatur, eam non fuiſſe huic fortunæ & rerum corruptibilium uanitati obnoxiam. Solidam quandam debet dare ſummus dator. Ergo quæ ſumma in toto orbe felicitas eſt, huiuſmodi eſt, rerum omniũ contemptus amore Dei, nil admirari earum rerum quas mundus ſummas putat: tanquam omnia habere, nil poſſidere: alijs, non ſibi natum eſſe: uoluptati imperare, uitia profligare, & quæcunq; contra hominis ſcopũ pugnant euitare, ſequi quæ eò tendũt. At iſta omnia nos docuit Chriſtus Deus noſter. Vnde patet, eum eiusq; præſcripta eſſe ſummum bonum in hac uita, & uiam ad futurã. Acceptate ergo profligatũ à uobis iam ſatis ô Iſrael, acceptate Chriſtũ, non ſuccenſet particularibus: gentem & remp. perditam uult, non hominẽ: eius ſpiritu uiuitis, quamuis ſine religione eius fuiſtis. Victores eritis, nõ ſanguinarij & naturæ euerſores, Deoq; diſsimilimi: ſed per omnia quantũ poteſt homo cum Dei beneficio conſequi, ſimiles. Alia nunc lex eſt quàm quum terram ſanctam intraſtis. gladio fuit uia aperienda religioni: nunc contemptu rerum omnium (præterquam Dei & fratris) opus eſt. Nam eſt longè perfectior qui cohibet à rebus appetentiam, quàm qui uotis omnibus, & non raro inanibus fertur in concupiſcentias, quæ nil præter tormenta & miſerias homini relinquũt. Felicior ruſticus eſt ſolo pane neceſſitatis legib. obueniẽs, quàm princeps, aut quiuis gurges, aut helluo, qui ſe et innumeros ſeruos occupatos habet unius gulæ gratia: quum naſcendi utendi & moriendi conditione ſint præter illud pares, quod plura longè dilapidet qui plura habet, quàm qui pauca. Omnia habet qui Deum patrem, qui ſeipſum nil appetentem, qui quemlibet fratrem habet. Non poſſet egere, & qui pauca abſumit, & qui nullum hominem in fratris loco non ponit. Sed uolo adhuc immorari in reprobatione ueſtra, ut falſam ſpem uenturi Meſsiæ, in qua uos falſò retinent ueſtri Rabbini, omnino deponatis, & ad Ieſum Chriſtum antequam ueniat dies

Domini magnus & terribilis recurratis, curamq; uanam maiorum opum &
regnorum deponatis, nec unquam uobis poſsidendam Iudæam putetis. Ma
iora enim regna donat Deus. Sciebat futurum Moſes, ut multi ueſtrorũ ue
niente Chriſto illi contradicerent, ultioneq; diuina, non humana abſume-
rentur. Deuter. 18. Eritq;, inquit, quicũq; non audiuerit uerba prophetæ (eius
quem Deus authorem legis Moſiq; ſimilem miſſurus erat) ultor exiſtam, di-
cit Dominus. Pars minima credidit, maxima renuit. Eſaiæ 9. poſtq; de prin
cipatu Ieſu Chriſti dixit, & de peruicacia Iudæorum in Samaria, ait: Et diſper
det Dominus ab Iſrael caput & caudam, fruticem & iuncum in die una. Se-
nex uenerandus ipſe eſt caput, propheta mendax cauda eſt. Sunt iſta tempo-
ra Barcozbæ. Paulo pòſt: Super adoleſcẽtulis eius Iſrael nõ lætabitur Domi
nus, & uiduarum non miſerebitur, quia ſuccenſa eſt quaſi ignis impietas. Eſt
à tempore aduentus Meſsiæ iſta comminatio. Hæc eadem futura prædixerat
Moſes Deuter. 28. Ieſaias 27. Propterea non miſerebitur eius qui fecit eũ Iſrae-
lem, & qui formauit eum non parcet ei. Non de Babylone dicit, quia poſt 70.
annũ pepercit illis: unde de hac captiuitate eſt intelligendũ. Et item idem cap.
63. Quare induraſti nos ne timeremus te? & facti ſumus tanquam nunquam
eſſes dominatus noſtri? hoc eſt etiam de iſta diuturna reiectione, quæ certe eſt
longior ipſo tempore legis. Et interim uarijs expectandi temporibus uobis
Rabbini imponũt. At obijciet Iudæus, Si indurat Deus, quid faciamus? nõ
poſſumus reſiſtere. Nunquam tollit liberum arbitrium, aut humana pręſidia,
ſed gratiam negat, ut uideat homo per ſe, ſe nil poſſe. Quotidie auditis, at ob-
ſtinati permanetis, ut uix præſentibus ſub Moſe miraculis Deo credebatis. I-
ta ſe uobis infenſum Deus uult monſtrare, cap. Ierem. 15. ut nec Moſis nec Sa
muelis interpellationem pro uobis auditurum dicat: Quoniam anima Domi
ni non eſt amplius ad populum iſtũ, eijci uult, & egredi. Si ergo eijci & egredi
uult, & pro illis etiam ſanctiſſimorum interceſſiones non auditurus, quum
poſt ſeptuaginta annis à Babylone redierint, ſequitur ut de hac ultima abie-
ctione dicat. Nil non eſt refertum de ueſtra diſperſione, in prophetis. Non ne
teſtes copioſiſſimi calamitatis Hieroſolymitanæ eſtis, quæ ipſa à Ieremia cap.
14. & 17. traditur, ueluti præſens fuiſſet: & interim Deus non uult orari pro po
pulo illo in bonũ. De ueſtra etiam peruicacia & induratione meminit pluri-
mis in locis ſcriptura, ſed potiſsimum idem Ieremias ca. 7. ubi etiam æternam
deſolationem Hieruſalem futuram prędicat, quod audire noluerint uera. Ho
ſa cap. 9. in perſona Dei: Propter malitiam eorũ expellam eos de domo mea,
nec pergam diligere eos. Eratis ergo futuri ſub tempore alterutrius legis, ſi-
ne dilectione Dei. non ſub ueteri, ut dixi, quam ita ad unguem ſeruatis: ſed
ſub lege Meſſiæ, â uobis reprobati. Paulo pòſt ibidem: Fructũ nequaquam
facient. quod & ſi genuerint, interficiam amantiſsima uteri eorum. Abijciet
eos Deus meus (Deus hoc de Chriſto dicit) quod non audiuerunt eum, & e-
runt uagi in nationibus. Auditis Iudæi, uos eſſe, fuiſſeq; iam 1542 annos ua-
gos, propterea quod non audiuiſtis Deum ueſtrũ Meſſiam. Ea eſt una ueſtræ
diuturnæ uagationis cauſa. Nullibi ab eo tempore potuiſtis ius acquirẽdi ha-
bere. Nec magiſtratum uobis, nec rebuſpub. in quibus agitis, gerere unquã
à morte Chriſti licuit. Vbiuis gẽtium ſeruitis, ſeruietisq; niſi reſipiſcatis. Rur-
ſus Hamos 5. cap. Audite uerbum iſtud, quoniam leuo ſuper uos planctũ do
mus Iſrael. Cecidit, & non adijciet ut reſurgat uirgo Iſrael, proiecta eſt in terrã
ſuam, & non eſt qui ſuſcitet eam. Hoc tollit ſpem imperij & ſanguinarij Meſ-
ſiæ.

ſtræ. Traditionibus ueſtris in Seden holam conſtat(ex libro Iebamot,cap.fratriarum)bis eſſe ingreſſos filios Iſrael terram ſanctam, & poſſediſſe, ſed tertio redire eò non licere. Verum quũ eſset opus totam ſacram ſcripturã,præcipuè propheticã excutere,ſi quis omnia reprobationis loca uellet ſeligere,ad cauſas tanti mali ſæpius declaratas eſt ueniendum. Eſaias Cap. 65. Propterea quod uocaui & non reſpondiſtis, locutus ſum & non audiſtis, & faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui elegiſtis: propterea hæc dicit Dominus Deus, ecce ſerui mei comedent & uos eſurietis, ſerui mei bibent & uos ſitietis, ſerui mei lætabuntur, uos confundemini: ecce ſerui mei laudabunt præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis, & ob afflictionem ſpiritus ululabitis, & dimittetis nomen ueſtrum in execrationem electis meis, & interficiet uos Dominus Deus, & ſeruos ſuos uocabit nomine alio, quicunq; in ea terra ſibi benedicet, in Deo uero ſibi benedicet, &c. Hæc omnia de ſecunda uocatione quæ à Ieſu Chriſto facta eſt, dicta ſunt. Nam ſi de ea qua Moſes, aut prophetæ uocauerunt, nullus ſub ea lege alius populus Dei fuit, quàm Iſrael. Nam quamuis afflixit uarijs cladibus et captiuitatibus populum ſuum Deus, tamen nunquam loco eius ſuſcepit aliam gentem, donec ſcriba & dux de fœmore defecit. Itaq; relinquitur, ut neceſſariò intelligatur de eo quod Chriſtum non audiuerint. Nam qui conſenſerunt neci eius, dederunt pœnas acerbiſsimas. qui non audiuerunt, ſunt diſperſi. Et tunc nomen Chriſtianorum magnum & glorioſum ob inſignem innocentiam charitatem & pietatem factum eſt. Probroſum uero nomen Iudaicum aut Iſraeliticum uſqueadeò, ut uix ſine ſtomacho etiam ethnici, & à noſtra religione alieni, audire Iudæi uocabulum ſuſtineant etiam hodie. Chriſtiani uero omni copia rerũ abundant non propter opes, ſed propter ſobrietatem & charitatem(nolo mihi obijci uitam multorum, quoniam lex in cauſa non eſt)ſi abundent, Deo abundant: ſi egent, Deo egent. Totus enim ſcopus Chriſti eſt, ut ſit nobis omnia Deus, ſit homo neceſſarijs contentus, nil ſe poſsidere putet, ſed in ſummum bonum Deum ipſum tendens, ueluti ad ſignum directa acie collimet. Iudæi cum ſuo Meſſia ambiunt imperia, multorum hominum necem, præclaras uictorias, opes ampliſſimas, honores ſummos, & cętera uana in quibus ludit cum mundo præſenti ſatanas. Illis ſuus Meſsias deus ue nõ eſt ſatis futurus. Sed hoc in loco diligenter uos notare oportet, nos uocari uerum Iſrael mutato nomine Chriſtianos, ueſtro uocabulo exploſo. Scio ego qua ſitis conditione inter Muhamedicos. certè in maiori æſtimatione eſt penè canis quàm Iudæus. omniũ uerò prædæ patet. Ita eſt nomẽ ueſtrum execrabile & odioſum. Ita Deus iam ſeſquimille annis uos docet eius uerbum eſſe ueriſsimum, quod ueritatem in mendaciũ mutaueritis: Chriſtum uerũ Deum & hominem non tantum non audieritis, ſed occideritis, & Barcozibas duos mendacij filios elegeritis, Meſſiasq; feceritis. Cauſa alia eſt, quod putabant ſolum Meſſiam futurum Iudæorum, & ab illis auſpicari ſalutem. ideo obijciunt, ſi ueniſſet Meſſias, Iſrael fuiſſet congregatus. Vident totum orbem credentem præter ſe, & tamen acquieſcere nolunt. Venit primum inter illos, ſed ibi ueri ante impios expoſiti dedit pœnas, ubi recipi debebat. Mortẽ Chriſti fuiſſe in cauſſa deſolationis, & illã præceſſiſſe, author eſt per ſpiritũ ſanctum Daniel, quem inter prophetas ponit cap. Megila nicret, in lib. Megilach, cap. 9. Scito ergo, inquit, & diligenter conſidera, ab edicto, ut ædificetur Hieruſalem, uſque ad Chriſtum ducẽ hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabi-

tur platea, & muri in anguſtia temporũ: & poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non ſibi, id eſt nõ ſua culpa, ſed noſtra, nec pro illo, ſed pro nobis. Et ciuitatem & ſanctuarium diſſipabit populus ducis uenturi, & finis eius uaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta, ſeu perpetua deſolatio. Confirmabit autem multis pactum una hebdomada, & in dimidio eius hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium, et ob ſummas abominationes admirabitur unuſquiſque, & uſque ad conſummationem & finem durabit deſolatio. Nil his uerbis clarius poteſt adferri, quod occiſum Meſſiam antè deſolationem monſtret. À præcepto & edicto reædificationis templi, quod publicatũ fuit 30 anno regni Artaxerxis Longimani, ad Chriſti mortem ſunt hebdomades 62.½. Et à morte Chriſti ad euerſionem templi ſecundi ſunt 7. hebdomades, et dimidia. aut ut alij ſupputant, à 20 anno Longimani ad Alexandrum ſunt 132 anni. Inde ad Chriſtũ 322. quib. ſi addas 30. uitæ Chriſti ſurgent 484 anni, 69. hebdomades. Septuageſimæ dimidio mortuus eſt Chriſtus, tũcq; uera hoſtia uenĩete perijt uetuſta. Vt ut res habeat 70 hebdomades annorũ ſunt anni 490 durationis ſecundæ domus, & à temporibus captiuitatis. Itaque quum Chriſtus uenit, multi ſperabant 50. circiter annis antè, ſe eum uidere poſſe. Fuit uero incognitus omnibus, quoniam nil appetiuit terrenum, nil poſſidere uoluit, nullum alium quàm animorũ felicium principatum eſt amplexus. Ideo deſpectus fuit omnibus, quod terrena non ſaperet. Malunt uerò impij & perfidi rabini uocare hic in Daniele quoſdam alios Meſſias, quàm uerum agnoſcere. Quum tamen de rerum ſumma propter iſtum occiſum agatur, & ſit æterna deſolatio rerum Iudaicarum: quod eſſe non debebat, niſi maxima, & qua maior nõ ſit, offenſione in Deum commiſſa. Si traditio capitis Helec eſt uera, de ſex milibus annorũ, quorum duo ſine lege, duo ſub lege, & duo ſub Meſſia: quî fit ut iam mille quingenti anni ipſi Meſſiæ perierint? ad hanc rationem uix illiupereſſent quingenti anni: quo quid abſurdius? Pereunte uero ſtatu Syriaco, lex Moſis perijt. Vt uelint exponant, certè occidendus ab eis Meſſias ante diſperſionẽ, quod in euangelica prophetia patebit. Vno eodemq; tempore rex alienigena occiſis omnib. regij ſanguinis hominibus, ſublatiſq; omnibus ſacerdotibus, præter paucos qui illum ſenſerant regnaturum, oſtendit cõpletum eſſe quod dixerat de futuro Meſſia, Iacob in benedictionibus: Veniſſe ſcilicet eum qui mittendus erat. ſeu ut exponit Chimhi, filiũ eius, id eſt uirginis, quum defeciſſet ſceptrũ et legislator. Nam captiuitate Babylonica quanquam regnum ablatum eſt, tamen ſemper Mehochechim, id eſt legislatores et ſapientes legis interpres nũq; defuere, pariter nec prophetæ. Nam eo ductus eſt cum multis alijs Ieremias & Daniel. Adhæc quãuis ſceptri potentia in 70. annos eſt ſublata, non tamen ad internecionem cæſa eſt regia ptogenies, ut ſub Herode. Deſijt eo tẽpore fieri benedictio in populum nomine יהוה. Symeone, qui ipſum Ieſum Meſsiã receperat ad purificationem, ſacerdotiũ adminiſtrãte, adhuc in dextrã partẽ ferebatur. Eo mortuo, deſijt ęterna flamma, & 49 annis ante templi euerſionem erat languida. Prædixit etiã Symeon mortem ſuam, eo quòd omnibus diebus ingrediebatur cum eo in templo homo ueſtibus albis indutus, illi ſolum uiſibilis. at quo anno eſt mortuus, nigra ueſte indutus ſocius intrabat cũ eo. Hæc ſunt in Thalmud in lib. Ioma, in cap. פרת נקלש. Sunt & ſequentia ad uerbũ: Tradiderunt magiſtri noſtri, quod quadraginta annis ante deſtructionẽ domus ſecũdæ, nõ fuit ſors Domini in dextram aſcendens, nec fuit lingua ſplendoris in albedinẽ conuerſa, nec lu-

men ueſpertinum fuit ardens, erantq; portæ templi aperientes ſeipſas, donec eas increpauit Raban Iohanan filius Zaccai, & dixit: Templum templum cur deſtruis teipſum? Scio enim de te, quod finis tuus erit deſtructio. Nam de te prophetauit Zacharias 11. cap. dicẽs: Aperi Libane portas tuas, & deuoret ignis cedros tuos. Hæc ex Thalmud Hieroſolymitano. Clariſſima eſt prophetia Zachariæ. Nã portæ templi erãt ex cedris Libani cõſtructæ, & eos cedros ignis à Veſpaſiani & Titi milite immiſſus 40 annis à morte Ieſu Chriſti deuorauit, & cæteras templi materies eodem ligno compoſitas. In locis innumeris ut in Bereſsit raba notatum eſt, quadraginta annis fuiſſe conſilium 71 iudicũ extra Gazit, antequam deſtrueretur templum. Vnde iudices depulſi conſuerunt cilicium ſuper carnẽ, & euellebant barbam & pilum dicẽtes, Ve nobis, quia ſceptrum de Iuda receſſit à nobis, & nõdum uenit Meſſias filius Dauid. Expulſi itaq; illi iudices de Gazith, ubi capitalia tractabant, 40 annis ſederũt in Hamith alio loco, ubi nunquam poſtea criminalia iudicarunt. Legatur Baba bathra cap. Haſſutaphin. Illic de ſublata utraq; potentia & iudiciaria & regia reperientur lectu digna. quomodo necatis omnibus regij ſanguinis capitibus, ſolam Mariamen in uxorem ſeruauit, ut hæres diceretur regiæ domus Haſmonai, id eſt Machabeorum, qui et Raſſe galliot, id eſt capita captiuitatis dicebantur. Quum autem Mariame cõditionem ſerui aſpernata, iuſſu mariti ſe pręcipitaſſet, illam domi 7. annos aromatis conditam & delibutam retinendæ hæreditatis regiæ cauſa ſeruari curauit. Iudicibus uero omnibus quos Rabanam honoris uocabulo dicunt, è medio ſublatis, unum tantum ſeruauit, quem Talmud Baba Ben bota nuncupat. Ioſephus qui in his referendis conuenit, uocat Babam tantũ. cui quamuis illi regnum fuerat pridem auguratus, oculos tamen eruit, retentis eius in carcere liberis. Non potuit unus Babas ex tanto ſenatu ſuperſtes deligere ſibi ſocios iudices, quum legitimè electi non eſſent niſi à quinque ex conſortio uiris. Cæterum alios in ſenatum legit Herodes, à ſe que pendere uoluit, ſublatis etiam ſacris libris. Pontificem alienigenam Ananelum inſtituit, & ſacra & profana mutauit, ne ulla uetuſtæ conditionis rerum ueſtigia ſupereſſent. In Babylonico Talmud. cap. Sibeat lamim, id eſt ſepem dies, legitur 40. annis ante templi ſecũdi euerſionẽ, decẽ miracula in templo fieri ſolita defuiſſe, ibi poſſunt legi. Additur ad id dictum Dauidis, Signa noſtra nõ uidimus, nec eſt ultra propheta. Exponit Rabi Moſes Hadarſan illud Ieſaiæ ultimo: Antequam parturiat pariet, & antequam ueniat ei partus enixa eſt maſculum. quis audiuit ſicut hoc, quis uidit ſicut iſta? Hoc modo: Antequam generaretur ſubiugans Iſrael in ſeruitutem ultimam, natus eſt redemptor. Videtis quàm omnia cõueniunt? Antequam Titus naſceretur, natus eſt Meſſias. Legite de Arabe qui Meſſiam propheticè uocans Menahem filium Chiztriæ, id eſt conſolatorem filium uirtutis Dei, dixit, natum in Bethlehem Iudæ. Hæc traditio eſt in Bereſcit raba, & ſi ab alieno dicta, tamen uero conſona. Fit eius mentio in Eca rabeti. Si uero non uenit Chriſtus, nunquam eſt uenturus, quum eſſet naſciturus in Bethlehem, quę omnino diruta eſt. Faciat ſaltem uobis fidem Suetonius ethnicus author, à uobis æquè ut à nobis alienus, ita ſcribens: Percrebruerat, inquit, oriente toto uetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut eo tempore à Iudæa profecti, rerũ ſumma protirentur. Certa & conſtans erat opinio eo tempore. De tempore nobiſcum conuenit, & cum ueſtris. Cæterum utitur interpretatione inſana Iudęorum, in his corruptibilib. more pecudum felicitatẽ & ſummum

bonum portentium, qui de ſuo ingenio æſtimantes filium Dei in totius orbis ruinam, ut unà gens delicijs potiretur & imperio, eſſe naſciturum, eius ſummam humilitatem & in omnes beneficium agnoſcere nunquam potuere, aut uoluere, tam'que tenuem qui agnouiſſent recipere. Et tamen ut à principio docui, etiam ſi homo tantum Ieſus Chriſtus fuiſſet, ex operibus eius Deo ſimilimus uiſus fuiſſet. Nil planè poſſidens, omnia largiebatur quæ in eo erant poſita. Nam ut notaui in primo libro, de expulſis à templo mercatoribus, ſi ad opes cogendas ueniſſet, tantum imperij acquirere poterat, quantum peragrare: imò ſine mutatione, poterat momento uniuerſi orbis arbiter eſſe, ut erit ſecundò aduentu terribilis omnibus, illis qui contempſerunt eum. Quum enim eum crederent præſtantiſſimum mortalium (ſi nolunt credere Deum) potentia non uni aut alteri tyranno orbis'ue uaſtatori ſimilem iudicare debebant, ſed omnibus ſuperiorem. Quid ergo ad eius dignitatem iſta fex orbis habet, in quo homo Deo non inferior occupetur? Vos perdidit auaritia, Iudæi, uos perdidit peruicacia, uos perdidit ueri odium, uos perdidit rabinorum uafricies. Vnum hoc audeo dicere, ſi uellet Deus, poſſet quidem uno ueluti nictu totum orbem ſub unum adducere imperium. Cæterum non poſſet ad horam illud retinere, durante libertate arbitrij. Nam quum hominis cor pronum ſit ad malum ab adoleſcentia, nullis iuris legibus poteſt ita, etiam præſente principe, & pœna retineri, ut per omnia iuſſis obtemperet. Cuius rei nullum poteſt, quàm in uobis, clarius dari documentum. Quum enim præſentia Dei cerneretis fulgura, fulgetra, caliginem, miracula, uoces audiretis, ducis radiantem uultum ferre non poſſetis, tamen uitulum etiam ſummo diſpendio auri ueſtri comparatum auſi eſtis Deo præferre. Quid referam ſeditionem Corę, Datani & Abirami? Terræ hiatus etiamnum eſt uindicati ſceleris argumento. Nec fuit hoc uitij in malis tantum. Peccauit Maria, læpra'que percuſſa eſt: peccarunt leuitæ. Niſi uobis Deus ueluti ſaxis abſtuliſſet arbitrium, non potuiſſet uos arctiori imperio, quàm quum præſens cum Moſe erat, ligare. Quid cenſetis ſi ad centena milia paſſuum abfuiſſetis ab eo loco, & defuiſſet diuinus ille mannæ cibus, quid non commiſiſſetis? Exempla temeritatis humanæ ſunt frequentia. Hannibal tot uiuens amiſit, quot quæſiuit. At Africæ Hiſpanias, Italiam, & Galliarum partem iunxerat. Alexander Macedo ab Indo prudentiſſimo ſignis temeritatis & humanæ peruicaciæ fuit admonitus, allata ante eum pelle bubula ſicca, quam quum extrema una parte premeret, conſurgebant cęteræ: quum in medio premeretur, omnes extremæ partes attollebantur, docebant'que ſignis, ea quæ proxima ſunt potentiæ, & illi proportione reſpondentia, eſſe tantum reuera ſubiecta, cætera in motu. Et quamuis à principe magnates non ſtatim deſciſcunt, tamen ita expilationibus obterunt ſubditos, ut qui motus à capite non uenit, à membris expilatis ſuſcitetur.

Quid dicam de ferreo illo Scytha, qui paucis ante noſtra ſæcula annis præclariſsimas Aſiæ partes, ferociſsimas'que, Scythiam, Iberiam, Armenias, Perſida, Mediam, Syrias, Aſiam minorem, paucis admodum annis ſubegit? Et eundem imperij & uitæ finem eſt ſortitus? Videamus totius orbis potentiam celeberrimam, Romanos. Vbi ſtatim ſunt maximas longè'que ſemotas prouincias conſequuti, ſua mole laborare cœperunt, incendium'que & externum & domeſticum alere, parta'que ægrè admodum

dum tueri, & indies deperdere. At Meſſiæ imperium eſt æternum, & regni eius non erit finis. Quod quum ſit uerisſimum, & totus orbis illi ſubmitti debeat, neceſsariò ſequitur corporeum imperium eius non poſſe intelligi, ſed animorum & pietatis ius toto in orbe illi deberi. Alioqui fuiſſet infeliciſsimus, qui uanis huius uitæ curis immerſus, ſummam felicitatem habuiſſet, quam etiam multi ambitioſiſsimi principes infelicitatem iudicarunt. Ex ditiſsimo rege factus eſt ruſticus Attalus. Diocletianus alioqui nequiſsimus, prætulit uitam priuatam imperio. Dicere de diademate ſolebat, ſi bene memini, Tiberius, quoties imperij ornamenta reciperet, O infelicem magis quàm felicem tyaram, quæ tantum curarum una circumfers. Quum eſſe debeat ab omni parte beatus Meſsias, orbi'que uniuerſo in æternum imperare, quoad tradat regnum Deo patri, ea beatitudine quæ infelicitatem in ſe habet maximam, non debuit eſſe felix. At mihi obijcietis probra in Ieſum à uobis admiſsa: quibus uobis ſatisfaciam, poſtquam ueram cauſam ueſtræ præſentis reprobationis attulero, & præcedentibus iunxero.

Hamos ſecundo ita habet: Hæc dicit Dominus. Super tribus ſceleribus Iſrael conuertam, & ſuper quarto non conuertam, pro eo quod uendiderit pro argento iuſtum, & pauperem pro calceamentis. Cauſa uenditionis Chriſti Ieſu eſt. Veſtri rabini recentiores, ut omnia peruertunt, exponunt de acceptione perſonarum, & fauoribus iudicum in iudicijs, tanquam ſit maximum orbis crimen. alij de uenditione Ioſephi à fratribus: quæ piacula ſimul iuncta, non eſsent tamen digna æterna proſcriptione, & reprobatione, quum ſcelus uenditi Ioſephi ſit expiatum afflictionibus in Aegypto receptis, ut ueſtri interpretes ſaniores conueniunt. Corruptelæ uero in iudicijs quamuis maximum ſcelus ſunt, tamen multa grauiora committi poſſunt. Ideo homicidia grauius longè ubiuis gentium puniuntur, quàm furta: & furta quum prætextum habere uidentur, ut in magnatibus, quamuis ſunt maiora, tamen ideo non putantur maximum ſcelus, quod in rem peccetur. Certè in toto terrarum orbe, etiam apud prudentes, morbus ille obcæcat iudices, nec tamen perpetuis pœnis ubi hæc fiunt, fient'que aſsiduè quamdiu durabit mundus, iſta adiudicat Deus. Nouit Deus, rerum fluxarum ſplendorem ineſcare magnates, ut ſplendore atque titulis ſe ſuos'que ornent: iacturam (quamuis ſit iniquiſsimus qui adimit) aliquando utiliter fieri, ut ad ſe redeant quos amor habendi occupauerat: nouit ex illis quæ detrimenta nuncupare ſolemus, ſumma non raro dare compendia, quoniam ſcopus hominis in rebus externis non eſt, neceſſariâ uſu & princeps & ruſticus, aut inops ſibi ſatisfacere poteſt. Fuit longè grauius illud peccatum Iſrael, ut æternum exilium mereretur. Sed erit nobis interpres Hadrianus imperator, qui hoc, dialogo cum decem uiris magnis (ut uocatis) habito explicauit. Quum interfecto Barcoziba in Bittera decem uiros magnæ authoritatis in Iſrael concluſiſſet in carcere, ita ait Cæſar ad illos: Iudicate iudicium iuſtum in iuſtitia. Si quis reperiatur qui furatus fuerit animam à fratre ſuo qui eſt de filijs Iſrael, & prodiderit eam atque uendiderit, quid erit? Reſponderunt dicentes, Morietur fur ille. Subiunxit Cæſar, & ait: Et ubi ſunt patres ueſtri, qui fratrem ſuum uendiderunt? Et uos ergo recipite iudicium cœli ſuper

uos. Si autem ipſi uiuerent, ducerem eorum iudicium coram uobis. Vos igitur iniquitatem patrum ueſtrorum portabitis. Viuos itaque alios excoriauit, alios ferreis pectinibus lacerauit, igne aut alijs uarijs ſupplicijs cæteros abſumi iuſsit. Hæc hiſtoria uobis eſt notiſſima. Nam eſtis tam probi, ut in memoriam perditiſsimorum hominum, qui fauebant impio Barcozibæ, ieiunium annuum celebretis. Et quum illi conſenſiſſent iniquis & impijs tyranni & pſeudoprophetæ facinoribus, qui nolebat ſibi præire Deum, uos tamen inter diuos referre audetis. O cæcam gentem. Quomodo potuiſſet imperator à religione ueſtra alienus, propter Ioſephum qui antè 1800 fermè annis ductus in Aegyptũ fuerat, cuius uenditio diuino numine facta ſummæ etiã ſaluti fratribus fuit, tam inaudita tormenta uobis inferre? Non eſt uerisimile, quod uix peccatum, id'que multis antè ſæculis expiatum dicebant ueſtri ſapientes, tam crudeliter ut nouum uindicare uoluiſſet. Quis ita ſibi perſuadeat, ſapientem & cordatum hominem ſcelus iam æterna penè memoria ſepultum, uoluiſſe in innocẽtiſſimis ab eo crimine, & magna authoritate hominibus ulciſci? Recens erat quod ulciſcebatur facinus, quod reuera commiſerant patres iſtorũ. nam iſti erant ſenes, & 90 antè annis ab eorum patribus fuerat uendita Chriſti uita, & proditoriè tradita. corpus Ioſephi uiuum uenditum fuit, ut uiueret in Aegypto: at Chriſtus Ieſus, ut in cruce moreretur. Hoc habet commune hiſtoria, quod utriq; à fratribus tradi contigit. Aſſentiebantur morti & uenditioni Ieſu Chriſti hi decem uiri, qui perſequutionibus crudeliſſimis Chriſtianos perſequendo, falſo prophetæ & in gentis ruinam nato ferebant ſuppetitias, ſuppeditabant conſilia. Quamuis non erat Chriſtianus Aelius Hadrianus, erat tamen à Chriſto non alienus, cuius in larario cum Abrahamo & multis alijs imaginem uenerabatur. Certè niſi tanta fuiſſet ſacerdotum idolorum factio, fuiſſet palàm baptiſmo profeſſus Chriſtianam fidem. Is igitur fuit genuinus interpres loci in Hamos ſcripti. Nam quamuis peccabant filij Iſrael uendendo Ioſephum fratrem, tamen lege nondum teneri poterant, quæ poſt ducentos annos uix data fuit. Atqui antea-cta ſcelera lex nulla niſi à quo eſt promulgata, admiſſa punit. Non'ne ex his & antè dictis uos abijſſe in reprobum ſenſum iudicatis? Ita quatuor aut quinque nefariorum nebulonum neotericorum ſententiæ mauultis ſtare, & uetuſtos ueſtros interpretes negligere, quàm uerum amplecti. Legite miſeri legite prophetas, appendendo quę in Chriſtum cõmiſiſtis. perpendite cap. 7. Ezechielis. Propter peruerſum in Chriſtum iudicium iſta patimini, ut ait ibi propheta: nec parcet uobis. Sed ſatis multis ſum hoc reprobationis argumentum proſequutus. In eo enim ubiuis perſiſtam, quum nunquam nõ fiat de ea mentio.

QVORVNDAM IVDAEORVM NEOTE- *ricorum obiecta, & ſolutiones.*

QVid primum hoc in loco aggrediar, quibus'ue primum obiectationibus occurram, quum recentiores interpretes, nil aliud in ſe quàm ſolida errata, & ſcripturæ ſacræ inuerſiones cõtineant, neſcio. Primum itaque ea quæ huic tam diuturnæ captiuitati & reprobationi uidentur occurerere, excipiam, & explodam. Vt autem omnia liqueant, ſunt quibuſdam ſummis capitibus res de quib. agitur cogendæ, ut uideatur unde hallucinatio in Iſrael contigit. Sunt ab orbe creato ad finem uſque eius tres conditiones rerum perpendendæ:

dendæ: lex naturalis, lex inſtauratoria, lex gratiæ. Naturalis eſt omnibus data, ſed in Adamo & poſteritate ita corrupta, ut omnes quidē ſe male agere iudicent, emendare ſine Dei priuilegio in ſalutem non poſſint. Secunda data Moſi, ut Iſraelitis explicaret. Tertia Chriſto Deo authore ita dari debebat, ut in ea omnib. hominib. naturæ deprauatæ remedia propoſita eſſent. Sunt illa tempora coniuncta, ut præteritum præſens futurum. Prima & ultima quum ſint omnium, nullis locis erant adſtrictæ. Iudaica tātum locum habuit: quem poſtquam omnino perdidit, etiam uim habere deſijt. Nam quamdiu Deus illam uoluit fouere, illi aſsidue miſit prophetas, dedit doctores, rexit iudicibus, regibus, ducibus: nec miſit illi ullam calamitatem, quin prænunciauerit eam cum exitu. quod in captiuitate Babylonica patuit. Sequitur ergo, quum princeps, ſacerdos, propheta, regio, locus, miracula, templum, ſint illi genti ſine ulla libertationis ſpe aut prænunciatione deperdita, etiam illam legem finem ſuæ uirtutis accepiſſe. Nam eſt impoſsibile eam habere ſuam uim, & tamen funditus omnia eius adminicula concidiſſe, & iam mille quingentos annos mundum ſine lege fuiſſe.

Quum uero non ſit inter illas leges interuallum, ſequitur, legem Meſſiæ fuiſſe in Moſaicæ loco inſtitutam, quando illa perijt: & continuam fuiſſe in Iudæa Dei & ueri Iſraelis legem, cum Moſaica, quod innuit Hieremias, quum ait trigeſimotertio: Non abſcindetur Dauidi uir ſedens ſuper thronum domus Iſrael, & ſacerdotibus leuiticis non abſcindetur uir coram me eleuans holocauſtum, & adolens & ſuffumigans cunctis diebus. Conſtat ex hoc loco, aut prophetam fuiſſe mentitum (quod cogitare nephas) aut nos eſſe uerum Iſrael. Nam iam mille quingentis annis à nobis ſacrificatur. Illicque Simhoni, qui fuit bonorum ultimus, ſucceſsit potentia Chriſtus, licet nullis ceremonijs. Nam illas ſublaturus uenerat. Illi ſucceſſit Iacobus iuſtus, & cæteri ex ordine: qui, quamuis nobis illic ſunt res afflictæ, nihilominus habent potentiam. Nam in hoc differt noſter Iſrael à ueſtro, quod nec locis nec rebus terrenis ſumus addicti. Veſtræ autem legis præmia erant rerum omnium corruptibilium copia, à terra Iſrael dependentia.

Ex hac conſideratione patet, Chriſtianos eam ſeruaſſe potentiam, quam perdidiſtis. Thronus autem Dauid eſt eccleſia Dei, & conſortium fidelium: quod propheta Nathan, poſtquam quieuiſſet Dauid ab inimicis ſuis, ipſi aperuerat, ſecundo Regum ſeptimo: Et ſtabilis erit domus tua, & regnum tuum uſque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter. Nam ad literam de regno corruptibilibus rebus fulto, intelligi non poteſt. unde de fidelium fidem Dauid ſequentium poteſtate dictum intelligendum eſt. Vnde Dauid in Pſalmis ait. Thronus tuus Deus in ſæculum ſæculi, &c.

Eſt & alia populi ſub lege agentis conditio. Nam captiuitatibus trium generum debebat premi. Paruulis, ut ſub iudicibus: ſeptuaginta annorum, in Babylone: tertia æterna, quum ſcilicet gratia legis in gratiam Euangelij permutanda foret. Itaq; ea omnia pro quibus Deus per prophetas dixit, ſe non remiſſurum, ad hanc captiuitatem ultimam, à qua niſi fiant Chriſtiani non liberabūtur, ſunt referenda. Sunt etiā tres acceptiones Iſraelis ſub lege Moſis, ſub euangelio (quod ex Ieſaia uidimus) ſub reprobatione & ira Dei. Sunt &

tres

tres congregationes, una à captiuitate Babel, altera paucorum ſub Chriſto, tertia & Iſrael & omnium in die iudicij. Promiſcuè de illis loquuntur prophetæ. Sed omnes in præſentem captiuitatem trahunt nefarij interpretes, tanquã ſit aduenturus quidam tyrannus à Deo miſſus, qui illos liberet, & corporalia legis diuinæ præmia iterum illis ſtatuat. Quod autem ſecunda cõgregatione ualde pauci eſſent congregandi, patet ex libro Sanedrin in cap. Helec. Vbi ita habetur: Dicit rabbi Samai, Dictum eſt apud Ieremiam cap. 3. Et aſſumã uos unũ de ciuitate, & duos de cognatione, et introducam uos in Tzion. Cõparat egreſſus eorum ex Aegypto, ingreſſui eorum in terrã. ſicut introitus eorum fuit in terram ſanctam duorum ex ſexcentis milibus. Quem locum exponit rabi Selomon hoc modo: Reliqui inquit mortui ſunt. Et item Rabba interpres, Et ſic erit in diebus Meſſiæ ſicut dictum eſt Hoſeæ 1. cap. Et reſpondebit ibi ſicut in diebus iuuentutis tuæ, quando ipſa aſcendit de terra Aegypti. Idem oſtendit quod ſuperius. Neceſſe eſt autem de cõgregatione ad Meſſiam prima intelligi. Nam congregatio ex Babylone fuit omnium, aut ſaltem pauci ueniam ferunt. Vltima uerò colligentur omnes homines ad iudicium Dei. Confirmantur hæc per Gemara in libro Sand. cap. Dine Mamonoth. Quod, ait traditio filij rabbi Hia, quum aliquando ſederent in conuiuio coram Rabinis, nil uolebant de ſacris tractare, quæ ue à patre didicerãt explicare. itaq; ait rabbi pincernæ, Adauge illis uinum, loquẽtur. Quod quum feciſſet, unus eorum dixit: Non ueniet filius Dauid, donec defecerint duæ domus patrum de Iſrael, quæ ſunt caput captiuitatis quæ erat in Babylone, & donec deficiat princeps qui eſt in terra Iſrael, ſicut ait Eſaias cap. 8. Et erit ad ſanctificationem & ad lapidem offenſionis, & ad petram ſcandali duabus domibus, & ad laqueum & ad ruinam habitatoribus Hieruſalem. & offendent ex eis multi, & ruent, & adſtringentur, & irretientur & capientur. Liga teſtimonium & ſigilla legem in diſcipulis meis, & expectabo Deum abſcondentem facies ſuas à domo Iacob, & præſtolabor eum. Hæc traditio. Vt autem pateat locus Ieſaiæ latius, altiori principio eſt repetẽdum. Dominum exercituum ipſum ſanctificate, ipſe eſt pauor ueſter, & ipſe terror ueſter, & erit uobis in ſanctificationem in lapidem offenſionis & petram ſcandali. Hoc notat maxime dici de aduentu Meſſiæ, in quo longè maxima pars perijt, ſuntq; ſaluati pauciſsimi diſcipuli & apoſtoli Ieſu Chriſti. quo ex loco & Meſſiam ueniſſe ueſtris rebus euerſis, & nos in ueſtrum locum ſucceſſiſſe, palàm fit. De Meſſia uero ſunt nobis notandi duo aduentus. Primus, qui ſtatim euerſis ueſtris rebus ſucceſſit, et reliquias paruas ueſtri collegit. Secũdus, qui uos omnes cum cæteris hominibus ad iudicium colliget, poſtquam Antimeſsiam multi ex uobis ſequuti fuerint. Hoc non egere probatione puto. Sed interim aduertẽdum diligenter, quum de congregationib. dicat uniuerſaliter, aut de ultimo aduentu dici, aut de uocatione Chriſtianorum ex toto orbe, ut eos homines colligat ab hac fece ad felicitatem æternam. Nec eſt obcæcatorum Rabbinorum interpretatio, quæ uos falſis temporum periodis lactat, & ex ultimo aduentu primum facit, ſuſcipienda. Omnium longiſsimus terminus fuit nugatoris & ſcripturarum deprauatoris, rabbi Selomonis, qui ait, legem nouam incepturam à deuaſtato templo, ſed non eſſe publicandam uſque ad 1335 annos, & beatus erit qui expectabit uſq; ad 1390. Hæc nugator, ut peruertat ſcripta Danielis, qui occidendum Chriſtum, et legem abrogãdam dixerat, antequam euerteretur templum. Sed heus tu ineptiſſime nugator, hoc tempus cui

legi

legi aſſcribetur, Moſis aut Meſſię? Viſum'ne unquã fuit, à Deo aut arte factã
rem fuiſſe, ut eſſet 1335 annis inutilis? Se ſatis refutat. Et tamen iam illa perio-
dus exceſsit ante ducentos & ſex annos, & non dum uenit ille tamdiu ſom-
nolentus Meſſias. Quidã Zaadias dixerat anno ab euerſione 1200 uẽturum.
Rabi Moſes Aegyptius maxima integritate (ut Iudæũ damnatũ licuit) dixit
certò, anno mundi 4474 Meſſiã uenturũ. at ille terminus iam à mille annis, &
ſuprà tranſijt. Moſes Gerundenſis & Leui ben gerſon præfixere annum mũ-
di 5118. Et tamen antè quadringẽtos annos terminus ille præterijt. Videte mi-
ſeri Iudæi quid infelicitatis ex derelicto fonte aquæ uiuæ, & defoſſis ciſternis
aquã non ualentib. continere, habeatis. Traditio Heliæ prophetæ quãuis eſt
apocrypha, tamẽ debebat præferri nugis horũ nebulonũ, uerũ euertentiũ. At
illa iam antè dixerat, mũdi 4000 anno uenturũ Meſſiã. Venit uero 3963. quod
parũ abeſt à numero. Ieſaias quũ ſcripſit למרבה, id eſt ad multiplicãdũ impe-
riũ Meſſiæ, ſcripſit Mem Setuma inter cęteras rationes, ut ſexcentis poſtea an
nis oſtenderet peritis uenturũ Meſſiam, & ita cõtigit. Dixerat Daniel poſt 70
hebdomades & uenturũ Chriſtũ, et ruiturũ incendio templum. Idipſum ſine
ullo errore 490 pòſt annis contigit. Dixit Ieſaias uenturũ Meſſiam anteq̃ na
ſceretur Titus, ita notant interpretes. Vidiſtis Chriſtũ ueniſſe quando defecit
ſceptrum & legislator de Iſrael. Nam quadraginta antè annis ceſſauerũt tem-
pli miracula, quadraginta antè annis lingua ignis in dextram partem ferri de-
ſijt, quadraginta annis fuit ſenatus extra Hagazith: & quemadmodũ Moſes
in deſerto quadraginta annis expectauit reſipiſcẽtiam populi, ſi uellet cogno-
ſcere uias Domini, ita ab occiſo Ieſu Chriſto quadraginta duos annos uolu-
it uos Deus ad pœnitentiã expectare. Non'ne iſta omnia ſunt fide digniora,
quàm miſeri illi rabini, qui uos perdunt? Sed adhuc una rerum conditio ſu-
pereſt notanda antè obiectiones. Tripartita fuit multitudo populi, ueniente
Meſſia. Nam fuit Iſrael minimus ſaluatus per Meſſiam, Iſrael mediocris per-
dendus per uindictam, & tertius maximus reprobandus in gentium oppro-
brium. De tribus illis uidimus. Sunt eò referendæ multæ prophetiæ, quas im
periti ueſtri neoterici euertere interpretationibus moliuntur. Sunt illi ho-
mines deluſores, & dominatores populi, qui percuſſerunt fœdus cum mor-
te, de quib. prophetauit Ieſaias 28. cap. propter quorum impietatem & uerſu-
tiam iſta omnia extrema patimini. Vos enim rident, et ſeriò illis creditis, quũ
in captiuitate tam diuturna ſitis, & perdideritis prophetas, ſacerdotes, iudi-
ces, reges, & miracula. Legis uirtus uobis perijt. Nec Iudæi poſſunt eſſe aliud
à mille quingentis annis, quàm impij & perfidi. Sed de uaria partitione
populi poſt occiſum Meſſiam eſt audiendus Ezechiel cap. 5. Horret animus
certè filij Iſrael reprobi, horret animus referre quæ de uobis ſcripſit. Dicam
tamen: Et tu fili hominis ſume tibi gladium, nouaculam tonſoris, & aſſumes
eum, & duces per caput tuum, & per barbam tuam, & aſſumes tibi ſtateram
ponderis, & diuides eos. Tertiam partem igni combures in medio ciuitatis,
iuxta completionem dierum obſidionis: & aſſumes tertiam partem, & conci-
des in gladio in circuitu eius. Tertiam uerò aliam diſperges in uentum, &
gladium nudabo poſt eos, Et ſumes inde paruũ numerum, et ligabis in ſum-
mitate pallij tui: & ex eis rurſum tolles, & proijcies eos in medio ignis, & com
bures eos igni, & ex eo egredietur ignis in omnem domum Iſrael. Hæc
dicit Dominus Deus. iſta eſt Hieruſalem, in medio gentium poſui eam, & in
circuitu eius terras, & contempſit iudicia mea, ut plus eſſet impia quàm gen-
tes,

tes,& præcepta mea magis quàm terræ quæ in circuitu eius ſunt contemne-ret. Iudicia enim mea proiecerũt, & in pręceptis meis non ambulauerũt. Ideo hæc dicit Dominus: Quia ſuperaſtis gentes quæ in circuitu ueſtro ſunt,& in præceptis meis non ambulaſtis, & iudicia mea non feciſtis, & iuxta iudicia gentium quæ in circuitu ueſtro ſunt,non eſtis operati. Ideo hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, & ipſe ego faciam in medio tui in oculis gentium iudicia, et faciam in te quæ non feci, et quibus ſimilia ultra non faciam, idq́ propter abominationes tuas. Ideo patres comedent filios in medio tui, et filij comedent patres ſuos,& faciam in te iudicia,& uentilabo uniuerſas reliquias tuas in omne latus. Ideo uiuo ego, dicit Dominus Deus. Niſi pro eo quod ſanctum meum uiolaſti, in omnib. contaminationibus tuis, et in cunctis ab ominationibus tuis, eo quoque confringam, & non parcet oculus meus, & non miſerebor,etc. Antequã agam in Nizahon, uolo quædam in hunc locum prophetæ notare, ut aduertatis diligentius. Mitto quod in principio uos cõparat pilis, id eſt recremento corporis inutiliſsimo, et quod ſolũ nullum animantium alat, pręter ueſpertilionem, ſed abraſum ſtatim perit: ita inter homines qui à Deo pendent, eratis maximi tenebriones, & nil aliud quàm tenebras ſub prætextu legis Dei circumferentes. Combuſta pars fuit ſub Tito. nam conflagrauit Hieruſalem, in qua bello, fame, peſte & igne perierunt undecies centena milia hominum, centum ferè milia ſunt ſeruituti et ſpectaculis reſeruata. Cæterum in toto bello uiceſies centena milia hominum ſunt deſiderata. ſi eam multitudinem reſpiciatis, quæ eſt deducta ab Aegypto, tripla & amplius cæſa eſt. Et tamen una tertia pars eſt tantum. nam quadrageſies centena (duo alij trientes ſcilicet) in Bitter, ut minimum, ſunt confecta. Nolo hic adferre quæ Ioſephus, homo Iudęus, magna authoritate inter ueſtros, retulit. Ille author extat. Credetis illi, ubi de Chriſto non loquitur. Tertia pars confecta gladio, tertia item profuga toti orbi eſt in præſentem diem ludibrium. Ex tota illa multitudine pauci ſunt ſeruati et ligati in patio, id eſt facti Chriſtiani, & tamen nõ omnes boni. Nam Symon Samaritanus baptiſatus eſt, & uoluit ſpiritu ſancto abuti ad magica: demum impius & perfidus factus, multos in errorem traxit: ac demum Romæ dum in cœlum ſe poſſe uolare falsò dæmonibus credit, concidit orationibus Petri & Pauli, eſtq́ in infernum delatus, xi. anno Neronis, & eo mortuo ſtatim eſt decretum excidium, & Tito commiſſum bellum. unde ignis in totam domum Iſrael. Quæ uero cauſa eſt? quia magis impia fuit, quàm gentes, Hieruſalem. Nam gentes ſtatim atque audiuerunt de Chriſto, & eius doctrina, ſunt conuerſæ, in Samaria, in Damaſco, in Antiochia, in urbibus uicinis iam dicebamur Chriſtiani, quum adhuc omnibus ſupplicijs Hieruſalem noſtros afficeret. Vobis antequam ueniret Meſsias, nil erat commune gentibus. Nec erat in quo ab illis ſumere exemplum deberetis ſub Moſe, imò fuiſſet damnabile. Nam erant idololatræ, & perinde moribus mali ut uos. Itaque fugiendum erat uobis gentium exemplum in omnibus. Nam fuiſtis in captiuitatem ducti propter imitationem gentium. Nunc uero dicit Deus extrema omnia exempla in uos conſtituere uelle, quòd non ſequamini gentes. Oportebat igitur gentes habuiſſe aliquid à Deo commune uobis & cæteris nationibus, quod que gentes prius quàm uos recepiſſent. At nil tale eſt præter Euangelium Ieſu Chriſti, ſeminis Abrahami, in quo erant ſaluandæ omnes gentes. Nam parum erat, ut ait Ieſaias, ut eſſet Meſſias homo Deus in ſalutem Iſraeli,

ideo

ideo cum poſuerat Deus in ſalutem gentium. Sed impleri oportebat ſcripturas: ut uocaret populum, non populum Deus, & non dilectam, dilectam. Ideo dicebant piſcatores hominum: Oportebat primum uobis loqui uerbum Dei, ſed quia uos indignos feciſtis, ecce conuertimur ad gentes. Si fuiſſetis ſecundum iudicia gentium operati, tunc temporis proculdubio Iſraël ſaluus fuiſſet. Aſt quia euangelium reſpuiſtis, & illud blaſphemare auſi eſtis, & Chriſtum Ieſum Meſſiam interficere, quem innocentiſſimum credidit Pilatus (licet auaritia, & Iudęorum peruicacia ductus, dederit crucifigendum) & abſoluendum ſæpius iudicauit, antequam ueſtris cæderet clamoribus: ideo tam crudele exemplum de uobis Deus conſtituit in conſpectu gentium, ut nec ante ſimile, nec poſtea ſit futurum. Ita fauit duci ethnico in uos ſęuienti, ut in medio ueſtri exercitus, Titus obſidens urbem, à nullo lædi unquam poterit. Vbi non eſt magna copia materiæ, triduò urbem muro latiſſimo & alto, longoq́ undequadraginta ſtadijs, urbem ueſtram cinxerit: ubi fuerunt incluſa undecies centena hominum milia, nullus prodire in legitimum congreſſum auſus fuerit. ubi matres proprios liberos coxerunt, & comederunt: ubi fimus & ſtercus fuit in cibo gratiſſimo, & in precio: ubi oppletę ſunt domus cadaueribus, & fame morientibus: ubi tanta fuerit morientium turba, ut terra urbis ad ſepulturam defuerit. ubi corpora ob fœtorem muris præcipitata, oppleuerint foſſas, tanta multitudine, ut ad cœlum oculos uertens, dum ea cerneret Titus, dixerit: teſtor Deū, quia in cauſa huius miſeriæ non ſum. ubi demum nec pater filium complecti, amare, aut mortuum flere potuerit. ubi etiam (quum alioqui haberet obedientiſſimum militem Titus) non potuit prohibendo facere, quin incendio templum perdiderit, atq́ poſuerit Ieruſalem in aceruum lapidum. Et tamen ſuperſtites non agnouere Chriſtum, ſed iterum aduerſus ſanctum & iuſtum ex toto terrarum orbe ſunt collecti in Bitter: in qua quanta miſeria fuerit, ex hac licet conijcere. Fuerunt in urbe longè maximo muris ambitu cincta, quadruplo ferè quàm Ieroſolymis numero, & trimeſtrem obſidionem tulere: in qua quid paſſi ſint Iudæi, ex hiſtoria Ieroſolymitana relinquo cogitandum. Nam nullus hiſtoriographus huius excidij calamitates copioſè deſcripſit. Legantur ab orbe condito hiſtoriæ omnium gentium, nulla unquam clades huic ſimilis reperietur, unde & peccatum tam immane Iudæos commiſiſſe fatendum, ut nullum unquam ab orbe cōdito fuerit, futurum ue ſit maius. Ab hoc ſolo facinore certè Ieſu Chriſti diuinitatem æſtimare licet. Nam pro ſanctiſſimo mundi propheta occiſo, nunquam tam acerbas & inauditas pœnas ſumpſiſſet Deus: quum homo ſanctior Iſaia dari, aut Zacharia filio Ioiadæ non poſſit, & tamen Deus & iſta, & idololatriam poſt ſeptuaginta annos remiſit, & fouit adhuc populum ſuum fermè quingentis annis, qui iam alienatus ab eo mille quingentis annis exulat. Ideo uobis non parcit, nec unquam parcet, niſi in filiū eius Meſſiam Ieſum à ueſtris maioribus uiolatum & occiſum, credideritis. Nam ille pius eſt, uosq́ ad miſericordiam expectat: licet uos ieiunijs maceretis, preces fundatis, uos inter uos foueatis, cęremonias exequamini, uobis ſperandum non eſt ut unquam audiat, qui uos diſperſos, toti orbi exoſos, & in opprobrium ludibriumq́ gentium natos, clamantes mille quingentis annis non audiuit. Iam prodeat cataphractus Nizahon, cōgrediamur. Quamuis leui armatura uix pilo & parmula ſum inſtructus, tamen duce fide Ieſu Chriſti facile futurum ſpero, ut quo ſum nudior, & à ſacra ſuppellectili imparatior, eo mihi uires maiores ſuppeditet, ut agitatione, ſaltu, & animo hunc Goliatem tāta opinionum turba fultum cōficere poſſim. Primò obijciet nos nō eſſe populū Dei, quod legis ſignaculū circūciſio

nem nō ſeruemus, quū tamē Chriſtus ipſe illā ſeruauerit. Nos eſſe populū dei, iā docui, quod ſtatim abſciſa lege Moſis, & eius priuilegijs, ceremonijs, ſignis, magiſtratu, ſacerdotio, prophetia, imperio ceſſantibus, ſucceſſimus: ꝙ nō ſimus circūciſi, id docet perfectionē. Nā Moſes in Deut. & prophetę, ut iā docui, prętulerūt cordis circūciſionē carnis circūciſioni. loca iā attuli. Quare igit̃ Chriſtus eſt circūciſus? ut faceret utraqꝫ unū, ut Iudęos gētibus cōiungeret, ut mediator duo extrema in ſe reciperet, baptiſmū & circūciſionē, legem ut à ſe datam approbaret fuiſſe bonā, ut ſe ueſtræ infirmitati accōmodaret, ut omni humilitate deus & homo oſtēderet nobis eſſe receptis legibus, quę cōtra Deū nō pugnāt, parendum. at nūc quū diſceſſit, ſi circūcidamur, Chriſtus nobis nil prodeſſet. Præcipua ratio fuit legis approbandæ, ad eius uſqꝫ diē, & ut extrema cōnecteret, ut quēadmodū duabus naturis diuina & humana cōſtabat, ita legē prędij corporalis, & ſpiritalē cōiungeret, & utraqꝫ unū faceret. Obijciūt idololatriā Iudęi, ꝙ imagines colamus ſanctorū & Chriſti. Nō adoramus, aut in illis aliquid diuinitatis credimus, ſed in memoriā Ieſu Chriſti & ſanctorū, quū pauci noſtra negligētia literas ſacras ſciāt, ſeruamus, à qua nō fuit uetuſta lex exors. Nā diuinitatē ſerpēti æneo ineſſe putarūt. Inſtituerat illū Moſes, ſuſtulit Ezechias propter popularē abuſum. erāt in tēplo duo Cherubin, qui lōgè minus corporea figura ꝗ homo ſanctus poſſunt, debēt ue fingi. nec tamē populus, qui ea ſigna uidebat in tēplo, colebat. ita nec noſtri adorāt ſanctorū uirorū imagines, ſed in memoriā eorū quos repreſentāt, aſpiciūt, & quas fundūt preces ante eas ut precibus deū cōpellant pro nobis, eas à Deo incipiūt, & per Chriſtū Deū finiūt. Rationabile uerò eſt, ſanctos qui quū in corpore mortali eſſent, exaudiebātur pro populo à dño, nūc quū illi iuncti ſunt facilè cōſequi, quę noſtris miſerijs cōpatiētes flagitāt remedia. quod quū multis alijs locis, tū ex eo loco prophetę patet, ubi ait: Si ſteterint ante me Moſes & Samuel, ut orēt pro populo hoc, nō exaudiā. quo loco patet, & poſſe ſanctos orare, & nullos etiā ſanctiſſimos à Deo quicqꝫ ueſtro nomine obtinere poſſe, donec credatis in Ieſum crucifixū à uobis. Vtinā potius quàm ulli eſſent cauſa offenſionis, aut erroris, illas imagines tātiſper tolleret eccleſia, donec Muhametani, & Iudæi Ieſum Chriſtū ex animo amplecterentur. Si per illud ſtaret, poſſetis fieri Chriſtiani, ſe in hoc uobis accōmodaret eccleſia: aut ſeorſim tēpla, ubi ueſtro arbitrio Ieſum Chriſtū coleretis. nos negligere delectū ciborū, & legē pręuaricari dicitis. Si illę obſeruatiōes fuiſſent ad ſalutē neceſſariæ, nunqꝫ tā liberè Spiritus ſanctus per os Dauidis, Ieſaię, & cęterorū prophetarū eleuare uoluiſſet. Itaqꝫ una lex omnia illa ad duritiā cordis, & ad tempus, (donec uobis illuceſceret ſol iuſtitiæ Chriſtus) cōceſſit aut prohibuit, ut memoriā Dei frequētius haberetis, cōceſſa aut uetita uidendo. Nil uerò in illis eſſe mali poteſt, quoniā quod Deus creauit, quū bonū ſit, malū & peccatū in homine, Dei cultore, & cordis ſumma puritate generare nō poteſt. nā peccatū nō fit, niſi à uolūtate. Quod fuit in illis peccatū ꝗdiu lex Moſis durauit, id erat nō quia res mala erat, ſed quia legē infringere malū fuiſſet. Illas ceremōias quibus in Aegypto eratis imbuti, ut ſe uobis accōmodaret, permiſit, & quia nil arbitrariū in lege ponit̃, iuſſit. Ideo nō peccamus, illis utēdo, quę per ſe mala nō ſunt, & à prophetis agitata. Nā lōgè grauius fuiſſet diurnū ſacrificiū tēpli, duorū ſcilicet arietū obmittere, ꝗ porcinā comediſſe. & tamen prophetę ad tempora Meſſiæ reſpiciētes dixere, Quis hęc requiſiuit de manibus ueſtris? Ergo lex uera erat facere miſericordiā & iudiciū, ſubuenire oppreſſo & uiduæ, & eſſe beneficio in oēs Deo ſimillimū. Si Chriſtus fuit Deus, ait Nizahon, & omnia ſciēs, cur diſcipulis gnorare ſe dixit diem reſurrectionis? Quod non expedit hominibus ſcire, id

ſilentio

ſilẽtio & obſcuritate tectũ uoluit Deus. Nã periodos rerũ ſcire eſt ſolius dei, qui
errare nõ poteſt: hominis uerò cui ſemper mors imminet, ſemper iudiciũ dei in-
ſtat, & tamen à malo nõ abſtinet, nõ eſt ſuũ finẽ noſſe. Nã ſi cũ eſt in timore mor
tis & iudicij Dei poſitus homo, tantũ ſcelerũ cõmittit, quid nõ faceret, ſi ſciret ſi-
bi certas inducias eſſe datas? ergo ſe accõmodare uoluit deus diſcipulis, & audito
rio adhuc malè firmo. Erãt illi multi amiciſſimi, pręcipuè inter diſcipulos. erant
& matris eius parentes, quibus ſi quid ſe ſcire arduũ eſſet faſſus, importunè inſti
tiſſent ut aperuiſſet. quod ſi facere renuiſſet, ęgre tuliſſent, & illorũ probitati illũ
nõ ſatis fidei habere iudicaſſent. Nã tenellis eorũ in fide ætatibus eũ ſe accõmo-
dare oportuit, quũ etiã poſt tot uiſa miracula, eo mortuo pauci de eius reſurrectio
ne ſæpius prædicta ab eo crederẽt. At mihi dicet Iudæus, Si ſciuit, & cõtra animi
ſenſum negauit, eſt mẽtitus, quod eſt à propheta alienũ. & ſciuit, & dicẽdo ſe ne-
ſcire, nõ eſt mẽtitus. Nã ut homo nullus mortaliũ ſciuit, ut deus uero omnia no-
uerat. Quũ enim eſſet homo deuſꝗ, duas naturas extremas in ſe habẽs, ſummã
ſupremarũ, & ſummã inferiorũ, duas etiã ſciẽtias, & duas uolũtates habuit. Cre-
do ô Iudæi cordatiores, id uos mihi nõ negaturos, quod Meſſiã forè excellentio
rẽ hominẽ, qui unquã in mũdo eſſe poſſet, exiſtimetis. At ſi homo tantũ fuiſſet,
poterat alter à deo maior fieri, qui unà & Deus & homo eſſet. Itaꝗ oportebat eũ
eſſe Deũ, duabus naturis pręditũ, duabus etiã uolũtatibus & ſcientijs, & animę
qualitatibus, quæ in Deo & in animo diuerſæ uidentur. At ignorauiſſe aliquid
(dicetis) etiã uulgare, patet. Nã quũ ueniſſet ad ficũ ſterilẽ, iuſſit diſcipulos reſpi-
cere an in ea eſſẽt ficus. Heus tu bone Iudęe, nõ uides deũ etiã te ignorãtẽ facere,
quũ eaſdẽ ueluti ignorãtias faſſus eſt? Quare dixit deus Adamo, ubi es? an igno
rabat? an reperire nõ poterat? Si reperire poterat, quare ubi eſſet quęrebat? & itẽ:
Deſcẽdã, inquit Deus, & uidebo an opere cõpleuerint. num ignorabat an cõſti
tuerẽt turrim? opus'ne eſt illi motu locali? ignorat'ne aliquid? de Sodomitarũ ui-
ſitatiõe idẽ iudicandũ. Sunt phraſes loquendi in ſacris familiares, ſe nobis accõ-
modat deus, & effectiuè tãtũ, nõ animi affectionibus more noſtro agit. Pœnitẽ
tia uidetur duci quod hominem fecerit, an ergo ab æterno ignorauerat peccatu-
rũ? iſta ſunt ſenſibus noſtris accõmodata, quoniã alioqui nõ caperemus. Chri-
ſtus nil aliud uoluit, niſi dũ omnes attentos ad ficũ habet, & potentia diuini mira
culi terreat, & ad bona opera incitet. Quod autem ſcientiã futurorũ haberet, id
ſatis docuit, quod prædixit certo fixoꝗ tempore ſuã reſurrectionem, prædixit
Spiritus ſancti miſſionem, ſuorũ mortes & miracula, prædixit cladem Ieroſoly
mitanã, prædixit omniũ reſurrectionem, & futurũ iudiciũ, materięꝗ per ignem
decoctionem. Sed quare nõ addidit præciſa tempora, ut pręcauiſſent? hic inter-
rumpã, & niſi mihi ſimilẽ quæſtionẽ par pari referẽdo ſoluatis, nõ ſum ſatiſfactu
rus. Prophetæ oẽs reuelatiõe diuina utẽtes, & ſpiritu ſancto afflati, futura prænũ
ciare, & uera pręciſo in tẽpore prædicere potuere, uel nõ? potuiſſe nõ negabitis,
quia 70. anni captiuitatis pręciſè ſunt nũciati, nũciata eſt & tẽpli ruina poſt hebdo
madas. 70. Quare ergo nõ præciſè oẽs calamitates futuras tradiderũt, ut ſibi prę
cauerẽt homines, quorũ tẽporibus cõtingere debebãt? Dicetis fuiſſe incõueniẽs.
nã nulla fuiſſent ſpei & fidei merita: impij liberè ad periodũ uſꝗ malè egiſſent, ti
mor in eã uſꝗ horã fuiſſet ſublatus. Arbitrio credendi defuiſſet locus. quod eſt
meritũ, religionis fons, & baſis. Fuiſſet ueſter & totius orbis Meſſias infantulus
adhuc exiſtẽs oppreſſus. Nã ſi ſtata fixaꝗ die naſciturũ ſciuiſſetis, ex toto orbe
eò cõfluxiſſetis, potẽtiamꝗ uicinis principibus & rebuſpub. formidabilẽ, factio
neſꝗ de eo ſublimãdo ſine dubio excitaſſetis, uoſꝗ ipſos & illũ anteꝗ euãgelio
locus fuiſſet oppreſſiſſetis. Quod maximè patet: quia quãuis obſcuriſſimè naſci
 uoluit,

uoluit, tamẽ nõ potuit fieri, quin Herodes totã iuuenilẽ à bimatu infantiã, quod de illo à Magis audijſſet, in finibus Bethlehẽ, & in Rama ſuſtulerit. de qua re ſi nõ recipitis noſtra placita, audite ſupra à me adductũ Macrobiũ ita de iocis Augusti ſcribentẽ: Quum audiſſet, inquit, Auguſtus, Herodem inter illos pueros, quos infra bimatũ interimere in finibus Bethlehemiticis iuſſerat, eius quoq; filiũ interfectũ, dixit Cæſar, Mallem eſſe Herodis porcus ꝙ filius. Eſt autor ille à uobis & à nobis alienus, & planè impius, tãtum abeſt ut à nobis inſtructũ dicatis. Cõſtat facinus. Nõ ſatis habuit Herodes uobis abſtuliſſe regnũ, ſacerdotiũ, iudiciũ, regiamq; prolẽ, niſi etiã Ieſum in innocentibus proſequeretur. Quid erat futurũ, ſi cũ apparatu ueniſſet? eã ob rem prophetæ noluerũt diem menſem'ue attingere, ne ille qui erat ſſar ſſalõ, id eſt princeps pacis, ſtatim à cunis bellũ adferret. Quæ turba & orbis cõfuſio adfuiſſet uero Meſſiæ, quũ poſt necata in Iudęa uiceſies cẽtena hominũ milia, & euerſis pręcipuis urbibus, tñ ad falſum Barcozibã quadrageſies cẽtena, uel ut alij uolũt, quatuor milia myriadũ cõfluxerint? Religio nõ ſolet pręciſa tẽpora edicere, ut libertas nobis acquieſcẽdi uero, aut nõ acquieſcẽdi relinquat. In hac re uoluit eſſe ſimilis prophetis Ieſus Chriſtus, ut ſuos ad fidẽ animaret, & in ſpẽ futurorũ attolleret. Prædixit quidẽ & de miſſiõe ſpiritus ſancti, nec tamẽ præciſè: Sed nõ poſt multos hos dies, dixit. die uerò quinquageſima à reſurrectione, decima ab aſcenſione miſit paracletũ, cuius uocabulũ impoſtor ſexcẽtis pòſt annis ueſtris fauoribus & ſuppetijs uoluit occupare Muhamedes. Nil ergo de ignorãtia Chriſti adfertis, alioqui & Deus pater, & prophetę ſpiritus ſancti ductu ignari fuiſſent: quod eſt impiũ, ut & de Chriſto, credere. Quod nos uocemur uerus Iſraël, expulſo alio, id ſatis ſuprà patuit, & uidimus Chriſtũ in carne. Quod uerò obijcit nobis Nizahõ, nos nõ debere dici Iſraël ob interpretationẽ, quaſi uideamus Deũ: ergo eadẽ ratione falſo ſunt uocati Hebręi, qui nunꝗ uiderũt. Diuinitatẽ ſcimus nõ poſſe oculis cerni. & aſſerimus nos nũc uidere deũ ueluti per ſpeculũ in ęnigmate, quoad corporis uinculis abſoluti uideamus animo libero facie ad faciẽ. Sed ſe offert locus in quo exultat, & ſeriò triũphat Nizahõ, tanꝗ uictor: Si Meſſias aut Ieſus Deus eſt, cur ingreſſus eſt in mulierẽ, quũ ſit mulier uas immundũ, à quo triduo Deus Iſraëlitas uoluit abſtinere, anteꝗ legẽ acciperẽt? Ardua quæſtio. Fac etiã (ô peſtifer homo) fuiſſe diuã uirginẽ mulierẽ, quã ore blaſphemo etiã fœdiori uocabulo fœdare te poſſe putas. An ꝓpterea deus in ſe labẽ cõcipere põt, ꝙ quotidie fœdiſſima hominũ peccata, quibus nil fœdius, uidet & tolerat? Num in eius mũdo, in quo uerſatur etiã ad inferos uſq;, omni infamia infamiores, penetrãs, ut inquit Dauid, poteſt cõcipere labẽ? quodq; tã infamia alat, uideat, perferat ſcorta? Si potuiſſet ſcelere labe factari, iã pridẽ nõ fuiſſet Deus. Nõne ergo ſine macula poterat intrare (fac Deũ eſſe corpus) in corpus fœmineũ: uide ꝙ impotẽtẽ facias, & ſole inferiorẽ. nã cloacas, lacus putridos, ſerpẽtes, q̄cquid eſt ueneni putridi & fœtidi, cõtingũt in ſua ſemꝑ integritate manẽtes eius radij. At ſi incorruptibilia & ſũma labẽ ab inferiorib. cõcipere attingẽdo poſsẽt, iã pridẽ nullus eſſet ſol, fœdi eſſẽt radij, perniciẽq; adferrẽt, nõ ſalutẽ. Vide quò impotẽtię deũ reducas, quóue recideris, dũ tu eius potẽtiã uici incapacẽ cõfers homini, cuius oẽs iuſtitię ſunt pãnus mẽſtruatę, ſi ad deũ cõferant. eũ aũt ſua creatura & cãdela igne'ue domeſtico inferiorẽ cõſtituis. Nã pone in latrinis (honos ſit auribus) cãdelã ꝙ diu uolueris, pone etiã in quibuſuis tenebris, ubi exemeris, nil planè lux ipſa uitij refert. & tu perditiſſime homo, maieſtatẽ Dei illa inferiorẽ impotẽtioréq; aſſerere nõ dubitas? Poſſet etiã uiliſsimũ ſine labe ſcortũ intrare ſancta eius maieſtas, & purgare, dignũq; deo facere: quod quotidie per gratiã facit, dũ cõuertit peccatrices. Nã nec plus corporis

habet deus dū gratiā q̃ dū potentiā exhibet. Verū ſacroſācta mater dn̄i noſtri Ieſu Chriſti nō fuit ſcortū, ut audes aſſerere, & referre exhorreo: nec fuit mulier. i. quę uirū nouerit, ſed ęterna uirgo. Opus fuit digniſſimū Ieſu Chriſto, quēadmodū duas naturas in ſe habebat, ita duas creationes in ſe ſuáue carne recipere. Vt eñ primū hominē deus ex luto ſine ſemine & uaſe ad generādū apto formauit, cęteros uero ab illo p̄ naturę inſtrumenta naſci uoluit: ſic dei filius ſapiētia patris Ieſus Chriſtus, utrūq; modū in ſua natiuitate cōprehēdere uoluit. Quēadmodū enim deus pōtētiſſimus per ſapientiā, uerbū, aut filium eius, in ſpiritu ſancto ab utroq; procedēte, omnia creauit, ſic naturā humanā à deo creatore procreatā uoluit in uno diuinitatis & humanitatis ſubiecto ab utroq; participāte uniri, & generationē talē in humanis ſortiri, ut in ſe haberet duas pręcedētes, & ab illis procederet. Sūt duo in generatiōe cōſiderāda, ſemē, & uas ſemini recipiēdo & fouēdo aptū. Caruit utroq; primus homo, utrūq; habēt cęteri homines, tertius homo alterū tantū. Nā ductu ſpiritus ſancti ſine ullo ſemine cœpit in uaſe uirgineo augmētū. O' miſeri & perfidi Iudęi, uos ueſtri ſaltē miſereat, ſat ſit Rabbinorū ueſtrorū perfidia innumeros homines dānatos à 1500. annis ex uobis fuiſſe: uidete magnitudinē glorioſi Meſſiæ, quomodo omnia in eo ſibi cōſentiant, quomodo nullus poſſet maior dari aut cogitari homo, q̃ qui homo unà & deus eſt: quomodo dignius q̃ à ſanctiſſima uirgine naſci nō potuit, qūo melius? q̃ humiliter & obſcurè mundū ingredi primo non uoluit: qūo ſimilior eſſe Deo nō potuit, q̃ de omnib. benemerēdo, & innumera probra in ſe pro uero aſſerēdo, recipiendo? qui tāti fecit hominē, ut eius nomine qūū eſſet perſoluēdi impotēs, patri ſatisfecerit. Si omnia ſumma de eo credetis, certè quæcunq; de illo credimus, ſunt uobis probāda. Cęterū nec tātū myſteriū ſilētio trāſiere prophetæ. Ait Eſaias: Audite ergo domus Dauid, Nunquid parū eſt uobis eſſe moleſtos hominibus, niſi ſitis moleſti & deo meo? propter hoc dabit dominus ipſe uobis ſignū. Ecce uirgo pręgnās pariet filiū, & uocabit nomē eius Emmanuel: butyrū & mel comedēs, ſciet reprobare malū, & eligere bonū. Hæc ſunt clariſſima: nec egerēt interpretatiōe, niſi ea eſſent auſi deprauare Rabbini, ut uobis nebulas ob oculos effunderent. Quia perditus ille, & populo perfido dignus Achaz, à Deo alienus & diffidens, noluerat cōſulere dominū in belli periculo, ideo propheta ea à ſpiritus ſancti oraculo dixit. Atq; ſi diceret, O' domus Dauid, & rex Iſraël Achaz, qui nō uis experiri an deus ſeruet populū ſuū, nec ſignū ab eo uis petere, tāq; nos deſeruerit, nō ſatis habes homines ſanctos & prophetas uilipēdere, niſi etiā deū irrites? Tamē cōtēnas licet, nō facies quin deus ſignū lōgè maximū ſit in ſuo populo editurus. Virgo eñ pręgnās pariet filiū, & uocabit nomē eius nō hominē, ſed deū qui nobiſcū eſt. Qūū uerò puer educabit more patrio melle & cremore, ſciet reprobare malos & inobediētes populos, & eligere bonos & fideles. Sequētia ſunt clara de reprobatiōe Iſraël, & terra relinquēda. uos uerò oēs fatemini Symeonē iuſtū fuiſſe, fœliciū ſacerdotū ultimū. & linguā ignis in dextrā ferri deſijſſe in morte eius, & ſequētes nō benedixiſſe populo cū nomine arba othioth, & cætera miracula ſenſim euanuiſſe. unde ueſtra reprobatio fuit manifeſta, anteq̃ puer Ieſus Emanuel ablactaret. eo enim anno quo Chriſtū in ulnis habuit, in Mariæ purificatiōne, mortuus eſt Symeō iuſtus. Omnia ſunt cōſentanea. Quis uerò impietatē, & ad ſcripturas deprauādas ſtudiū ueſtrorū rabbinorū nō admiret & exhorreſcat? Immanuel ſolū nomē Meſſiæ cōuenit. nā tūc erat futurus cū hominibus deus, cuius generationē nemo poſſet enarrare. Volūt illud dictum de filia prophetæ, aut quauis alia ut ſoniāt, hominēq; eſſe patrē Immanuelis. At quod tā magnū ſignū eſt, ſi mulier uulgari modo cōcipit & parit? ſigna ſunt rara & ſuper naturā, at fœ-

minā cōcipere ex uiro, quid habet miraculi? nōne pariente filia Achaz, aut prophetæ, perdidiſtis terrā, & uenit ruina? O' reprobi homines: & uos iſta deliramēta ſectari non pudet, ô miſeri. Ad hæc quis poſſit dicere uirginē & grauidā ſine implicatiōe falſi, ſi de uulgari cōcipiendi uſu intelligat? Si ex uiro cōcepit, uirgo non eſt. itaq; quum dicat uirginē & grauidā, maximū dicit ſignū, & miraculū. Ne uerò eſſet ambiguitas ulla, uſus eſt nomine harah, id eſt prægnans: quod (ut dixi) ſi de uirgine deflorata intelligat, implicat cōtradictionem. De ſola itaq; uirgine Maria, quæ ſine uiro cōcepit, & uirgo permāſit, intelligit: ex ea enim aſſumpta carne proceſſit Ieſus Chriſtus: quemadmodū trāſiens per medium illorum qui eū uolebāt capere, ibat: quūq; euanuit in mōte ex quo illum præcipitare uolebāt. Fuit Maria mater Chriſti uirgo in partu, & poſt partū. nō eſt ergo maculatus Deus in ſacrā uirginem deſcēdens. Templum pacis Romæ corruit, quum uirgo peperit. nouū opus putabant æternum Romani, quum cœlo tacta moles cecidit, dās locum uero pacis principi. Ara in templo Iſidis in Aegypto uirgini pariture poſita ante erat: pariter in Gallia tpe Druidarū Carnuti, quæ poſtea dicata fuit puerperæ. Manauit fonte oleum Romæ die integra, ſequente Domini natiuitatē. Iris aurea ea die uiſa eſt, ſtella Magos deduxit, tres ſoles in unum coierūt. Sūt iſta omnia annalib. uariarum gentium notata, & propheticis ſcriptis conſona. Eiuſdem miraculi aliјs uerbis meminit Iere. 31. cap. Vſquequò te huc & illuc uertes, filia rebellis Ieruſalē? Certè creauit Dñs nouū ſuper terrā. Fœmina circūdabit uirū, hoc eſt nouū quod facit Dñs: fœmina circūdat uirum ſine ulla uirili opera. Nā quid alioqui nouū eſſet, ſi more cæterarū cōciperet? Ideo paulo pòſt de ueteri lege abrogāda loquitur, & de noua eius uiri quē fœmina circundabit recipienda, quiq; in matris aluo dictus eſt uir ob diuinitatem perpetuò comitem, & in utero, & extrà. Ob id dicit Ieſaias, ubi de morte eius agit. cap. 53. Generationē eius quis enarrabit? quaſi dicat, nemo, niſi reuelāte Deo. Ab æterno enī ſapiētia, & uerbū, & filius Dei genita durat, ſemperq; eſt apud patrem, filius ſine matre, per quem mundus eſt in amore & ſpiritu ſancto creatus. Ita ſecūda generatione illi fuit mater abſq; patre, ex qua ſumpta carnem uenit redēpturus, & in uiam ueritatis, quoniā creauerat hominem, reducturus. Sed ad Nizuah redeo. ait: In ueſtro Ioannis euangelio ſcriptum eſt quod Chriſtus dixerit ſe habuiſſe à patre & Deo quæcunq; habuit, ergo non erat Deus. Argumētum hoc idem eſt, atq; ſi dicas, ego feci hoc impulſu animi, ergo ego ſum animo inferior. eſt Ieſus minor patre ſecūdum humanitatē, ſecūdum diuinitatē æqualis. nam ſuperius uiſum fuit, æqualē eſſe rerum omniū in uerbo explicationem, ut & in mente, & in opere. Ita ſapientia patris tota eſt in patre, & tota in filio, ut homo enim Chriſtus, formam ſerui accipit. alioqui diuinitate par, quum ſit in patre, filio, & ſpiritu ſancto una deitas, & æqualis, pſonis diſtinctis. Alia obiectio. Nō elegit Chriſtianos Deus in populū, quoniā ſcriptū eſt: Non fecit taliter omni nationi, & iudicia ſua nō manifeſtauit eis. De lege id intelligitur. nā alibi dicit: Omnes gentes plaudite manib. iubilate deo in uoce exultatiōis, quoniam fundatur Zion in exultatione uniuerſæ terræ, &c. omnes enim gētes erant uenturæ & adoraturæ te Dominum. Quum uerò æternus Iſraël ſit in Ieruſalē, ſequit (ut nos tenemus) Ieruſalem fuiſſe, eſſeq; eccleſiam Dei, quam ſoli ſub Moſe habuiſtis. ſed à 1500. annis eſt toti orbi aperta, & uerum Iſraël patuit eſſe populū eius eccleſiæ. Sed lōgè maxima quæſtio & dura ſe offert. Si fuit, ait Nizuah, Ieſus Deus, cur ſuſpenſus fuit, & in ſe ſuſtinuit omnia afflictionum genera? ucr clamauit ſe derelictum à Deo, &c. Satisfaciam primo ratione, & demum autoritate. A' capite repetamus. Iam ſæpius dictum eſt, eſſe hominem tanto perfectiorem, quanto

ſimilior

ſimilior fit Deo, & ediuerſo. Omnibus dat Deus, & nil accipit, hoſtes perinde & blaſphematores ut amicos ſuis bonis donat, omnia propter hominem facit, maximam charitatem in omnes exercet, ueritatem in rebus perpetuam facit, per continuationem ſpecierum in materia. unde inordinata, & mala falſaq́ꝫ, reprobat. Meſsias quum deberet eſſe homo perfectiſſimus, & quo nō poteſt dari maior, debuit per omnia fieri illi ſimilis in operationibus. ergo pauperrimus, & nil poſſidēs, & quęcūqꝫ in eo erāt poſita elargiēs, à nemine autē accipiēs. Amauit oēs homines ex ęquo, quū pro crucifigētibus ſe exorauit: omnia etiā pro ſalutē hominis fecit. Nā homo ſine deo, ad deperditā ab Adamo innocētiā redire non potuit: quod probatū eſt primo libro ampliſſimè. Si habere maximā erga oēs charitatē eſt deo ſimillimū, nemo maiorē habere poteſt, ꝙ quū ſalutis plurimorū cauſa uitam ponit, & lubēs moritur: quod Chriſtus diuinitate uoluit, corpore certē horruit ad ſudorē uſqꝫ ſanguinis. Quicunqꝫ autē maximā charitatē uult fratri exhibere, primā curā de ſalute eius animæ habeat neceſſe eſt: qui animorū curā ſuſcipit, uerū aſſerēdū ſumit: qui uerū aſſerēdū ſumit, magnatibus diſpliceat neceſſe eſt. Nā fouēt in rebuſpub. ob ſuas utilitates & opiniones uitia: quęcū agitant, perſonæ uitioſę taxare uident. unde prouerbiū, ueritas odiū parit. odiū ſtatim ueri aſſertori malū parat. At ſi eſt homo Deo ſimillimus, flecti nō debet, potius mori debet ꝙ ueri diſpēdiū pati. Nā quod facit Deus in perpetuitate ſpeciei, itidē & ueri ſatelles de uera aſſertione facere debet, & uidere tā diligenter ne uitiū falſi irrepat in animū, quàm Deus ſeruat ne neuus aut morbus à natura in corpus ſerpat. Quiſquis talis eſt, mortem ſubeat oportet. Verum iſta prophetæ latius aperiūt, quod patebit in euangelio prophetico. Vno loco ero contentus, nunc ueluti digito indicaſſe. Ieſaiæ 53. Poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrûm, & eius liuore ſanati ſumus. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus propter ſcelera noſtra. De Meſsiah illa intelligi neceſſe eſt, quicquid depravent Rabbini. Itaqꝫ ſi futurus erat ueſter Meſſias præſtantiſsimus, lōgè debebat animi bonitate excellere, & ſemper uerū profiteri, nec aulicā id eſt apparentē habere iuſtitiā, quam habere oportet illum quiſquis rerum ſplendori ſtudet. Longè eſt animus corpore præſtātior, ergo & uirtutes eius uirtutibus corporis. Pręſtantia ergo meliori erat futurus Meſſias. Nā qui copia rerū & imperio floret, nō poteſt eſſe bonus, & deo ſimillimus. Quum enim in toto orbe ſint ſemper futuri pauperes & egeni, ſi contemnūtur ab eo qui aliquid poſſidet, nō eſt perfectus, quia ſeruat ad ſplēdorem & uanā opinionē, & illi nō habent ad neceſſitatem: moriūtur fame fratres, & unus deuorat omnia. Si dat omnibus ex æquo, ſtatim erit ſimilis & pauper. Si dat, & ſemper abundat, alios ſpoliat, ut alios ueſtiat, & fit iniquus prædo, qui alienum ſanguinem largiatur. At Meſſias non erat in ſe habiturus peccatum: unde neceſſe fuit pauperē, humilē, abiectum, odioſum, malis, & paucis bonis probatum fuiſſe: qualis fuit Ieſus Chriſtus. Verum pergo ad ſummam uitæ Ieſu Chriſti, ut Iudæi uideant non unū aut alterū locū detortum illi cōuenire: ſed totam hiſtoriā in prophetis, non ſecus atqꝫ in euangeliȷs haberi. quod niſi de eo omnia dicta fuiſſent, fieri nō poſſet ut ita per omnia cōueniret. ita fiet, ut qualis eſſet futurus, agnoſcāt. In fine cęteras obiectiōes percurrā, & paucis ſoluā, quoniā Iudæi cōtra aduentū eius obȷciūt. Sunt enim adeò ſtupidi, & ſuis Rabbinis addicti, ut quia duo ſunt Chriſti aduētus, duos Meſſias expectēt.

QVAE DE IESV CHRISTO CREDIMVS.

CRedimus Ieſum Chriſtū filiū, uerbū & ſapiētiā dei pr̄is ab ęterno genitū, apud patrē ante ſecula eadē diuinitate diuerſa perſona agētē, rerū diſtinctionē & creationē unà cū patre & ſpiritu ſancto in tēpore feciſſe, demū promiſſum

fuiſſe à Moſe & ꝓphetis reuelãte ſpũ ſancto, q ante eũdẽ Abrahamo & Iacobo
aperuerat. Secũda uerò natiuitate natũ in Bethlehẽ Iudę ex uirgine, ut quẽ pater
p eũ hominẽ formauerat, eũdẽ omnino deprauatũ ad uiã iuſtitię reduceret. Cæte
rũ ſtatim ubi in mũdo naſci uoluit, paupertatẽ ipſis factis amplexũ fuiſſe, atq; tũ
res Iſraëliticas alterauiſſe, & in ſe trãſtuliſſe. Natũ 13. die à regib. Magorũ adora-
tũ fuiſſe, & demũ in Aegyptũ ꝓfugiſſe. Illi Ioannẽ baptiſtã ueluti Eliã præiſſe,
& in deſerto ad pœnitẽtiã nomine illius inuitaſſe. dein ubi adoleuiſſet, & uir per
fectus factus fuiſſet, uocaſſe apoſtolos ut plurimum piſcatores, ut eos faceret pi-
ſcatores hominũ, quibus legẽ quę eſſet toti orbi utilis & ſalutaris exponere cœ-
pit, atq; ut omnino pietatẽ in animo ſeruarẽt. Sũmis uerò & inauditis miraculis
cõfirmata quę doceret, uoluit. ob quę miracula cõcepta inuidia incredibili in eũ
principes Iudęorũ, occaſionẽ quęrebãt ut illũ perderẽt. tũ Ieruſalẽ ingreſſus eſt, il
li clamãte populo Oſanna, quũ tñ equitaret pauperrimus aſellũ. Egit uerò regẽ,
quũ mercatũ ſacrũ auſus eſt deturbatis menſis trapezitarũ à ſacro loco ꝓpellere.
Paulopòſt unius ſuorũ dolo 30. nũmis eſt uẽditus, dictaq; eſt hora, & locus, quo
illũ in manus daret. noctu occaſionẽ nactus, duxit cohortes ad mõtẽ oliuarũ, ubi
captus eſt, ſuiq; diſperſi. Eò adducto cõueniũt principes & phariſæi de eius mor
te. Fiũt ob eũ amici Herodes & Pilatus, refert preciũ pœnitẽtia ductus Iudas ꝙ
principes noluerũt in corbanã mittere, ſed in emptionẽ agri figuli ad ſepulturã
peregrinorũ deſtinati. omni apud eos qui eũ fouere debebãt probro, cõtumelijs,
& uerberibus affectus: tandẽ falſis teſtib. falſa de eo aſſeuerãtib. eſt morti inter
duos latrões adiudicatus: effoſſiſq; manib. & pedibus, clauis eſt cruci affixus, to
ta cõpage corporis tormẽtis & laniatione ſoluta, facieq; ob ſputa & ſanguinẽ à
capite defluentẽ tã deformi, ut ueluti leproſus deſpectus, & abiectiſſimus homi-
nũ uideret. & ne ullũ crudelitatis genus nõ ſentiret, ſitiẽti in cruce obtulere acetũ
de ſpõgia. Interim uerò milites cũ uellẽt eius ueſtes ſibi diuidere, tandẽ ſorte trãſ-
egerũt, cuius eſſent. Demũ aperto eius latere, eũ nõ cõfregerũt. Solis autẽ & lunę
defectio eo tpe decimaquarta luna impoſſibilis, tres horas durauit. Sepultus eſt,
ſurrexit, cũ ſuis eſt uerſatus, aſcẽdit in cœlũ, miſit ſpiritũ ſanctũ Apoſtolis & di-
ſcipulis, à quib. omniũ gẽtiũ linguis loquẽtib. lex ſancta noui teſtamẽti eſt publi
cata, ſeruaturq; à nobis, donec ſecũdo aduẽtu redeat terribilis omnib. eius legẽ
cõtẽnẽtib: tũc ubi iudicauerit uiuos & mortuos, tradet regnũ abolita corruptiõe,
Deo & patri. Hæc ſunt quædã capita, in quibus ſũma rerũ eſt. Si uerò ſuffraga
bunt his omnibus prophetæ, non eſt poſſibile ut de alio intelligant, ꝗ de Ieſu.

EVANGELIVM CAENOPALAEVM, SEV PROPHETICVM.

QVamuis inſtitui potiſſimũ autoritatib. ueteris Teſtamẽti ea quę fide tene-
mus adferre, tñ negligere rationẽ nõ cõſtitui, quoties ſuffragari autoritati
poterit. Fatebunt mihi oẽs philoſophi pariter & Iudęi, in quibus eſt ratio, Deũ
unũ eſſe creatorẽ cœli & terrę, uiſibiliũ & inuiſibiliũ. Nõ poterũt negare, eſſe im
poſſibile quicq; à deo creari quin à ſumma potẽtia, per ſũmã ſapiẽtiã, in uoluntate
alicuius finis gratia ſit factũ. Nã fruſtra eſſet potẽs, q neſciret qua in arte aut quo
modo res eſſent agẽdę: & fruſtra utrunq; adeſſet, niſi uolũtas & amor cuiuſdã fi-
nis ad id induceret. Tota ergo rerũ creatio eſt in deo omnipotẽte, tota itẽ eſt in ſa
piẽtiſſimo, omnipotẽteq; filio uel uerbo, & tota in omnipotẽte uolũtate, amore,
aut ſpiritu ſancto ab utroq; procedẽte: & tamen non tres omnipotẽtes, ſed unus
omnipotẽs. Nil nos poſſe agere in imagine dei, animo in nobis poſito ſcilicet cer
nimus, niſi totã rẽ agendã in mẽte habuerimus, totã in explicatiõe, & totã in ope
re & in cogitatione: nunquam poteſt eſſe uoluntas, quin eam præcedant poten-
tia & ſcientia. Moſes prophetarum anteſignanus tria iſta in duabus primis

periodis Geneſeos poſuit. In principio, inquit, deus creauit cœlū & terram, terra
aūterat inanis & uacua, & ſpūs dñi ferebat̄ ſup aquas. Illic deū principiū & ſpiritū
uidetis. In principio, id eſt in filio deus creauit omnia, quę effectu ſpiritus ſāct̄i ut
digito dei, eſſe materiale acceperūt. Dauid uerò dicit. pſal. 32. Verbo dñi cœli fir-
mati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis uirtus eorū. Illic etiā deū uerbū, & ſpiritū ad-
fert. Nec em̄ quicꝙ ſine illis trib. middot, id eſt proprietatib. pōt in eſſe deduci. &
itē: Mittet uerbū ſuū & liquefaciet ea, flabit ſpūs eius & fluēt aquæ. Mittit deus
in omnibus rebus naturalibus, ut dent̄ illis formę, uerbū, & ſpiritū ſanctum, ſine
quibus nil fit. Eſt tamē una res, una actio, unus deus, omnia in omnibus faciens.
Quare aūt mens illa ęterna uocet filiū uerbū, ſuprà crebrò docui, potiſſimū in re-
futatione Muhamedica. Nullū nomē habet deus, quo poſſit donari, aut quod
eius naturā omnino ad obiectū animi trahere queat: quia tū noſter animus eſſet
cauſę primę par, aut ſuperior, ſi abſolutā de ea notionē cōprehēderet. In hoc em̄
noſtrū animū mūdo ſenſibili maiorē cognoſcimus, ꝙ illo immēſā cœli molē cō-
plectimur. Deus ergo miſeratus noſtrā ad eū qui ſcopus noſter eſt cōtēplādū im
becillitatē, reuelauit ſanctis hominibus uocabula illis familiaria, quorū ſignifica
tiōe & ſimilitudine in cōiecturā tātę maieſtatis ueniremus: uerbo uero ad explicā
dā ſecūdā in diuinis perſonā, nil potuit noſtris ſenſibus dari familiarius. Vt em̄ à
quo cogitauimus, nil prius habemus ꝗ ut uerbo aperiamus cōceptū mētis: ſic di
uina prouidētia ęternū de hac mole creāda cogitās, & in ea ante materiā creatā o-
mnia cōſpiciēs, ſtatim diſtinxit per uerbū & ſapiētiā eādē molē, & in eſſe quū ui
ſum eſt deduxit. Ideo filiū uocauit uerbū, quā uocē philoſophi Gręcorū ſunt mu
tuati, λογονꝗ dixere. Noſter euāgeliſta Ioannes ab ęterna generatiōe uerbi Ieſu
Chriſti texēs eius uitā in terris, dixit: In principio erat uerbū, & uerbū erat apud
deū, & deus erat uerbū. omnia per ipſum facta ſunt, &c. De hoc uerbo multis in
locis dicemus, pro occaſiōe. De ſapiētia uero dei, qui Ieſus Chriſtus eſt, ita ait So
lomō, Dñs ſapiētia fundauit terrā, firmauit cœlos intelligētia. & Dauid, Omnia
in ſapiētia feciſti. His ſatis patet benedictę trinitatis imago, & creationis myſte-
riū. Nūc poſt ea quę uoluit deus de illa fœlici ſapiētia dicere, ad reuelatiōes ꝓphe
ticas eſt ueniēdū, ut inde qualis eſſet fururus Meſſias diligētius diſpiciamus. Pro
miſit Deus Abrahamo reſtitutę pietatis anteſignano, ut illi naſceret̄ filius, in cu-
ius ſemine benedicēdę erāt oēs gētes, idꝗ nō in uno tātū loco, ſed in multis. Ad
didit uerò deus, ſe daturū eā terrā ſemini eius uſꝗ in ſempiternū. Cōfirmauit aūt
deus eas promiſſiōes, dās ſenib. Abrahamo & Sarę prolē, cū eſſet naturali curſu
rerū impoſſibile, aut illi gñare, aut huic cōcipere. id cōtigit, quia crediderūt deo eſ
ſe omnia poſſibilia. Sūt uerò diligēter iſta ꝑpēdēda, quia baſis rei ſacrę ſunt. Meſ
ſias in Abrā ſemine promittit̄, ergo futurus erat homo, & in eodē oēs gētes erāt
benedicēdę. i. ſaluādę, & ad ueritatē adducēdę. At iſtud per hominē fieri eſt im-
poſſibile. pariter & toti orbi imperare, quū Deus hominis arbitrio durāte, ſit reti
nēdę terrenę poteſtati impar. futurū tamen erat, quia id Deus uerax dixit. Ergo
Meſſias promiſſus, & homo & Deus erat futurus: homo, quia reuera de ſemine
Abrahā: Deus, quia oēs gētes ſaluare debebat. nā homo nō pōt id facere. Deus
uerò etiā in rebus fluxis toti orbi, ut ſuprà docui, imperare nō pōt. Imperabit ta-
mē & imperat: unde ſequit̄, imperiū Meſſię & eius legē eſſe ſpiritalem, qm̄ alio-
qui nō duraret uſꝗ in ſempiternū, qm̄ mūdus iſte nō eſt ęternus, ſed tēporarius.
At regnare debet ſemē Dauidis & Abrahami in domo Iacob in ęternū, & regni
eius nō debet eſſe finis. Ergo meſſias ꝓmiſſus deus & homo debebat eſſe, & eius
imperiū ſpiritale tantū, & terra fideliū eius ſanctę eccleſiæ cōſortiū. & uos in ue-
ſtris gemaris multis locis tenetis tā fœlicem & magnā legem Meſſiæ, & ipſum

Meſsiam

Meſſiã futurũ, ut lex Moſis, & ipſe Moſes nil penè cõparatione eius ſit. At nil maius homine Deo dari poteſt, is eſt Ieſus, lex ſpiritalis eſt lex eius. In uſu rerum naturalium, à quo leuiter cõſiderantibus uidetur religio differre, indies idem fieri docet Deus, ſingulos homines erga liberos eodẽ modo informãdo. Vt enĩ uirtutis, & rerũ ubi naſcunt̃ expetẽdarũ cauſa, ſed pręcipuè in uirtuteatq; pietatis opera ſuadẽda, pueros rerũ omniũ ob ętatẽimperitos, ad pręclara incitẽt parẽtes, illos quibus rebus maximè teneri uidẽt, donãt, & pollicitationibus rerũ ſimiliũ indies adfuturarũ, ſi pergãt in incœptis demulcẽt, ueluti ſemper ita illis ſit futurũ: interimq; ſilẽtio tegũt, quod aliquãdo ſit futurũ, ut alia ętate ſuccedẽte, nõ iam cruſtula, munuſcula ue in uirtutis præmiũ petẽt, ſed famã: & demũ ſi pergẽt eſſe boni, uidẽdo etiã famã fluxã, & tot laboribus indignũ præmiũ, ad laudẽ creatoris ſolius ita referẽt, ut nil ſibi præmij petãt, omnia eius arbitrio cõmittẽtes qui illos hic poſuit. Quum enim iuſtiſſimũ putent & certò credant, nõ poſſunt nõ iuſtiſſima cõſequi ab eo: (capio hominẽ ſub uera religione inſtitutũ) patres illi qui uno uocabulo cruſtulã uocitabãt, omnia uirtutis pręmia & munuſcula, & gloriã opinionemq;, & uitæ eternæ ſpẽ, nõne mẽtiebant̃, & falsò de induſtria aſſerebãt: minimè. Nã ut ſe accõmodẽt pueris, alias res nec capiẽtibus, nec ambiẽtibus, quibus capi tũc norũt, ea offerũt pollicẽturq;. Simili modo pollicitus eſt Deus ſucceſſoribus Abrahã, pro omni pręmio terrã fertilẽ, & quęcũq; illã ad fœlicitatẽ comitãt̃, ſi pręcepta ſua ſeruarent. Cruſtulis illis ſunt deliniti & uſi filij Abrahã circa 500. annos, rei paſtoriciæ attẽti, magiſtratu deſtituti, ambitiõe rara. Tanq̃ ex ephebis exeũtes ſuſcepit Moſes, ſub quo cõſiſtentẽ cũ adnexis ætatẽ, ſũmo in rerũ ſplẽdore, in rep. in regno, in ariſtocratia eò uſq; egerũt, quoad tempus uana iſta pręmia cognoſcẽdi, & in deũ omnia referẽdi fuit. Duas quidẽ partes bene egere, & cum ſummo dei fauore, at ubi à cataſtrophe errorẽ admiſerũt, & pueritiæ iuuẽtutisq; pręmia etiã ſenio apta iudicarũt, delirãtes in reprobũ ſenſum abiere. Quẽadmodũ autẽ in hominis ætatibus nil certius mutatiõe, ſed uero puncto alteratiõis nil incertius, q̃ ad præfinitũ tẽpus attinet (certũ eſt enim ex infante puerũ, ex puero iuuenem, ex iuuene uirũ, ex uiro ſenẽ fieri: at quũ fit, niſi poſtq̃ iã factũ eſt, uix ulli nouerũt) ſic in lege, quũ ad maiorẽ fortunã trãſire debebãt, tamẽ Moſem pro tectore quadraginta annis exulare coẽgerunt, ægrè quotidianis miraculis totis quadraginta annis illi nomine Dei ſubſcripſere. Floruerũt uerò ſub Dauide, & Solomone, quũ autẽ ueniſſet ille qui ad perfectũ uirtutis præmiũ ex fluxo & uano trahere debebat, poſtq̃ fermè quadraginta annis inter eos egit (numerus infra decadẽ, ad eã pertinet) crudeliſſimè eũ necarũt, quadragintaq; pòſt annis ad internecionẽ interiere. donec eò iterũ collecti, paulopòſt 40. annos iterũ cõcidere: & tamẽ, ſi dijs placet, hi iuuẽtutẽ & terrena præmia adhuc ſunt habituri, & ex pectãt, nec ſe peſtẽ in ſinu fouere ſentiũt, quũ tamẽ diutius ſine Deo ſint q̃ durauerit eorũ iuuẽtus, & fortis ætas. Sed hæc parerga, propter loci interpretationẽ. In quo ſemine Abrahami (ut dixerã) erãt benedicendæ omnes gẽtes, neceſſariò erat futurus Deus & homo unà, tenuiſſimus, lege ſpiritali, poſſeſſiõe cordiũ & animorũ, nõ rerũ, totius orbis rex. Quum Iacob benediceret filijs diuinitus inſpiratus, dixit: Nõ auferet̃ ſceptrũ de Iuda, nec reformator de fœmore eius donec ueniat Siloh, qui erit expectatio gentiũ, ligãs ad uineã ſuũ pullũ, & ad uitem ô fili mi aſinã ſuã. lauabit in uino ſtolã ſuã, & in ſanguine uuæ palliũ ſuũ. Sũt & iſta perpẽdenda. De Meſsia iſta dici nõ eſt dubiũ. nã quũ abſolutè dicit, erit expectatio gẽtiũ: nullus alius q̃ Meſſias id poteſt eſſe, quiq; ſit homo & deus. Nã in nullũ aliũ oẽs populi debent, q̃ in Deũ ſperare: quia nullus omnes ſaluos faciẽdi eſt potens, præter Deum. At Meſſias futurus erat homo, ergo & Deus. Homo, ut

corpore

corpore pro hominibus omnibus lueret: Deus, ut ſaluãdi oẽs potẽs eſſet. Sed
magnũ latet myſteriũ in dictione שילה uetuſti interpretes uiſi ſunt legiſſe שילח
pro heth, & nõ pro he. & ideo uerterũt, qui mittẽdus eſt. aut de induſtria uolen
tes tegere apud gẽtiles ſanctũ myſteriũ, ita uerterũt. Significat uerò ea dictio, fi-
lius eius. Expoſitio, inquit Dauid Chimhi שילה, id eſt בנו filius eius, & innuit
Dauid, aut Meſſiã. Quod de Dauid nõ intelligatur, id docet quod ſceptrũ reue-
ra ſub eo incepit, nõ defecit. Pręterea tã diues fuit Dauid rex, & à paupertate e-
quitãdi aſini alienus, ut nullus unquã rex (pręter filiũ eius Solomonẽ) pro modo
regionis ditior fuerit. Sed ad myſteriũ. Relatiuũ illud he, utranq; Ieſu Chriſti ge
nerationẽ cõprehẽdit. Nã ſcribitur & legitur cũ he, & intelligitur cũ uau. ob id
de nomine utriuſq; parẽtis tacet. cũ legit he, eſt generis fœminini, & notat filiũ
eius, id eſt Marię uirginis. quũ intelligitur cũ uau, eius eſt maſculini generis, &
ęternã à patre progreſſionẽ & generationẽ ſignificat, de qua primũ intelligitur
quũ de eo dicitur. quẽadmodũ quũ de homine dicimus, prius de ratione quàm
de corpore intelligimus. Quẽadmodũ enim eſt cogitatio cognitione prior, ani-
mus corpore, generatio ęterna tẽporaria, & tamẽ nil intelligimus, niſi à poſterio
ri, ita propheta uoluit ſubiĳcere ſenſui quod uidimus, non ſcripſit quod neceſſa
rio prius cogitamus. expreſſit per he, humanitatẽ: diuinitatẽ, in uau ſubticuit.
nec eſt illi aliud in tota ſcriptura ſimile, ut nullus hominũ eſt Meſſię in natiuita-
te ſimilis. Vt pręſtãtiſſima cõditione differre in infinitũ debebat, etiã à perfectiſ
ſimo homine, ſic & naſcẽdi modo. Nã ſi extra uaſa naturæ ſine ſemine corpo-
reus natus fuiſſet, Deo patre & ſpiritu ſancto operãte, habuiſſet comitem Ada-
mum. Si more noſtro, cæteros homines. Itaq; nil cõmune habere niſi partim de
buit, ut ab utriſq; differẽs, utroſq; tamẽ iungeret. Pater illi fuit ſine matre, mater
illi fuit ſine patre, ideo utranq; generationẽ Moſes in una ſyllaba uoluit cõpre-
hendere: quã Deus ut eã inſpirauerat, cõſeruauit etiã ab impia deprauatiõe ſcri
barũ. Verũ nõ ſatis habuit bonus ſenex dixiſſe Meſſiã uenturũ pereũte regno
& ſenatu, ſacerdotibusq; exautoratis, niſi & qualitates duas præſtãtiſſimas in
Meſſia notaſſet, paupertatẽ & paſſionẽ. Dum ipſe idẽ ligat ſuũ aſinũ ad uitis ſti
pitẽ, penuria loci, quũ nõ haberet ubi caput ſuũ reclinaret. Inſignẽ humilitatem
& paupertatẽ libenter ſe uoluiſſe amplecti, notat. Alioqui qui ſuſcitauerat tot
homines, centurionibus, archiſynagogis, hominibusq; in ſummis autoritati-
bus cõſtitutis, ditiſſimisq; fuerat in ſummo rerũ diſcrimine opitulatus, quid diui
tiarũ nõ poterat cõſequi, ſi operas uẽdere uoluiſſet? Nullus nõ libẽter hominẽ
hęredẽ & dominũ agnoſceret, qui uitã reddidiſſet. Fuit, fuit ex profeſſo pauper
rimus Ieſus Chriſtus, noluit eſſe ditior q̃ erat. Ingreſſurus Ieruſalẽ, aſellũ paupe
rum uſibus pietate ciuili accõmodatũ, ſibi à ſtipite ſolui curauit: cũ eo rex man-
ſuetus, pauperq; ingreſſus eſt Ieruſalẽ, in gratiſſimã urbem, quę ob beneficia &
humilitatẽ regẽ cõfecit ſuũ, ęternùm iuſti neglecti datura pœnas. Aliã qualitatẽ
dicit dũ ait: lauabit in uino ſtolã ſuã, & in ſanguine uuę palliũ ſuũ. Notat enim
tormentorũ eius magnitudinẽ, & cruẽtã à toto corpore ſanguinis effuſionem.
quod innuere uolẽs Spiritus ſanctus per os Ieſaiæ *63*. ita ait: Quis eſt iſte qui ue
nit de rubris tinctis ueſtibus, &c. Reſpõdet Meſſias: Ego qui loquor iuſtitiam,
& reduco captiuum Iſrael ad ſalutem. Quare rubrum eſt indumentũ tuum, &
ueſtimenta tua ſicut calcãtium in torculari? R. Torcular ego calcaui ſolus, & ex
omnibus gentibus non eſt uir mecum, &c. Iſta eſt intinctio ueſtium in eius ſan
guine. Illa de Meſſia dici, non poteſtis negare: quoniã ille eſt qui loquitur iuſti-
tiã, & qui ſolus captiuũ Iſrael poteſt ſaluare. At poſtquã de ſuo ſanguine dixit,
ſtatim de ueſtro ſubiũgit: cuius, ut ſcitis, fuit tãta effuſio, ut eius flumina hinc

in ortum

in ortũ, iſthinc in occaſum in mare uſq; flueret, & tamen nõ ſapitis. Alioqui uos rogo, quid cõduceret ueſtes in uino lauare & intingere? Nam nec purgari uino poſſunt, nec ullus odor aut inſtrumentũ luxurię (quò trahitis omnia) ex ueſte in uino merſa procedit, ſed labes potius. Itaq; de ſanguine Ieſu Chriſti intelligi ea intinctio debet, ut latius de paſſione dicetur. Ad eas reuelationes, quas de Meſſia Moſes habuit, & protulit, uenio. In multis locis, imò ferè ubiq; ſunt figurę ad Chriſtum ſpectantes. Vt repulſio Moſis à populo ſuo, cõuenit cum Chriſto reprobato, & occiſo: Ioſephi uenditio, cum huius uenditione: tranſitus maris rubri, & ſanguinis aſperſio, cum baptiſmo: agni paſchalis eſus, cum eius corporis in ſalutem omnium oblatione: ſerpentis erectio, quem aſpicientes ſanabantur, ut Chriſto crucifixo, & in ſublime erecto fidentes ſaluantur: Iſaaci ad mortẽ ductio, quum eſſet innocens, &c. Verum, quum etiam ipſis expreſſis locis uix credatis, nolo apud uos illis agere: manifeſtiſſima proponere ſtatui. Deuteron. 18. ait Deus Moſi: Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam uerba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia quæ præcepero illi. Qui autem uerba mea quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor exiſtam. Vt autem cognoſceretur propheta uerus à falſo, addit Deus: Si euenerit quod ille prædixerit, uerus eſt propheta, alioqui falſus eſt. Sunt & iſta excutienda. Nam non ægrè ideo refractarios Rabbinos admiſſuros iſta de Meſſia puto, quod uideantur contra ea quæ de Ieſu Chriſto credimus, facere. Prophetam dicit, inquient, ergo non eſt Deus. Opus erat hominem perfectiſſimum Meſſiam futurum, fatentur. Sed nulla in homine qualitas maior prophetia dari poteſt: ergo illam habuiſſe ita excellẽter oportebat, ut etiam maximi iuxta eum poſiti, nil eſſent. Quatuor maiores, duodecim minores: Dauid, Selomoh, Nathan, Semuel, Elias, Eliſeus, & plurimi alij, ut diſcipuli Hillet, & uſq; ad Simhonem iuſtum fuerunt innumeri ſanctiſſimi, & tamen iſte per antonomaſiã propheta dicitur, tanquam illi nihil ſint. Etiam diuinitatem in eo concedere neceſſe eſt, ex his quæ Moſes ſcripſit. Nam dum ait, Quicunq; uerba eius nõ audiuerit: neminem à lege illius excipit. Si omnes comprehendit, ut certè comprehendit, omnes ergo eam legem ſeruantes, ſaluari per eam legem docet. At lege una corporum, ſeu ciuili oſtendimus, non poſſe etiam deo orbi uniuerſo imperare. Ideo loquebatur Deum futurum ex his uerbis, alioqui toti orbi legẽ ſalutarem dare non poterat, & animorũ ius tantũ toto in orbe habere debebat: animorum uerò motum ſequuntur bona corpora, ſeu homines. At dices: Si erat futurus propheta & Deus, quare non dixere prophetæ? Si ſemel in prophetæ perſona Deum habitare poſſe putaſſetis, nullus planè propheta non fuiſſet uobis Meſſias & Deus. nam deos uobis tam propinquos quærebatis, ut malletis uitulum unum, quàm Deum (cuius ob oculos ignis tã magnus uerſabatur, ut ferre non poſſetis) populari conſenſu eligere. Quicunq; uobis uel minimum prophetiæ oſtendiſſet, ſtatim habitus fuiſſet Deus: quum ſerpens ob damna ſerpentum erectus in ſignum, Deo cœli, cuius præſens uis in ſanctiore templo erat, à uobis impiè pręferretur. Signa autem ueri prophetæ excellentiſſima habuit Chriſtus. Nam tã multa prędixit, ut uix numerari poſſint. Euerſionẽ ueſtræ urbis cũ lachrymis prædixit, ueſtram captiuitatem dixit breui futuram, futuras in Iudęa fœminas fœlices quæ non genuerant. futuram ſuam reſurrectionem prædixit, & facto præſtitit, aſcẽſionem pariter, Spiritusq; ſancti miſſionem, ſuorum mortes, miracula in eius nomine futura, &c. innumerabilia, quæ nil aliud nefariæ genti quàm exacerbationẽ adferebant: omnes gentes in eum crediderãt, quum uix pauci acceſſiſſent Iudæi ad ueritatem, eſt reuera Chriſtus, ſummus homo,

ſummus

ſummus propheta, ſummus Deus, per omnia bonæ mentis argumenta Deo ſimillimus, ſecundũ carnẽ patri per omnia obediens, diuinitate par. Sed ſatis nobis aperuerũt patriarchæ, qualis eſſet futurus Meſsias. Eſt ad eius natiuitatis tractationem accedendũ. Rationib. multis, & ut uobis illas inculcarẽ crebro repetitis, Chriſtũ debuiſſe naſci excellenti quodã modo à cęteris hominib. diſsimili, iã docui. Adã fuit factus extra fœminã, ꝓpagatio eius in fœmina, Chriſtus ex uirgine naſci uoluit & debuit. Iã attuli loca, quibus prophetæ prædixerant futurum, ut uirgo in utero haberet et pareret: aut ut uirũ, iam in utero ita dictũ, circundaret fœmina, quę maxima ſigna ſunt, nec uulgari generandi uſui accõmoda. Primũ locũ ſatis explicatũ credo. Rationibus uero ſuprà firmaui cõtra idololatras, nil eſſe inter homines uirginitate purius, nil Deo fuiſſe dignius, ut carnẽ noſtræ ſimilẽ, ſummus prophetarũ homo Deus caperet. Quãuis enim nullã labẽ ex ullius fœminæ electione potuiſſet cõcipere, fuit tamẽ Deo digniſsimũ, quod diuinitati eſt proximũ. quod prophetæ innuere uolẽtes, Synagogã Iſraëliticã ueluti Dei ſponſam, quãdiu illi Deus affuit, uirginẽ ſemper & crebro nuncuparũt: ut è diuerſo, quoties idololatriã et ſcelera illi ob oculos ponere uoluere, meretrici & fornicatrici cõparauerunt. Verum ut appareat lucidius Ieremiam 31. cap. de Chriſto loqui, examinanda ſunt quæ præcedant & ſequantur illa uerba, Fœmina circundabit uirum. Poſtq̃ de reductione à captiuitate Babylonica proximè futura, multa dixit, & à fletu abſtinendũ docuit, quod ſcilicet cõuertetur Deus modo audiant: at quia pertinaces erant, & obſtinati, Dominũ hoc facturum noui ſuper terram: ſubiunxit, Vt fœmina circundet uirũ. & ut reducatur captiuitas in ſuas ciuitates, credant uel non. Sed paulo pôſt ſe explicans, ait: Ecce dies uenient, dicit Dominus, quãdo ſcilicet poſt reductionem fœmina circundabit uirũ, & feriam domui Iſraël & domui Iuda fœdus nouũ, non ſecundũ pactum quod pepigi cum patribus ueſtris, quum eos eduxi de terra Aegypti, quod pactũ irritum fecerunt, quamuis dominarer illis: ſed hoc erit pactũ, quod feriam cum domo Iſraël. poſt dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in uiſceribus eorum, & in cordibus eorũ ſcribam eam, & ero eis in Deum, &c. Hæc eſt illa lex quam docere debebat ille uir, quem circundabat fœmina uirgo Maria. Non eſt ſecundũ legem quam dederat Moſes, quia multa admodũ habebat quæ in corde, id eſt in æquitatis iudicio naturaliter literis inſcribi non poſſunt: ut tantus cumulus ceremoniarũ & cultuum, ut multis annis ne ſufficere quidẽ homo laborioſiſsimus illis ediſcendis poſſet, quod ueſtrũ Talmud docet. Sacroſancta lex Ieſu Chriſti habet unicum uerſum pro lege: Diliges Deum ſuper omnia, & proximum ſicut teipſum. Et quæcunq; uolueritis ut faciant uobis homines, eadem & uos facite illis. Finis uero Euangelij hoc uocabulo ueſtra lingua tribus ſyllabis compoſito comprehendi poteſt, אלתאחה elatah: Deus, tu, frater. hoc eſt meltheha, id eſt ſacroſanctum hominis probi armarium, ut Deum colat, ſeipſum innocentem ſeruet, fratrem charitate foueat, & ut ſeipſum amet. Seipſum ergo ut filium Dei, Deum ut patrem, hominem ut fratrem colere oportet. Hæc eſt lex à qua nullus debet excuſationem petere: ideo omnes ſciunt eam à minimo uſque ad maximum: & à Ieſu Chriſto, ut illam impleant, iuuantur. Nam eſt tanto fœcundior factis, quanto breuior præceptis. De eadem loquitur & alibi idem Proph. cap. 24. De hac intelligi lex ea debet, quam daturus erat propheta à Deo ſuſcitatus, Moſi in legis datione & humanitate, non in gratia aut prophetia ſimilis, Cui qui nõ parebit, ultor erit Deus: qui, niſi eſſet in-

LL tellectu

tellectu facilis etiam pueris ea lex, uideretur iniquus, qui ad impoſsibilia aſtringeret homines. Ideo ô Iudæi, nō debetis in nos inſurgere quod ceremonias ueſtras nō ſeruemus. Qua die cōceptus à uirgine Ieſus mortem obijt, eadem ceremoniarum fructus perijt. eodem tempore cœpit initium Ieſus & lex eius, quod innuit ſpiritus per os Ieſaiæ, quum ait: Antequam puer ſciret reprobare malū, & elicere bonum, derelinquetur terra quam tu deteſtaris. Nato enim Chriſto, ſententia de euertenda Ieruſalem lata eſt, quum ſciret Deus futurū, ut eum morte afficerent ſui ciues, & lex noua ueteri ſucceſsit. Virtus tamen eius poſt mortem patuit, quando ſigna ueſtra non uidiſtis. Circa natiuitatem uero eius ſublata eſt poteſtas iudiciorum, à rege Herode, qui tyrannidem occiſo regio ſanguine occupauerat. Locus natiuitatis eſt attingendus. Micheas capite 5. Nunc iungeris exercitui, exercitu perdenda ciuitas, obſidionem poſuerunt ſuper nos, in uirga percutient maxillam iudicis Iſraël. Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millib. Iuda. ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſraël, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Propter hoc dabit eos uſq; ad tempus, in quo parturiens parturiet, & reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Iſraël, & (paulo pôſt) magnificabitur uſque ad extremum terræ. Et erit iſte pax, &c. Iſta ſunt clariſsimè dicta de Meſsiha, & locum natiuitatis, & diuinitatem, & officiū notant. Quū eſſet deſtruenda ciuitas paulo pôſt occiſum Meſsiham, incœpit à comminatione pœnarum, quæ eſſent obuēturæ ſuper Iſraël in Ieruſalem. Inde ſubiungit, Bethlehem non carere ſua magnitudine, quoniam ex ea dux Iſraëli uero & poſt alterum deſtructum ſuperſtiti naſceretur, cuius origo non eſſet ut hominum, ſed ab æterno à patre Deo procederet. Quod uero iſta de Meſsia intelligantur, ſuffragatur Thargum. dicit enim, Meſsiam hunc futurum. ergo Meſsias eſt Deus & homo. & quia eſt Deus æternus, illos dabit ad tempus in ſuum arbitrium, donec parturiens parturiat, id eſt ueniat Titus ad ruinam. Nam ita intelligi debere ex loco Ieſaiæ ultimo capite uidimus. Quod enim de Meſsia intelligatur, ita dicunt interpretes, Antequam parturiat pariet, & antequam ueniret dolor partus peperit maſculum. id eſt, antequam naſceretur Titus, natus erat Meſsias filius Dei. quod propheta diuinitus intelligens & refragaturos Chriſto, quod ſe filium Dei diceret cognoſcens, ſubiunxit: Quis audiuit unquam tale? & quis uidit ſimile? Miraculum ſit hoc magnum oportet, & certe ad literam poteſt intelligi de partu uirginis, quæ ſine dolore peperit maſculum. quoniam de Meſsia & eius aduentu in carnem, dicta uidentur ſequentia, quod ſcilicet Deus omnis generationis author etiam ab æterno generat filium. Sed malo referendo omnia ad partum illum dolorum cū Iudęis conuenire. Ergo Deus dedit, à quo natus eſt in Ieruſalem, ſeptuagintatres annos; quadraginta autem induciarum à morte ſua, ut apoſtolis & uero Iſraëli iungerentur reliquiæ illæ, quas ſaluandas dixerat Ieſaias, & ut ueluti ad cędem ex toto orbe Ieroſolymam cæteri conuolarent. Cæterum uſqueadeò pauit ſuos in fortitudine, ut nec ignis, nec ferrum, nec leones, nec ulla inaudita tormēta potuerint eos uincere. In ſublimitate enim nominis Dei ſui Ieſu Chriſti poterant omnia. oportebat enim milites eſſe duci ſimiles, animo infracto, & poſt beneficia etiam mala ab omnibus recipere & tolerare parato. Certe ut nullus fuit homo Ieſu Chriſto humilior, cōditione maior, maior propheta, uirtute potētior, omni perfectione inſtructior, ita etiam ſatellites ſuos iiſdem armis inſtructos, ad extremum uſque terræ oportuit illum magnificare, quoniam ille eſt pax, reuera pax, non tantum pacificus,

ſed

ſed ipſiſsima pax. Ideo eum principem pacis ſcribit Ieſaias, ut ſtatim uidebitur.
Quum ergo ô Iudęi, Meſsias naſci deberet ex Bethlehem Iudæ, impoſsibile eſt illum non ueniſſe. Nam alioqui nunquam ueniret, quoniam funditus eſt euerſa Bethlehem ab exercitu Romano ante annos 1450. unde ex ea naſci non poteſt, quum non ſit amplius. Non poſſum hoc in loco de impudentia Rabi Salomonis, & ſectatorum, nõ uehementer ſtomachari, & dicere: Popule meus, qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & uiam greſſuum tuorum diſsipant. Impoſtores illi uobis tamdiu uelum ob oculos ponunt, ut de ueſtro ſanguine uiuant, ô populares Iudæi, quoniam quum ſint perditi homines, non poſſent niſi ex ueſtro ſucco uiuere. Si fieretis Chriſtiani, perirent. Is faſcinator hoc in loco dicit, de Dauide iſta intelligi. At quare prophetę dicuntur prophetæ? Si hiſtoriam texunt, & nil prædicũt, prophetæ non ſunt. Quid diuini eſt anteacta referre? nõne hoc quiuis poteſt. Iam pridem obierat Dauid: ſcripſit temporibus Ioatham, Achaz, Ezechiæq́ regũ Iuda, Micha. Ita detorquent peruertuntq́ omnia prophetarum dicta, ut uideantur de præteritis dici. Quid uero hoc eſt, niſi in reprobum ſenſum uos trahere? Miſeri & infœlices, qui non ſatis ab omnibus gentibus affligi habetis, niſi & ueſtri uobis imponant, fucumq́ tamdiu faciant. Verũ qualitates noſtri Ieſu audiamus, 600 annis antequam naſceretur prædictas. Ieſaias cap. 9. in principio ait: Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnã. habitantibus in regione umbræ mortis, lux orta eſt eis. & paulò poſt: Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerũ eius, & uocabitur nomen eius Admirabilis cõſiliarius, Deus fortis, pater in perpetuum, princeps pacis: dum multiplicabitur eius imperium, pacis nõ erit finis. Super ſolium Dauid, & ſuper regnum eius ſedebit, ut confirmet illud, & corroboret in iudicio, iuſtitia inde uſque in ſempiternum. zelus Domini exercituũ faciet hoc. Omnino iſta Deo ſoli competũt. & interim noſter impius Salomoh non ueretur & hiſtoricum facere diuiniſsimum prophetam, & attribuere numina Dei mortali homini, impij parentis filio, igneq́ à patre luſtrato Ezechiæ: quum tamẽ Targum de Meſsia intelligat iſta omnia. Ait uero Ionathan: Dixit propheta domui Dauid, quoniam puer Dominus ue natus eſt nobis, & filius genitus eſt nobis, & accipiet imperium ſuper humerũ ſuum, & uocabatur iam ante nomen eius admirabilis conſilio, Deus, potens, ſubſiſtens in æternũ, Meſsias pacis. multiplicetur ſuper nos in diebus eius. ualde auctũ eſt ſeruis eius imperium, & ſperantibus in eum pacis non eſt finis. Super ſolium ipſius Dauid, &c. Nonne iſta Ezechiæ conuenire poſſunt? Principũ huius mundi pendent imperia à cõſenſu popularium: at iſtius minime, quia nil terrenum quærit. ideo ſuo arbitrio in animos fœlix regnũ exercet, et ſuper humeros tollit ueri pœnas, crucem uidelicet, qua poteſtatem ſatanæ fregit, mundũ redemit, paradiſum credentibus aperuit, in cuius ſigno infinita miracula facta ſunt, fiũtq́ quotidie, & fient. Explicauit ea nomina quæ ſequuntur interpres. Quis enim uocari Deus fortis præter ipſum Deum poteſt? Quis princeps pacis? Cuius ita multiplicari imperium poteſt, ut pacis eius non ſit finis? Nõ eſt autem obmittendum, quod propheta in dictione למרבה, id eſt ad multiplicandum, poſuit mem ſetumah, contra ſcribendi ordinem, duabus rationibus. Prima, ut principiũ imperij Meſsiæ oſtenderet ſecundum elementorũ numerum ſexcenteſimo poſt anno futurum: altera, ut integritatem matris eius uirginis ſignificaret, quod fuit primum diuini eius imperij argumentum. Quis uero poteſt ſedere in ſempiternum ſu-

per thronum Dauid, niſi Deus homo Ieſus Chriſtus? Iam ante docui ex uarijs locis, thronum Dauid æternum, eſſe cōgregationem fidelium, in qua regnauit ſub Moſe, & nunc ſub Euangelio regnat Ieſus in æternum. hæc omnia meritò eum dici Emmanuel notant, id eſt nobiſcum Deus. nam in eo fuit completa redemptio. Erat enim, ut inquit Ieſaias, goel male, id eſt abſolutus redēptor et plenus. Natum autem fuiſſe ad redimendos omnes homines inde patet, quod eſt redemptor perfectus, quod in eo benedicantur omnes gentes. Nam omnes ab Adamo ſunt peccato infecti, nec poterant reduci, niſi per eum qui formauerat primum, ut primo libro docui. Sed etiam uno loco id uolo confirmare, quod ſæpius attuli, miſſum eſſe Chriſtum omnibus gentibus. Parum eſt (inquit Ieſaias capite quadrageſimonono) ô Meſsia, ut ſis mihi ſeruus ad ſuſcitandas tribus Iacob, & ad feces Iſraël congregandas. Dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ. Sed ad reliqua in eius natiuitate notanda uenio. Quum eſſet in Bethlehem parua urbe admodum, magna hoſpitiorum penuria, & magna multitudo ad nominum profeſsionem præſide Cyrino in Syria eò conueniſſet, Maria cum Ioſepho, qui de familia Dauid, quamuis tenuiſſimi erant (nam uos ſcitis publicè ſeruari ſolita fuiſſe diaria omnium tribuum & generationum, donec multa abſumpſit Herodes) eò uenere, coacti ad imperium uenire, & diem pręſcriptā. Illic quum agerent in quodam undique aperto ſtabulo, Maria peperit Ieſum, ab angelo ita uocatum, antequam conciperetur à uirgine. Primis itaq; incunabulis, uitæ quam amplexurus erat, dedit argumentum. Nulla enim unquam maior paupertas fuit, quàm ubi natus eſt mundi ſaluator: & tamen ea humilitas incitauit à partibus orientis, ex finibus Perſidis, à dominio Magorum tres reges, qui eo loci decimotertio die à natiuitate uenere, & rogare cœperūt à ſapientibus & ſcribis, ubi eſſet natus rex Iudæorum. quod ubi accepiſſent in Bethlehem, uiſunt duce ſtella pauperrimum regem, ornātq; muneribus, ut impleretur dictum à propheta: Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum omnes reges, omnes gentes ſeruient ei. Regio ea eſt ad orientem diebus tredecim à Iudæa diſtans, eſt maritima habens in terra & mari dominium, pariter & in inſulis maris Perſici, ſunt terræ Magorum in finibus Arabum & Saba, id eſt Arabiæ deſertæ & fœlicis. Illic utuntur principes dromadibus camelis, eſt iter ab eo loco per fines Madian & Epha, quæ ſunt in occidua parte Arabiæ deſertæ, ita etiam ad unguem quadrat alia prophetia Eſaiæ 60. Surge, ait, illumineris Iſraël, quia uenit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos, ſuper te autē orietur Dominus, & gloria eius in te uidebitur, & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui. & paulo pòſt: Copia camelorum operiet te, dromades Madiam & Epha, omnes de Saba uenient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes. Iſta ut de nullo alio quàm de Meſsia homine Deo poſſunt intelligi, ita naſcenti ſaluatori Ieſu contigerunt. Lumen enim adferre debebat Meſsias ſuo populo: Ieſus tātam dedit ſuis lucem, ut minimus apoſtolorū eius, omnium principum ora in ſe, quamuis abiectiſsimum, conuerteret, animi magnitudine totum orbē ſuperare poſſet. Gloria Domini reuera orta eſt in Iſraël Ieſu nato, & tunc tenebræ & caligo populos omnes operuerunt, nō propter lucem, ſed propter cōparationem. Nam iiſdem ante natū Ieſum Chriſtū erant in tenebris: ſed quū magnū lumen nō adeſſet, uidebantur eſſe luminoſę tenebræ, quas

quas magnū lumen ſuſtulit,ut ſol ſtellas. Ortus eſt Dominus tunc ſuper Iudam, id eſt fideles & cōfitentes. Nam iſta nō poſſunt aliter intelligi quàm de Deo na to & incarnato. Ideo uocat interpres hoc in loco ſapientiā Dei, ubi ſcriptum eſt Dominus. Sapientia uero Dei eſt Ieſus Chriſtus. Reges in ſplendore ortus eius ambulauerunt. Nam in Perſidis & Chaldææ finibus apparuit illis ſtella, præter naturā in inferiori regione aëris, cū uoce dicente, ut ſe in Iudæam cōferrent, & adorarent regem Iudæorum recens natum. Splendor ille tuus ô Meſsia adduxit ad te reges, ſemperq́ eſt comitatus, quoad curioſitate primariæ urbis uiſendæ, & primores de quo quærebant interrogandi, illam reliquerant, quæ egreſſis Ieroſolyma ſtatim denuò illis fulſit, & in Bethlehem uſque ad locum ubi erat puer, duxit, & diſparuit. Tunc ingreſsi nil cunctantes pauperrimum infantem regem adorant reges, muneribusq́ donant, auro, thure, & myrrha, quibus eorum regio ſcatebat. Aurum fuit pro uiatico, dum tenuiſsimi parentes fugerent in Aegyptum, ut impij iniquiſsimiq́ tyranni Herodis deuitarent furorem. Nam quum ab his Magorum regibus, qui magna admodum caterua (ut par eſt) camelorum & ſatellitij inſtructi uenerant, ut eorum ingreſſus (etiam ſi non adijſſent qua de re uenerant Ieroſolymam) latêre non potuiſſet, Herodes certior factus fuiſſet, de natiuitate pueri & regis Meſsiæ nati, & ſceleſtum in regium ſanguinem (ut iam docuerat) animum palàm illis aperire nollet, dimiſit quidem, cæterum rogatos ut ad ſe redirent, poſtquam eum reperiſſent, ut & ipſe adoraret: quod non animo adorandi, ſed occidendi dixit. Paucis pôſt menſibus ubi ſe à magis deluſum, qui ſe de puero comperta relaturos erant polliciti, ſenſit, (nam adoratione facta uetuerat angelus, ne ad Herodem redirent) ne effugere mortem iſte puer natus in finibus Bethlehemiticis poſſet, à biennio na tos omnes curat interfici, etiam unum ex ſuis, ne forte eſſet Meſsias, quia erat in Bethlehem. Tanta fuit rabies hominis, tanta ferocitas, ut quicquid eſſe regij ſan guinis audiret, ſtatim morte multaret, unde non tantum regium ſanguinem omnino perimere, ſed ſenatores ad unum interimere uoluit, & ſacerdotum uni pepercit. Nota eſt hiſtoria impiæ crudelitatis Herodis, in Romanorum annalibus. Macrobius ethnicus, ut iam bis attuli, refert Auguſtum, quum de eo facinore audiſſet, quod à bimatu interfici pueros omnes, & unum inter eos ex ſuis iuſsiſſet, dixiſſe: Mallem eſſe Herodis porcus, quàm filius. Nam qui filium occiderat, porcinæ uitæ parcebat. Eius crudelitatis meminit propheta Ieremias capite 31. ubi de repulſione reuocationeq́ ſui populi Deus loquitur, interq́ cætera dicit: Vox in Rama audita eſt lamentationis, luctus & fletus, Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis admittere conſolationem, quia non ſunt. Filij Rachel ideo dicuntur, quod ipſa mater totius generis fuiſſe uidetur, quòd peperit Ioſeph, ex quo tota fœlicitas Iudaica proceſsit. Ramam quidem urbem, alij locum editū qualis eſt, ubi ſita eſt Bethlehem, in tribu Beniamin in Gabaonitarum finibus eſſe ſcribunt. Mortuo autem Herode ex Aegypto redijt Ieſus, & locum natiuitatis matris ſuæ repetiuit. Quod etiam à propheta dictum eſt, dum ait, Ex Aegypto uocaui filium meum. Si nō creditis hæc de Ieſu dicta, interrogate etiam hodie Mauros & Muhametanos, locum indicabunt ubi degit cum puero beata uirgo, & in rei miraculum oſtendunt imaginem uirginis & infantis, quo in loco aliquando balſamum eſt colligi ſolitum, ab eo tempore loco rigato ex aqua, ex qua ad ſuas & pueri Ieſu neceſsitates uirgo Maria utebatur.

tur. Durauit uero olim magno & ingenti uectigali hoc beneficium, donec nefaria quædam Iudæa, mergere ſordidas filij faſcias in eam aquam auſa eſt. Hoc in Maurorum annalibus eſt ſcriptum, in rei memoriam, Chriſti laudem & gloriam, ueſtræq; gentis ſcelus, quod etiam ipſa exhorrent elementa. Eos de hac re conſulite, & quærite quare ſit ingreſſus loci prohibitus Iudæis capitis pœna, ſi lex olim lata adhuc ſeruatur. Sed ad præcurſorem Ieſu Chriſti eſt ueniendum. Qualis fuerit uir Ioannes baptiſta, neminem Iudæum, niſi uolentem, ignorare puto. Nam apud hominem Iudæum, à nobis alienum, eius mentio fit. ſententia huiuſcemodi: Quibuſdam uero Iudæorum (inquit Ioſephus) uidebatur, ideo periſſe Herodis exercitum, quia Ioannem baptiſtam occidit. Ille uir ualde bonus, Iudæis præcipiebat uirtuti operam dare, iuſtitiam & pietatem colere, baptiſmo in unum coire. tum demum enim futurum ſalutiferum baptiſmum, quum maxima animi innocentia ſeruaretur. quibus dictis quum multos haberet ſectatores, eius ueritus probitatem, ne ſcelera ſua patefaceret Herodes, in Macherunta truſit in carcerem. ſuſpicione itaque ſola uirum optimum occidit. Addit Euangeliũ, in cauſa fuiſſe Herodiadem, quam illegitimis nuptijs ſibi copulauerat, quum eſſet fratris uxor, eo quod libere eum de tam nefario ſcelere arguiſſet. Herodias enim, cui Herodis tetrarchæ magis placebant, quàm priuati Herodis nuptiæ, uerita ne fratri mariti propheta diſſuaderet, quod factum cupiebat, fecit ſtatim redeunte Roma Herode, cuius ambibat nuptias, & de illis iam ante pepigerat, ut è medio tolleretur propheta. eam hiſtoriam latius Ioſephus perſequitur capite præcedente. Præcurſor ille fuit Ieſu Chriſti, inq; eum retulit etiam ſui baptiſmi gratiam. debuiſſe uero præcedere quendam prophetam, Meſsiæ indicem, prędixerant prophetæ. Malachias capite tertio ita habet: Ecce ego mitto nuncium meum, & expurgabit uiam ante faciem meam. Et ſtatim ueniet ad templum ſuum dominator, quem uos quæritis, & angelus fœderis, quem uos uultis. Ecce uenit dicit Dominus, & quis cogitare ferre ue poterit diem aduentus eius? & quis ſtabit quum apparuerit? Ipſe enim erit quaſi ignis conflans, & quaſi borith (herba) fullonum. & ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & conflabit eos quaſi aurum, & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes munus in iuſtitia, & placebit, &c. ſit hæc prophetia Malachiæ, aut Ezre, nil moror authorem, ambigant & altercentur Rabini, conſtat eſſe diuinitus inſpiratam ſcripturam. Certe de Meſsia loquitur, quoniam ſolus ille eſt dominator quem quærebant Iudæi. Nam ante Deum patrem nouerant, ſed ad complementum eius legis quam ſeruabant, accedere oportebat legem filij Dei Meſsiæ benedicti. Ergo ante ſe miſit angelum, id eſt nuncium Ioannem baptiſtam, qui baptiſmo & pœnitentia præparauit, purgauitq; uiam ante illum. unde quia etiam ab eo miſſus eſt Ioannes, etiam Deus ſit neceſſe eſt: nam ſolus Deus mittit prophetas. Non eſt autem miſſus multo antè, ſed ſtatim eum eſt ſecutus ille, cui parabat uiam, uenitq; ad templũ ſuum ſexto menſe à quo erat conceptus Ioannes, & intrauit in uirginis puriſsimæ uterum, quod primum fuit homini Deo templum. Secũdo uero, omnium bonorũ eius ſcita amplectentiũ, factisq; exequentiũ animos pro templo habere uoluit. Nã quod templũ poſſet eſſe dignius Deo ipſis animis, cœlũ & terrã cõpræhendentibus? quod nã templũ ædificari lapidib. poſſet tanta maieſtate dignũ, quæ cœlũ & terram implet, & in infinitũ ſuperat? digniſsimum & maximum totius mundi

di templum debebatur Meſſiæ. At nullum maius, auguſtius, aut dignius ipſo animo hominum ſanctorum dari poteſt. uenturus ergo erat in ſuum templum animum, & eius eccleſiam, dominator ille quem uos quæritis, & nuncius Teſtamenti, quem uos expectatis. Quum uero duo eſſent aduentus Meſſiæ, propheta unum confundit cum alio, quod in multis locis fit, & de aduentu & de alijs rebus. Nam quum animus noſter ſit diuinarum rerum & ſignificationum comprehenſioni impar, & occupatus hac mole corporis non tam libere quàm quum eſt ſeparatus iudicet, impulſum diuinum non poteſt tam diſtincte recipere, ferre & proferre, quin antequam ad corporis organa perueniat, multum à ſumma illa notione abſit. ideo ſumma eſt in prophetijs omnibus obſcuritas, & uaria interpoſitio etiam crebro non intellecta ad plenum ab eo qui profert. quod à diuina prouidentia fit: ut ſub aſſiduo timore Dei, quæcunque pia ſancta & iuſta nouerimus, in illis diuinæ bonitatis præſcriptis ſubſcribendo pacem habeamus, & impij atque nequam homines uenenum inde hauriant, quod quidem eſt ſaluberrimum. Duos uero unà propheta Meſſiæ aduentus (ut dicebamus) in uno comprehendit. Prima itaque in ordine periodus eſt, de ultimo aduentu. Nullus enim mortalium ferre poterit diem aduentus ſecundi Ieſu Chriſti. tam terribilis enim erit, ut nemo poſſit ſubſiſtere quum aparuerit. Sequens autem ad utrunque pertinet. eſt enim, inquit, quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum, & ſedebit conflans & emundans argentum. quum dicitur eſſe ſicut herba borith, qua fullones mundant, & addenſant pannum crudum, ut uſui aptum reddant, tunc referri hoc ad primum aduentum debet, in quo ſenſim homines purgat, & uſui diuinæ uoluntatis aptos, quum uideatur hominum infimus, reddit. ex eius enim abiectionis uirtute, tanta uis in ſordidos peccatis homines, & mundanis curis deditos manat, ut longe panno ſit melior, ſine quo nullus bonus uſus eſſet. Nil uero refert, quid borith in hoc loco ſignificet: ſeu ſit ſapo, ſeu herba ſaponaria, ſeu quiduis aliud ad tergendum aptum. eſt enim aſpectu ipſo (quicquid id eſt) panno inferius: quemadmodum Ieſus Chriſtus fuit etiam quouis homine & humilior, & abiectior in primo aduentu, ſine quo tamen nullus uel maximus princeps mundi, unquam gratus Deo patri fuit, erit'ue. Quum ignis conflans dicitur, de ſecundo & tremendo eius aduentu cenſendum eſt: de quo Dauid dixit, Ignis ante ipſum præcedet, inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, uidit & commota eſt terra, &c. quæ autem ſequuntur, Et ſedebit conflans & emundans, &c. ad utrunque pertinent. Nam hic purgat hominem illi credentem, illic nullus erit amplius purgationi particulari locus, ſed uniuerſali, ut quum totus grex illius coactus unitusq; erit, malos pœnis æternis ſeparatos & deſtinatos igni det, bonos gaudijs perpetuis. meminit uero potiſſimum filiorum Leui, à quorum exemplo pendet populus. Quum enim debeant eſſe ſanctiſſimi, & alijs factis & uerbis ſanctiſſimis præire, eorum uirtus aut uitium in inferiores ſerpit, & tanto fit deterius uitium quod ab eorum exemplo proficiſcitur, quanto maiorem cæteris habent dignitatem. Ideo dicit Ezechiel 9. quum de magna ultione agit, à ſanctuario meo incipite. Hic certe ſunt primi emendandi, & in iudicio primi damnandi. Vbi uero fuit purgatus ordo, fuerunt iuſtiſſimi, qui Chriſtum ſunt ſequuti, quoad opibus & ſuperbia ordinem macularunt. Certe Ieſus Chri-

ſtus nunquam eſt aſpernaturus ſacrificia eius nomine inſtituta. Nec enim ordo in cauſa peccati eſt. Ad aliud de Ioanne præcurſore teſtimonium propheticum uenio. Ait Ieſaias 40. cap. Conſolamini conſolamini populum meum, dicit Deus ueſter. Loquimini blande ad Ieruſalem, & aduocate eam: quoniam completum eſt tempus eius, dimiſſa eſt iniquitas illius. Suſcepit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis ſuis. uox clamantis in deſerto, expurgate uiam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. Hic propheta miſcet etiam præmia pœnis: nam quando completum eſt tempus eius, id eſt quum Meſſias uenit, attulit omnibus credentibus remiſſionem peccatorum, ſed eadem opera ſupplicia impijs infidelibusq́ etiam duplicata ſignificauit. Nam & ſtrages tanta eſt edita Iudæorum, in eorum ditione, ut nunquam maior fuerit, aut ſit futura, & captiuitas inter omnes gentes tam diuturna, ut nulla memorabilior. Verum ne Chriſtum Ieſum ſe non potuiſſe agnoſcere dicerent, uenit ante eum uox clamantis in deſerto, ut purgarent uias animorum ſuorum uenienti gratiæ Dei, & rectas facerent ſemitas Dei ſui. Ioannes baptiſta in deſerto prædicauit pœnitentiam in nomine Ieſu Chriſti, illisq́ qui ad eum ueniebant oſtendit, dicens: hic eſt agnus Dei, hic eſt ille qui ante me factus eſt, cuius non ſum dignus, ut ſoluam corrigiam calceamenti, quem oportet creſcere, me autem minui. In quaſdam etiam nugas impoſtor R. Selomoh prorumpit, hæc ad captiuitatem referens, ut ſtudio uera euertendi illa peſtis inſigniter flagrauerit: omniaq́ ſacra à principio eſt, ut euerteret uerum ſenſum, aggredi auſus, eo quod in Gallia præclariſſimorum ingeniorum, quum coluntur, altrice, in qua egit, à Chriſtianis impetebatur, nec poterat argumentis, quæ ex prophetis adferebantur, reſpondere. Ideo ut eſſet omnibus Iudæis ueluti Theſeus, aut Achilles, omnia prophetarum oracula ad præteritum retulit, fecitq́ ut ſi illi credant Iudæi (quod maxime faciunt) nullus planè in toto ueteri Teſtamento propheta ſit. Nam prophetæ ſunt dicti ἐκ τοῦ προφῆναι, ſeu φάναι, quod longe ante res præuiderint, prædixerintq́. Si allegoricis tantum, aut anagogicis ſunt prophetæ, etiam hiſtoriæ Iudicum, Regum, Geneſeos, erunt prophetiæ. At hoc non dicit: uerbo quidem non dicit, ſed ipſis factis probat. trahere enim literalem prophetæ ſenſum omnino ad literam, quid aliud rogo eſt, quàm hiſtoriographum conſtituere? Vocatus eſt etiam Ioannes baptiſta Elias, eo quod primum aduentum Ieſu præceſſerit, quemadmodum ſecundum præcedet reuera Hanoch, & Elias. Malachias de utroque etiam aduentu mixtim loquens in capite ultimo, ita uocauit interprete loci Ieſu Chriſto, & uocabulum Eliæ Ioanni baptiſtæ dante. Mutuari uero nomina in ſacris ſæpe ſolent. nam Meſſias uocabulis multorum, qui ante eum fuere, dictus eſt. Seruauit in primo loco etiam homo in corpore nomen Iehouah, ut ab æterno habuit. Quod Ieremias 23. cap. oſtendit: Ecce dies, inquit, uenient, dicit Deus, & ſuſcitabo Dauidi germen iuſtum, & regnabit Rex, & intelliget & faciet iudicium, & iuſtitiam in terra. In diebus eius ſaluabitur Iuda, & Iſraël habitabit confidenter, & hoc eſt nomen eius quod uocabunt eum, יהוה צדקנו, id eſt Dominus Deus iuſtitia noſtra. Hæc de Chriſto dici, ſi qui ambigant, Thargum Ionathan confirmat. & ſtatuam Dauidi germen iuſtum. Seipſum confirmat Ieremias cap. 33. Ecce dies uenient, dicit Dominus, &c. paulo pòſt: Et hic eſt, qui uocabit eam (id eſt ſynagogam, ſeu eccleſiam) Dominus

Deus

Deus iuſtitia noſtra. Ionathan intelligit de Meſſia. Ita etiam interpretatur rabi Dauid Chimchi. Sed ait ita uocari debere, quod eius temporibus Deus iuſtificaturus ſit Iſraël. Vſqueadeò in reprobum ſenſum abierũt, ut quod eſt in Ieſu Chriſto, Meſſiæ præſtantiſſimum detractum uelint, ne illi ulla in re cum ſuo conueniat: quod illos tantopere uereri non oportebat. Nam eorum Meſſias erit antichriſtus, illi è diametro contrarius, longiſſime à diuinitate diſtans. Alij locum euertunt, & inuertere lectionem conantur. Alij ut noſtris Hebraice linguæ ignaris faciant fucum, dicunt Moſem, Iſraëlem, Ieruſalem uocari Deum, nec propterea eſſe. At mentiuntur impune. Nunquam enim in ſacris oſtendent nomen שמה attribui alij cuiquã, quam Meſſię & Deo. unde patet Deum eſſe Ieſum. Sed ſilentio non poſſum tegere impietatem nefariorum Rabinorum, & non oſtendere eorum ſtudium in ſacris deprauandis. Vt oſtendant non ideo Deum futurum Meſſiam, quod de eo dicatur Iehouah, deprauant uocem ultimam prophetiæ Iechezchelis, ut etiam ſacrum nomen urbi attribuere conentur: & ubi legitur, Et uocabitur ciuitas, ab ea die DOMINVS IBI, uolunt legi, Dominus nomen eius, ex mutato puncto & litera aucta. Nam ubi eſt יהוה, id eſt ibi, legitime ſcriptum: ponunt שמה, id eſt nomen eius. Ita R. Dauid Chimchi, & rabi Selomoh, ſequentes authorem deprauationis Ionatam, qui in libro Baua bathra. Cap. מוכר הספינה, id eſt uendens nauem, cenſet eſſe ita legendum. quod etiam ſi obtineat, quum cœleſtem Ieruſalem propheta in eo capite deſcribat, nil prohibet de ea dici Iehouah, quoniam tunc Deus erit omnia in omnibus, ſecundum præſentiam & ſubſtantiam, quum in inferioribus corruptibilibusq; ſit per potentiam & ſcientiam tantum. Si quis talia in ſacris committeret, meritò inſectari deberent. at quia nunc adulteri, à uero que alieni ſunt, ideo in matrem ſæuire illis licet. Ieſaiæ 28. & 8. capitibus idem nomen Meſſiæ datur, aſſentiente Thargum. in aliquibus locis Ieſus Meſſias eſt dictus Dauid, ut Ieremiæ 30. aſſentiente Thargum. etiã Hoſa 3. dicitur etiam Selomoh. Paralip. 17. dicitur & lapis, et petra, & innumeris nominibus ob proprietates rebus affines. Vbi uoce præconis Ioannis eſt manifeſtatus Chriſtus, tunc feces & reliquias Iſraël colligere incipiens, prætermiſſa mundi ſuperbia & faſtu, in conſortium piſcatores aſſumpſit, ita affatus: Venite faciam uos piſcatores hominum. Eius conditionis perſonas non reticuerat multis ante annis, ſpiritus ſanctus, per os enim Ieremiæ dixit: Propterea ecce dies ueniunt, dicit Dominus, & non dicetur ultra uiuit Dominus, qui eduxit filios Iſraël de terra Aegypti, ſed uiuit Dominus qui eduxit filios Iſraël de terra aquilonis, & de uniuerſis terris ad quas eieci eos, & reducam eos in terram ſuam, quam dedi patribus eorum. Ecce ego mittam piſcatores multos, dicit Dominus, & piſcabuntur eos. & poſt hæc, &c. Hæc ſunt de aduentu Meſſiæ, & congregatione Iſraëlis. At multis iam locis & argumentis uidimus, omnibus gentibus daturum ſalutem Chriſtum. Itaque quum de congregando Iſraële agit, intelligit de omnibus fidelibus & gentibus & populis: ſed de aquiloni ſubiectis, id eſt potentiæ dæmonis obnoxijs. Nam ab aquilone procedit omne malum. In libro enim Zohar, ſcribit Rabi Eleazar, partem ſeptentrionis in mundo imperfectam à Deo factam: ut quiſquis fuerit Deus, aut ſe Deum uocauerit, ueniat & illam abſoluat, & tunc ſcient illum eſſe Deum. dicit uero rabi Racanat, in eum locum qui ſumptus eſt ex Ezechiele 8. cap. ſapientiam Dei, quæ uocatur Attah, dominaturam angelo mortis, id eſt diabolo. Dictio autem attah,

eſt

eſt ſapientia Dei, ergo Meſſias deuicto diabolo mali authore à ſeptentrione incepit reſtituere Iſraël, id eſt eccleſiam fidelium. Id uero non regum, aut magnatum opera, non inſtructis aciebus, non cohortibus & phalange, ſed piſcatoribus Apoſtolis in totum orbem miſſis. Piſcati ſunt illi eccleſiam. Venatores, id eſt Romani milites, etiam in die uiſitationis uos à cauernis traxere ad ſupplicium. Demũ tranſiere gentes relictis idolis ad Chriſtum. hæc eſt capitis Hieremiæ ſumma, & ſenſus. Eorundem piſcatorum, in umbratili deſcriptione uirtutis euangelij, & baptiſmi deſcriptione meminit Ezechiel cap. 47. Omnia enim animantia habitura uitam ex ui aquæ, eſt impoſſibile: ſed ex baptiſmo originem, à Ieſu Chriſto capiente omne genus hominum, ſine ulla perſonarum acceptione uitam ſumit: fit enim illi fons aquæ ducentis in uitam æternam. Clarius uero indicans, quia potentiam legis à templo procedentem in euangelium traduxit, expreſſius etiam originem uigoris huius aquæ demonſtrat. Ex Galilea enim orientali ad lacum Genezareth ſita, exituras aquas dixit, quæ ſanarent cæteras. À Galilea enim proceſſit Chriſtus, & ex eius finibus orientalibus deſumpſit præcipuos apoſtolorum, Petrum, Andream, Philippum & alios, qui primi piſcatores fuere. Quam uero ſagenam dederit Chriſtus ſuis piſcatoribus, eſt operepreciũm audire ab Ieſaia cap. 2. Et erit, inquit, in nouiſſimis diebus præparatus mons domus Domini, in uertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent: Venite & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos uias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius, quia de Sion exibit lex, & uerbum Domini de Ieruſalem, & iudicabit gentes, & arguet populos multos, & conflabunt gladios ſuos in ligones, & lanceas ſuas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Domus Iacob uenite, & ambulemus in lumine Domini. proieciſti enim populum tuum, &c. De aduentu Meſſiæ hæc ideo Iudæi non negabunt dicta, quod contra Chriſtum Ieſum uideantur facere, & eorum Meſſiæ futuro fauere. Poſtquam ergo inter nos conuenit, ſunt ſingula excutienda. Erit in nouiſſimis diebus: Iudæi dicunt in nouiſſimis diebus mundi, at nos dicimus in nouiſſimis diebus legis Moſaicæ. uidendum uter melius dicat, rationibus ultro citróque adductis. Vox אחרית ahrith, id eſt nouiſſimum, ſeu poſtremum, non omnino extremum ſignificat cuiuſdam rei. nam Ioël 2. dicit, Eius extremum ad mare uſque nouiſſimum. pariter Ezechiel 26. dicit, Dum collocauero in terra nouiſſima ſolitudines. At quum terræ & aquæ ſit unus globus rotundus, illic ſimpliciter nihil eſt extremum. Nam in quouis puncto rotundi, eſt dabile principium & finis. ergo nouiſſimum illic ad aliquid dicitur neceſſariò. Ita & apud Ieſaiam, nouiſſimum dicitur legis Moſaicæ. Nam in nouiſſima mundi conſtitutione erit finis actionis & corruptionis. Nec erit opus lege, quum tempus ſiſtetur. Nam lex non ſolet dari, niſi ad diuturnam obſeruationem. Fruſtra ergo poneretur lex tam ſancta, niſi diutiſſimæ obſeruationis gratia. ergo duobus annorum milibus ante finem mundi ſaltem debet dari, quum dictum Eliæ uideatis iam in duabus partibus naturæ & legis contigiſſe. Nam fermè utraque, bis mille annis durauit: ergo lex gratiæ multo duabus præcedentibus præſtantior, deberet potius plus quàm minus durare. Nouiſſimi igitur dies ſunt in hoc loco, finis legis Moſis. fuere nouiſſimi dies, quando ablatum eſt ſceptrum de Iuda, ut prædixerat Iacob. Quum uenit Ieſus, perijt uobis

bis ſceptrum de Iuda, & fuere nouiſſimi dies. Mons uero intelligitur ea potentia ſublimis, cæteris potentijs ſublimior quæ eſſet omnibus alijs præponenda: ſtatus ſcilicet religionis & eccleſiæ Ieſu Chriſti. Nam is eſt mons, qui in magnam creuit altitudinem, quum ſit lapis abſciſus de monte, ſine manibus, quique omnes alios ſuperauit, ut ait Daniel. Ad eum ergo (ſeu Chriſtum, ſeu eccleſiam ab eo dependentem intelligamus, nil refert) erant gentes omnes confluxuræ, & nomine Iacob aut Iſraël uocandæ: & ad ſummam ideo potentiam, qua non eſt maior, confluebant, quoniam uerbum Dei, id eſt euangelium Ieſu Chriſti, ex Tzion exiuit, id eſt à progenie Iudaica natus Chriſtus, docuit in Iudæa & Hieroſolymis uerbum, unde in totum orbem ſerpſit. Iudicat ideo gentes, quoniam omnibus data eſt ea lex, nec de eius difficultate poteſt queri. uel paruuli poſſunt (quod ad ſalutem attinet) fieri perfectiſſimi in eius cognitione. Sed hic mirum eſt, quàm obſtrepat gens cæca. Quomodo poteſt ueniſſe Chriſtus, ut dicitis, quum bella nondum ceſſauerint? quando ex enſibus ligones ſunt facti? Leuatur gens contra gentem, ardent omnia bellis etiam inter Chriſtianos. Audite, Nónne lex à Moſe data erat, à Deo & uera? erat. At quando reperti ſunt in ea fontes lacte & melle manantes? Ergo aut Falſa dicebat, aut intelligendum eſt quod bene uiuenti ſub ea lege, omnia tam fœliciter ſuccedere debebant, ut non ſecus eſſet abundans, quàm ſi fontes lactis & mellis domi haberet. Promiſſiones ergo fiunt obſeruatoribus præcepti, non illis omnibus qui dedere nomina circumciſioni, aut baptiſmo. Nam quot fuere Iudæi, impij & nefarij? at ſub ſancta lege erant, & circumciſi. Sacerdotes qui inter cæteros erant ceremoniarum obſeruantiſſimi, quid ſceleris non commiſerunt? Contra nullos ferè alios plures comminationes dabantur. Nil auaritiæ intentatum reliquerunt, pcpulum ad oſſa uſque corroſerunt, ingluuie & uoluptate impotentiſſime laborarunt. ab illis ultiones incœpere. Ergo lex Moſis mala? non ſequitur. Nam homines ſunt liberi arbitrij, eruntq́ ad finem uſque mundi. Quum uero nil ſit libertate præclarius ſecundum animum homini, à Deo datum, licebit ſemper agere libere, uel non agere. nam qui agit bene inuitus, ille nec liber, nec uir bonus eſt. Quum autem ſint homines liberi ad finem uſque mundi futuri, & cor hominis ſit pronum ad malum ab adoleſcentia, ſitq́ tam fraudulentum & peruerſum ſuper omnia, ut nemo illud cognoſcat, ad finem uſque mundi ſunt futuri plures improbi longe quàm boni. Nam alioqui fruſtra leges eſſent, ſi omnes aut boni aut mali eſſent. Iuſtis enim lege non opus eſt, mali nulla tenentur. Erant ergo etiam pauci ſub lege Meſſiæ ſaluandi fortaſſis: ut de Ioſue & Caleb. At qui reuera & ex animo profitentur, Chriſtum inter eos bellum nullum eſt, nullus gladius, nulla lancea. Cui enim uſui ſit lancea aut gladius, illi qui ex animo omnes homines amat? Contra quem moueat bellum, qui nec poſſidet quicquam, nec aliena appetit? Si qui poſſidet, ſit ueluti qui nil poſſidet, contra quem ob fluxa iſta fortunæ bona inſurget? Qui omnes homines in fratris loco habet, qui poteſt illis male uelle? Hæc ſunt ſanctiſſimæ religionis præſcripta, eſſe per omnia ſimilimum Deo. Illius more de omnibus benemereri, nil inde repenſionis expectare. Nam gloria eſt illius ſolius, & nil dat qui repetit. Alijs hominibus non ſibi natum eſſe, id in hac uita ſummum iudicarunt ſummi Philoſophi. Pręſtitit nemo niſi Chriſtianus, à ſuo duce inſtructus, et adiutus. Quod autem uellet intelligi propheta hoc modo, id arguit quod eſt indefinite locutus.

Nam

Nam ſi omnes qui nomina Chriſto erant daturi, præſciuiſſet uſuros hoc diuino præſcripto, dixiſſet omnes conflabunt gladios ſuos, &c. Sed quum ſciret hominem deprauatum, ad diem uſq; iudicij perperam, ut plurimum, acturum, dixit Conflabunt, &c. Scilicet qui reuera erunt ex animo Chriſtiani, nil quicquam litis aut odij inuicem ſunt unquam habituri, ſeſta & æterna pace fruentur & in hac & in futura uita. Si enim omnes carituri ſunt gladijs, magnus ille Meſſias à uobis expectatus, quî fiet ut ſine gladio & lãceis & bello uos reducat? Certe erratis Hebræi. Nunquã carebit mundus ſua peſte, nunquam eſt defuturum in hac uita uitium uirtuti contrarium. Nulla lex ſanctior aut maior in hac uita poteſt dari, quàm quæ à Chriſto data eſt: quia hominem eius præceptis quatenus poteſt parentẽ, Deo ſimilimum reddit. Hanc legem à Iudæa originem ducentem Apoſtoli toto in orbe ſparſerunt, factisq; ſanctiſſimis docuerunt, inter uere bonos impoſſibile eſſe bellũ naſci. Patuit in Aegypto ubi aliquãdo 400. annis ad 300. hominũ milia, nulla planè diſtinctione fortunę, cibiúe aut potus unà ferè cõtinuis ſucceſſionibus uixere, quales etiam hodie multi reperiuntur. Sed non unà congregati, ut erant. Nec iudici nec militi locus erat inter eos, ſacer magiſtratus non ob opes, aut ueſtes, ſed ordinis cauſa colebatur. De miraculis non eſt mihi admodum laborandum, quoniam etiam Iudæi nobis aſſentiuntur in illis, ſed adhibito nomine Iehouah facta fuiſſe dicunt, non intelligentes quàm uera dicant. In nomine enim יהוה, quod patri & filio & ſpiritui ſancto commune eſt, Ieſus filius Dei miracula omnia edidit. De illis uero meminit Micha propheta cap. 7. Paſce, inquit, populum tuum in uirga tua, gregem hæreditatis tuæ, ut in ſylua æque poſſint quieſcere, atq; in medio aruorum, ut ipſi paſcantur in Baſan & Galaad, iuxta dies antiquos. Secundũ diem egreſſionis tuæ de terra Aegypti, oſtendam ei mirabilia. Videbunt gentes & confundentur ſuper omni fortitudine ſua. Deus hoc in loco ore prophetico alloquitur aliquem, quem ex operibus iniunctis neceſſe eſt eſſe Deo ſimilem. Nam eſt ſolius Dei omnia uidentis, & moderantis, poſſe æquè in ſylua quauis, aut lignorum aut impiorum, ſuos ſeruare, atq; in medijs aruis. quod ſecundum Deum Ieſus ſolus potuit. Ex hoc uero latentia cognoſcere ſe docuit, quod multorũ cogitationes aperuit. De Meſſia ergo quum iſta ſint, cui Deus uti homini imperet, etiam ijſdem uerbis docuit regius propheta: Ego conſtitui, (inquit Dauid ex ore Dei) regem meum (contra quem inſurrexerant principes mundi) ſuper Zion montem ſanctum meũ. Et mox, Dabo gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. quæ omnia de Meſſia intelligi, oſtendit periodus, Ad terminos uſque terræ. Nam nullus homo poteſt ita imperare, nec etiam Deus ipſe in corpora liberi arbitrij. Sed mirabilia ſecundũ diem exitus de Aegypto ſunt facta à Chriſto, tanto maiora quanto Deus homine maior erat. Receſſit mare iuſſu Moſis potentia Dei: ſed aquæ ſolidæ, ut terra tulere Chriſtum, in eius nomine tulere & Petrum. Sol ſumma creaturarum ſenſilium, eſt ſui factoris humanitati morienti compaſſus, deliquio contra naturam. Taceo innumera miracula, quæ in ſingulis locis edidit. At etiam hoc in loco agganiunt Iudæi dicentes, Moſes, Ioſue, Ezechias, Elias, Eliſeus miracula ediderunt, uerum eſt, ſed in nomine Dei ſæpius inuocato, diutiusq; fuſis precibus. At Chriſtus proprio imperio cæcis uiſum, ſurdis auditũ, mutis loquelam, energumenis & obſeſſis à dæmone liberationẽ, paralyticis ſanitatem, mortuis uitã, turbato mari quietem reddidit. de qua re ne dubitare liceret, eius Apoſtoli nomine illius, aut ſolius eius crucis ſigno tãta edidere,

dere,ut nullus numerare ualeat. Quod uidentes ethnici,& homines omni tor mentorũ genere inſuperabiles cernentes,confundebantur in fortitudine ſua, quam omnibus nocendi artibus inſtructam contra illud genus hominum nil proficere cernebant. innumeræ puellæ & pueri etiam infra decennium tortores torquendo feſſos reddidere,unde à ſumma potentia illos fuiſſe cõfirmatos conſtat, & à Deo dependere, quum præcipuè aliїs hominibus tormenta adhibita ea eliciant quæ mortem adferant. Hæc uidentes ethnici relictis idolis, ad Deum uerum per Chriſtum acceſſere: quorum exemplum ſequi nũquam uoluiſtis, quum tamen eſſet uobis miſſa ſalus, & fuiſtis gentibus deteriores, quas ſub Moſe fugere, ſub Chriſto ſequi debebatis. At quia non feciſtis,ideo in uobis exemplum exemplo carens, ſemperq́ꝫ cariturum demonſtrauit Deus,ut iam ſæpius eſt à me notatum. Tam innumera multitudo beneficiorum uobis collata, tantam ſuperbia & faſtu diuitum & principum ſacerdotũ conflauit Ieſu Chriſto inuidiam, ut in crucem innocentiſſimum hominem agendũ duxerint: quod uos miſeri,heu uos miſeri Iudæi, in gloria ponitis, & תלוי talni,id eſt ſuſpenſum uocare Ieſum contumelioſè ſoletis, cuius cruce ſaluatus eſt orbis. Iam præuiderant hęc omnia prophetæ, quæ per ſingula leuiter attingam, quoniam facinus horrendum agnoſcitis. Sed triumphus & pompa Ieſu Chriſti quũ primariam urbem ſuam regio nomine ingrederetur, eſt uidendus,ut à propheta ſexcentis antè annis eſt deſcriptus. Exulta ualde (inquit Zacharias 9) filia Zion, lætare filia Hieruſalem. Ecce rex tuus uenit tibi iuſtus, & ſaluator, ipſe abiectus & pauper ſedens ſuper aſinum, & ſuper pullum aſinæ. Et diſperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Hieruſalem, & diſsipabitur arcus belli, & loquetur pacem gentibus. & poteſtas eius à mari uſqꝫ ad mare, & à fluminibus uſqꝫ ad fines terræ. Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui, emiſi uinctos de lacu in quo non eſt aqua, etc. Coactus eſt hoc in loco fateri R. Selomo, hæc de Meſsia intelligi. Fateri etiam uoluit R. Aben Ezra, eſſe de alterutro Meſſia(nam duos, ut dixi, expectant: quoniam unius ſunt duo aduentus) aut filio Dauid, aut filio Ioſeph. De Nehemia uero quendam R. Moſſe ſacerdotem intellexiſſe ait. ſed reprobant opinionem cæteri, ſuffragatur Targum. In quocunqꝫ ergo omnia iſta contigerunt, fuit Meſſias. Iam ex interpretatione diſpiciamus omnia. Valde exultare debebat filia Zion, quoniam nil maius tanto principe poterat conſequi eccleſia. Rex, iuſtus, & ſaluator: ſunt tres qualitates Dei. nam rex regum eſt. At Meſſias ſummus regum omnium eſſe debebat. ergo Deus. Cæterum non iuſtificabitur in cõſpectu Dei ullus uiuens. Septies in die cadit iuſtus, noſtræ iuſtitiæ ſunt pannus menſtruatæ: non eſt, ne unus quidẽ qui faciat bonum. Ergo Deus erat Meſſias. Saluatoris uerbum Deo ſoli competit. erat ergo Deus Meſſias. ſunt illæ ſummæ qualitates Meſſiæ. Nomen Hu הוא quamuis etiã attribuitur creaturis, tamen peculiare eſſe Dei nomen Commentarїj fidem faciunt הקבה ſanctum benedictum ipſum Deum ſemper uocantes. Humilis abiectus & pauper quî poteſt dici rex? Si eſt mundanis regibus maior, ubi ſatellites, ubi σωματοφύλακες, ubi fiſcus, ubi ordines, ubi ſatrapæ, ubi exercitus eius? Ergo regnũ tam magnum non eſt de hoc mundo. Nam ſi ex hoc mundo fuiſset regnum eius, miniſtri illius, ut dixit, decertaſsent ut non traderetur Iudæis. Regnum ergo in animos felices & quos fecit liberos exercet. Nam alioqui regnum & paupertas, non poſsent conuenire in uno. Sed prodeat currus triumphalis. Sedens, inquit, uel equitãs ſuper aſinum: nec aſinum ſatis aptum labori, ſed

adhuc pullum, dorſo nondum onera accipientem. Hæc ſunt Meſsiæ ornamenta, hę pōpæ. Tāta fuit Ieſu Chriſti tenuitas, ut ne aſellum quidē ualidum poſſederit, cuius minimum miraculum compenſare totius mundi aurum nō potuiſſet. Hoc exemplo magis quàm arcta neceſſitate feciſſe conſtat, ut ſuperbiam, faſtum, opes, gloriam, & opinionem quibus labefactatur mundus, calcaret, ut facta eius non ſecus quàm uerba loquerentur. Crepat interim dum illa uidet ſynagoga ſatanæ. Pueri & innocentes (patribus prohibere nō ualentibus) clamant io triumphe, hoſciana baramoth, id eſt ſalua nos in excelſis. Ex ore infantium & lactentium laus à ſuperbia mundi negata proficiſcitur, frendente interim inuidia ſuperciliosæ ſynagogæ magiſtratu. Ob id ſubiungit propheta, quid ob eam ſummam nequitiam ſit futurum: Vt ſcilicet in decem tribubus Iſrael, quia erant copioſiores quadrigæ quibus abundabant, & in Hieruſalem equi perirent. Futurum enim erat, ut qui ſpreta ueritate & neglecto Deo eiusq; præſcriptis ſperabant in multitudine & aceruo diuitiarum ſuarum, funditus exciderentur ob neglectam ſalutem. Alij uero fideles, ut diximus, nil belli ſuſcitarent, quod nil appeterēt præter neceſſaria, quæ facilime à natura ſuppeditari poſſunt. Loquetur pacem gentibus, qui erat eſtq; pax, princeps pacis, pacem ſuaſit, fomenta bellorum ſuſtulit, cupiditates omnes reſecare uoluit ſuis ſectatoribus. Niſi enim ſublata omni dominandi & habendi cupiditatum libidine, eſſe felix & quieto animo nullus mortalium poteſt. & quamuis id ſciant dicantq; multi, nullus tamen unquam præſtitit, niſi quē Chriſtus iuuit & inſtituit. Maximè uero patet eius poteſtas in eo quod dicit, dominaturum toto in orbe. Nam hoc ſolius, ut dixi, Dei eſt. Sed quomodo fiet illud imperium pauperis in toto orbe? Aperit propheta: Etiā in ſanguine pacti tui emiſi, ait Deus, uinctos tuos de lacu in quo non eſt aqua. In ſanguine pacti eius paratur hoc imperium. Nec tātum ad futuros ſpectat, ſed & eos qui erant uincti in lacu in quo non eſt aqua: id eſt in inferis & limbis iam ab Adamo retinebātur, iam ab Adamo redemit. Sanguis eñ Ieſu Chriſti ſalutē toti orbi comparauit, & præteritis & futuris. Ergo Meſſias erat occidendus, & ſanguis eius fundendus, in quo hoc Teſtamentū conderet. Id etiam notauit Daniel: Et occidetur, abſcindeturq; Chriſtus nec ſibi, ſeu ſui cauſa. nempe in eo non erat dolus: ſed pro omnium ſalute, & inuidiæ miniſterio. Subiūgit pœnam: Occiſo Chriſto, ciuitatem diſſipabit populus ducis uēturi. Idem facit hoc in loco Zaccharias: Conuertimini, inquit (poſtquam occiſus fuerit iuſtus) ad munitionem deuincti expectatione (alterius Meſſiæ, ſupple) hodie quoque annucians duplicia reddam tibi. Quæ ſint illa duplicia, iam duobus in locis expoſui. Excidia duo, et pręſens exilium. Idem repetit Ieſaias. nā poſtquam 40. cap. id dixerat de Chriſto, idem repetit iterum cap. 61. de Chriſto etiam loquens, admixtis benedictionibus fidelium dicit de pœnis perfidorum: Pro confuſione ueſtra duplicia recipietis, inquit, & pro ignominia laudabūt in agris ſuis. propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt, lætitiam ſempiternam dedit eis. Prima pars ſententiæ ſpectat ad perfidos, duplici pœna puniēdos in corpore, & duplici in animo. Nam, ut dixi, pœnā ruinæ & captiuitatis in corpore ſentiunt, & pœnam angoris & dubij in hac uita, & in futura damnationem æternam experientur in animis. Alij uero duplicia etiam, ſed in animo recipient quietem & tranquillitatem in hac uita, æternum gaudium in futura. Hanc nephariæ gentis in ſuum ſeruatorem iniuriam, plurimis in locis ape-

aperuerāt prophetæ ô Iudęi,ne forſan putetis de alia Meſſia quàm de Ieſu iſta intelligi. Vos uidiſtis ad unguem, ſine ulla detorſione,dici cõtextum ſcripturarũ de his quæ à Ieſu & in Ieſu geſta ſunt: quod per omnia quadrare eſſet impoſſibile,niſi eſſet idem qui & Meſſias.Sed ne uos credulitate languida occupatos relinquã, addo quædã prophetarũ oracula ad confirmationem prædictorũ.Nunquam fore audituram de humili Chriſto ſynagogam prædixit Ieſaias:Propter Zion, inquit, non tacebo,& propter Hieruſalem non quieſcã, donec egrediatur ut ſplendor iuſtitia eius, et ſalus eius ut lampas accendatur. Iubebat ſceleſtiſſima ſynagoga tacere prophetas, quum palàm humilitatem Chriſti efferrent.De iuſtitia Meſsiæ intelligi,totum caput declarat. Vocabulo uero indicat Deum eſſe Meſsiam,quũ eccleſiã eius uocandã aſserit: Voluntas mea in eis. & infrà:Populus ſanctus,redempti à Domino.& itẽ:Quæſita ciuitas,et non derelicta.cap.53.idem:Quis credidit auditui noſtro,& brachiũ Domini cui reuelatum eſt?et aſcendit ſicut uirgultum coram eo,& ſicut radix de terra ſitienti,nõ eſt ſpecies ei,neq; decor,&c.Hæc de humilitate,manſuetudine & cæteris Meſsiæ uirtutibus dicuntur, ut patebit in paſsione.Et non pudet nefarios interpretes de perditiſsimo populo, qui ob ſcelera cœlo & terræ horrenda ductus eſt in captiuitatem, iſta interpretari. Verum in eos ſuo loco agam.Sub ea aũt humilitate ſqualidus,pannoſus,abiectus, auſus eſt facinus aggredi inſigne,& pluſquã regium:quoniã de gloria Dei agebatur,illic ſe uirum oſtendit. Fecerat auara myſtarum turba domũ Dei ſpeluncã latronum, ne ulli offerendi deeſset occaſio.ne quis prætexeret ſe ideo nõ poſſe offerre, quod emenda uenalia nõ reperiſſet, aut permutatũ aurũ non haberet,in templum uſq; forum traduxerant, inexplebilis auaritiæ qua laborabant argumẽtũ:flagello,quo egerat aſellum,homines & animalia, ſacri loci cõfinio abegit. menſas uero colybiſtarũ ſparſis euertit pecunijs,proferẽs uerba Ieremiæ ante ſacerdotes et phariſæos:Nũquid ſpelunca latronũ facta eſt domus iſta, in qua inuocatum eſt nomen meũ? Ob illum uero neglectum & uitia ſacerdotũ excidium minatur,et templi euerſionẽ,ut cõtigit in Silo ob uitia Ophni & Phinhas. Vt aũt primario ueſtrarum opum authori in aliqua re eſset affinis Ieſus, ueſtrorũ magiſtrorum iniquitas ſcelus in eum eſt auſpicata à uẽditione. Quãuis genus ab Abrahamo ducitis,ô Hebræi,tamen & potentiam & opes beneficio Ioſephi,qui à fratrib.fuerat uenditus,primũ collegiſtis. Nã ante eũ eratis 60 animæ tantum,& ex Aegypto exiuiſtis ad 600 milia hominũ arma ferre ualentium:quib.ſingulis ſaltem duo accedebãt domeſtici,triploq; numerus maior fiebat. Cõuenit Chriſtus cum Ioſepho in uenditione à ſuis,in innocentia, in repenſione boni loco mali, in uirginitate & caſtitate. conueniunt à principio tãtum,quia temporariã Ioſephus,perpetuã Chriſtus ſeruauit.à domeſtico hoſte(qua peſte nil capitalius) Iuda proditore,ſcribis & phariſæis conciliũ de eo capiendo ſine tumultu populari agitantibus, eſt triginta argenteis uẽditus,cautione de homine noctu tradendo exhibita. Ea ſumma ad noſtrã pecuniã ęſtimatą,fortaſſis faceret unã & 20 libras Turonenſes.Nã argẽteus erat 14 ſolidis par.mancipiũ uiliſsimum & debile ueniſset quadruplo.Sed ita ſtatutũ erat à patre Deo. Mentionẽ facit eius uenditionis Zacharias cap. 11.ubi eſt locutus de portis templi, quæ ſe ſponte aperiebãt, 40 annis ante ruinã ueſtrã,ut ante notaui,& nefaria ſacerdotũ ſcelera attigit, & de reprobatiõe fœderis Moſis,deplorationeq; infelicis gentis myſtarum egit,inquit:Et dixi ad eos(Deus ad ſacerdotes) ſi bonum eſt in oculis ueſtris, afferte mercedem meam.Sin au

tem,quieſcite.Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proijce illud ad figulum decorũ precium, quo appreciatus ſum ab eis.Et tuli triginta argenteos,& proieci illos in domo Domini ad figulum.Hæc omnino habent contextum rei geſtę. Nam æterna deliberatione diuina prouidentia conſtituerat,filium ſuum unigenitũ dare in redemptionem mundi,& quæcunque circa eum geſta ſunt fieri:quoniam peruerſitatem gentis nouerat.Ne autem ullus poſſet dicere, Deum cogere hunc aut alterum ad malum,dixit:Si ita uidetur. Sin autem,quieſcete. nam nulla uis libero arbitrio infertur per prædeſtinationem. Dederunt ſacerdotes triginta argenteos Iudæ,qui eum illis tradidit. Demum quum inauditis tormentis illum affici cerneret,ſera ductus pœnitẽtia, numınos Iudas retulit ſacerdotibus.qui quũ nollent eos recipere,ſed dicerẽt illi, Tu uideris,proiecit eos antè ipſos,& abiens miſer,laqueo ſibi gulam fregit.Illi adhuc exiſtentes in ipſo templo,collegerunt eam pecuniam,dixerũtq;,quia eſſet precium ſanguinis,non debere cum ſacris oblationibus, quæ Curban dicũtur, reponi,ſed in uſum peregrinorum conuerti. Itaq; noua pietate impietatem diluere ſatagentes, agellum à figulo non longè ab urbe mercati ſunt in ſepulturam peregrinorũ,uocaruntq; hacaldema, id eſt agrũ ſanguinis,qui in præſentem diem manet ueſtræ perfidiæ teſtis.Hæc eſt hiſtoria. Cæterum ne putetis tantum hoc ueſtræ ruinæ & recedentis à uobis Dei argumentũ in hoc capite haberi, eſt & aliud longè grauiſſimũ,paulo antè:Et ſuccidi tres paſtores in uno menſe. Paulo antè triplex paſtor et poteſtas qua quãuis rẽp.regi neceſſe eſt,ſublata uobis ab Herode fuit. Nam paucis diebus, regiam,Leuiticam,& iudiciariam poteſtatem ad unum peremit,nouosq; homines in templo, tribunali & regia conſtituit: & tamen, ſi Dijs placet, tunc ſceptrum de Iuda non defecit. Vſqueadeò ueſtra uos càpit & afficit infelicitas, ut illam ne agnoſcere quidem uelitis. Quid dicam de templi ualuis? Demum quod eſt etiam per quadraginta annos probatum,ſequitur uenditionem iuſti. Nam ſacerdotium eſt à poteſtate Romana inſtitutum,& magis gratioſo datum, aut ditiori uenditum:ad hæc annuum factum eſt,quo magiſtratu fungentes, quia ſuo anno quiſq; corradere omnia uolebant,non tantum tenues (ut ubiuis moris eſt) ſed diuites etiam necabant expilationibus, quod magis regiæ & nouæ poteſtati conuenit. Nam nil priuatæ facultatis tutum fuit à regno Herodis uſq; ad Titum. Sequens uero caput pergit infelicitatem ueſtram proſequi, & ex uobis quoſdã reſipiſcentes dono ſpiritus ſancti agnituros Chriſtum à ſe confixum, & occiſum dicit. 13.caput fontem gratiæ Dei per Ieſum Chriſtum datæ aperit. Et ab eo tempore fuere omnes falſi prophetæ ueſtri Rabini,qui uarijs temporum periodis aduẽtum Meſſiæ augurantes,uos in perditionem totis 1500 annis retinuere.ſequuta eſt demum ueſtra infelicitas,captiuitatibus cumulata,ut uideatur ad uerbum texere futuri hiſtoriam. Nolo eſſe longior in reliquis tradendis. uolo eſſe ſimilis in ſcribẽdo Phariſæis,in exequendo mortis Ieſu Chriſti cõdemnationem. Quum in liberis ciuitatibus,ubi ius locum habet, etiam de capitę ſerui & abiectiſſimi hominis agitur, ſoleat cauſa inter bonos in multos dies ponderari: ſex tantum lucis horas habuit Ieſus Chriſtus,à quo captus eſt,ad crucem. Videant uniuerſi mortales quanta potuiſſet eſſe eius iudicij maturitas, etiam ſi de nephario homine agi debuiſſet. Ea ipſa die cõuenerunt principes in unũ, aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Nam Pilato nomine Romani ſenatus Iudeæ præſidi, reconciliatus eſt Herodes rex alter eius nominis,

quod

quod cauſæ Ieſu cognitionem, quam inuidia Phariſęorum & ſcribarum ſuſcitatam ſciebat, ei permiſiſſet, conuenit contra innocentis caput tota ſacerdotum Phariſæorum & ſcribarũ cohors, aduerſus Dominũ & aduerſum Chriſtum eius filium. At quia urget eos is pſalmus, dicẽt refractarij, intelligi de Dauide. Sed audiant rogo, quomodo ſingula cõuenire Dauidi poſſint. De quocunque dicatur, habeat cauſam communem cum Deo neceſſe eſt. Nam diſrumpamus uincula eorum, &c. oſtendit legem & iugum commune hominibus imponendum. At hoc non habuit Dauid. nec enim author legis fuit. At quę alia uincula poterant omnes reges terræ retinere, quàm lex aliqua? nulla. Lex Moſis unum tantum populum habere debuit. Lex Meſſiæ ad omnes pertinet. Sequitur itaq; eſſe de eo & eius lege ſcriptum, Qui habitat in cœlis: propter imperiolum reguli Dauidis non irriſiſſet omnes principes, quia ad eos ea lex ſub qua erat, nõ pertinebat. Furore in eos moueri nõ debebat, qui non peccabant non recipiendo uincula Moſis. Erat Meſſias quem conſtituit regem ſuum Deus ſuper montem Sion, ut narraret præceptum & legem nouam. Semel uerum fuit dicere de Dauide, hodie genui te. at ſemper de Chriſto & eius generatione uerum eſt. Quemadmodum enim ignis actio ſemper à potentia procedit, quãdiu eſt ignis: ita ab æterno à potẽtia Dei proficiſcitur eius ſapientia. Adhæc ſi de Dauide dicitur, quando poſſedit terræ terminos? Dei ſolius eſt. regit eos arctis animorum legibus, ferro & adamante durioribus, & cõfringit quum uult. eſt enim Deus. ab eius exemplo & lege pendere oportet reges mundi. Opus eſt omnes eum filium Dei oſculari, ne quando iraſcatur Dominus, &c. ita quum nil planè aut parum conueniat Dauidi, ſequitur ut de Meſſia filio dei intelligatur. Ita deprauant & inuertunt ſenſus omnes pſalmorum, ſed ſecundum iſtum inuertunt potiſſimum 109. quia uehementiſſimè eo urgentur agnoſcere Chriſti diuinitatem. Sed ad alia tranſeo. De Ieſu Chriſti tormentis quanta ſunt ſcripta, ſuperfluum iudico ſcribere, quum ſolida capita de hac re in prophetis habeantur. Satis habebo impietatem refutare ſceleratorum rabinorum, ubi deprauant ſuis ſomnijs cap. 53 Ieſaiæ. Ita habet: Quis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui reuelatum eſt? Hæc non poſſunt intelligi de facinore corporali, aut uulgari ut bellũ. Nam ſatis habere debebant perſuaſum quid in eo poſſet Deus, ſeu affligendo, ſeu ſeruando. Declarat ergo propheta quis ſit iſte auditus tam mirabilis, ut uix ſit credibilis: Et aſcendit ſicut uirgultum coram eo, id eſt Deo patre. Diuites, magnates, mundanis rebus fulti, impijq; exaltantur ſicut cedrus Libani: at iſte qui eſt brachium & potentia Dei, exoritur ſicut uirgultum, ut nil ſit humilius & abiectius aut minus credibile, quod eſt ſummũ, ut Deus, ſit ita humile ut inferius infimis uideatur. Et ſicut frutex ex arido ſolo: eò quò ſuperius tendit. Nec enim unquam res populi Hebraici fuere tam acciſæ, ut nõ aliquid ſplendoris ſeruauerint. Taceo quàm impudenter ex uiro populum faciant. Non eſt ei ſpecies, neq; decor, ait: & non erat forma, cuius cauſa deſiderauimus eum, ſpretus eſt, reiectamentũ hominum, uir afflictiſſimus, & qui oſtendit langorem. & ueluti qui auertat à ſe hominum aſpectus, deſpectus, & quem non reputauimus. Si hoc dicitur de populo iudaico, quis hoc de eo dicit? Non hoſtes qui affligunt, non Deus qui punitionem immittit, ergò nemo. Nam de ſe in tertia perſona nemo loquitur. Sunt iſta omnia de afflictione Ieſu Chriſti, & eius abiectione. Nam eſt uſqueadeò ſputis, luto, & proprio ſanguine labefactatus, ut leproſo abiectior uideretur. reuera eum non re

putauit gens iniqua. Vere langores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe
portauit, et nos reputauimus eũ lepra percuſsũ à Deo et humiliatũ. Iſta ſatis ſe
explicãt, nec in ulla re cõueniunt populo, nec hodierno, nec in captiuitate Ba
bylonica. Quãuis em̃ languent aliqui macie, tamẽ nil ſimile lepræ. Et ſi eſſet
ſimile, nullus populus poteſt dũ punitur ferre dolores alterius. Ad hæc quod
tantũ & tam inauditũ miraculum eſſet, ut nemo eſſet crediturus, uidere (quod
nũq̃ ferè nõ uides) homines bellis detritos et afflictos? Certè Chriſtus pro no
bis paſſus eſt, iuſtus pro iniuſtis. Nec em̃ poteſt ullus homo, ut homo, ferre lã-
gores & dolores alterius. Sequit̃: Ipſe aũt uulneratus eſt propter iniquitates
noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, et correctio ſuper eũ, ut nos pacẽ ha
beremus, & liuore eius ſanati ſumus. Quid mirabilius iſto? ex unius innocẽ
tis, iuſti, pauperis, abiecti, omnib. tormentis liuoribus et dolore ſanari toutm
mundum? Deũ unà & hominem hæc infirmitatis ſigna geſtare? Omnes nos
quaſi oues errauimus, & poſuit Dominus in eo iniquitates omniũ noſtrûm.
Quid hoc ad populũ? Si de populo dicitur, aut nõ fuit captiuitas Babylonica,
aut hæc præſens nõ eſt. At utraq; quũ fuerit, ſequitur nulla expiatione pro uo
bis omnib. unquã eſſe factũ. Deſinite delirare impij homines, miſerũq; popu
lũ ſeducere. Omnes homines peccatores fuere præter Chriſtũ & Mariã. Chri
ſtus pro omniũ peccatis mortuus eſt, qui ſolus ob diuinitatẽ, fructũ ſuæ mor-
tis qua pro peccatis noſtris perſoluit, in omnes homines illi credẽtes trãſmitte
re uoluit, potuitq;. nã homo purus id nõ poſſet. Liuor uero oſtẽdit ſanguinis
effuſionẽ, in quo pactũ credẽtib. inſtituit. deinde: Dũ opprimit̃ & affligit̃ nõ
aperuit os ſuũ. Sicut ouis ad occiſionẽ ducit̃, & quaſi agnus coram tondente
ſe obmuteſcit, & non aperit os ſuũ. Quis iſta credat? Innocentiſſimũ ne uocẽ
quidẽ emittere, ueluti agnũ duci ad ſuppliciũ? O Ieſu Chriſte quãta eſt tua bo
nitas. Perpẽdite iſta blaſphemi, ueſtri miſerebit̃, uos expectat ad miſericordi
am. De anguſtia & de iudicio ſublatus eſt. At populus ille, ſi Dijs placet, nõ
obijt, nec ad occiſionẽ eſt ductus, ſed ad ſeruitutẽ ſeruatus. Generationẽ eius
quis enarrabit? Sequit̃ ex hoc loco, nil habere cõmune cũ cęteris hominibus,
quod ad natiuitatẽ attinet. Sed omnes ſciunt unde & quomodo populus dia
boli Iudaicus ſit natus, et quomodo generatus. eſt generatio Chriſti ęterna, u-
na: tẽporaria altera. et tamẽ abſciſus eſt de terra uiuentiũ. Propter ſcelus popu
li mei percuſsi eũ. Hoc eſt quod ſcribit Daniel, Et occidet̃ Chriſtus, non ſibi:
id eſt nõ ſui, ſed ſalutis omniũ illi credentiũ cauſa. Cũ malis hominib. facta eſt
ſepultura eius: id eſt mors. Diuites in morte eius fuere. Eo quod iniquitatẽ nõ
fecit, nec dolus fuit in ore eius. Et Dominus uoluit conterere eum in infirmi-
tate. Quum poſuerit pro peccato animam ſuam, uidebit ſemen longæuum.
Videant hoc in loco Iudæi deliramenta ſua. Si de homine aut hominib. agit
propheta, quomodo poteſt uidere ſemẽ longæuum quũ mortuus ſit? Non'ne
homo mortuus uidet longæuũ ſemẽ? nugæ. Deus ecce Deus de Deo, filius à
patre, æternus ab æterno. Voluntas Domini per manum eius dirigetur. Pro
eo quod laborauit anima eius in morte, uidebit & ſaturabitur. In ſcientia ſua
iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus plurimos, et iniquitates eorũ ipſe portabit.
Nemo pręter Deũ iuſtificare poteſt. Ergo de Deo loquit̃, & eũdẽ ſeruũ dicit.
ergo etiã homo eſt, alioqui mori nõ potuiſſet. Meſſias ergo benedictus Deus
paſſus eſt pro nobis, iuſtus pro iniuſtis, ut eius iuſtitia in gratia rediremus cũ
Deo. Ideo magnã multitudinẽ dabo ei pro ſpolijs, et fortes erũt ei pro præda.
Omnia partim iam ei ceſſerunt, partim cedent hominũ genera, quia tradidit
in mortem animã, id eſt uitam ſuam; et cum ſceleratis reputatus eſt. Inter duos

latrones eſt crucifixus, ut quo probro ipſe carebat, ex conſortio accipere uideretur. Et ipſe peccata multorum tulit, nõ omniũ, niſi in eũ crediderint: & pro tranſgreſſoribus orauit. Quũ eſſet in crucẽ actus, morti proximus, orauit pro impijs Iudæis dicens: Pater parce illis, quia neſciũt quid faciunt. O clementiam diuinam. A gente tua flagellis es cęſus, ſputis conſpurcatus, uerberibus attritus, ſpinis coronatus: alijs crux ferebatur, tuam baiulaſti, & dignaris pro ea gente quæ in te iſta commiſit, orare. Sequenti capite uocat eũdem Deũ orbis terræ, Dominũ exercituum, redemptorem Iſrael. Non ſunt iſta clarius in euãgelijs deſcripta, ꝙ ſcripſit Ieſaias. Qualitatẽ aũt mortis aperuit Zacharias 13. cap. poſtquã de falſis prophetis dixit, hoc de uero et Meſſia dicit: Et dicetur ei (Meſſię, de quo paulo antè dixerat) Quid ſibi uolunt plagæ iſtæ in medio manuũ tuarũ? Et dicet, His plagis cæſus ſum in domo eorũ qui diligebãt me, à iudicib. Hieruſalem ad quã ſaluandã uenerã, ita ſum affectus. Quod de Meſſia dicatur, oſtendit quũ Deus dicit: Heus gladius inſurge in paſtorẽ meũ: percute paſtorẽ, & diſpergenꝰ oues. Et conuertã manũ meã ad paruulos, & erũt in omni terra, dicit. Dominus partes duæ in ea ſuccidenꝰ et deficiẽt, et tertia pars relinquetur in ea. Et ducã tertiã partem per ignẽ, & cõflabo eos ſicut cõflatur argentũ, et probabo eos ſicut probatur aurũ. Ipſe uocabit nomen meũ, & ego exaudiam eũ. Dicã populus meus es, et ipſe dicet Dominus Deus meus. Quę ab eo loco ad finem ſunt, de Meſſia intelligẽda ſunt. Nullus enim mortaliũ in ſupplicijs antè legit effoſſis manib. à plagis obijſſe. Qui eũ diligere debebant, hoc ei fecerũt, quos nihilominus pro amicis ſemper habuit. Gladio ſuſcitato ſuper Chriſtũ, et ueniente perſequutione, omnes diſcipuli eius præter paucos à lõgè ſequentes ſunt diſperſi mortis timore. Nec enim fuerũt in eũ firmi, quo ad ſpiritus ſanctus in eos deſcẽdit, & ad mortẽ animauit. Cęterũ Dominus interim quũ affligereꝰ Ieſus, retinuit in amore eius diſcipulos, quoad reſurgeret. Demũ ex Iudęa duę partes ſũt afflictę in occiſionẽ & diſperſionẽ, tertia apoſtolorũ & Chriſtianorũ remãſit, ſed excoquenda et purgãda igne. Populus uero ille martyrio & miraculis ad 300. annos & ſuprà ubiuis gentiũ clarus, populus Dei reuera dictus eſt. Perfoſſiõis manuũ meminit Dauid pſal. 21. Foderũt manus meas & pedes meos, dinumerauerũt omnia oſſa mea. aperit in cruce diſtẽtũ fuiſſe, cuius ob põdus corporis cõpages oſſiũ ſeparabãtur. Totus ille pſalmus de corporis Chriſti afflictionibus, & natura humana, qua quidẽ uehemẽter torquebatur, eſt conſcriptus: habetꝗ quomodo irriſerint eum tranſeũtes, quod multos ſaluos feciſſet, ſe ipſum ſaluare nõ poſſet, ut aiebãt. Mouebant itaꝗ caput ſannæ, naſi, nebulonesꝗ, ridendo afflictum. Paulo pòſt meminit illorũ qui ueſtes eius uolebãt diuidere, quas demũ ſorte ſunt partiti. omnia facto conueniunt. Nil turpius cruce à Iudæis in Chriſtũ excogitari potuit. erat eius, ut quemadmodũ omnia ſũma in ſe habebat, etiã pro ſalute noſtra ſummã ſubire infamiã. Nã quia in morte eius erat totius orbis fructus, preciũ & redemptio, omni (quod ad impiorũ opinionẽ attinet) infamiæ titulo cumulatam mortẽ illũ ſubire oportuit. Quàm crudelis aũt fuerit, æſtimandũ relinquo uulgari rerum ęſtimationi. Quũ nemo uel fortiſſimus poſſit abrepto in ſublime ab ambabus manibus clauo, uel ad paucos temporis articulos librare corpus: quid potuit tres totas horas uiuus in cruce appendens, nõ arrepto clauo hęrens, ſed trãsfoſſis manib. et pedibus, pati Chriſtus Deus noſter, totãꝗ corporis molem à fixione clauorũ pendulũ habens? O anima eius ſanguine purgata. hæc prote paſſum cogita. Crucem uero etiam diuinã relatione (ut credo) Aegyptij multis antè paſſionem Ieſu Chriſti annis in notis ἱερογλυφικοῖς pro

 ſymbolo

ſymbolo uitæ æternæ ſeruabant. Sitienti uero ſummo in humanitatis genere, non obtulere aut aquam, aut rem quæ poſſet bibi, ſed uinum felle mixtum in ſpongia miſcentes, obtulerunt ei de arundine. Quod etiam Dauid propheta prædixit pſalmo 68. Dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Fuit uero illud non minus admirandum quàm memorabile, quàm diu in anguſtijs mortis fuit à ſexta ſeu meridiana hora uſque in nonã, id eſt tertiam promeridianam, tenebræ factæ ſunt, ſole deliquium patiente in toto orbe, quod annalibus ethnicorum eſt notatum. Sponte patuit templum Iudaicum, mortui multi uiſi ſunt ſurrexiſſe. Terræmotus uero tam magnus fuit, ut nullus unquam maior toto in orbe ulla literarum hominum' ue memoria ſit uiſus. Eo duodecim urbes ea hora in Bithynia ſunt dirutæ. Sed lauo laterem, qui uobis externa teſtimonia probatum iri ſperem, quũ ueſtris non credatis. Eam eclipſim ad uerbum Amos propheta 8. cap. prædixit: Et erit in die illa (patiente Chriſto ſcilicet) occidet ſol in meridie, & obtenebrabo terram in die luminis. Dies enim luminis mundi fuit dies mortis Chriſti: quoniam ad eam diem etiam ſanctiſſimi patres fuerant in lacu ſine aqua, unde illos extraxit. Eo die defecit ſol, quo tempore eſt affixus Chriſtus cruci, quum tamen decimaquarta luna eſſet, qua impoſſibile eſt pati deliquium naturale ſolem ipſum. Hoc habet commune cum ultimo aduentu primus, quod ſol lumine debeat deſtitui. Verũ ultimo fiet ad immutationẽ. nam & luna et ſtellę ſunt tũc defuturę cũ ſole. Reſurrexit tertio die à mortuis, quod notauit Dauid dicendo: Ego dormini et ſoporatus ſum, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me. Et item: Quoniam nõ derelinques animã meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem. Aſcendens uero in altum, captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus, id eſt patres & patriarchas ueteris teſtamenti redemptos à lymbis duxit ſecum in cœlum: & dedit dona hominibus, data ſua gratia & remiſſione peccatorum, ac demum miſſo ſpiritu ſancto in fideles 10 ab aſcenſione die. Miſſionis ſpiritus ſancti meminerunt in multis locis prophetæ, quare ea adducere ſuperſedeo. Nam ſatis aperuere gratiam Ieſu Chriſti eius apoſtoli, qui prærerq́ quod acceperant forma uiſibili linguarum ignearum, impoſitione manuum omnibus credentibus dabant, ita ut nullus non loqueretur uarijs linguis, quas non didiciſſent, & ſcripturarum ſacrarum inſigni cognitione. De ſecundo Chriſti aduentu ſunt plurima in prophetis, quæ ad omnes ex æquo ſpectant. Vos perpendite. Habetis Iudæi euangelij contextum ex prophetis, & libris uobis approbatis tractum, quo quæcunq; dici de Meſſia poſſent, uobis ſatis aperta ſunt de Ieſu dici. Quare unus & idem ſit Meſſias ſeu Chriſtus, in lege & prophetis uobis promiſſus, & Ieſus pro Chriſto à nobis receptus oportet: ad quem ſi redire uolueritis, Deus eſt pius & miſericors. Nunc obiectionibus contra eius aduentum fieri à uobis ſolitis, ſatisfaciam, ne qua in re uobis defuiſſe uidear.

DE IVDAEORVM OBIECTIONIbus, & ſolutione.

SEquar hoc in loco Petri Galatini maximi Franciſcanorum ornamenti ordinem. Nemo enim doctius unquam, quod legiſſe contigerit, aut Thalmudicas excuſſit uanitates, aut ex illis quæ ad perfidiam Iudæorũ reuincendam faciunt collegit: in quo ſi quantum authoritatibus, tantum rationib. ualuiſset, aut egiſset, erat omnis poſteritatis labor futurus ſuperfluus. Verum

quia

quia ratione ubi poſſum ago, & opus ut in linguam Hebraicam uertatur ſcri bo, paucis breuibusq; capitibus colligo, quæ cæteri magnis authoritatum cumulis ſcripſere: quibus ſi mea induſtria aliquid lucis acceſſerit, id uerò poſteri tati æſtimandum relinquo. Duodecim potiſſimũ argumentis nituntur pro bare Iudæi nondũ ueniſſe Meſſiam, & ideo Ieſum Meſſiam nõ eſſe. Primo, quòd in fine dierum uenturus erat. Sed quum nondum ſit finis, nondum eti am uenit. Hanc ineptiam potius quàm rationem exibilaui in ſuperioribus, quum excuterem ſecundum caput Ieſaiæ, hac ratione. Nullus non concedit, eſſe perfectionem imperfectione meliorem. Non negant Iudæi Meſsiam debere eſſe omnium hominũ præſtantiſsimũ: ſimiliter eius legem tam perfectã eſſe debere, ut nulla maior aut ſanctior dari poſsit. Quod quũ ita ſit, et diuina prouidentia res meliori modo quo eſſe poſsunt faciat, lex uero omnis ad retinendos in officio homines ponatur, iampridẽ ueniſſe Meſsiam oportuit. Nã alioqui Deus more ſtulti feciſſet, quod deterius eſt magis durabile bono. Tra ditione enim Eliæ, & numero ſex alephin in principio Geneſeos & ordine re rum naturalium recipiendũ eſt, ſex M. annorum duraturũ mundũ, quod ipſi habent perſuaſiſsimũ. Fuit bis mille annis lex naturæ & thohu, ad Abramũ uſq;. debebat tamdiu durare ſaltẽ lex Moſis, & tãdiu lex Meſſiæ. Atqui ſi Meſ ſias nondũ uenit, tria milia quingẽtosq; annos durauit Moſis lex, penè duplo quàm par ſit. Fac cum neotericis Iudæis annos 260 ab annalib. periſſe. nã totidem detrahũt, ut liberius ſpẽ precio ſuis cõtribulib. uendant, & Chriſto con tradicãt. Tamẽ ea ratione 700 annis (liceat eorũ traditionem ſequi, de periodis enim temporis nõ eſt ſeriò diuinandum) abeſsemus à fine mundi. Quũ itaq; Deus mundum hunc legibus (ut earũ ſunt capaces homines) præſtantiſſimis regat, & regere debeat, aut imperitiæ aut inuidiæ arguatꝰ neceſſe eſt, qui quod eſt ad moderandos homines ſummum non offerat, & interim deterioribus nos paſci permittat, ut maxime ſiliqua & furfuribus ſaturis, præſtantiſſimas epulas pro bellarijs ſtatim euanidas apponat. Id de Deo cogitare impiũ eſt. Itaq; ſecundum Eliæ traditionem, ueritatem Hebraicam ſequendo, bis mille anni ſunt ab Adamo ad Abramum, ab eo ad Chriſtum totidem, paucis anti cipatis. & iam ab eo ſunt 1542 anni: quæ & rerum ueritati, quæ ſex diuerſis na turis conſtant, & ſacris eloquijs, quæ quietem in ſeptimo ponunt, & traditioni Eliæ, & Cabaliſtarũ ſententijs reſpondent. Quare ſequitur, eſſe in erro re & reprobo ſenſu Iudæos, iam à mille & quingentis annis. Si enim eſſet uerũ quod aſſerunt, quare innumeris falſis rabinorum periodis eſsent ad hanc diem deluſi, quum nondum uenerit finis mundi? Docui ſuprà, quomodo in telligantur in pleriſque locis prophetarum, nouiſsimi dies. Nam quum de primo aduentu dicuntur, intelliguntur nouiſſimi dies legis Moſaicæ, cuius cultus erat ſub Meſsia emendandus. Quum de ſecundo, intelliguntur reuera de fine mundi. Verum tunc non ueniet daturus legem, ſed æterna de neglectoribus legis ſumpturus ſupplicia, Ieſus Chriſtus, quem Iudæi eò uſque obſtinati, iudicem & uindicem, non mediatorem ſentient. Paucis ante ſecundum aduentum annis ludentur ab Antichriſto, perditionis filio, qui laxis in omnia genera uoluptatum habenis, præſtigijsque & bello clarus, pronus ruet cum ſuis, adueniente Chriſto, in exitium. Erit enim illis deſideratus, qui omnia uoluptatum genera religioni iungere ſataget. Quod uel facile probes, eo quod nunquam ulli uiro ſancto humili & pio ſub ſcripſerint: multos uero nefarios, & ultimo Antichriſto ſimiles probauerint:

Bar-

Barchozibas duos, Symonem Samaritanum, Aegyptium quendam (cuius meminit Ioſephus, ut & multorum aliorum) Iulianũ apoſtatam, falſum Moſem, qui innumeros aquis in Creta luſit & merſit. demũ morib. Antichriſto proximũ Muhamedem. Si enim ſceleribus & crudelitati iunxiſſet pręſtigias, ipſiſſimus ultimusq; fuiſſet. Occidit uero præterquam ſub Iuliano innumera multitudo Iudæorum, opera eorum Meſſiarum.

Alteri etiam ibidem obiecto ſatisfeci, in quo aiunt montem Zion fore ab aduentu Meſſiæ celſiorem cæteris mõtibus mũdi. Superpoſito enim illi mõte Sinai & monte Carmelo, futurum ut habeat tres leucas ſeu miliaria altitudinis, ad cuius uerticem aſcendit uolando ut nubes, ut dixit Ieſaias. quæ quàm ſint ridicula, & dici cogitariq; indigna, non dico. Seipſa produnt. explodũtur iſta cõmenta ab aliĳs. ſed quia qui authoritate ſine ratione utuntur, cuiuis ut ſunt affecti ſubſcribũt: ideo obmiſſis altercationib. ad rationes uenio. Si mõs ille terreſtris eſt ita ſublimis futurus, ut nullo ſit inferior, magnæ cuiuſdã & inauditæ utilitatis & uoluptatis gratia id fit, aut acceſſus ad cœlum, aut ad aerem meliorem, aut ad maiorem proſpectum, & elegantiorem. Si pro acceſſu propiori ad cœlum, quid ſunt 3. miliaria ad 255. quo ſpacio lunæ cœlum à terra diſtare autumat cum Poſſidonio Plinius? Cœlum uero lunæ quantum à ſummo cœlo diſtat? Fruſtra uero hoc fieret hac cauſa. Cauſa aeris purioris fieri nõ poteſt. ad 24 enim ſtadia quicquid eſt fecis nubibus colligitur. eſt enim mediæ regionis principiũ. Quum itaq; nõ utilitas, ſed diſpendium habeatur ex ea re, male fieret. Proſpectus cauſa non fit. nam quo es ſublimior, quamuis longius pateat proſpectus, tamen eo minus diſtinguis, quod uiſus officiũ eſt ut certas notiones repræſentet. Fac etiam undiq; patêre campũ, et latiſſima ſoli æquora circumcirca adeſſe, ultra centum milia paſſuum acies humana communiter non penetrat. Do etiam ut ſit ſole ſublimior, ut ueſter Meſſias uno obtutu uidere mundum poſſit: tãtum uidebit dimidium globi terreni & aquei. Omnibus ergo modis uanus eſſet ille attollendi mõtis labor, eſt ergo (ut in ſacris frequenter) ob proprietates rebus affines Chriſtus mons uocatus, eccleſia etiã & eius membra ſancti, & pleraq; alia, diſtingant docti theologi quæ quibus in locis & rationibus.

Eo quod omnes gentes ad Ieſum non confluxerint, argutantur nõ eſſe Ieſum Meſſiã. Superius ſatis docui, nullũ hominem, imò ne Deũ quidem poſſe (niſi in articulo temporis tantũ) libero arbitrio in homine materiei corruptibili obnoxio durante, toti orbi imperitare. cuius rei fidem ipſi faciũt, qui nec ferre ualuerunt Deum ob terrorem, nec ei obedire ob potentiam. At præſtantiſſimus iniquorum imperio retinendorum modus, eſt terror. Meſſias igitur qui debet eſſe homo, nunquam poterit toti orbi ſecundum corpora imperare. Imperabit tamen, ergo ſecundum animos. Omnes etiam gentes cõgregabit ſuo imperio, omnes illi credentes ex quacunq; gente. Nam ſi nõ eſſent futuri mali ſub eo etiã ex ĳs qui legẽ eius receperint, fruſtra daret legem. Nec eñ ſeruit, ſi non peccatur. Vim arbitrio non facit Deus, multo minus Chriſtus. At ſi Deus nunquam potuit liberè uni genti imperare, quin ſemper in ea fuerint plures mali quàm boni, non'ne in toto orbe erit Meſſias maior Deo? Nil adfert iſtud contra Chriſtum. Ex toto orbe terrarum habuit, habetque ſectatores Ieſus Chriſtus. Moſes unam gentem à Deo delectam habuit, eamq; peruicaciſſimam: Chriſtus ſine delectu omnes uocat ad ſalutem, in omnibus eſt poſitum ut ſequantur. Si nolint, uitium ob id in lege, aut legiſlatore

tore non eſt. Pauci admodum quæ bona ſunt ſequantur, multi quæ uana & inutilia. Totus orbis cogetur uelit nolit ſub imperio Chriſti in ſecundo eius terribili aduentu coire, & flecti ad iudicium, materiæq; peruicacia tunc nō nocebit beatis, uiuentq; liberrimi, nec tamen peccare poterunt. Impij uero nocẽtes & inhumani æternas dabunt pœnas reſipiſcentia priuati. A' primo itaq; aduentu Chriſti omnes gentes, id eſt qui ex omnib. gentibus uolent in eum credere, accedent: ad reſurrectionem uero & iudicium, etiam repugnantes illi parebunt.

Dicunt poſtea: Gentes nondũ hoc dicunt. Venite, aſcendamus ad mõtem Domini, &c. Ergo nondum uenit Chriſtus. Falſiſſimũ eſt. Nam in toto orbe ſunt & fuere à Chriſto nato quidam, ſed pauci admodũ, Chriſtiani ueri, qui nunquam aliud in ore habent, quàm ſacri montis (quem etiam ſuprà expoſui) laudes, & prædicationes eius, ut ad eum inuitent omnes gentes. Nam ſuprà uiſum eſt, omnes gentes, pro omnium gentium electis, in primo aduentu capi. Omnes autem pro uniuerſis, in ſecundo. Satis uero aperit propheta, de quo mõte debeat intelligi, dum iſta dicit. Nam ſi de monte quodã locali et terreno intelligitur, centies mileſimam partem hominum in toto orbe natorum non capiet, etiam ſi terræ hemiſphęrium excedat. Itaq; de Chriſto & eius eccleſia intelligatur oportet, quoniã ſummus eſt mõtium, quoq; nil maius orbis totus habet. ut etiam nil maius futurum Meſſia ſperant. Itaq; quum omnia Ieſu filio Dei & Mariæ uirginis cõueniant, quæ Meſſiæ adſcribuntur, neceſſariò uti Meſſias à Iudæis agnoſcendus eſt.

Obijciunt quinto, nondum ueniſſe Meſſiam, quia inſtrumenta bellica nõ ſunt conuerſa in agricultoria; quod ab aduentu eius contingere debet. Huic etiã argumento iam reſpondi. Quia homines poterunt peccare, quorũ ad diẽ uſq; iudicij cor erit pronum ad malum ab adoleſcẽtia: ideo rex Meſſias dabit præſtantiſſimã legem. Nam ſi nõ peccaretur, lege tam ſancta non eſſet opus, imò nulla ualeret. Fruſtra enim res ſunt, quarum nullus finis et uſus eſt. Quũ ſit futura lex, erit et peccatũ, uirtusq; et uitium. Ergo erunt etiam puniendi mali homines, & cęteris iniurij, erunt & urbes ſeditioſæ, erunt et prouinciæ & regna iniqua mortalib. ſubigenda. Ergo falſum dixit propheta? Minime uero. Omnes igitur quotquot Chriſtũ ex animo profitentur, potius extrema patiẽtur, quàm ut uel digito proximũ hominem alterũ (niſi cauſa iniuriæ Dei, aut fratris in nefarios inſurgãt) lædere uelint. ſpolientur, lędantur, contemnãtur: ſummas iniurias in bonis ponũt, ut Chriſto quãdoq; frui liceat, facie ad faciẽ. Huius uitæ documenta innumera uiſa ſunt in primæuæ Eccleſiæ tẽporibus. Hac patientia contra totius orbis conſenſum auſpicium fecit Eccleſia Chriſti. Illi ergo mutant reuera enſes & lanceas in falces & ligones, qui ne pugnis quidem aut uerbis ulciſcuntur. Sunt fuereq; & erunt tales ex omnibus gentibus uſq; ad ſecundum aduentum, in quo non erit lex: quoniam peccatũ non committetur amplius. Eadem ſolutio eſt de pace æterna. Nam ex animo Chriſtianus æternam pacem circumfert, ut iam dixi, nec ab ulla re externa pendet. Deus illi omnium loco eſt. Nec unquam fieri poteſt, ut qui cupiditates omnes (niſi neceſſitati iunctas) aboleuerit, in pace degat. Sub lege Meſſiæ erunt mali, alioqui illa non ſeruiret. Sed propheta ſcripſit, Non eſt pax impijs, dicit Dominus. Ergo pax eſt ſine fine electis à Chriſto omnibus, ſed non impijs. Et poſt ſecundum aduentum toti orbi erit, exulante peccato. De habitatione ferarum ſine mutua læſione, idem iuris atq; ſupra dixi, eſt. Erũt enim feræ in-

ter

ter homines, tyranni, prædones, ſceleſti, & quibuſuis ſceleribus efferati, atq; ueluti in belluas cõuerſi, cum pijs & bonis uiris ſocij, fratres, amici, ſocij, poſtquam colla iugo Chriſti leuiſſimo ſubmiſerint. Erunt munerum & officiorũ differentiæ, perſonæ ſe pares agnoſcent, & quibus olim nocumento eſſe ſolebant, eos in fratrum loco depoſita perſona ponent. Alioqui tam ſancta lex quare ligabit animantia ratione omnino deſtituta, quæ peccare non poſſunt? quare deſinent id facere feræ quod ductu naturæ, non lædendi animo faciũt & in quo non peccant? Videte gens cæca quò recidiſtis, bruta hominibus paria facitis, ut ueſtra ſomnia ſectemini. Nam ſi poterunt peccare, rationem habituræ ſunt. Quare ergo, dicet recutitus, propheta ita uocauit, dum aliud intelligeret? Dicam. In cauſa erat ſuperbus magiſtratus, & gloriæ inhians, apud quem ſi palàm dixiſſet propheta, nobilem & ignobilem pares futuros, regem & ſubditos, ſacerdotem & populum, è medio ſuſtuliſſent ueluti ordinum publicorum euerſorem. Quamuis enim palàm id non dixerit, dedit tamen nefario principi affirmatæ liberius ueritatis pœnas. Dum enim miraculoſæ ſe eximit Ieſaias (apud quem iſta ſunt ſcripta) à conſpectu Iehu, & nil in locis uicinis eſſet ubi poſſet deliteſcere (euanuerat enim, ut tradit̃, atq; erat ingreſſus cedri truncum corpore diuinitus ſancto cedente homini) ſerra truncum iubet diuidi. atq; ita ſectus eſt propheta medio capite. Ita de eo legitur in hiſtorijs Hebræorum. Multa miracula & res clariſſimas texêre de induſtria prophetæ ante auditores peruicaciſſimos, ut darent diuinis reuelationibus locum. Ideo hic mutauit nomina Ieſaias. Efferati homines à primo aduẽtu, ſi ex animo ſuſcipiant ueritatem, manſuetiſſimi & omnib. partibus abſolutiſſimi, infimisque pares fient. A' ſecundo uero nullis amplius legibus aut ordinibus erit locus. Inibit cum omnibus anteactæ uitæ rationem Chriſtus.

Quid de infelici Iſraelitarum adulterinorum ſpe dicam? Nondum uenit Meſſias, quia nondum terram ſanctam ſumus ingreſſi. Nos enim reduxiſſet, ſi ueniſſet. ut omnia hęc gens talpa cęcutientior, ad uoluptates corporis & ad terrenas delicias refert. Dicas mihi Hebræe, non ne quadraginta ſaltem locis prophetarum, tibi innotuit reprobandum Iſraelem eſſe? Si diffiteris, relege quæ de reprobatione ueſtri generis collegi ſuperius. Credes uelis nolis. ſi fateris, ergo à lege utraq; eratis futuri alieni. Alioqui adhuc ſub lege Moſis eſtis. Sumus, inquies. Credis eſſe Deum? Credo. Miſericordem, pium, iuſtum, ſanctum, optimum fateri etiam uis, ut opinor. Volo. Si talis eſt qui mille quingentis annis populum ſub ſua lege agentem, preces ex animo illi ſingulis ferè momentis fundentem, ieiunijs ſe macerantem, eleemoſynis fratres fouentem, ut nullus ſit egens inter Iudæos: opus eſt factum eſſe quendam nefarium & impium Deum, qui hæc non aſpiciat tamdiu, quũ quo tempore erat uobis propicius, fere ad nutum uobis eſſet paratus: aut, quod ueriſſimum eſt, uos à lege illius, à quo uos non audit, excidiſſe. Nam ſi in uobis probaret ſuam legem, uos ſaltem poſt aliquot hominum ætates audiuiſſet. Verum ſuprà oſtendi, quod nam eſſet peccatum ueſtrum quo in æternam Dei indignationem incidiſtis. Oportet ergo uos non eſse amplius populum Dei. Non igit̃ eſtis congregandi amplius, niſi qui ad Chriſtum conuertentur, aut qui Antichriſtum ſequentur. Nam oportet aut nullum uobis eſſe Deũ, qui ſit iniquus, & ſuos nõ audiens: aut Iudæos non eſſe populum eius, quẽ tamdiu repulit. Sed agite uideamus ueſtræ terræ conditionem. Iam confeſsi eſtis, futurum eſſe ſub Meſſia, ut omnes gentes ad montem Dei conueniant. Terram autem ueſtram

uocatis Syriam, quàm maiores ueſtri coluere: in cuius medio fermè eſt Hieroſo lyma. Quî fieri poterit ut Meſſias ille, omnium hominum corpora toto in orbe diſperſa cogat, ad ſacra ſuſcipienda in paruulo quodã loco, qui uix quadringenteſimam totius globi partem capiat? impoſſibile ſanè eſt. Attamen conuenient, ut ſcriptum eſt. Non loco ergo, ſed animorum & mutuæ beneuolentiæ concordia. Fruſtra igitur expectatis, quod nunquam uobis continget. Iam à 1542. annis terra ueſtra poſſidetur à gentibus, fides enim ea eſt in uerum Meſſiam, cuius occiſi à patribus ueſtris, petit à uobis pœnas Deus. Nam dum in crucem nollet Pilatus agere, quòd innocens eſſet (tanta erat maior æquitas in ethnicis, quàm in uobis) dixere, Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Scelera ab illis commiſſa luitis, hoc uos à Deo ſeparauit. Ne ſperetis igitur terram iſtam generationi & corruptioni obnoxiam uobis eſſe promiſſam, cuius munere fœliciſſimus infœlix eſt, dignũ eſſe uirtutis ſummæ præmium. Vt nil maius in operibus hominis eſt quàm uirtus: ita pro præmio nil aliud habere poteſt, quàm Deũ, ubiuis ille eſt, ubiuis eſt terra ſancta, ubi fides in Ieſum Chriſtũ eſt. Quid ad ueſtras ineptias dicam? quũ cogimini, dicitis natũ quidem eſſe Meſſiam: nam exciſo templo natus eſt, ut ex ultimo cap. Iſaiæ patet: Antequã parturiret, &c. ſed nondum ueniſſe. Perpendite ut uos retinet luditq; Satanas, & inſtrumento Rabinorum à uero auertit. Neceſſarius erat aduẽtus Meſſiæ, an non? neceſſarium meo iudicio dicetis: quoniam Deus & natura, nil faciunt fruſtra. Si autem nil fit fruſtra, ubi tandiu deliteſcit Meſſias ille, afflictis & ubiuis gentium enecatis eius populis? Quis unquam natus uitam 1500. annis inutilem egit, quum præcipue tam neceſſaria ſit eius opera? mitto ſpacium uitæ inauditum, & ferè Adami uitæ duplum. Vbi gentium ita in deſertis natus eſt, quin ſaltem pater & mater eius de eo reſciuerint? & ſi non dixerunt, quis ſcit eſſe natum? Sunt ſomnia & deliramẽta, ludificationesq; impoſtorum, cachinnis digniores quàm reſponſione. Sequens argumentum eſt, de tertio quodã templo à neotericis Rabinis excogitato. Nam quia de gloria eccleſiæ, & concordia animorum loquitur Zacharias, ſexto capite, ubi ait, Et ædificabit templũ Dei: illi Meſſiam putãt quoddam templum ex materia facturum, & reædificaturum Ieruſalem. at nondum hoc factum eſt. ergo Meſſias nondum uenit. Meſſias à uobis expectatur, perfectior & maior cæteris mortalibus. Ergo faciet Deo templum, ex materia totius mundi nobiliſſima. At in tota natura nil eſt animo hominis & angelica natura ſecundum Deum nobilius. ſumet ergo animorum materiam, ad eius fabricam, & ex illis faciet ſibi templum ipſo mundo corruptibili maius. animos enim poſcit, ut illi corpora impellant in opus Dei. Conſtructa erit illa domus tertia ex uiuis lapidibus, qualis iam eſt à morte Ieſu Chriſti. dignitatem lapidum uobis aperirem, id eſt miracula apoſtolorum & martyrum, quibus tota mundi charta oppleri poſſet, cuius guſtum in huius libri principio tradidi: ſed perinde ut Chriſti, rideretis. Quod attinet ad obiectum, de ſalute Iſraël, quòd non ſint adhuc ſaluati Iudæi, & ideo non uenerit Meſſias, iam illi in ſuperioribus ſatisfeci. Nam quum Meſſias miſſus eſſet, non minus in ſalutem gentium uenit quàm Iudæorum, & ab eo tempore nulla fuit ſaluandi, ſiue Iudæi, ſiue ethnici differentia. Nam quicunque accedit ad baptiſmum, cõſequitur ſalutem, non ſuis meritis, ſed mera Ieſu Chriſti gratia. niſi enim ab eius beneficio penderet noſtra ſalus, fruſtra ueniſſet. Operę aut leges præcedentes nil faciunt (fortaſſis aliquid ad diſpoſitionem) fide in eum & eius paſſionis meritum eſt opus,

demum operibus fidem confirmantibus, & cæteris hominibus oſtendentibus, quod & nos ſumus filij Dei, ut ea ratione nos patri probemus, qui reddet unicuiq; ſecundum opera ſua. Putatis ô Iudæi uos eſſe, quod auditis confitentes & laudantes Deum, excidiſtis à gratia Dei, à quo uos nō exaudit Deus, nec ullam maiorem nunc acceſſionem habetis ad Deū, quàm quiuis ethnicus. Vos tamen etiā cum cæteris, ad pœnitentiam expectat Ieſus, quāuis à ueſtris Rabinis, ut à maioribus ſemel, crucifigitur indies. Pro proſequutoribus orauit. uobis hoc eſt profuturū nō ſecus atq; gentibus. Miror uero quomodo uobis ita reductionē, templum, et aſſertionem in terrā ſanctam polliceri audetis, quū in lib. Sandrin. cap. Helec ſit ſcriptum 10. tribus nunq; eſſe intraturas terram ſanctam, & nō habere partē in ſæculo futuro. Nemo uero ueſtrûm poſſet dicere, ex qua tribu ſit, niſi per opinionem. Pertinet ad aduentum futurum tantū Gog & Magog & eius occiſio, eritq; ueſter meſsias ô Iudęi, quū reſidui ex uobis ſe illi coniungent aduerſus Chriſtianos & populum Dei. Quāuis enim omnes peſtes contra euangelium inſurgentes, & uim multitudine inferentes dicantur Gog & Magog, tamen unus erit homo & filius perditionis, rex impudēs facie, qui luxu & prodigijs atteret orbē, ſupplicijs inauditis bonos abſumet, quē aduenìens Ieſus Chriſtus ſpiritu oris ſui conficiet, atq; pœnis deſtinabit æternis, ſtatimq; finem mundo imponet. Quod uero non ſit proprium nomen, ſed allegoria, patet quod in cap. Helec in libro Sandrin dicit Sennacherib, Gog & Magog, eo quod cōtra populum Dei ſurrexerat ſub Ezechia. Intelligi uero de die iudicij, arguit locus paulo ante finem capitis: Et erit in die illa, in die aduentus Gog ſuper terram Iſraël, ait Dominus Deus, aſcendet indignatio mea in furore meo. Et in zelo meo, in igne iræ meæ locutus ſum: quia in die illa erit commotio magna ſuper terram Iſraël, & commouebuntur à facie mea piſces maris, & uolucres cœli, & beſtiæ agri, & omne reptile quod mouetur ſuper humum, cunctiq; homines qui ſunt ſuper faciem terræ, & ſubuertentur montes, & cadent ædificia, & omnis murus corruet in terram, &c. His clariſſime liquet de iudicio extremo intelligi: adhæc terram Iſraël totum orbem ſignificare, in quo conculcabitur ab impietate pietas, donec adueniat Dominus: terribilis omnibus impijs, impoſiturus mortalis uitæ miſerijs finem.

Supereſt unicum argumentum, quod nō reliquerit Ieſus ſemen poſt ſe, ideo non fuit Meſſias. Nam Ieſaiæ 53. de Meſſia ita dicitur: Videbit ſemen longęuū, Meſſias ſupple: & uoluntas Dei in manu eius proſperabitur. Iam huic ſatisfeci dum illud caput exponerem, omnia ſunt connectenda. Et Dominus uoluit cōterere eum in infirmitate, ſi poſuerit pro peccato animam ſuam, uidebit ſemen longæuum, &c. Videte nefariorū hominum, & mente corruptorū impietatem, quum totum caput refertur ad Chriſtū, cui ueluti facti hiſtoria cōuenit, tunc de populi afflictione dicunt eſſe ſcriptum. Nunc ubi ſe unum uocabulum contorquere in eum putant, illi adſcribunt, illiq; attribuūt ſemen. Meſſias occiditur ut uideat ſemen longæuum. at poſtquam eſt mortuus, generare non poteſt, aut in terris inter ſuos agere. ergo de ſemine ſpiritali iſta debent intelligi. Nam repugnat, percuti à Deo, ponere animam ſuam propter ſcelus populi, & ſuperſtitem agere inter homines. diuturna enim uita ſint oportet, qui uidēt longæuū ſemen corporeum. at ita ſcriptum eſt. ſcriptum eſt etiam numerorum 3. Hæ ſunt generationes Moſis & Aron, quum tamen de filijs Aron tantum loquatur litera. & Rabi Atziba exponit hūc Eccleſiaſtis locum, Mane ſemina ſemen tuum, & ad
ueſpe-

ueſperum non ceſſet manus tua: de doctrina & eruditione, à præceptore in diſcipulum transfuſa, à qua non eſt deſiſtendum, unde ſemen de doctrina duobus locis dici patet. Sed malo agere ratione. Rex Meſſias debebat eſſe ab omni parte beatus, Deoq́ſimilimus, ut creditis. at nulla maior in homine ſimilitudo cum Deo eſſe poteſt, quàm quum peccato caret. Si Meſſias erat prolem habiturus, erat etiam habiturus peccatum. nam nemo ſine peccato, quamuis non magno, generare poteſt: quum Dauid dicat, & in peccatis concaluit de me in conceptione mater mea. At eſt impium Meſſię aſcribere generationis operationē, quum eius generatio ſit ſpiritualis, ut iam docuimus. Peccatum enim non fecit, nec eſt inuentus in ore eius dolus. Præterea qui eſt iuſtitia, & ſalus & liberatio, Deus ſit neceſſe eſt, at talis fuit Ieſus, qualis deſcriptus eſt Meſſias, ergo Deus & iuſtitia noſtra, in quam peccati ſuſpicio cadere non poteſt.

EPILOGVS INSTANTIAE IVDAICAE.

QVum multa uariaq́ tam preſſe, ut paucioribus nō poſſint tradi, antè ſcripſerimus, ægreq́ in Epilogum duci poſſint, quū ſint ueluti peroratio, & compendium, tamen quo facilius poſſint à uobis in memoria haberi ſeruariq́, rerum capita perſtringam. Captiuitate mille quingentorum annorum iam uos eſſe reprobatos, ſi ſcripturis innumeris fidem nō habetis, ſenſu ipſo edocti fateri cogemini. uos uero eſſe extra legem Dei, & gratiam eius, patet, quod Deum iuſtum, bonū, miſericordem, et pium, tam diuturnis precibus & ieiunijs atq́ cultibus flectere non potueritis: quū interim omnes periodi aduentus Meſſiæ, tam quæ à ſacris certo prædictæ, quàm quæ ab impoſtoribus Rabinis ſomniatę falſo ſunt, iampridem tranſierint. Cauſam uero fuiſſe ueſtræ præſentis calamitatis, & reprobationis, occiſionem Meſſię Ieſu filij Dei & Mariæ, his argumentis patet. Reuelatione Eliæ, quater milleſimo anno uenire debebat Chriſtus: uenit, & occidiſtis. Sexcēteſimo anno à Ieſaię prophetia, ubi eſt ſecretum in Mem ſetuma: uenit, & occidiſtis. 490 circiter anno à conſtructione domus ſecundæ uenit, & eſt occiſus, ut prædixerat Daniël. 50. ante anno ab Hillellis diſcipulis, qui ſe uiſuros eum ſperabant, dictus eſt propè futurus, ut in Talmud habetis: uenit eo tempore elapſo, et eſt occiſus. Venit, quo tempore dixit Aegyptius, natum eſſe Meſſiam in Bethlehem Iudæ. Erat uenturus quando deficeret ſceptrū de Iuda, & legislatoris ueſtri: uenit temporibus Herodis, qui tres ordines Reip. ſuſtulit, regiam poteſtatem, ſacram, & iudiciariam conficiendo, & alios magiſtratus inſtituendo. Erat uenturus quādo deficeret prophetia, & miracula templi: uenit, & eſt cōplexus à Simone iuſto, qui fuit ueſtrorū ſanctorum ultimus, ſub quo deſijt flamma ſacra in dextrū ferri. Miracula à templo defecere 40. annis ante templi euerſionem, eſt 40. antè annis à uobis crucifixus Ieſus. 40. ante annis miracula 10. euanuerūt, tunc occiſus eſt à uobis Meſſias. 40. ante annis ſe ſponte aperuit templum, quod in Chriſti morte ſponte apertū eſt ſciſſo eius uelo. erat uenturus Meſſias, anteq́ naſceretur Titus: quadraginta ante eius aduentū occiſus eſt in crucē Chriſtus. Sicut quadraginta annis Moſes expectauit, ut populi ceruicoſi animus mitigaretur: totidē annis fuit uobis Deus propitius in deſerto, expectās ad pœnitētiam, ut Niniuitis par numerus dierū in ieiunio fletu & planctu impenſus placauit iram Dei, ut Moſes quadraginta diebus ieiunando uobis ueniā implorauit: ſic Deus occiſo eius filio Ieſu Chriſto, uobis quadraginta annos parcere uoluit, ſi fortè reſipiſceretis. Vendidiſtis iuſtū pro pecunia, & fuiſtis gentibus deteriores, qui illū iam in uicinis urbibus receperant. In ſumma, nullum ſig

nũ futuri Meſſiæ,ſiue in tempore,ſiue in perſona,ſiue in loco à Ieſu abſuit. Ab eo tẽpore exulatis,caretis propheta,caretis miraculis, caretis miſericordia Dei. Omnibus gentibus,naturæ ductu, eſtis odioſiores cane,ut ipſi naturæ parenti infenſi.Ante Ieſum nullum pro Meſſia recepiſtis,falſos plurimos ab eius morte ubiuis gentiũ prẹter Barcozbas habuiſtis.fuit perfectiſſimus,et Deo ſimilimus, ideo uobis fuit exoſus. Non repeto euangeliũ propheticũ,in quo uerbũ de uerbo prophetæ cũ euangelio conueniunt.Ieruſalem Ieruſalem conuertere ad Dominum Deum tuũ,aſpice in eum quem confixiſti. dole ſuper eum, ut in morte unigeniti. Si quædam in noſtris traditionibus tibi diſplicent,non aſtringeris omnibus,Deum eundem colimus. Moſis libros præter præcepta ceremonialia, quẹ erant abolenda,ſeruamus. Non traheris ad idololatriam,ſacroſanctus tuus Meſſias ſe offert: qui reuera, ſi non eſſet tuus,& in lege promiſſus, tamen eſt omnibus hominibus ſuperior,& Deo per omnia in humano corpore ſimilis. Nã ut unde incœpit eò redeat oratio, inimicos perinde ut amicos habuit,homines per omnia iuuare fategit, nemini unquã nocuit, toti profuit prodeſtque orbi: nil in ſumma illi,quod in Deo iudicare poſſis magnũ,defuit. quare & homo & Deus eſt filius Dei,ſapiẽtia patris,cũ eo & ſpiritu ſctõ uiuens in ſẹcula ſæculorũ: amẽ.

IVDAEORVM IN CHRISTVM ET EIVS EVANGElium *impia obiecta, & eorum dilutio.*

QVoniam fugaſſe profligaſſeque hoſtẽ, relictis illi quibus te ſolitus eſt impetere telis,nõ eſt uictoriã de eo reportare,ſed laceſſere & irritare: ne impe rata unquã,quã diu ſpes ulla tergiuerſandi erit, faciat: ideo ea etiam tela quibus nos adoriuntur Iudæi,euangeliumque peruertere nitũtur,uolo ab eorũ manibus excutere,abſolutaque tractatione, quẹ ad eorũ refutationem faciunt exequi: quoniam hoc operis nõ ad oſtentationem ingenij, aut gloriolæ cõſequendæ gratia ſuſcepi,ſed ut Hebraicæ quandoque uerſum, ad Iudæorũ ubiuis habitantium primores perueniat. Hoc uero potiſſimũ paratos noſtros homines reddet, qui de repente quandoque obiectionibus Iudæorũ non poſſunt ſatisfacere. Itaque ſi mihi poſt uerſionẽ Arabicã primi,ſecundi,& principij huius,licebit etiã hunc tranſferre,ſeriò congrediar. Quod ſi mors, aut quædam prohibuerit infœlicitas hoc exequi,per ſacroſanctũ Ieſu Chriſti nomẽ oro,& obteſtor profeſſores,linguæque Hebraicæ peritos,ut ſi hoc operis probabunt,uertant in eam linguam,uel appoſito,uel detracto meo nomine. Quũ itaque uirũ facile principẽ in huius linguæ ſcientia,F. Vatablum,longe etiã præſtãtiſſimis Iudæorũ ſuperiorem (cui in eadem inſtituti ſunt,ſingulari eruditione nepotes) Lutetia habeat,Paulũ Canoſſam,Alanum Caliginũ, pluſquam pro ætate in ea ad familiare uſque colloquium excellentem, profeſſores regios omnes: alios uero qui ab eorũ ſcholis profecti ſunt innumeros: in Germania uero ſint quàm plurimi,ſed celeberrimi & facile primi, Vuidmeſtadius, Maſius, Vuelteficius, Phagius, eos omnes rogatos uelim, ut ſi dignũ hoc ſua uerſione iudicabunt,ne Iudẹis pereuntibus operas denegent, à Chriſto laboris huius præmia ampla reportaturi. Quæ Iudæorum obiecta adnexuit Munſterus editioni euangelij Mathæi,uiſum eſt per omnia ſequi: quamuis illud exemplum euangelij non putem eſſe uetuſtũ, ut quod uidi multis in locis Cõſtantinopoli,& tranſcriptũ attuli cum ijſdẽ obiectionibus, Venetijsque reliqui in manibus chariſſimi amici, Marci Antonij Iuſtiniani uiri patritij,& doctrina & uirtute ornatiſſ. à quo quicquid ab amico in amicum conferri poteſt,

poteſt,dũ una apud Turcas eſſemus recepti. Sed incipio ita omnia percurrere,
ut ſecundum ea quæ iam ſcripſi agam. Nam ea attingam tantũ,quę non ſe ante
obtulere obiter,cætera repetendo. Nolo quæ pro ſua impietate,in Chriſtũ,Ma-
riam,et Ioſephum probra adferunt refutare,quũ totus orbis contra ea reclamet:
uituperari uero ab impijs,nõ minus ſit laudabile,quàm ab optimis laudari. Pri-
mo capite aiunt,fruſtra deſcriptã genealogiam Chriſti,per lineam Ioſephi, quũ
ipſe non ſit pater Chriſti,ſed ad Mariam debuiſſe deduci. Itaque non eſſe Chri-
ſtum filiũ Dauidis, quoniam filius Ioſephi non eſt. Duabus rationibus id factũ
eſt,ab euangeliſtis,primo per ſcripturæ uſum, ſecundo propter legem Hebræis
poſitã: de qua ſtatim dicã, poſt excellentiam Meſſiæ repetitam. Qualem Meſ-
ſiam Iudæi etiamnũ expectant,debere eſſe omnium hominũ pręſtantiſſimũ,&
Deo quãtum fieri poteſt ſimilem,inter eos conuenit. Excellentius ergo cæteris
hominibus,et quantũ poteſt fieri differẽdo debuit cõcipi,naſci,uiuere,regnare,
& mori. Nã alioqui ſi cæteris hominibus erat per omnia ſimilis, futuros multos
ſuæ uirtutis & excellentię comites eſſet habiturus,unde quũ uirtutis apex inter
mortales haberi nõ poſſit ei cui multi ſunt pares, poteſt dari ſuperior. Sit ergo ta
lis,ut cui cõparatus Moſes,eius lex & fœlicitas nil in comparatione ſit,digniſſi-
mus,ſcilicet qui promiſſus ſit Abrahamo ut in perpetuũ regnet,quẽ Iacob,Mo-
ſes,Dauid,Ieſaias,Ieremias,& cęteri prophetę meritò,ut quo nullũ maiorẽ uen
turũ in ſalutẽ omniũ gentiũ prædixerint. Debuit ergo cõcipi & naſci more cæ-
teris diſſimili. Nõ ergo de ſemine cęteris cõmuni, nec de muliere corrupta, igitͬ
diuina inſpiratione ſeminari, & ex uirgine, quibus nil maius dari poteſt,naſci.
Prędixere hoc prophetę locis à me notatis. Dabit Deus ſignũ quũ ſcilicet uirgo
cõcipiet,faciet Dominus nouũ ſuper terrã,fœmina uirum circundabit. Ad rem
igitur,ex uirgine naſci debebat Meſſias,ſed fœminarũ genealogiæ texi in ſacris
non ſolent,niſi ad patrẽ uſq;. Is eſt ſacræ ſcripturę uſus,ita ſe uoluit accõmodare
ſpiritus ſanctus,per euangeliſtã uſui ſcripturæ ueteris, ne texeret inſolito more
genealogiã. Ad hæc quũ diuinitus inſpiratæ literæ,nil ſuperfluũ habere debeãt,
ſatis habuere mariti adferre genealogiã. Quæ clarior fœmina quã Sara, ex qua
genus ducitis? ne patris quidẽ eius nomen eſt proditũ. Cuiàs erat Ruth, ex qua
genus regiũ? Olda,Debora,& innumeræ aliæ clariſſimæ, nunq; ſunt à genealo
gijs celebratæ. Fac fuiſſe quaſdã pro inſigni facinore,ſatis indicat ſcriptura tribũ
fœminæ ex tribu mariti. Quod aũt dicunt Iudæi nobis reſpondendo, quòd nõ
fuerint ſintùe adſtricti ut ducant ex ſuis tribubus uxores, ſi ut hodie quũ à Deo
receſſere,nec amplius ex qua ſint tribu per captiuitates & afflictiones oſtende-
re poſſunt,id ſanè facile concedã: negabo,ſi ut olim ſub lege. Seruabant enim le
gem Dei,uel nõ. Si non ſeruabant, nefarij: ſi ſeruabant,mentiuntur,quũ dicunt
ſe nõ fuiſſe adſtrictos. Scriptum eſt enim numerorũ ultimo: Nubãt quibus uo-
lunt,tantum ut ſuæ tribus hominibus,ne cõmiſceatur poſſeſſio filiorũ Iſraël, de
tribu in tribum. Omnes enim uiri ducent uxores de tribu & cognatione ſua,&
cunctæ fœminæ de eadem tribu maritos accipient, ut hæreditas permaneat in
familijs. Hęc ſcripta ſunt ſeruanda, uel nõ? Quãuis nefarij interpretes peruerte
rint iſta,principes & magnates contra fecerint,ueſtra nunc calamitas id nõ pro
bet, tamen lex diuina ſeruandaq; erat. Nam per inconueniens non debet lex
aboleri. Itaq; quũ eſſent iuſtiſſimi Maria, & Ioſeph,uoluere etiam legi ſubſcribe
re,quãuis umbratile fuit matrimonium. Ne probro uirgini uerteretur cõceptio
diuina,nupſit Maria uiro neceſſitatibus ſubuenturo. Quod eleuãt Adami deli-

ctum, extenuantq; hominũ peccata, ut liceat copioſè in ſpem copioſæ miſericor diȩ Dei peccare, ut uideatur non fuiſſe opus mediatore: ad eluendam maculam in natura admiſſam, quũ longe plures opinionis contrariȩ doctores habeant, id nolo niſi argumento naturali conuellere. Secum enim pugnãt, & mutuò iugulant uarijs authoritabus. Quũ omnia creauit Deus, ualde bona, & quibus perfectiora dari non poſſent, erant. Nam illud cum Moſe philoſophi affirmãt. Deus enim mali author non eſt. Ab Adamo uero nati ſunt omnes homines: ſi paruũ fuit eius peccatum, ut dicit Nizahon, quî fieri poteſt ut cor hominis ex ſemine Adami procedentis, ſit ab adoleſcentia pronum ad malum? ſint omnes iuſtitiæ noſtræ ut pannus menſtruatæ? nullum eſſe qui faciat bonum? nullum in cõſpectu Dei iuſtificari? cur pœnitet Deũ feciſſe hominem? Omnes ſunt peccatores, in peccato omnes cõueniunt: ueluti cõmuni & omnibus innato à primo parente principio, quod nõ tantum ſacris literis eſt traditum: ſed & authoribus humanitatis eſt probatum. Omnes enim ita ſunt affecti, ut nullus non ſuis delectetur miſerijs, appetunt omnes bonum, nõ exequuntur. fieri itaq; non poteſt, ut hoc cõueniat in omnibus niſi à prima ſcaturigine procedat. Nullus ab Adamo creatus eſt eo perfectior. eſt uero peccatum tanto grauius, quanto maior qui peccat habetur. Nullus itaq; eo unquam grauius peccauit, quoniã nullus nobilior fuit. Itaq; eius peccatum totam maſſam infecit. Nec poterat hoc in omnes homines transfuſum diſpendium ſarciri, niſi ab authore naturæ, qui eam maſſam in ſe receptam reformaret. Itaq; Ieſus Meſſias ſaluat populum ſuum, id eſt qui illi credere uult, à peccatis eorũ. Alioqui ſi pro uno delicto uideretur iniquus Deus, qui in æternũ ſæuiret pœnam inferendo, uideant quomodo uolunt eadem ratione diabolum, qui unum cogitationis reatum admiſit, à Deo ſaluari, & iniuſtè puniri. Nam diabolos eſſe & malos ſpiritus perpetuis pœnis aſtrictos, ex ſcripturis conſtat. Merito ſanè Deus in æternum infenſus eſt tetræ illi naturæ, quia tanto grauius peccauit, quum eſſet homine longe præſtantior quanto maior: ideo facta eſt in inferiori mundo deturbata omnium peſtium nocentiſſima. Nullum hic non mouet lapidem, ne redeat ad primam fœlicitatem homo. Ad obiectionem de uirgine & dictione עלמה nil aliud dico, niſi quod dixit ipſiſſimus propheta, eſſe ſignum & miraculum quod uirgo concipiet, nec eſſet miraculum, ſi eſſet uulgare. Præterea oportuit hominum ſummum, ut erat Deus & homo (nam alioqui eo maior eſſe poſſet) ita ex uirgine caſtitate cum angelis communi naſci.

IN CAPVT SECVNDVM.

QVod de Bethlehemitico duce obijcitur, eum non eſſe Meſſiam, quod Iſraël tantum ſaluet, nil contrà nos facit. Nam quotquot erant daturi nomina Chriſto ex quacunq; tribu, gente uel regione, erant futuri Iſraël, id eſt reuera in homine Deum, alioqui in eſſentia inuiſibilem, uiſuri. Nam Meſſias in æternum & in toto orbe, et ſuper Iſraël Dei regnare debebat. Hoc uero non poteſt ab homine fieri, ſequit̃ ut ab homine Deo. Obiectio illa, quod Deus in uirgine tredecim annorum fecerit miraculum, non eſſe ita magnum, ut ſi in trima aut quadrima oſtendiſſet ſuam potentiam: quid aliud quàm meram calumniandi mentem aperit? Poſſet facere quotidie ut formæ rerum mutarentur, Deus qui fecit ut ex nihilo eſſent: ergo facere debet, ut credant recutiti? Deus miracula facit, ſed non abſurda, poterat maiorem oſtendere diuinitatis uim Deus, ſi

quum

quum concederet Heliſeo, ut eius precibus ſuſcitaretur infans, nõ corpus quod obierat, ſed quamuis aliam materiam cœpiſſet, utrunque Deo fuiſſet poſsibile: ergo debuit facere?

Magiam didiciſſe Chriſtum in Aegypto, quum quatuor infantiæ annos ibi egerit, quis credat? Quis eſt puer ea ætate, ullius diſciplinę capax: ne dicam ſummæ illius, & quæ omnium ſcientiarum apicem & orbem in ſe continet? Nugæ ſunt. ad triceſimum uſque ætatis annum Chriſtus nil aliud quàm fabrilem cum patre Ioſepho artẽ exercuit, quod probro illi dabatur. Mirabãtur enim omnes, dicentes: unde hic literas ſcit, quum non didicerit? &, nonne hic eſt faber filius fabri? &, unde huic ſapientia & uirtutes? Debuit per omnia ſibi ſimilis eſſe Chriſtus. In humilitate natus omnium erat Dominus. nullis diſciplinis aut literis inſtitutus, omnium erat gnarus. In humillima cõditione agens oſtendit, quum uiſum eſt, quantus eſſet, cui mare, uenti, dæmones, totaq; natura parebat. Nil eſt autem pręſtantius aut rarius, quàm quum quod abiectum, ignarum, humile putatur, præter omnium expectationem apparet ſublime, ſapientiſſimum, ſummum. Is eſt uitæ Chriſti tenor.

IN CAPVT III.

DE baptiſmo à Chriſto inſtituto, et paruulis etiã neceſſariò intingendis, nõ eſt quod quicq; horũ improbare poſsint. Vt erat futurus excellentiſsimus mortalium Meſsias, & excellentia nulli cõmuni, nõ debuit ſuos ſibi aſciſcere, & regere ullo modo cæteris hominibus, aut prophetis præcedentib. cõmuni. Itaq; nec uano principum mundi ſtrepitu, faſtu, pompa, ruinis, cæde úe nobilis eſſe debuit, ſed exercere ſuum ius in nobiliſsimã hominum poſſeſsionẽ. At nulla animo maior, ergo in animos ſua imperia debuit exercere. Quum uerò eſſet futurus rex pacis, nõ belli, & more cæterorũ principum, nomina eorũ qui in eius uerba eſſent iuraturi recipere, hoc facere etiã debebat ſigno & ſacramento à cæteris diſsimili. Nouam itaq; legẽ & ſacramenta etiã erat inſtituturus, non ſecundum eam legẽ quæ data eſt in Aegypto, ſed omnino nouã & diuerſam. ea uero ſigna, quæ pro fidei ſacramento daturus erat Meſsias, erant futura effectibus ſimilia. Quemadmodum ergo animos ui mortis & carnis aſſumptæ erat abluturus, ita in proximum ſignum uoluit aqua corpora perfundi in nomine Dei patris, & filij, & ſpirituſſancti: qui ut antè uidimus, unus Deus eſt, cuius unam in ſe perſonam habiturus erat Meſsias. Nam niſi homo Deus eſſet, poſſet eo maior dari. Quum itaq; etiam puelli ſint ſtatim à cõcepta anima, peccato Adami obnoxij, ſunt etiam abluendi, ut per parentum fidem in uerba ducis iurent: non ſecus atq; circunciſio data octauo die pueris, erat illis cauſa ſalutis. Quod uero ſit circunciſus Chriſtus, id nomine duplici factum eſt. ut legem probaret à Deo eſſe, fuiſſeq; bonã: fieretq; per omnia ſubditus ei legi, quam dederat potius corporibus quàm animis: demũ ut qui eſſet futurus homo Deus, etiam in uno homine, utriuſque legis ſacramenta ſuſciperet, quemadmodum legem ſuam omnino ſpiritualem coniungebat corporali, nouumq; Teſtamentum ueteri. Nolo hic adferre quomodo in baptiſmi rudimentis uoluit Deus Iudæos agere. dum crebris ablutionibus luſtrari labefactatos uoluit. Nullum eſt elementum purgationi aptius ipſa aqua, nec in quo plura miracula Deus oſtenderit, & in rerũ creatione oſtendat: quod uidere primo libro licet. Itaque ſummum illud in abluendo inſtrumentum, uoluit ſummæ animorum ablutionis eſſe ſignum Meſſias nouam legem daturus.

IN CAPVT IIII.

QVàm uerè dictum eſt, homine imperito nil quicquam iniuſtius eſſe poteſt. Iudæi calumniandi libidine, eleuare fidem ieiunij Chriſti, quàm in Moſe & Elia probant, non uerentur. Si ieiunauit quadraginta dies, quare poſtea eſurijt: aiunt. Nō enim potuit tantū ieiunare ut homo: ſupereſt ergo, ut abſtinuerit quatenus Deus. ô capita cerebro uacua. fuit ergo Moſes quadraginta octo diebus deus, fuit totidē Elias, fuit Daniel uno & uiginti diebus. uidete quò recidant. Eſurire uoluit Chriſtus, & quæcunque ſunt noſtri corporis imperfectiones, præter peccatum, in ſe experiri. Nō eſt de potentia uerbi Dei ambigendū. Poterat ſanè Chriſtus dæmoni oſtendere diuinitatem (quod expiſcabatur) uerum noluit. Nam quod Iudæi aiunt, ſequenti obiectione dæmonem pollere intelligentia, & potuiſſe agnoſcere Chriſtum: id conſtanter negandum. Nam nulla eſt ſubſtantia ſeparata, ſeu bona, ſeu mala, quæ cognoſcere eſſe Dei, & comprehendere, ſicuti eſt, poſsit. eſſet enim Deus finitus, ſi à finita potentia poſſet comprehendi. Itaque dæmon non poterat noſſe in Chriſto diuinitatem, niſi ipſo permittente, noluit uero illi indicium ullum ſui facere, nec ad miracula procedere, quum eſt locus ordini naturæ. Poterat aliunde haberi panis, quàm à miraculo: & materia in panem conuertenda, aliunde quàm à diabolo. Propterea uana eſt obiectio. Quamuis autem doctè reſponderit Munſterus quæſtioni, qua quærunt Iudæi, cur Deus in lege non reuelauit filium ſuum, ſi filium habet: tamen eius reſponſioni eſt quicquam addendum. Ita reſpondet Munſterus. Ideo manifeſto noluit Deus reuelare filijs Iſraël, quod eſſent procliues ad idololatriam, ſibi eſſe filium. Nam idololatriæ dederunt exemplum in adorando uitulo, & poſtea Baal phehor. Itaque dixiſſent duo fuiſſe, eſſeque principia, legemque peruertiſſent, modo patri, modo filio adſcribendo ſingula præcepta pro ſua libidine. Verum non amplè iſta ſatisfaciunt quæſtioni. nec enim illis eſt fatendum in lege de filio Dei nil eſſe ſcriptum, quum in lege multis in locis Deus Deum alloquatur, fiat mentio de ſapientia Dei, & poſsit parere qui facit, ut animalia omnia pariant. Verū in hoc nodus eſt, quare ita obſcurè & latenter ſcriptum eſt de eo, ut non manifeſtiſsimè expoſita ſit res, quæ ad omnes pertinebat. Quod eſt in homine pręſtantiſsimum, eſt uſus animi, liberum ſcilicet arbitrium, quo ſublato fruſtra mundus eſſet creatus, nec eſſet Deus. Itaque ſancta religio, ut fidem bonorum exerceret, malos non acquieſcentes bonis & iuſtis rebus condemnaret, nō planè manifeſtè aperit quas res promittit. Si itaque ſpiritus ſanctus per prophetas liquido aperire, omnes qualitates & tempora Meſsię uoluiſſet, ſublatum credendi meritum fuiſſet, quum tam patens ſtatim à natiuitate fuiſſet, ut nullus niſi amens refragari potuiſſet. Et ſi palàm ſine tēpore & deſcriptione dixiſſent, Deum Dei filium inter homines, in humana forma acturū, proculdubio quiſquis minimum diuinitatis in prophetis, aut magis, miraculique argumentum uidiſſet, ſtatim tot Meſsias quod homines raris miraculis claros ſuſcepiſſent. uoluit itaque & ſpei, & fidei, & peruicaciæ populi cauſa leuibus indicijs, de ſuo filio Deus orbi aperire, ut ante eius aduentum pijs cōiecturis delinearetur: poſtquam autem aduenerit, manifeſtè de eo omnia ſcripta apparerent.

Mirum quid tam eruditum, & in omni genere diſciplinarum uerſatum hominem Munſterum uſqueadeò perplexum reddiderit, ut nil habeat quod Iudæis reſpondeat, quum nobis cultum ſanctorum obijciunt, & contra noſtrum etiam Euangeliū nos facere dicunt. In eo enim ſcriptum eſt, Dominū tuum adorabis,

& illi ſoli ſeruies. An ita arduum erat homini primaria ſacrarum rerum eruditione, etiam in arctiore Euangelij profeſsione educato, reſpondere Iudaicæ obiectioni: memorias quidẽ Martyrum & piorum hominum, in honorẽ eius qui ſua illis dona contulit, eccleſiam celebrare, eos uero nec colere εἰς τὸ λατρεύειν, nec adorare? Fuiſſe uero hoc inſtituti iam à temporibus apoſtolorum, ſi ignorat Munſterus, craſſa illa ſupinaq; ignorantia eſt. Quotquot enim intra trecenteſimum à Chriſto nato annum ſcripſere, id fuiſſe moris in Eccleſia ſcribunt. Si proximi Chriſto homines non intellexere ſcripturas, & in uniuerſum omnes errauere, nulla unq; fuit eccleſia Chriſti. Quod ſancti homines precib. potius quàm qui uiui ſunt, poſsint impetrare à Deo quicq;, dicit & innuit ſpiritus ſanctus per prophetã, quum ait: Si ſteterint ante me Moſes & Samuel, &c. oſtendit enim illos plus quàm cæteros mortales apud Deũ potuiſſe. Poſſe uero nomine ſancti, per Ieſum Chriſtũ qui illũ beauit, ad neceſsitates appellari, eiusq; nomine ſanitates etiã ex reliquijs, aut ſola memoria operari, quid mirũ? quum innumera miracula ita facta ſint, & ſudariola Pauli etiã ſanitates operarẽtur? Ad hæc ſi laudandus eſt Deus cũ crebra beneficiorũ memoria, quid poteſt illi maius aut gratius proponi & repeti, quàm quę ſumma in homine, quo nil maius eſt, fecit? Ita in omnibus ſanctorũ cõmemorationib. omnia Eccleſia in Chriſtũ & Deum refert, ab eo incipiens, in eũ deſinẽs. Vellẽ ſanè poſitũ fuiſſe modũ imaginib. nõ temere ἀποθεώσεις multorũ eſſe factas, nulla cõmenticia miracula legi. Verum quid facias? Nil tam bonũ, quin eo homines abutant. relinquendũ cum zizania triticũ ad meſſẽ uſq;. Nil, imò ne Deus quidẽ nõ fit pernicioſis hominib. uenenũ. Verum res ideo malę nõ ſunt, quod illis quidã abutant. Sunt certè uiri pij, ut res totius orbis corruptibilis maior, in primis ſecũdum Deum in memoria habendi. Deus in illis laudandus, per eius in eos beneficia obſecrandus; quãuis Iudęis & Muhamedicis in falſa nunc religione agentib. ex ęquo diſpliceat. Leges in re iã pridẽ obſeruata, nõ debent nobis ponere. Si per illud unũ ſtaret, quo minus uerum ſuſciperent, ad tẽpus tolli imagines, & intermitti cultus poſſent. uerũ iſta cõtradicendi, nõ diſcendi animo proponũt. Quare homo peritiſsimus traditionũ Talmudicarũ, cũ multis alijs, nõ obiecit ieiuniũ 10 impiorũ doctorũ, qui apoſtatæ Barcozibæ fauerant? Quid memoria prophetarũ, Moſis, Dauidis, & Machabeorum ſibi uult, niſi ſit cõmemoratio eorũ, ut quibus Deus fuit propitius? Nõ poſſum hoc in loco aliud iudicare, niſi quod male Munſterũ habeat, quod quibus uiuentib. Chriſtus dedit, ut in nomine ſuo omnia miraculorũ genera, et maiora quàm ille ederet, eadẽ (ut fiat certa fides illorũ, beatitudinis & uitæ æternæ Deiq; miſerantis) poſt mortẽ fieri. Sapiunt iſta dormitionẽ, ex qua noſtri impij mortalitatẽ animorũ elicuere. Fit certe maior diuinæ in nos pietatis ſignũ, dum poſt mortẽ manifeſtũ & neceſſariũ miraculũ fit, quàm quum in uita præſenti dubiaq; fieret. Itaq; quãuis multi ſint ſancti, qui non ſunt in diariũ ſanctorũ relati, nunquam tamen niſi Martyres, aut claros poſt mortem miraculis in conſpectu multorum factis, ſancta cõgregatio inter diuos retulit. Fac ambitioſe quoſdam irrepſiſſe in opinionem ſanctitatis, num ſunt omnes cæteri ſimiles? Non eſt ſanctorum hominum Iudæis permittendus cultus, quum præſente & terrente Deo uitulum ei prætulerint, nulla idola inter crebra Dei miracula non coluerint, etiam mactatis liberis. De ingreſſu paradiſi ante mortẽ & redemptionem Meſsiæ, bene reſpondit Munſterus, quod nemo debebat intrare paradiſum ante aduentum Meſsiæ. Nam quum ſit in confeſſo Adamum per peccatum ab utroq; expulſſe, quũ nullũ ſit maius gaudium, aut fœlicitas, cuius poſsit particeps homo

homo fieri, quàm Dei & cauſæ primæ contemplatio: relinquitur, ut ſummus homo Meſſias illũ ſuis aperuerit, idq́ꝫ charitate, aut modo nemini ſimili, morte ſcilicet. ſeruant enim homines uita, Chriſtus morte. Si enim aliquis homo præter illum tam magnã hæreditatem ſuis ſubditis cõparare potuiſſet, illũ ſuperiorẽ aut ſociũ habuiſſet: quod eſt tanti hominis maieſtati incõueniens. Textus Euangelicus parabola eſt, nõ eſt res geſta. Erãt pij ante Chriſtũ in quodã loco mortalibus incognito, in lacu in quo nõ eſt aqua, ut ait Zacharias. Nã ille in ſanguine pacti ſui eduxit uinctos de lacu in quo nõ eſt aqua, id eſt de loco quodam extra paradiſum. Quod uero nefarij deprauatores cõmentarijs iſta referunt in egreſſum de Aegypto, nullũ ſanguinem à legiſlatore illic fuſum lego. Præterea promiſsio eſt adferẽs gaudiũ proximũ ob regem uenturũ. dicit enim: Ecce rex tuus uenit, ſeu ueniens eſt, &c. Aiũt uero etiã in traditionib. Cabalæ, Abrahamũ cũ ſeruo Eliezero, & animis iuſtorũ eſſe ſub ſolio maieſtatis: quod cõtrauenit nefariæ Thalmudi ſententiæ dicenti, Abrahamum ius inferni & paradiſi habere. Quod Chriſtus noluerit innoteſcere miraculis, & Euangelio, ante triceſimũ ætatis annum, id in eo poſitum fuit, quum uoluit. Matura ea eſt ętas, quam uoluit miraculis ornare. Præterea ut qui iam multo tempore exercuerat, ut dixit, fabrilem artem, nec ante in literis aut diſciplinis uerſatus erat, ſtatim latentis diuinitatis opera depromeret, quum infimus crederetur mortalium. Iam antè dixi, ſi cum potentia & gloria humana, & omnibus notus aduenïſſet, proculdubio ſub peruicace natione non uixiſſet triennium, quin ſeditionibus illum efferendo bellum toti orbi indixiſſent, quum ille futurus eſſet princeps pacis.

IN CAPVT V.

IAm abunde ſatisfeci obiectioni huius capitis, quum auferendas à lege Moſis ceremonias, ut legi Meſsiæ iũgeretur, docui ex prophetis. Pręterea Munſterus eadẽ fermè recitat. Videantur loca de abrogandis ceremonijs & circunciſione in Deuter. Ieſaia, Dauide, Ieremia, Ezechiele, &c. In ſextum nil adfert Munſterus, cuius ideo exemplum ſequor, quod obiectiones illæ poſsint quoſdam offendere. Nam alioqui non eſt opus iſta, niſi dum obijciuntur, ſcire, refutare, & Iudęis ſatisfacere. Capitis ſeptimi obiectiões nullæ ſunt. Sed nõ caret errore, quod attulit exemplum Munſterus ex Hebræis, quum de natura mali diſceptat. Quomodo ſcilicet ſimus mali, an corpore, an anima, an utroq́ꝫ. Male affectã totã naturã ex hoc loco capio ab ipſis aduerſarijs. Parabola eſt eiuſmodi. Si, inquiũt, caro ſine ſpiritu peccat, cur ſpiritus affligitur? Quum itaq́ꝫ is peccet, alter puniatur, ſequitur ut unà peccent. exemplo hoc patet. Rex quidã ortũ conſtruxerat, in quo erant fructus excellentiſſ. omniũ generũ, nõ tamẽ potuit ullos illi cuſtodes præficere, quin fructus furtim decerperent. itaq́ꝫ inito cõcilio cæcũ unum qui uidere nõ poſſet, & claudũ qui aſcẽdere nequiret in ipſas arbores, cuſtodiæ horti deſtinauit: uerumetiã illi unà fraudẽ cõmiſere. nam cęcus ſuſtinens humeris claudũ eum ad fructus uſq́ꝫ protendebat, ut cõmune ambobus furtum fieret. Ita uolunt innuere, in utraq́ꝫ natura eſſe mali principiũ, quod temẽre nõ eſt aſſerendũ. Diſtinguẽdę itaq́ꝫ ſunt animę, & animi partes. Nam in carne eſſe uitiũ, eſt in cõfeſſo. uitalẽ uero animã, animalẽ & ſenſitiuã habet: quæ tres una res ſunt, unà reſultans & dependens à corporis natura & temperamẽto. Si itaq́ꝫ dicant eum ſpiritũ Iudæi eſſe cũ corpore deprauatum, nõ diffitemur. Si uero de ſumma illa mente, quę cœlitus aduenit in corpus humanũ, quam philoſophorũ princeps tertia parte lib. de Anima, uocat intellectũ abſtractũ & immortalẽ, intelligant,

telligant, periculum habet illa aſſertio. Nam ſi malũ proueniret etiam ab intelle ctu abſtracto, proculdubio omnino periret in homine liberum arbitriũ. Nam ſi duæ illæ uolũtates, quibus agimur in diuerſa, eſſent ambæ deprauatæ, certe nulla eſſet cõſcientię accuſatio malo repugnans. Itaq; quum quod nolumus, malũ, hoc faciamus, cõſtat diuerſa ſentire rationem ab corporeo ſpiritu. Quum itaq; intellectus ille tã uiuax in corpore ſe patitur uinci, & ad uoluptates animæ corporeæ trahi, meritò quidẽ punitur: nõ ueluti author, ſed ut ſocius, & qui eſt obſecutus. mala igitur eſt ſimilitudo cæci & manci, ſi de animo immortaliq; parte & corpore intelligitur. In cap. 8. ita obijciunt: Cur leproſum mundatum miſit ad ſacerdotẽ poſt mundationẽ? Chriſtus fecit utraq; unum, operaſq; ſuæ diuinitatis obſeruationi legis ideo iunxit, ut oſtẽderet eius præcepta ſancta fuiſſe. nec enim erat neceſſe propter ſanitatẽ, ſed propter probationẽ inter leprã & leprã. Legem enim ipſe nunq; uiolauit, niſi neceſsitate cogẽte: ueluti quum probauit defricationem ſpicarũ in ſabbato, ſanauit in eodem, ablutiones traditionum neglexit. cætera indigna reſponſione ſunt. Sequitur: Quum Ieſus ſeipſum multis in locis dicat filium hominis, inde indicatur nobis ne colamus filium hominis, quod dixit Balaam. Non eſt Deus homo ut mentiatur, & ueluti homo mutet. Nolite ſperare in munificos, in filios hominum, in quibus non eſt ſalus, ait Dauid. & adhuc amplius: Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum. Seipſum uocat frequẽter filium hominis Chriſtus. fatemur. Ergo nõ eſt in illo ſperandum. negamus. Si Meſsias fuiſſet purus homo, colendus nõ erat. At quia ſummus omnium hominũ, id eſt homo Deus, colendus erat. Nec eſt malũ in eum ſperare. Nam ſcriptura dicit, in eum gentes ſperabũt, quum de Meſsia agit. ergo etiã ſi tantũ fuiſſet homo, erat in eo ſperandũ: quod fecere patres ueſtri. Nã quum cõfidatis in homine Iudæi, & expectetis carnificẽ, Deoq; diſsimillimũ tyrannũ pro Meſsia, eſtis omnes maledicti. uoſipſos iugulatis recutiti. Nos ſummũ hominũ Deum & hominẽ unà amplectendo, uerũ ſequimur. ueſter carnifex Meſsias, aut potius Antimeſsias, erit orbis labes & ruina. quũq; Deus ſit naturæ conſeruandę ſtudioſus, ueſter Meſsias uoluptatis aliquot hominum gratia orbem eſt euerſurus.

IN CAPVT IX.

VEllem ſanè mihi nõ oblatã fuiſſe occaſionẽ huius perplexitatis: quoniã nõ ſatis noui an Iudęorũ ſententiam, an interpretis refutem. magis itaq; quũ lędat Munſterus receptã de bonis operib. fidẽ, quàm Iudęi, utriq; perſtringendi ſunt. Improbant Iudęi noſtra ieiunia, quod interdiu comedamus, illi nõ ſoleant ante ueſperã cibũ ſumere, quod priſca ſolebat Eccleſia facere. Pręterea quod nõ bene incipiamus diẽ ieiunij, quod nocte antecedente diẽ ieiunij ueſcamur carnibus. Verũ nõ rem, ſed agendi modũ eleuãt. incipit illis dies à ueſpere in ueſperam, nobis à meſonyctio in meſonyction, alijs ab ortu in ortũ, quibuſdã à meridie in meridiẽ. Quoniã aũt priuatio eſt rebus, prior uidetur æterna nox lucẽ anteceſsiſſe, uerũ ſi noctem pro habitu capimus, dignitate dies pręcedit. Verũ hęc nil ad rem. Parũ enim refert quo principio incipias bene agere, modo agas bene. Quod aũt addũt ironicè, ſexto die nos immeritò ieiunare, ob paſsionis Chriſti memoriã; quum potius ob noſtrã liberationẽ deberemus hilares eſſe: res eſt reſponſione indigna. Nã ob eius dolores, & noſtrã miſeriã, quæ illũ Iudæorum tortorũ opera crucifixit, flendũ et ieiunandũ eſt, quũ quotidie, tum ea potiſsimũ die: & ob certam ſpem ſalutis gaudendum eſt: quod unà pijs & ſanctis facere

eſt

eſt poſsibile.ſemper enim flendum uero Chriſtiano,& ſemper gaudendum eſt. Cognitione miſeriæ deprimitur caro & uetus homo, moriturq́ꝫ, ſpe ſalutis certa ad iuge inuitatur gaudium. Itaq́ꝫ uera in Deum ſpes humilitate ſui primo nititur. Cæterum miror uehementer, quĩ uenerit in mentem Munſtero, homini alioqui prudenti & cordato, ut ieiunium eſſe bonum opus nos & Iudæos falſo credidiſſe affirmaret. Si ieiunium non eſt bonum opus, Munſtere, imprudens et inanis Deus, qui id iuſsit probauitq́ꝫ in locis innumeris. Certè nulla maior de bonis operibus impietas proferri poterat. At prætexit, ſemper deberi ieiunare: quaſi uero apoſtoli & eorũ ſucceſſores, qui certos dies maiori abſtinentiæ præfixere, non intellexiſſent in hoc ſæculo eſſe ſobriè, iuſtè, & piè uiuendum. Chriſtus uero qui ait, Quum ieiunatis, &c. non intelligens ſemper æquè ieiunandũ, non intellexit eo modo Euangelium. eſt quidem, certè eſt ſobriè ſemper uiuendum, & quibuſdam diebus plus quàm ſobriè, ut uix etiam neceſsitatis legibus ſubuenias. Nolo ieiunij præconia hic referre, & quoties auerterit Dominus irã ob ieiuniũ, quomodo uincantur eo dæmones, feræ, &c. eſſet enim alterũ opus. Male itaq́ꝫ ſcribunt Iudæi, quum ieiunium diei Veneris agitant: tu uero impiè, quod nil pręſcriptum hominibus cupis, pręter eorum libidinem. ſi enim melius ſine præſcripto, quàm cũ pręſcripto ageretur, ſtultus eſſet Deus, qui leges hominibus dediſſet. Certè factio hodierna tibi plauſibilior uita apoſtolica uidetᷓ, mendacemq́ꝫ Chriſtũ quàm quemuis aliũ tui ſimilẽ mauis appellare. In reſponſione ſequentis obiectionis rem acu tetigit, contra Iudæos affirmantes, quicquid miraculorum edidit Chriſtus, fuiſſe ab antiquis edita. In hoc enim differt, quod unus Chriſtus fecit, quod ſancti omnes: ſuo nomine iſte, illi inuocato Deo. Quamuis ſunt ab eo edita multa, ante eum non facta: Transfiguratio, reſurrectio, conuerſatio poſt reſurrectionem, miſsio ſpiritusſancti, conceſsio ſimilium miraculorum ſectatoribus ueris, in qua re uidetur potiſsimum eius diuinitas. Iam ante reſpondi obiectioni, de pace inter ueros Chriſtianos æterna, cui etiã probe ſatisfacit Munſterus in cap. 10 annotationibus. fieri non poteſt, ut durante humano arbitrio unquam in mundo mali deſint, quorum occaſione bellum indies oboritur. Si enim nulli eſſent futuri mali ſub Meſsia, fruſtra legem daret. at quum eſſet legem daturus, eamq́ꝫ longe perfectiſsimam, opus eſt fore ſub ipſo malos & improbos, quibus præſcribat. itaq́ꝫ pax ea intelligitur non corporum, ſed animorum, eaq́ꝫ tantum inter bonos. Itaq́ꝫ Euangelium non pugnat cum lege, dum ait ſe miſſurum gladium in mundũ Chriſtus. Quotquot enim ſunt boni, quo ſunt meliores, eo magis ab impijs affligũtur: & quo magis uexantur, eo maiori pace erga omnes homines utuntur. uirtus enim, quo magis exercetur, quum tamen quietis cauſa ſuſcipiatur, eo minus ſcopo fruitur. Nam ſi uellet in hac uita quietè frui, deſineret eſſe uirtus. Vita enim præſens in actione boni, futura in præmij perceptione conſiſtit. Quis impudentem calumniam Iudæorum in caput 12. ubi de ſabbato agitur, non uidet? Aiunt enim quod dicatur in noſtra expoſitione de ſabbato, quod potiſsimum à peccatis ſit ceſſandum: ſuadeamus uero cæteris diebus eſſe peccato inſiſtendum. Quis ita impius, ut unq́ꝫ uel hoc cogitarit? Semper quidem à peccatis omnibus pluſquam à morte cauendum eſt Chriſtiano, ſed attentiſsimè die feſto aut dominica, ita ut & admiſſa cæteris diebus delicta lachrymis, confeſsione, bonis operibus, & quouis expiationum genere diluere ante Deum ſatagamus. Non poteſt eſſe uitæ humanæ cõmunis tenor, & eodem ordine, nec tamen unquam male agendum eſt uiro bono.

bono. Itaq; quũ toto uitę curſu ſtudeat bonis operib. tamẽ quibuſdã diebus pręſcriptis attentiſsime debet aut peccatis obniti, aut bonis operib. inſiſtere. Ad obiectũ eorũ cõtra Chriſti reſponſum ad phariſęos, quod ſoleant periclitantib. uita tã hominib. quàm brutis ſabbato ſuccurrere, nil aliud eſt adferendũ, quàm ſi actio corporalis uiolat ſabbatũ, ergo maximè ab eius cõſeruatorib. Leuiticis, qui ea die maxime operãtur manib. unde relinquitur, ut uiolatio ſabbati nõ ſit in neceſſario opere, ſed in præcepti neglectu: Nã alioqui nõ habuiſſet odio ſab bata ueſtra Deus, ô recutiti, ſi in illis omnia miſericordiæ opera, quolibet corpo ris officio fuiſſetis exequuti. Quod adfert Mũſterus hiſtoriã de Saxone Iudæo, quãuis ea uideatur innuere mores omniũ, quod in latrinis diẽ ſabbati cũ dominica egerit, tamẽ ijdẽ mores obſeruationis ſabbati nõ ſunt in Africa, & in Aſia potiſsimũ inter Carainos, qui traditiones & Talmud improbant. Semper og ganniendo id in ore habent, quod nos nõ obſeruemus legẽ, quum Chriſtus ad eã implendã uenerit, & dixerit unũ apicẽ de ea nõ periturũ, donec omnia fiant. Iam abũde ſatisfactũ eſt huic parti. Nec eñ erat futura lex noua ſimilis uetuſtæ, niſi in illis quæ ad mores pertinent. Verũ difficilis quæſtio ſequit. Si eſt Deus (aiũt) quare occultauit ſeipſum in carne? & quare nõ uenit cũ audacia ad edendum legẽ ſuã, & ad eam exponendã in publico, ut nõ ſeducerẽtur homines eius ætatis, nec in eum offenderent mortales? debebat facere opera ſua in aperto, no tis & ignotis, ut oẽs crederent in eum. Maior eñ eſt iactura, quæ periJt ob diſsimulationẽ iſtã, quàm redẽptio: quoniã in eum occultũ cunctantur, ne credant. Sũt iſta ad uerbũ uerſa, ut intelligant. Illis aũt iam multis in locis à me ſatisfactũ. repetã tamẽ etiã paucis. Omnib. in rebus uult arbitriũ noſtrũ exercere Deus, ut quemadmodũ ab eo miracula omnia, quibus excitamur ad obedientiã & uirtu tẽ facit, ita & nobis res exequendi facultatẽ & arbitriũ permittit, ut manifeſtentur qui probati probiq; ſunt. Quum eñ poſſet Deus ſub Moſe nõ difficilius uos oẽs in nictu oculi ex Aegypto, cõfoſsis Cananeis trãsferre ſine ulla illi fidendi diligentia in terrã ſanctã, quàm miracula ante Pharaonẽ, in mari, in deſerto, in flumine, in ſole, in Philiſteis, in Senacheribo, in Abacuc, in Daniele, & pueris uirtutẽ ſuper naturã oſtendit, tamẽ uoluit ut fideles exploraret labore humano eò perueniri. ita quũ uenit Meſsias, cuius lex erat excellẽtiſsima, ut relinqueret credendi arbitriũ, noluit naturæ cõſeruator more tyrannorũ ſuã cum ſanguine iungere potentiã, ne illa cogeret oẽs uel inuitos in eius uerba iurare. fuiſſet eñ Deo diſsimillimus, ſi ita egiſſet. Omnib. facta eſt per libertatẽ fidei credendi po teſtas, quæ ſublata cũ meritò fuiſſet, ſi manifeſtior in initio fuiſſet. Adhęc, ſi à na tiuitate ſtatim innotuiſſet Chriſtus, ſtatim etiã in bella & orbis ruinã uel inuitũ adegiſſetis. Certè ſi uenturus cũ poteſtate corporea fuiſſet, aut cladẽ uniuerſo or bi, ad quẽ ſaluandũ uenerat, attuliſſet, aut pares multos habuiſſet. Nino, q́ qndecies hoĩum millia in bellũ egit, innumera cõfecit: Semiramidi, quę decies octies centena: Xerxi, qui decies: par eſſe uix potuiſſet: ditior aut ſplendidior Salomo ne eſſe nõ poterat. Itaq; non eſt in cauſa quod multi perierint & offenderint, ut nec aqua quod multi ſiti pereant nolentes ad fontẽ accedere. Quod plures ſint perditi q̃ ſaluati, nil mirũ. pauci enim boni ſunt: & ut habetis in Talmud, quod erit in aduentu Meſsiæ, ſicut in ingreſſu terræ ſanctæ. duo eñ ex decies quinquies ſaltẽ cẽtenis hominũ milib. ingreſsi ſunt terrã ſanctã, Ioſue & Caleb, quod nõ ſtetit per Deũ, nec per Moſem, nec per terrã ſanctã, ita ueniẽte Chriſto pauciſsimi erant ſaluandi, ut cõtigit. Erat miſſus ad ſalutẽ Iſraẽlis in toto orbe, ita ta

oo men,

mē,ut arbitriū credendi ſine ulla ui ubiuis gentiū relinqueret. Facit etiā ad rem quod exemplū dedit,ne nos ipſos ob diuina beneficia ueneditemus. In cap.13. agitant parabolas Chriſti ex ſimilitudine uirgæ Aaron, quam aptamus uirgini matri,tanq̃ omne ſimile per omnia cū altero ſimili cōueniat: quod nunq̃ etiam prophani authores cōcedunt. Illos rogauerim,ſi per omnia parabolæ ſint ſimilibus aptandę,quum Ozeas uxorē fornicariā cōparet ſynagogæ,oportet ut omnes totius orbis deos coluiſſet ſynagoga, quemadmodū ſcortū omnes homines admittit. Oportet radi pilorū more,& implantari corpori,quoniā Iudęi ab Ezechiele cōparantur pilis: & ſexcenta eiuſmodi. Omnia eīn ſunt plena parabolis: in prophetis tamē nulla eſt,quæ cōparatione per omnia quadret. Futilitatem Iudæorū de igne inferni nō redarguo, quum ſeipſam refutet. aiunt eīn corpora impiorū abſumenda ab igne ueluti paleā,ne ulla ſuperſit memoria nominis eorum. Sed ad quid futura eſt reſurrectio, ſi corruptio reſurgentiū fieri poterit? ad quid omnino peribunt, quorū ad uituperiū nomē & corpus æternū durare debet,ut actio diuinæ iuſtitiæ innoteſcat? Nulla erit in futuro ſæculo corporū abſumptio. Materia corporis humani ſola poterit pati,nō corrumpi, uinculo æterno ipſa corpora cōtinente: ut quemadmodū obſtinata peccandi libidine Deum nullū eſſe,aut non curare res humanas,iuſtitiā ue habere putarunt, ita in perpetuum eſſe uindicē ſentiant,quē nullū credebāt. Falſa eſt obiectio Iudæorum, quū ideo dicunt habuiſſe Chriſtū fratres & ſorores, quod ſui tēporis Iudæi dixerint,nōne hic eſt faber filius fabri? Nōne mater eius uocat̃ Maria,& fratres eius Iacobus,& Ioſeph,Simon,& Iudah? Partim eīn uera dicunt,quod eſſet faber fabri filius creditus, Maria natus: cæterū quod reuera patrē, aut fratres ſorores ue habuerit,id falſum dicebant. Nec eīn in Euāgelio id ſcribitur,uti uerū & probatum,ſed ut obiectū. Sed fac eos ex animo dixiſſe: eſt ille mos ſcripturæ, ut cognatus in loco fratris ipſo nomine ponat̃. Id etiā amicitię gratia extra cognationem in omnib. linguis dici de cōiunctiſsimis ſolet,eſſe fratres huiuſcemodi. Quod ſi ita uim rebus ex uerbis faciēt,ſi credunt neoterici priſcis Iudęis,ignotū ante miracula Chriſtū uix cognoſcentib. multo magis crederent ipſi Chriſto,dicēti matrem ſuā ſibi eſſe fratrē ſororēq;: & nō tantū illā,ſed quotquot faciunt uoluntatē patris,ita ſibi affines aſſeruit. Factus eſt omnib. bonis omnia Chriſtus,ut oēs lucrifaceret: ideo omni affinitatis genere felices animas ſibi obnoxias affirmauit. duplici itaq; nomine fratres hos uocauit, & ratione cognationis,& ratione bonitatis. Vocat uero fratres ſuos diſcipulos,et pauperes,nō ratione carnis,ad quā miſeri Iudæi oīa referūt. ſunt itaq; eam ob rē in peruerſum ſenſum acti, q̃d uim uerborū ad literā etiā in prophetis detorqueant,quod uerū euertit. Quāuis aūt iam de Meſsiæ excellētia ſit à me dictū, tamē huius obiectionis gratia ſunt etiā referenda paucis, & locupletāda quæ dicta ſunt. Diximus in principio ſumma oīa,& nulli niſi humano corpore cōmunia debere Meſsiæ. ea uero oīa Chriſto Ieſu cōtigerunt. ut eīn fuit Deus, & hō quo nil maius dari poteſt, ita etiā cōcipi & naſci,& cognationē habere differēter à cęteris totius mūdi hominib. debuit. Nil ſeiunctius eſt hoīe & Deo, utrūq; habet in ſe uno. Nil differentius ſemine & illius priuatione,in eius cōceptione utrūq; fuit. Virgo & mater in natura nō eſt,ſupra naturā Maria uirgo perpetua,& mater eſt. Nupſit, & nō nupſit,ut ciuili cōſtitutioni ſatisfaceret,tam magnūq; tegeret ad præfinitū uſq; tēpus myſterium. Ioſephus dictus eſt eius maritus,& Chriſti pater, cæterū nec pater nec maritus unq̃ fuit. Cæteri hoīes fratres habere ſolent & poſſunt,nō debuit ulla in re cū illis cōuenire Chriſtus: itaq; perpetua fuit uirgo, quæ mater eius eſt. Eſt ſignū admi-

admirandū quod dedit Deus, quādo uirgo cōcepit. Eſt nouū quod fecit Deus ſuper terrā, quia fœmina circūdedit inſolito modo uirū. Eſt porta oriētalis tēpli myſtici (quod natura humana eſt) ab Ezechiele deſcripta, quæ nō aperiet, nec intrabit per eā ullus mortaliū, ſed ſolus Deus, qui pōt cōtra corporū dimenſiones tranſire per loca clauſa, nō ſecus ꝙ per aperta. Si enī Deus illic intelligitur in ſua natura, ſine corpore, quid opus eſt illi apertione portæ? Si corpus habet, & per portā clauſam, quæ nunꝙ aperiet, intrat, porta illa qua primū inter hoīes uenit redemptor, eſt oriētalis, & princeps uirgo Maria. Nā alioq ꝓpheta eſſet mētitus, quod nephas eſt dicere, ſi de alia porta, uel primi uel ſecūdi tēpli intellexiſſet. Nulla enī fuit quin ſit aperta. Tertiū uero templū materiale nullū eſt. Tēpli itaqꝫ huius humanitatis porta oriētalis eſt, Maria uirgo & mater Dei una, & hoīs filia & ſoror, genitrix & genita, ab omni labe immunis. Si ergo ꝗd habere debebat Meſsias præſtantiſsimū, Ieſus habuit, nō eſt dubiū quin ſit ipſe in lege ꝓmiſſus, quoniā eo maior dari nequit. Nullos igitur fratres, nullū patrē habuit ſecundū carnē Chriſtus. Mitto inſanā opinionē de dæmonib. & traditiones: & te paucis amice cōuenio Mūſtere. Te per ſanctū Ieſu Chriſti nomē obteſtor, putas ne ullū mortaliū ad hāc diē intellexiſſe ſacras literas, & quis uerus eorū eſſet ſenſus ſcriptū reliquiſſe? Si nullū dicis, tecū nō ago: ſi quoſdā, ubi oēs cōuenere, certū eſt & pręſcripti euāgelici & pij inſtituti habuiſſe rationē. Delectus ciborū igitur à te agitatus cap. 15. quū fuit introductus (fuit aūt ſtatim à tēpore apoſtolorū) nōne ita intellexere patres, ut quicꝗ mali in cibis eſſe putarent? ut eſſent, ueluti Iudæi in ſuilla ſanguine & ſuffocato, eſſe uitiū inficiēs animos credētes? Abſit ut hoc de illorū pietate uel ſuſpicemur. Nō eſt igitur delectus ꝓbatus ab eccleſia, certiſqꝫ diebus pręſcriptus ea ratione qua Iudęis. Sed ne laſciuiens caro cōſuetis cibis uti ſolita, obſiſteret ſpiritui. Non cōcidunt ergo loco illo Matthei, Populus iſte, &c. ſacra inſtituta. Age pie ne eſt introducta dominica dies? at ubi eā in ſacris habes? Nōne credes Ioannem baptiſtā, & apoſtolos diſcipuloſqꝫ Chriſti baptiſatos? at in ſacris hoc nō eſt. Quàm multa uariaqꝫ ſunt pro ſanctiſsimis habenda & tenenda, quę traditionib. cōſtant? Quæ eſt iſta dementia & puerilis de ſua ſapientia aſſertio, ſuū iudiciū toto orbi præferre? Nō ruunt ergo ſacra ſtatuta ab Euāgelij obſeruatorib. introducta. Sint ſub ipſis hypocritę: qd ad rē? eſſent etiā, ſi nullæ eſſent traditiones. Statuta pia quæ ſanctis adferūt pfectionē, in cauſa nō ſunt. Alioqui Euangeliū, ꝗd prępoſtera interpretatione genuit tot Epicureos et impios, quot habet fermè ſectatores, malū eſſet. Bonū eſt euāgeliū, mala & impia quorundā interpretatio, peſsimi impij in uentrē, penē, & gloriā illud cōtorquētes. Satis habere debebas, obiectiones Iudæorū, quibus uideris ſępe affinis, in mediū attuliſſe. Nūꝗ nouę opinioni & φιλαυτίᾳ Chriſtū & eius eccleſiā iam 1540 annis in his cōfirmatā poſtpoſuiſſe debueras. De reprobatione Iudæorū, & quod ſint ueri Iſraël quotquot in Chriſtum credunt, ſatis ſuprà ſcripſi. Nō itaqꝫ fecit ut peccarent & offenderēt in eum Chriſtus, qui illū crucifixerunt & reprobarunt, ſed eorū mens perfida, quæ uero à ſe cognito nō acquieuit. reliquit enim hominē Deus in manu cōcilij ſui. Ita decretū erat à Deo, ut quidā dū eſſent authores mortis eius, ſibi ipſis mortē, alijs uitæ fortuitā cauſam adferrent. Ita in morte Ieſu erāt omnia diſsimilia cæterorū hominū mortibus. Homines benefici recipiunt à ſuis, ille cōfectus eſt. Morte eorū detrimentū accedit Reip. ſalus ab eius morte pendet. Generatio mortuorum eſt omnino exciſa, quia Ieſus poſuit animā ſuā pro fratribus ſuis, uidet ſemen longæuū. Qui uirū bonū necat, & ſibi & cæteris damnū dat. Qui Chriſtū ſuſtulere, ſibi tantū nocuere, cæteris cauſa accidentarię ſalutis fuere. Vellicant locū capitis

pitis 16. de cõparatione Ionæ, & reſurrectionis Chriſti, quod nõ per omnia quadrent, quum Ionas fuerit in uentre piſcis tribus diebus & tribus noctibus, Chriſtus autem in corde terræ tantum tribus diebus & duabus noctibus. Certe uno loco omnino monſtrauit Mũſterus, falſò illos iſta calumniari, quum ſint ſimilia multa, quæ fermè nil conueniunt cum cõparato. Vt quum dixit Deus, Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Nil planè prȩter inuiſibilem ſpiritum cum Deo ſimile habet homo, niſi ſint Iudæi anthropomorphitæ, & ita omnino quadrare parabolam putent. Scripturæ ſunt ſimilibus plenæ. triduũ reſurrectionis Chriſti, durans ſolida die & duarum parte cũ duabus noctibus, ſupputatur in modum febrium tertianarũ, quas nulla lingua non uocat tertias, quæ ſcilicet à flaua bile in uenis accenſa fiunt. ſatis enim eſt ut integrã diem intermittant, ab acceſsione ceſſante in proximũ paroxyſmum, ut tertia die recurrere dicantur. Quod aũt ad ueritatem literæ attinet, qua dicitur futurum in corde terræ Chriſtum tribus diebus et tribus noctibus, intelligendũ uenit per anticipationẽ, ſtatim ſcilicet à decreto mortis eius facto à ſcribis & phariſæis, anteq; caperetur in die cœnæ. Ita enim uulgò dicitur, Mortuus eſt ille, à quo tempore in eum lata eſt ſententia. quãuis enim Pilatus decretum edidit, tamẽ inſtruxerant ad mortẽ calumnias die Iouis. itaq; nox Iouis, nox Veneris, nox ſabbati fuit mortuus, aut ueluti mortuus, et uulgari mortis appellatione mortuus. De diebus nõ eſt cõtrouerſia. nam nec integri dies nec noctes requiruntur, ſed certæ horæ ipſarum. Si aũt dixerint Iudȩi eſſe inuſitatũ hoc genus ſcribendi in ſacris, ut aliquod ſpacium tẽporis per anticipationem dicatur, adferã locũ unum ubi eſt maior longe præoccupatio. Scribitur Exodi 12. Habitatio autem filiorum Iſraël, qua mãſerunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. & tamen clare liquet per patrum ætates fuiſſe in terra Aegypti Iſraëlitas tantum ducentis triginta annis: unde neceſſario ſunt ducẽti anni in tempora uſq; Abrahami referendi, ut numerus conſtet. Capiemus itaq; Aegyptum in eo loco pro regione & afflictione. Nam à quo tempore eſt electus Abrahamus, & omnes facultates propter Deũ reliquit, fuit certè afflictus ben mezarim inter anguſtias, nõ in Aegypto. Ea enim uox, ſi demas puncta, utrunq; ſignificabit ex æquo. unũ enim dicitur mezzarim, aliud mizraim. Caſtigat uero oẽm filiũ Deus quem diligit. Reſpectu relictæ felicitatis Abrahamus nunq; fuit ita diues, quin fuerit in anguſtijs, in Aegypto cũ Pharaone, in Geraris cũ Abimelech, cũq; ſeruis fratris Loth. tota enim uita iuſti eſſe continua afflictio, aut uoluntaria, aut in patientia debet, ut ſemper meminerit Dei, cuius res ſecundæ obliuionem inducunt. Sunt itaq; ab exitu Iſraël ad generationem Iſaac 400 anni. 30 autem ab eo ad uocationem Abrahami. Quod autẽ debeat intelligi pro afflictione piorum ſtatim à uocatione Abrahami, ſignificauit illud Stephanus protomartyr in Actis apoſt. cap. 7. ita enim refert Lucas concionem eius: Locutus eſt autem ipſi Abrahamo Deus, quia erit ſemen eius inquilinum in terra aliena, & ſeruituti eos ſubijcient, & affligent annis quadringentis, &c. credo id erroris in interpretando ueniſſe, à quo Cuncta ſacris acceſſere, paulo pòſt Ezram. itaque eſt præoccupatio à uirtute & effectu mortis Chriſti, ueluti hic à uocatione Abraham. Eiuſmodi numeros multos colligit in hoc loco R. Aben Ezra, ne dicant Iudæi hoc meum eſſe commentum ſine ratione.

Non poſſum ſicco pede tranſire inſaniã, ne dicã impietatẽ interpretis noſtri. Quis eñ calumnias tam inſignes diſsimulet? Quaſi uero in ſacris conſtitutionib. uſq; eccleſia (eam eñ homines uocat) ſuaſerit legẽ & opera ſine fide & Chriſto ꝓdeſſe. Profer unũ ſcriptorẽ qualẽ uolueris, in quo illa habeatur impietas, cædã.

Nouit

Nouit eccleſia nos nil ſine fide, ſine Chriſto,ſpe, & charitate poſſe boni agere.
Verũ ita,tam ob beneficia recepta, quàm ob peccata cõmiſſa,obligatũ Deo ho
minẽ nouit, ut nil planè operũ bonorũ nõ debeat cõtinuo nõ agere,totaq́ uita
pœnitere. Qui uero ſint illi,qui uendere alijs ſua bona opera, quibus abundãt,
ſolent? nullus planè. Certè id eſt iam à temporibus apoſtolorũ receptũ,ut ſancti
alicuius oratio proſit,ut eccleſiæ mutuis ſe precibus iuuent, ut quòd non poteſt
unus,poſſint plures:alioqui niſi mutuò iuuari precib.licet,quid prodeſt cœtus?
Sint quidã tenuiſſimi quales erant apoſtoli,nõne magnũ eſt,ſi pro cõmunib.&
ſibi & alijs precibus & operibus bonis carnalia metant? Sũt ubiuis improbi, &
parũ ſuo ordine digni:an ideo omnes perinde habendi ſint? Si hęc ratio locum
habet,ſunt omnes ἄθεοι cæneuangeliſtæ. Maxima enim eorũ pars ſub Euange-
licæ libertatis prætextu,Epicurũ & Lucretiũ prętulit Chriſto. Nõ debebas infa
mare uniuerſum ordinẽ,quod quidã improbi uideant.magna illa libertas eſt,te
unum bonũ tuosq́ prædicare,quũ cęteros omnes uis deprimere. Nulli ſunt am
plius phariſæi.res Iudaicæ pridẽ ſunt acciſę. Zizania & loliũ cum ſegete creſcat
oportet.eliget Deus ex ſagena,quos piſces ipſe eſt probaturus.unde iſtud ſuper
cilium?ut in rebus quę potius in bonã quàm in malã partẽ interpretari poſſunt,
tu unus Deo iudiciũ ueluti Ariſtarchus præripias? Quid alienũ iudicas ſeruũ?
dño ſuo ſtat aut cadit.Si diſplicuit tibi tua cuculla, cœlibatus,ieiunia,& pia ope
ra quæ nobis præparauit Deus,ut in illis ambulemus,uſq́ adeò ut omnibus illis
ualefeceris,ne iniuriã merito Chriſti faceres: nõ omnes ſunt eodẽ ingenio.& ſi
nil dignũ Deo ſe poſſe credũt,& ſi ſunt ſerui inutiles Chriſtiani,tamẽ ſe probare
Deo in ijs quæ poſſunt,ſtudẽt. Sibi ſimilis eſt in interpretatiõe clauiũ. Nil aliud
eſſe ligare & ſoluere dicit, quàm credere uel nõ credere remiſsionẽ peccatorũ.
Quomodo eſt abuſus hac poteſtate Petrus, qui Hananiã & Saphiram bene cre
dẽtes ligauit?quomodo Paulus, qui Corinthiũ fidelẽ ſatanæ tradidit?Cæterum
quũ ſint oẽs Chriſtiani authoritate pares per Munſterũ, quis in cõſilijs erit præ-
ſes?ad quẽ de rebus dubijs quotidie oborientib.inter duo cõcilia referetur?Qui
ſunt pari authoritate,nõ debẽt ſibi mutuò cedere. Sentiendũ ergo erit ut lubet.
eò eñ tendũt iſta. Sub interpretatione Euãgelij arbitraria, uiue ut uelis. omnia
libera ſunt. Ad Iudęos redeo. Aiũt in expoſitione loci Geneſeos in hũc modũ.
Scriptũ eſt,Ecce Adã factus eſt ſicut unus noſtrũ,&c.ut uiuat in æternũ. Sic in-
terrogabis hęreticũ, Nõne curat Deus,ſi uiuat homo in æternũ?Nonne cõſue-
tum eſt, ut uelit quilibet author rem à ſe editã maxime durare?Verũ quia uide-
bat Deus futurũ,ut Ieſus ſeduceret orbẽ, & diceret ſe eſſe Deũ,ſanxit ut melius,
quod homines moriant̃, & Ieſus ſuſpendatur in ligno uno, ut nõ comedat de li
gno uitæ.unde patet omnib.quod nõ eſt Deus. Hęc impij Iudæi:egregij theo-
logi, qui adſcribunt Deo ſuo timorẽ. ideo mortẽ inductã eſſe omnibus, & ipſi
Chriſto,ne uiuant in ęternũ. Iam erat irrogata mors à cõmiſſo delicto,ſed expu
lit Deus ne perſiſterent male agere. Mors itaq́ à Deo nõ eſt,ſed à peccato. ſedu
xiſſe uero orbẽ ipſum Ieſum,nullo uerbo iniquo poſſunt probare. Capiãt quic-
quid eſt in Euãgelio præceptorũ aut exemplorũ,ſi quid erit quod iuſtiſsimũ nõ
ſit,herbã porrigemus. Fecit certè errare multos Chriſtus, non ut ſcribunt Iudęi,
ſed more legis poſitæ: ante legẽ enim peccatũ nõ eſt. Itaq́ ante Chriſtũ incorpo
ratum nõ errabat,qui in eum ignotũ non crederet: poſtq́ aduenit,quotquot de
eo audiere,& non crediderunt,ſunt in errore, & in longè maximo infidelitatis
peccato:pręcipuè Iudæi,ad quos miſſus erat. Credant Ieſum Iudęi qualẽ uolẽt,

omnes certe qualitates perfectiſsimo hominũ Meſsiæ debitas, & à prophetis attributas habuit. Nec quicq̃ in eum probri ſuis cõuicijs intentare poſſunt. Cõtigit Iudæis in Ieſu, quod nyctilopibus cõſpecto maximo lumine. quod em̃ alijs ita ſeruit, ut ſine eo nil uideat, alios lumine priuat. Nõ eſt opus ſatisfactiõe quũ obijciũt Deũ uideri nõ poſſe, & ideo nos falsò dicere Chriſtũ Deũ uidiſſe. Nullus Chriſtianus unq̃ aſſeruit ſe diuinitatẽ uidiſſe, aut Chriſti aut Dei. eſt em̃ uſqueadeò inuiſibilis, ut etiã glorificati admirari potius quàm cõprehendere illã ualeãt. Quatenus poteſt eius ſpectrum cõcipi, uidit eum Moſes, Ieſaia, Micha, uerũ nullus Deum uidit, & uiuet. Diuinitas animo tantũ quæri, uix cõcipi niſi à perfectiſsimis, etiã tenui imagine poteſt. Quod obijciunt ſanctos nõ tranſtuliſſe montes: nõ ſunt Chriſtiani circulatores, funãbuli, aut petauriſtæ, qui miraculis ora omniũ in ſe, niſi agatur de hominũ ſalute, cõuertant. Innumeri mortui ſunt ab eis ſuſcitati in nomine Ieſu, quod quidem maius eſt quàm montem mouere loco. Opus eſt fidem eſſe maximã, & ex corde innocẽtiſsimo & defecatiſſimo procedere. Suas uero imperfectiones apoſtoli uiuente Chriſto habuere.

Pudet certè Iudæum in multis opinionibus Munſterum dicere, quum res ipſa cogat. Quũ uita monaſtica & heremitica ſit, fueritq̃ ſemper iam à temporibus apoſtolorum, ſanctiſsimum inſtitutum, unde maxima mundi lumina prodierint, uiri & mulieres ſanctitate præcipua, tamen ueluti omnes ſint ſceleratiſſimi, & nil fœditatis non admittant, omnes uno uerbo taxantur à Iudæis, ſuffragante Munſtero. Deflendum certè erat, quod indigniſsimi prole & opibus parentes non pauci, adigant iuuenes ad id genus uitæ ſuſcipiendum, antequam periculum uanitatis (unde certa conſtantia oriri ſolet) fecerint, ut incolume ſeruetur patrimonium. ueniunt tamen non pauci ex illis principijs coactis ad frugem. Nam & Chriſtus à uia compellit accedere ad eius conuiuium iam paratum cunctantes. Nulla uitę forma ſuis caret peſtibus, & eo grauioribus, quo maiorem uel animo uel corpore profitentur dignitatem. Verum longe ſanè plus boni quàm mali in illis monachorum ordinibus orbis habuit, alioqui non ſola Germania ſenſum huius mali haberet. Templarij docuere Chriſtianos ſuperſtitionibus nõ teneri, quoties plus ab uno ordine damniq̃ cõpendij Reſp. accipit. Itidem in cæteris faceret, ſi res eſſent ut Iudæi, uolui dicere cæneuangeliſtæ ogganniunt. Scimus omnes caſtitatem eſſe donum Dei. at quia Deo eſt illa gratiſsima, uerosimile eſt eam ipſum non paucis concedere, quum poſsit in nobis omnia. Mos eſt nefariorum hominum, à uitijs hominum, ordinum agitationem incipere, & ita ſuadere rudi plebeculæ, ut inſurgat in ſacros ordines. Si res diligentius expendatur, uix uigeſimus quiſq̃ indignus ordine uidebitur. Si improbitas quorundam totum gregem inficit, ſunt omnes angeli perfidi, à quorum conſortio κακοδαίμονες ſpiritus decidere: nefaria fuit lex Iudęorum, ſub qua tot mali homines ob ſcelera ſua perierint: ſunt dicendi nequam apoſtoli, inter quos unus perfidus Domini proditor erat: ſunt impij Chriſtiani, qui multos impios inter ſuos habeant. Quæ ad boni uiri officiũ pertinent, & non ad uetuſtos ritus, ea omnia diligẽtius ſeruant Chriſtiani quàm Iudęi: nec eſt quod nobis neglectũ circũciſionis opponant, quũ ad legẽ uſq̃ nouã locũ habuerit, cum cęteris cultib. externis. Cap. 21. aiũt Meſsiã noſtrũ, ſi Deus eſt, nõ debuiſſe cõſcendere aſinũ, quoniã immundũ animal eſt. Omnia mũdare poterat. prędixerat ꝓpheta futurũ, ut qui rex eſſet futurus, aſinũ equitaret ob humilitatẽ, qua nemo illi par eſſe poteſt. Iã ſuprà ſatisfeci in euãgelio prophetico. De tẽplis etiã quod nullũ ſit

tertium,

tertiũ, iam ſuprà oſtendi. poſt primũ enim & ſecundũ, nullum legitur, prǣterq̃ quod ſcribit Ioſephus, templũ pulcherrimũ, ut populi Iudaici fauorem captaret, Herodem Aſcalonitam cõſtruxiſſe: ſed non durauit niſi ad excidiũ uſq; à Tito factum. Quod aũt tertiam domum æternam à Deo conſtitutã incorruptibilem addũt, id uerius eſt quàm dicant. Nã animus & eccleſia fideliũ eſt uere æterna domus, in qua habitat Deus, ſuperiorisq; imago eſt, in qua macula & ruga non erit. Non erit in monte nec in agro, nec Abrahami, nec Iſaaci, ſed omnium uerè Iſraëlitarum. Verum quia æterna futura eſt, nulla erit lege opus. itaque nec erit amplius differentia nationum. Id enim erit poſt reſurrectionem. Ezechiel uidit in ſpiritu typum eius, & ſcripſit: ſcripſit etiam Ioannes Euangeliſta in Apocalypſi. In hac autem corruptione nil unquam erit æternum. Argumentum de fame Chriſti iam eſt à me ſolutum. Ita enim habuit utranq; naturam Ieſus, diuinam uidelicet & humanã, ut quamuis in illo unum cõpoſitum feciſſet, & unum ſubiectũ, tamen unaquæq; natura ſuam aptitudinẽ ſine alterius impedimento, quum uellet, haberet. Nõ impediebat diuinitas imperfectiones corporis, ut nec iſtæ diuinitatẽ. Ieiunauit quadraginta dies, medio illo cõpoſito ſuffragante corpori diuinitate: demum corpus ueluti ad propria munera ſeorſim rediens eſuriịt. Non adfuit illi externè gloria Dei, quæ illũ roboraret, ueluti Moſi Dei ſpectrum, Heliæ angelicum: quorum uirtute quum ſeptimus inediæ dies ſit homini mortifer, quadraginta dies ieiunauit uterq;. Qui ergo fecerat ſua potentia, ut uterq; ieiunaret in ſe, docuit & ſe dediſſe eam poteſtatem quam per ſe exercuit, & humanitatem in ſe ita oſtendit, ut eius neceſsitatibus actus faceret utriuſque naturæ fidem, ne ſi non egeret, ſpectrum, non homo crederetur. De ficu quam inuiſam maledicto perſtrinxit, quod eſſet ſterilis, poterat idem abſens facere. nã eius acceſsio non fuit maior conſideratio, ut Dei ad Adamum poſt peccatum acceſſus & uocatio, deſcenſus ad turrim Babel, uiſitatio Sodomæ & Hamorrę, & innumera alia, non ſunt ſigna ignorationis Dei: ita nec hic Chriſti. ut Deus in illis ſe noſtri intellectus imbecillitati accommodat, ita Chriſtus in hoc facto diſcipulis conſulebat, ut oſtenderet & ſuam omnipotentiam, & ſterilia omnia facta, aut infecta hominum exterminãda, pœnisq; æternis uindicanda. Quod egerit contra dilectionis præceptum, ſuccenſendo inſenſibili arbori, quis tam demẽs ut credat? Dilectio & odium, iraq; ab homine in hominẽ tendit. Cætera enim quæ & arbitrio & iudicio carent, nec odium, nec inuidiã aut iram merentur. Alia obiectio. Aiunt Chriſtiani, nos Iudæos eſſe in captiuitate ob mortẽ, ſeu occiſionẽ Chriſti, ſed ante eum fuimus in captiuitate. Reſpondeo: Ante Ieſum nulla captiuitas uobis rerũ dominiũ à Syria abſtulit, præter Babylonicã à prophetis, anteq̃ accideret, prædictã & limitatã. in ea uero nõ defuere mehoccecim ſeu legislatores. Fuit em̃ uobiſcũ Ieremias, Daniel, & plurimi alij uiri ſanctiſsimi, qui uos certiſsimos faciebant poſt 70 annos, ut liberaremini. in hac cũ ſumma cultus obſeruatione, ut iam dixi: iã 1500 annis agitis, magis exoſi ethnicis quàm Chriſtianis. uidi rerũ ueſtrarũ conditionẽ in Africa, in Aſia, & celeberrimis Europæ urbib. Quare nõ exeritis caput? cur tantopere ſua præſentia uos fraudat ueſter Meſsias? quamobrẽ à 1500 annis natus dormit? Quod uero uos uultis ironicè Chriſti oratiõe in cruce pro uobis acta tutari, certè Chriſtus filius Dei, Deus de Deo, ſapientia patris ſeriò patrẽ pro uobis orauit, & pro bonis obtinuit. Verũ quicquid ſit diuinarũ precationũ, niſi per liberũ arbitriũ acquieſcat homo, nõ ſaluaẽ. Deus em̃ uim nõ infert arbitrio noſtro. per hominẽ ſtat, quo

minus ſaluetur. Ideo ait Chriſtus: Quoties uolui te cōgregare ſicut gallina congregat pullos ſuos, et noluiſti? Eius eſt uelle, cuius eſt nolle. Vocat deus omnes ſitientes ad aquas, & ultro inuitat: & quū omnes mortales ſitiant, tamen pauciſſimi ſalui fiunt. populū eductum ex Aegypto uolebat Deus incolumē in terrā ſanctā introducere: et quia non acquieuit Deo, ex innumeris milib. duo tantū ſeruati ſunt. Coactus ſeruus nō eſt malo melior, quāuis bene agere uideat. ideo quod Deus dedit homini ſummū, uult in eius poteſtate eſſe, neq; uim inferre ſolet. Quod ridēdo concedunt in cap. 22. ſeriò amplector & probo, quod ſit filius Deo, ipſa ſcilicet eius ſapiētia & uerbū, cui dixit Deus, uti domino ſuo & æquali, ſede à dextris meis. Quæ aūt ſequunť, hæc dicta eſſe ꝓpter Iudęos qui eſſent filium odioſe necaturi, id uerū nō eſt, licet nulla gens unquā fuit Deo infenſior. Illa dicendi phraſis à ꝓpheta expreſſa eſt diuinę naturę explicatio, & cōditio, ut probetur perſonarū æqualitas, & ſimilis deitas loco non indiga: quæ licet, ut in principio oſtendi, ſit tota in filio, & tota in patre, & tota in ſpiritu ſancto, ut tota res in cogitatione, tota in uerbo, tota in effectu: tamen nec confundi, nec ſeparari debet. nec igitur dextram patris reliquit filius quum uenit in carne. eſt etiam totius orbis arbiter: nec fuit inobediens et rebellis patri, cuius uoluntatem fecit, quū ſine eius morte nō poſſet homo redimi. Nō poteſt dictum illud, Sede à dextris meis, intelligi de Dauide & Abrahamo: quoniam Dauid non habet in ſua poteſtate regnum cœlorum, ut det Abrahamo, qui erat ſecundum ueſtras traditiones in porta inferi repugnans Deo, & prohibens ne mali Iudæi quos Deus mittebat in gehennā, in eam intrarent. Saniores interpretationes eius loci ſunt adferendæ, de quibus certe habenda gratia Munſtero eſt. Ita uertit paraphraſtes Ionathan Vzielis filius: Dixit Iehoua domino ſuo, ſede à dextris meis. In libro Kibuzin ſcriptū eſt: Venturus eſt Deus Opt. Max. cōſtituens regem Meſſiam ad dextrā ſuam. Quoniā dictū eſt, Dixit dominus domino meo, ſede à dextris meis. Rabi Iſaac ſuper Geneſim ita ſcribit: Ante ſolis creationē erat uigēs et ſubſiſtēs nomen Meſſię noſtri, et ſedebat ad dextrā Dei. & hoc eſt quod ait propheta, Sede à dextris meis. ita ſolet exponi locus ille, ita intellexere priſci doctores. Iam in primis Iudæorū refutationib. docui, quomodo dixerit Chriſtus ſe ignorare diē iudicij. Dixit em̄, quod filius nō nouit. certe qualē uidebāt Ieſum, reuera neſciebat de die illa; quia nulli mortaliū expedit de futuris cognoſcere. Vult nos Deus ſub timore in officio retinere. Quid oblatrēt Iudęi de imꝑfectione naturę quę fuit in Chriſto, in matris uiſcerib. natiuitate & infantia, nō eſt curādum. Quod em̄ ſine uitio agētis aut patientis fit, nil mali habet. Quod uero male aptari uerſum pſal. 19. in quo ſcribitur, In ſole poſuit tabernaculum ſicut ſponſus, etc. ipſi Chriſto contendunt, tanquam parum conueniat: nulli ſanè magis conuenire poteſt. Sit fœdum, ſordidum, aut quouis modo maculatum quod Deus contingit, illud mundat & ſanctificat, nunquam labem attingens, ut lumē omnia tenebroſa illuſtrat, nullas concipit tenebras. Tabernaculum fuit Meſſię cœlum, & totū iſtud naturæ templum, poſtquam creatus eſt mundus. Quum uo luit homo fieri, fuit tabernaculum uirgo, ſunt nunc fideles animi. Itaque Iudæi, quum Chriſtum uos putatis fœdare uerbis à neceſſitate naturę comparatis, uos ipſos in cœnum inmergitis: non ſecus quàm qui officere luminibus contendit, ſibi quidem lumen adimere, lucis naturā inficere non poteſt. Non auſim amplius immiſcere Munſterum Iudaicis impietatibus, niſi tam impie arbitrium homini adimeret, ut infra cætera animantia habendum iudicet. tanquam enim nil

arbitrij

arbitrij habeat homo, omnia bona & mala opera ex prædeſtinatione facit neceſſariò, ergo iniquus eſt Deus: igitur nullus, qui iubet quod infectum uult. O blaphemiam. Vnũ affirmare nõ dubitabo, fœdius in hoc labi quoſdam quàm Arrium, quàm Eunomium, quàm Neſtorem, & quotquot unquam impij hæretici fuere. Negat enim eſſe Deum, quiſquis homini præcipue ſacris Ieſu Chriſti initiato, negat libertatem arbitrij ineſſe, & opera bona nil ad ſalutẽ facere. Non mirum eſt ii ad impietatem quotidie tranſeant ita formati, quoniam nil ad eos pertinet quales ſint futuri. Itaq; illud habent in ore impij, Non poſſum aliter agere, cogit me Deus.

Locus à Iudæis adduci ſolitus ex Deutero. cap. 13. quàm ſit uiolenter contortus in Chriſtũ, nullus non uidet. ita habet: Si te incitauerit frater tuus, filius matris tuæ, aut filius tuus uel filia tua, aut uxor quæ in tuo amplexu eſt, aut ſocius tuus uelut anima charus, in occulto dicẽs, eamus & ſeruiamus dijs alienis, quos nec tu noſti, nec patres tui, &c. in fine ſentẽtiæ, Non acquieſces illi, interficietur & manus tua erit ad eum occidendũ prima. Is eſt uerſus. Duas uero dictiones tantum capientes aiunt, de Chriſto intelligi. & exponunt filium matris tuæ, id eſt, qui ſine ſemine patris dicatur natus: quum tota periodus nil aliud indicare uoluerit, quàm etiam proximis non eſſe parcendum in tali ſcelere. Cæterum, nunquam clàm de Deo docuit Chriſtus, nec de Deo alieno, ſed de creatore uniuerſi quem coluere patres ueſtri, ô Iudæi. Miſeret certe me huius tam inauditæ cæcitatis, aut peruicacis obſtinationis dicam neſcio. Nil enim minus conuenit quàm eiuſcemodi, Chriſto Ieſu. Pari impudentia affirmant Chriſtũ neſciſſe ſuũ proditorem, quẽ tamẽ toties in hoc eſſe deſtinatũ dixit. & rurſum: ſi Deus erat, quare ſe uinciri permiſit? interrogent Eſaiam 53. quis ille eſt in quo poſuit Deus iniquitates omnium noſtrûm? qui ſicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus corã tondente ſe obmuteſcet, & nõ aperiet os ſuũ? Nonne illi grata mors eſt? eſt certe. Horrebat mortẽ et refugiebat ſuo more humanitas, adpetebat non ultro, ſed perfidorum inſtrumento diuinitas, ea morte in ſalutem orbis litari. Et male ergo fecit Iudas prodendo, & Iudæi perdendo, quoniam non ſalutis orbis gratia, ſed is auaritia & inuidia, illi inuidia & ira acti hoc perpetrarunt. Si ſe manifeſtius orbi aperuiſſet, ut certe poterat Chriſtus, nunquã potuiſſet redemptio, quæ per uiolentiſſimã mortẽ fieri debebat, conſummari. Quãuis enim fuiſſe neceſſe, ut cõficeretur homo Deus, dixiſſet omnibus, alioqui nunquam futurũ ut rediret in gratiã homo cũ Deo: nullus certe tam pij & ſancti hominis tortor eſſe uoluiſſet. Dubij certe erant etiã quidã eius apoſtoli de eius diuinitate, quoad reſurrexit, & dedit illis ſpiritum ſanctum. De agno paſchali aiunt, quemadmodũ erant plures agni offerẽdi, ita oporteret ſi innuebant Chriſtũ, eum ſępius generari & ſuſpendi, ut figuræ figuratum reſponderet. Dixi ab exordio Meſſiam ita excellentem futurũ, ut omnes hominum excellentias excederet, et cum nemine in ſuis conſtituẽdis conueniret. erat enim futura lex eius noua, non ſecundum eam quam Deus dedit in Aegypto, aut Moſi, ſed quæ in corde ſcriberetur. Itaq; ut per externũ multorũ animalium innocentiũ ſanguinem fiebãt in lege expiationes, ita omniũ credentiũ peccata uirtute ſanguinis unius ſemel occiſi agni dimittuntur. & agnus erat, & ſemel offerebatur pro omnibus, & faciebat ſui corporis partes, quum daret diſcipulis: quam rem non ita agitant Iudæi, ut noſtri ęneuangeliſtæ, quoniam impotentem Chriſtum iudicant, ſuum ubiuis terrarũ diſtribuendi corpus, tantumq; fide ſumi affirmant: quum tamen uideamus

in natura res etiam corporeas innumeras, quæ uno eodemq́ temporis articulo poſſunt eſſe totæ in uno loco, & totæ in alijs, atq; tantū una in toto. Quis neſcit in qualibet arbore ad tranſplantandū, ex palo uel ſurculo apta, eſſe tantum unã naturam & corpore & anima? Fiãt quot uolueris taleæ, & plantę ſalicis, ſingulę tantundem habēt quantum prima. Adferam'ne de rebus ſpiritalibus exemplū? rei unius imago tota eſt in omniū oculis in innumeris ſpeculis, in omniq́ uiſus potentia. odores toti omnium ex æquo nares feriunt. lux par eſt in parua & magna quantitate, quod ad rei naturam ſpectat. Natura corporis Chriſti glorificati, ubiq; non ſecus atq; diuinitas eſſe poteſt. erat in ſuis manibus, nō ſecus quàm ſi ſalix loqui poſſet, & ramum ramo amplectens diceret, hoc eſt corpus meum. Impietas cęneuangeliſtarū iſta non capit, quod creatorē impotentiorem creatura credat. Quam nō audet Latine impietatem euomere Munſterus, illam docet Iudæos, nil aliud eſſe ſacramentū, quàm mortis Chriſti memoriã. Illa ſcribit Hebraicè. Quaſi uero cū pręſentia corporis Ieſu, neget eccleſia memoria paſſionis. Falſum eſt obiectū de hora occiſionis agni, quū dicunt Iudæi agnum ad ueſperam edi ſolitum, Chriſtū uero mane crucifixū. donec ederetur agnus, nullus uirtutem paſchę recipiebat: ita quãuis ad meridiem ſit crucifixus Ieſus, non expirauit tamen ante nonã, quæ eſt tertia ueſpertina. Ita qua die agnus figuratus à Iudæis edi ſolebat ad ueſperam, eadem ſeipſum Chriſtus dedit. eo enim emittente ſpiritum, ſalus eſt orbi uniuerſo reddita. Ideo uoluerat die Iouis contra cōſuetudinem Iudæorū typicum agnum comedere, illicq; ſacroſanctum corpus ſuum ſubſtituerat, quod qui indigne ſumpſerit (ne putemus tantum fide, & non re capi) iudicium ſibi manducat & bibit. Ob id multi in primæua eccleſia moriebantur, alij grauiſſimè ægrotabant, quod non dijudicarent corpus Domini, id eſt à cæteris differre cibis nō crederent. De modo differenti occiſionis Ieſu, & agni, quid attinet dicere? non enim idem homo eſt & agnus. In innocentia cōuenire ſatis eſt. Vt quid, ait recutitus Nizahon, erat anima eius triſtis uſq; ad mortem? Si dices quod loquitur ſecundū carnem, quæ timet, & nonne dicit: Triſtis eſt anima mea? in omni loco hoc dicis ſecundum carnem, quū nemo neſciat carnem nec loqui, nec cognoſcere, ueluti ſaxū. Vide perfide Iudęe, quò te abducat tua obſtinatio, & in Chriſtum blaſphemandi uotum? Quod potes concedere, et quotidie uides in omnibus hominibus, tu illud uni Chriſto detractum cupis. ſaltem erat homo Chriſtus: at nemo homo eſt, quin in re eadem poſſit unà & uelle & nolle, & triſtari & gaudere. Quid facit ut ficus, fiſtulas, carcinomata, calculos, ſanitatis cōparandæ gratia medico duriſſimis ferri remedijs curãdos quiuis permittat? Nonne aliud cenſet ratio, aliud uult naturæ ſenſus? ratio ducit ad carnificinam libentiſſimè, corporis natura refugit, non ſanitatem, ſed tam magno emptã. uult itaq; ſcindi, & nō ſcindi, idem homo. interim implorat medicū, quem ſcit nō parciturum: & ſi parcere uellet, ratio nollet. Ita multi uolētes in mortem ruunt, quū natura non eſt tormentis par. eodem animo patriæ gratia, aut cōpendij ergò, dux milesq; pericula ſubeunt, uolentes per tormenta quietem comparare. ita uirtus laborioſe cōtra animã corpoream, id eſt uitalem, naturalem, animalem partem obnititur. Luxum enim & uoluptatem iſta petit, illa ratione duce diſcrimina ſumma appetit. nec ſunt Chriſtiani tam inepti, ut carnē inanimatam ſentire, aut pro ſe loqui putēt. poterat igitur Chriſtus etiam ſi fuiſſet homo purus, anima corpori adnexa, & morti obnoxia obnitti animo & rationi. differunt enim illa latiſſimè. At quantomagis quū in eo eſſet cum ratione nobis cōmuni

muni diuinitas,mortem omnium ſalutis gratia toto uoto appetere,& toto uoto refugere poterat? Noluit per diuinitatis cum humanitate cōiunctionem,ullam labefactatæ naturæ imperfectionem corpoream adimere, ne pœnas amplas illi debitas minueret. Triſtis igitur erat eius anima uſq; ad mortem,cuius acerbitatem diuinitas illi ob oculos iam ante poſuerat. Verū ardor ille hominis ſaluandi uicit. eódem itaq; pertinet oratio ad patrem facta. Nam homo diuinitatem ſua fragilitate implorat,quãuis ratio corpori parci nolit:nō ſecus atq; ſecandus, aut urendus,rogat & obteſtatur medicū,ſi poteſt aliter fieri, & tamen non ſuam uoluntatem,ſed medici & rationis fieri cupit. Nec propterea ſunt inæquales duæ rationes,patientis ſcilicet,& χειρούργου. Vterq; enim decreuit ſectionem,aut cauterium. Itaq; quod impius ille Iudæus ait,non eſſe Chriſtū Deum,nec habere uoluntatē cum Deo patre parem, falſum eſt. Nam & patris potentia,& filij ſapientia,& amor ſpiritus ſancti,quæ eſt unica diuinitas ante conditū orbem, id remedij homini ſua ſponte perdito conſtituerat,ut corpus diuinitati connexum lueret labefactatæ humanæ naturæ pœnas. facta itaque illa uoluntas eſt, ipſa fragili natura hominis refugiente, & ad ſanguinis uſq; ſudorē triſtitia acta. Docui copioſè humanis rationibus libro primo,naturam nullo alio modo potuiſſe reparari, quàm morte hominis iuncti Deo. Cætera omnia obiecta à triumphatore noſtro ſunt prædictis confoſſa rationibus. Quod addit,carnem nō potuiſſe 40. diebus ieiunare,niſi cum gratia ſpiritus ſancti:certum eſt non eſſe in carne eam facultatem,qua tandiu ieiuna permaneat:ſed quam Moſi,ut dixi,diuinitatis ſpectrum,& Eliæ angelica confortatio dedit, itidem quandiu uoluit diuinitas contulit Chriſto Ieſu,plenitudinem eius in ſe habenti. At ſi diuinitas id in eo operata eſt,quare non fecit ut non paueret? Reſpondeo,ut nil planè imperfectionū & paſſionum illarum (præter peccatum) quæ in omnium natura poſitæ ſunt, deeſſet carni pro omnibus pœnas danti. Poterat ſanè Chriſtus ſuæ carni ſenſum & affectiones ante mortem adimere,morteq; imaginaria mori, uerū & reuera pati,et reuera dare omnium paſſionū indicia uoluit. Fuiſſet enim actus perſona tus & illo indignus,ſi quū ad patiendū ueniſſet,imaginariè fuiſſet paſſus. Perfidi & perditi Iudæi, quî fieri potuit,niſi fuiſſet Chriſtus Deus dans ſuam gratiam cui uult,ut infinita milia ſanctorum eius nomine ſint inter diuos repoſiti, quod uos nobis obijcitis? Homo certe homini ſanctitatem, & miraculorū gratiam dare nō poteſt. Oblatus eſt ergo Ieſus,quia uoluit. Concidit iiſdem rationibus obiectum Iudæorum de tribus pueris, qui non leguntur triſtitia fuiſſe uexati, ob fornacem ignis quam ſubibant. Sunt innumeri etiam Martyres (ut plura Iudæis quàm uelint concedam) qui nō mœſti,ſed alacres in omnia tormentorum inauditorum genera ruebant. Verum,ut iam dixi,alia fuit in Chriſto paſſuro ratio. Nam confortati à Deo, per angelum eius,tres pueri fuerunt ad tormenta animati: & quod natura corporis non ferebat,dabat diuina conſolatio, ut pœnæ minuerentur in illis tormentis, quibus ferendis natura fragilis impar eſt. At in Chriſto quicquid ſimpliciter poteſt ſine ullo ſupernaturali auxilio triſte & moleſtum contingere, ideo contigit quòd omnium in ſe delicta eluebat. Minus uero id feciſſet, ſi eodem priuilegio atq; cæteri animatus fuiſſet. Vt uero etiam fides diuinitatis in eo, & eius amicitiæ cum Deo fieret, accepit natura humana ab angelo conſolationem uerbo. fieri enim non potuiſſet, ut ita derelicta in ſua paſſibili conditione duraſſet natura, quam ſua infinita perfectione diuinitas ante mortem leuare non uolebat, niſi quadam reſpiratione adiuta fuiſſet. Miniſtri

niſtri itaque potius miniſterio, quàm diuinitatis adminiculo conſolari uoluit filium ſuum Deus, ne diuinitatis, quæ mortem inſtituerat in eo acerbiſſimam futuram, ſolatio pœnæ minuerentur. Mors Meſſiæ ut omnium hominum cauſa comparata erat, ita ab uſu communi moriendi remota eſſe debebat. Vt enim uidimus omnes qualitates eius excellentiſſimas fuiſſe, ita & morte à cæteris eum differre iuſtiſſimum fuit. Virorum optimorum præſtantiſſimus tulit uirtutis acerbiſſimum præmium mortem in corpore calamitatum omnium genere uexato, ſine ullo priuilegio moderatæ pœnæ, quod uel in crucifixione eius patet. Nam, ut ſuprà docui, uiuũ corpus fixuris manuũ ad tres horas fuiſſe appenſum, ſuperat quicquid poteſt tormentorũ excogitari. Verum hic Iudæi ogganniunt; quũ tamen Chriſtum cõtumeliæ cauſa talui, id eſt ſuſpenſum, & eius crucem rectum et tranſuerſum lignũ uocent. aiunt uero nõ fuiſſe crucifixũ, ſed ſimpliciter occiſum: quod eſſet inuſitatũ apud Iudęos illud pœnæ genus. Solebat enim ſummus ſenatus lapidare, cõburere, cædere, ſtrangulare. Quaſi uero tũc tẽporis res iuſticiariæ eſſent ex priſca conſtitutione (fac eos uera obijcere) apud illos, quũ iam ante ſexaginta, aut circiter, annos eſſet ab Herode ſublatus Senatus Synedrin: occidiſſetq́; , ut prius docui, tres paſtores in menſe uno, ſacrum ſcilicet, prophanũ & mixtum ordinem cõficiendo, & pro arbitrio leges cõſtitutiones magiſtratusq́; inſtituendo. Vobis ideo non licebat interficere quanquã, ô Iudæi, quũ captus eſt Chriſtus, quod certe licebat ſub Ducibus regibus & capitibus captiuitatis, quũ eſſetis liberi. Crux erat redemptionis myſteriũ, & uitæ æternę in notis Hieroglyphicis ſignũ. In ea diductis ad amplexũ brachijs occidit, qui omnes in eum credere uolentes amplexurus erat. Verũ nunc ſe offert conuiciorum & calumniarum cumulus. Ex uerſione 72. interpretũ, & latina ex ea deducta, uolũt inferre, etiã peccatorem fuiſſe Ieſum, quod pſalmo 22. ita clamauerit: Eli eli lama azabtani, rahoc miſuathi dibre hatáti: id eſt, Deus mi, Deus mi, ut quid reliquiſti me, longe à ſalute mea uerba delictorũ meorũ. ita habent græca. ſed Hebræa habent dibre ſaagati, id eſt uerba rugitus mei. Malunt ſua peruertere ſcripta, ut cõuicientur ueritati, quàm uerũ ſuſcipiendo & tutando illam amplecti. Verum ne uideamur noſtrã refugere uerſionem, quũ pſalmus ille de Meſſia dicatur, admitto etiam illic legi hatati, id eſt peccatũ meum, & Chriſtũ habuiſſe peccatum. Sed uidendũ quomodo habuerit. habemus enim, et noſtrũ dicimus, aut propriũ noſtrũ: ut corpus, animũ, fundum, delictũ. eo modo nunq̃ habuit Chriſtus peccatũ. aut dicimus noſtrũ, fidei noſtrę cõmiſſum, alieno nomine receptũ: ita Chriſtus non habuit unũ peccatũ, ſed totius mundi peccata in potentia in ſe recepit. Illud eſt quod dixit propheta, Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. & alibi, Poſuit in eo Dominus iniquitates omniũ noſtrûm. &, Vulneratus eſt ꝓpter iniquitates noſtras, attritus ꝓpter ſcelera noſtra. &, Si poſuerit pro peccato animã ſuam, uidebit ſemen longæuũ. &, In ſcientia iuſtificabit ipſe ſeruus meus iuſtus quàm plurimos, & iniquitates eorũ ipſe portabit. Hęc dici de ſummo quodã homine, cui iuncta ſit diuinitas, non poteſtis negare. Nam homo iuſtificare homines nõ poteſt. Eo ergo modo habuit peccata omnium, per eum in Deũ credentiũ: & ueſtra etiã, ô Iudęi, ſi uelitis credere in illũ, & de ueſtris blaſphemijs pœnitere. Nam uult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ueritatis uenire. Quod aſſuunt ſuo more blaſphemias in aceruũ, dicendo, non fuiſſe iuſtũ, quem Deus relictum uoluit, quũ dicat, non Salomoh eccleſiaſtes, ut male citãt, ſed Dauid 36, non uidi iuſtum derelictũ, &c. Cauſam ſuperius attuli, cur ab ea triſtitia non

non ſit exemptus,quia & ratio & diuinitas repugnabant humanę petitioni:ueluti ratio ſecandi aut urendi ægroti cum chirurgo appetitui ſenſitiuo dolorem fugienti refragatur,licet eius fidem imploret,ut ſi poteſt aliter fieri per ualetudinem liceat.In ſalutem itaq; ipſa Ieſu Chriſti humanitas,non tantopere ſui cauſa clamabat,quàm quodam uoto ueluti iam diuinitati obſequenti omnium ſalutis gratia rogabat.Nam quũ antedicta uerba protulit, erat morti proximus Ieſus. Quod tam crebro triumphator noſter apella inculcat,Si fuit Deus,& ſua uoluntate & amore uoluit pati,cur triſtis orabat? Iam reſpondi plus ſatis,ut oſtẽderet humanam naturam quamuis eſſet iuncta diuinitati,tamen nec fictè nec imaginariè pati:ſed ſine ullo præſidio à natura diuina accedẽte.Nam ut dixi,ſine pœna poterat omnia Iudæorum tormenta eludere,ſi uoluiſſet, quod non ſemel ante eius paſſionem oſtendit,quũ uellent illum præcipitare & apprehendere. Sanna demum & peſtis ridet ſacra myſteria & interpretationem.Aiunt,inquit,hamimin,id eſt hæretici Chriſtiani,quod quũ dixit Deus, faciamus hominem ad imaginem noſtram:hoc dicebat pater filio,Iuua me ad faciendum hominem,et noluit obedire filius,fecitq; ſolus pater Adamum.demũ dixit filio, noluiſti modo me iuuare,aliquando te non iuuabo quũ me rogabis,& ideo noluiſſe exaudire filiũ in morte. Sunt anilia deliramẽta. Diuina bonitas unitiſſima in trinitate,ut ante diximus,nõ poteſt habere repugnantiã in uoluntate,nec poteſt quicquam fieri,quin potentia,ſapientia & amor unà concurrant. Pereant male peſtes huiuſmodi,tam craſſi & ſupini homines,ut diuinarũ rerum nil cõcipere poſſint.Quis uero ferat impia uerba,quibus omnia ſacra euertũt?Si fuit,aiunt,unitus ſpiritus cum corpore,& etiã diuinitas unita in unũ ergo obijt diuinitas. Nõ te pudet bellua? etiã ſi purus homo Chriſtus fuiſſet, nónne illius animus ſuperfuiſſet?ad quid leges & iura, pietas& uirtus,ſi animus cum corpore perit?Si eſt animus morti ſuperſtes (ut certe eſt) quomodo audet infœlix apella diuinitatẽ illi poſtponere,& mortalẽ dicere? Pereat miſer. Impugnare etiã nituntur diuinitatẽ Ieſu Chriſti, ex eo quod ſcriptũ eſt Matthei ultimo,Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra.Quid hoc ſibi uult,ait Nizahon?quis dedit illi,ſi eſt filius Dei ? quid opus fuit dono? Nónne totus mundus illius eſt?Si dices,quod pater eius dedit illi, & quod ipſe & pater ſunt duo, & nonne utriq; eſt pars una? Non eſt alter altero maior,nec dominatione,nec uirtute,nec intelligentia. Audi recutite, nonne à ſingulari potentia Dei ſemper procedit ſapientia,& ab utriſq; amor?ſi ſapientia,quę filius per ſimilitudinẽ inferiorũ dicitur,dicat,omnia habeo à patre meo:nonne uerũ dicet,quũ potentia & ſapientia unum ſint ? Omnia itaq;,ait Chriſtus,mihi ſunt tradita à patre meo.Si tradita,ſi cõmunis poteſtas utriq; eſt,quid ergo datũ eſt poteſtatis,ait Moſaicus? Non idem eſt eſſe Deũ per ſe, & Deum naturę humanę iunctũ?Itaq; poſt deuictã mortem per glorioſam reſurrectionem,quũ ſit nouum cõpoſitum Chriſtus,utraq; natura cõſtans, dat illi pater quam ab æterno in diuinitate poteſtatẽ habebat.Mutata enim conditione aſſerere denuo hęreditatem oportuit.Data eſt itaq; homini deo poteſtas in cœlo & in terra,ut eò trahat quos redemit,quũ ante eum in cœlo nil haberẽt. Nil ad nænias nebulonis reſpondeo,quibus ait, Chriſtũ futurũ cum ſuis ad finẽ uſq; ſæculi,ſed non futurũ in ſeculo futuro. ſentiunt ad hanc diem eſſe in cœlo, quoniam ubiubi agat Iudæus ſemotiſſimè à Chriſtiano imperio, facit Chriſtus ut ſit in duriſſima ſeruitute,& ſaltẽ aut eſt Deus aut poteſt obſtare Deo Iſraël ne poſſit aut uelit totis iam mille quingentis annis exaudire Iudęos omni cultus &

afflictio-

afflictionũ genere illum adorantes. Pręcluſit eis Deus aures ſuas. Nil adfero de cõparatione perdicis, quoniam arbitraria calumnia eſt. Quod nullũ ſuorũ relinquat Ieſus, ſatis patet ex cataſtrophe uitæ martyrum. nam nõ eſt in homine poſitum ut tot tantaq́ꝫ tormenta nõ tantũ ferat, ſed ultro appetat: adhæc ut poſt mortem miraculis reliquiæ fulgeant. Quod nos de paucitate iudicent errare, carent iudicio. Nam ſi paucitas facit legem nullam, ergo Moſes falſam legem dedit, quia ex decies ſaltem & quinquies centenis milibus hominum duo tantum leguntur ueniſſe ad id, ad quod uocauerat Deus. Olim totum occupauit orbem Chriſtianiſmus, nunc noſtro ſcelere minutus eſt. Quid autem adimit Chriſto, quod Iudæi illum non fateantur eſſe Deum? Quid adferunt Muhametanos in idem teſtimonium, quum ſexcentis poſt mortem Chriſti annis exorta illa ſit peſtis, ex Iudæorum inſtitutione? An ideo quod rarum eſt, bonum nõ eſt quod ſit rarũ? Rara ſunt pulchra, honeſta, bona. teſtamur quidẽ nos legem Moſis fuiſſe bonam, & omnino ſeruandam ante Chriſtũ. nunc abrogatã dicimus, niſi quod ad mores attinet. Duo itaq́ꝫ falſi teſtes non ſunt teſtes, & præcipue contra ueritatem, quàm in mendacio retinent. Hęc habui quæ noſtris hominibus rerũ Iudaicarum imperitis proponerem, ut Iudæos adorientes conficiant, & illis reſpondeant.

FINIS.

CAPITVM AC RERVM QVAE IN SINGVLIS *Gul. Poſtelli de Orbis concordia tractantur libris, Index.*

Veræ religionis, id eſt Chriſtianæ probatio, ex philoſophia deſumpta Pag. 1
De mundo & Deo 5
De Dei qualitatibus 12
De ſancta trinitate, & trino Deo demonſtrationes diuerſæ 16. inde
Teſtimonium & authoritas philoſophorum de trinitate 22
Probatio ex ueteri Teſtamento, & Cabala, & Thalmud 23
Muhamedicorum placita de Dei natura 27
De creatione mundi, & an mundus ſit ab æterno. 29.
Quod Deus curet etiam particularia. 43 (& inde
De ſubſtãtijs ſeparatis, ſiue dæmonibus, Genijsúe. 47
De dæmonum & angelorum natura, & de magis & prophetis, eorumq́; differentia 58
De hominis natura 65
De hominis ſcopo in hac uita, & quantum ab officij ratione diſtet 69
De neceßitate præſtantiæ Dei incorporati inter homines 73
De morte Ieſu Chriſti filij Dei & Mariæ, externa teſtimonia 87
Quid Chriſtus homo Deus humanitate noſtra Deo iuncta paßus ſit, & quàm neceſſariò 89
De probatione & confirmatione diuinitatis Chriſti, ex operibus & morte diſcipulorũ & martyrũ. 92
De fide certa, & authoritate Euangelij 97
De difficilioribus Euangelij præceptis 101
De differentia originis perſuaſionis Chriſti, & falſarum religionum 105
De excellentia myſteriorum à Ieſu Chriſto inſtitutorum, quibus etiã maxime patet eius diuinitas. 108
Neminem eſſe conſequutũ, poßéue cõſequi felicitatẽ, niſi ſeruato Euangelij præſcripto. 109
De animorũ immortalitate, probationes diuerſæ. 111
De reſurrectione 119
De immutatione materiæ neceſſariò futura 123
Religionis Chriſtianæ placita eſſe præcedentibus demonſtrationibus conſimilia 124

CAPITVM LIBRI II. *catalogus.*

Præfatio, & adhortatio ad uerè pios homines, ut ſe ad congrediendum literis & rationibus cum fœda Muhamedicorũ colluuie parent, principumq́; occupationibus ſuccurrant 125
Muhamedicæ perſuaſionis expoſitio & refutatiõ. Vita Muhamedis legislatoris Arabum 137
Quibus parentibus ortus ſit Muhamedes ead.
De Mechæ habitatoribus, & quas occaſiones factionis habuerit Muhamedes 138
De adoleſcentia Muhamedis ead.

Quo

Quo principio ad fortunã ſplendidiorẽ trãſierit. 139
Quibus fautoribus potentiam collegit 141
Quibus cum affinitatem iunxerit 145
De miraculis Muhamedis 147
De ceremonijs à Muhamede inſtitutis 151
De Alcorano, Suneh, & cæteris libris Muhamedicorum, eorumq́; approbatione 152
Quis ſit ſcopus & ſumma Alcorani 155
Quæ ex ueteri nouoq́; teſtamento habeat 156
Alcorani per capita ſingula, ſeu Aſuar, excuſsio. 157 & pluribus deinceps ordine ſequentibus paginis.
De Deo & fine ultimo, Alcorani errata 229
De angelica natura 230
De dæmonibus 231
Quæ in naturam admiſerit Muhamedes 232
Quantum infelicitatis ſub hac lege patiantur Reſpublicæ 233 (238
Res eorum populorũ, qui nomina dedere Muhamedi.
Primus cũ Muſſulmanis congreſſus iam ab autore arabicè uerſus, Omnium doctrinarum quæ ad hominũ excellentiam requiruntur, compendium 248
Mundi uniuerſi & rerum harmonia in quaternario poſita, unde lux maxima cognoſcendæ trinitatis oritur 259

CAPITVM LIBRI III. Catalogus.

De religione, & iure in toto orbe communi, ſeu Iuris Methodus. 261
Eſſe quædam artium omnium elementa, quibus perceptis facile quæuis diſciplina & tradi & capi poteſt 267
Vnde ius inter homines profluxerit 270
De rationibus & finibus omnium perſuaſionum. 273
Vnde perſuaſiones de dijs uariæ profluxerint 277
Abſurdæ religionis atq́; idololatriæ origo 281
De incremento & conſiſtentia religionum 284
De conſiſtentia 287
De tractatione, uſu, & corruptione perſuaſionũ. 288
Perſuaſionum omnium communes Canones 290
De iure gentium & ciuili 292
De cauſis iuris cuiuſcunq́; 294
Quibus de rebus tractetur in iure ciuili 297
Diuiſio conditionis hominum 298
Quid poſsideãt homines iuris beneficio, quomodóue iura amittant, conditionesq́; mutent 200
Quid ſibi mutuò præſtare homines poſsint, quomodóue obeſſe 302
De origine iniuriæ 304
Quot modis, & à quibus, & in quos peccetur 305
De iudicibus & magiſtratibus 311
Reipub. adminiſtrationum partitio, expoſitioq́; 312
Alia iudicum partitio 315
De iudiciorum appendicibus 317
De militari ordine & autoritate 319
De expeditione 321
De primis opũ elemẽtis, atq́; de rerũ diſtinctione. 322
De quæſtoribus ærarij 324

CAPITVM LIBRI IIII. Catalogus.

Quibus artibus ſit opus principi religionem mutaturo, & ueram fidem falſæ ſubſtituturo 326
Quibus modis citra cuiuſquam offenſionem ſit uera fides prædicanda: deq́; eius officio qui curã emendandæ, aut omnia euertendæ falſæ perſuaſionis ſuſcipit 328
Suadendi Muhamedicis formulæ aliquot. 329. et inde
Diſcipulorum quorundam Ieſu Chriſti uitæ compendioſæ 333
Inſtantia ab ordine rerum, & hominis officio 339
Quomodo ſit falſa perſuaſio refutanda 339
Ethnicos ad ueritatem trahendi modus 340
Externa teſtimonia de Chriſti diuinitate & magnitudine 341
De uario cultu hodierno, quomodo refutetur 349
Iudæos ad Ieſu Chriſti cognitionem & fidẽ adducendi modus 354 inde
De reprobatione Iudæorum 563
Quorundam Iudæorum neotericorum obiecta & ſolutiones 580
Quæ de Ieſu Chriſto credimus 391
Euangelium cænopalæum 392
De Iudæorum obiectionibus, & ſolutione 416
Epilogus inſtantiæ Iudaicæ 423
Iudæorum in Chriſtũ, & eius Euangelium impia obiecta, & eorum dilutio 424

FINIS.

L.C.

10229
E544
P857o
1-SIZE
RMKGL
1-